
8300

9
50



TOMVS I.

De Incarnatione

Authore Reuerendiss. Patre Mag.
Fr. Ioanne de Sancto Thoma, Ordinis
Prædicatorum;


In Complutensi Academia Professore
Primario, Supremi Fidei Senatus Cen
sore; Insignis Collegij S Thomæ Com
pluti Regente.

In lucem editus.

Curæ & sollicitudine R. A P. M Fr. Didaci Ramirez
quondam Prioris Regalis Conuentus S. Mariæ de
Atocha; Definitoris Prouinciæ; nunc Prioris
Conuentus S. Thomæ Matritensis.

Matriti, ex Typographia Regia.
1656.

D. Fran. de Zevallos adquirit



EL Conuento de Nuestra Señora de Atocha, en doze de Agosto de mil y seiscientos y cinquenta y quatro, tiene prorogacion por quatro años, para imprimir las Obras del Padre M. Fray Iuan de Santo Thoma, Confessor de su Magestad, como mas largo consta en su original, despachado en el oficio de Francisco Espadaña.

Errata sic Corrige:

INcommunicatam, leg. Increatam. Pag. 11. Artic. 6. leg. 3. Pag. 360. ad Tertiam, leg. ad Quartam. Pag. 360. Sed diuinitatis, leg. Ratione humanitatis. Pag. 360. Obiectum, leg. Subiectum. Pag. 45. Quartus modus dicendi, leg. Quintus.

¶ Hic liber inscriptus *Tertia Pars Summæ Theologiæ Sancti Thomæ, &c.* demptis his mendis suo exemplari fideliter respondet. Dat. Matrit. die 2. Mens. Martij, ann. 1656.

Lic. D. Carlus Murcia de la Llana.

Suma de la Tassa.

YO Francisco Espadaña, Escriuano de Camara del Rey nuestro señor, vno de los que residen en su Consejo, certifico, que por los señores dèl fue tassado el Libro intitulado, *Tertiæ Partis* de las Obras de Santo Thoma, compuesto por el Padre Maestro Fray Iuan de Santo Thoma, Confessor que fue de su Magestad, à quatro marauedis cada pliego, el qual tiene ciento y quarenta y vn pliegos, que à este respeto monta quinientos y sesenta y quatro marauedis cada Libro, y à este precio, y no mas mandaron se venda: y que esta fee se ponga al principio de cada cuerpo, para que en todo tiempo conste el precio en que se manda vender, como consta del Auto de Tassa que originalmente queda en mi poder, à que me remito: y para que dello conste, doy la presente. En Madrid à veinte y quatro dias del mes de Março de mil y seiscientos y cinquenta y seis años. Francisco Espadaña.

CENSVRA REVERENDI. AC SAPIENTISSIMI P.M.F. Laurentij de Guzman, Sacræ Theologiæ iam emeriti Professoris, Ordinis Sancti Patris nostri Augustini.

GRAVISSIMI, ac Reuerendissimi P.M.Fr.IOANNIS DE SANCTO THOMA PHILIPPI QVARTI à Confessionibus, Opus hoc vidi posthumum, de Mandato D.D.Gabrielis de Aldama loco Vicarij Generalis huius Toletanæ Diœcesis: nec vllum aliud solatium oculis, post tàm doctissimi Magistri Religiosissimique, post tanti Viri cursum, limpidis offerri potuit. Nam verè in Operis stylo, Grauitate, Resolutione, acumine, Authoris mirificum splendet, atque resplendet ingenium: certè enim aliud semen post Ioannis obitum, pro Thoma nobis dedit Deus, & in *Tertiæ Partis* alterum reliquit post Primum, infatigabilis Doctoris cura, studiumque sine nota Fidei, non sine gloria. Eius Sapientiam in hæreditatem fœlici fasto offert Suorum non incuria. *Nam Quid Sapientia ignota, nisi inutile; & Scientia inclusa quid ni iniucunda possessio?* Dedit igitur Dominicana Familia hoc eximium, & luci protulit Nobis Opus, illi in beatitudine gaudium: Grates vobis cuncti Scholastici referent, *Typis non solum licet, sed debet*: feruet quidem Opus, ingenio calet, eruditione pollet, soliditate viget, *Angelicum sapit Magistrum*, eius doctrina fundamentis Sancti Thomæ illustris redditur, clarissima fit, sine nebula apparet: sicque *subscripsi* meo nomine in hoc Regali Sancti Philippi Cœnobio, die 14. Februarij. Anno a Christo nato 1645.

F.Laurentius de Guzman.

Licencia del Ordinario.

NOS el Licenciado Don Francisco Zapata y Mendoza, del Consejo de su Magestad en el de la santa y General Inquisicion, Canonigo de Toledo, Capellan mayor del Real Conuento de las Descalças, y Vicario General de la Villa de Madrid y su Partido, por los Señores Dean y Cabildo de la santa Iglesia de Toledo Sede vacante, por la presente, y por lo que à Nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir este Libro intitulado, *Materias Theologicas in Tertiæ Partis*, compuesto por el Padre Maestro Fray Iuan de Santo Thoma, Confessor de su Magestad el Rey nuestro señor Felipe Quarto de las Españas, atento por la censura desta otra parte parece no ay en èl cosa contra nuestra santa Fè, y buenas costumbres. Dada en Madrid a veinte de Febrero de mil y seiscientos y quarenta y cinco años.

Lic.D.Francisco Zapata y Mendoza.

Por su mandado.

Antonio Montero Notario.

CEN-

CENSVRA R.P.Fr.IOANNIS PONCE DE Leon, Ordinis Minimorum, Theologiæ Professoris, Supremi Consilij Generalis Inquisitionis Qualificatoris, ac Visitatoris Bibliothecarum Hispaniæ, & Regnorum Catholicæ Maiestatis.

SVPREMO mihi iuuente Senatu, vidi diuersa Volumina Reuerendissimi P. N.M.Fatris IOANNIS de SANCTO THOMA Ordinis Prædicatorum PHILIPPI IV. REGIS CATHOLICI à Sacris Confessionibus.Omnia quæ in dictis Voluminibus continentur sunt quæ spectant ad Materiam de Gratia, Iustificatione,& Merito,ad Virtutes Theologales,& Mysterium Incarnationis,& ad Septem Sacramenta Ecclesiæ.Omniaque redolent Sapientiam, & doctrinam huius doctissimi Magistri,sine eo quod intersint aliqua digna reprehensione, nec contra Fidem, nec contra mores;& ita digna esse talia Volumina prælo,& æternitate iudico. In Conuentu Sanctæ MARIÆ de la VICTORIA,die 13.Mensis Iunij,Anno Domini 1645.

Fr.Ioannes Ponce de Leon.

FACVLTAS REVERENDI A.P.N. Prouincialis.

FR.Didacus Lopez Magister, ac Prouinciæ Hispaniæ Ordinis Prædicatorum humilis Prior Prouincialis.Tenore præsentium Concedo Tibi Patri Fratri Didaco Ramirez nostri Conuentus Sanctæ MARIÆ de ATOCHA Lectori Theologiæ,Licentiam,& Facultatem typis mandandi Materias Theologiæ, quas Reuerendissimus P.M.Fr.IOANNES de SANCTO THOMA, Compluti publicis Lectionibus dictauit, cum in prædicta Complutensi Vniuersitate, vtramque Vespertinam, & Primariam Theologiæ Cathedram moderabatur;eæ sunt Materia de Gratia, Iustificatione,Merito,Fide,Spe,Charitate,Authoritate Papæ,Religione,Voto,Iuramento,Incarnatione,& reliqua ad totam Tertiam Partem pertinentia,quas omnes à R.A.Patribus Magistris Fratre Thoma de Bustamante Supremæ Inquisitionis Qualificatore, & nostri Cõuentus Sanctæ MARIÆ de ATOCHA Priore;& Fr.Petro Rodriguez Peramato Sancti Officij Inquisitionis Censore, & nostri Conuentus SANCTI THOMÆ Matritensis Priore (quibus id commisimus) probatas constat.Seruatis tamen, & seruandis, quæ iuxta Decreta Concilij Tridentini,aliasque Regias Sanctiones, & Constitutiones nostras seruari oportet.In Nomine Patris,& Filij,& Spiritus Sancti. Datis in nostro Conuentu Sancti PETRI MARTYRIS Toletani.In quorum fidem his subscripsimus,& sygillo nostri Officij muniri fecimus,die 15.Nouembris,Anno 1644.

Fr.Didacus Lopez Prior Prouincialis.

De Mandato R.A.P.N.Prouincialis.

Fr.Antonius de Gueuara,Præsent.& Socius.

Registrat.Fol.164.

PROLOGVS LECTORI.

POSTHVMVS iſte (nec ideò Vltimus) de Incarnato Verbo ſupra ſeptennium à Paterno obitu Angelici Præceptoris Theſes fortiter obfirmaturus, vt Parentis ſui memoriam reuocet, è Scriniorum tenebris ad lucis vſuras prodit. Poſthumus ille quidem, ſed legitimus, qui omnia lineamenta à fœcunda Parentis mente concepta ita ad Viuum expreſſa conſeruat, vt ne Vnum quidem Iota immutatum, nec Vnus Apex ſuperadditus illa deturbarit, ne vel leui ſpurij ſpecie inureretur, ſed fœliciter patrizaret.

Quod vero tamdiu latitauerit non Me de moroſitate cauſeris, quaſi homicidij Reum, *Quia homicidij feſtinatio eſt prohibere naſci*, eo quod Natura Poſthumorum ortus ſupra decimeſtres à Parentis Fato nõ agnoſcat. Illud Nos ab impoſtura Vindicabit, Fœtum hunc nõ naturam ſolum beneuolam, ſed & infidam fortunam occurrentes obſtetricaſſe. Parens enim Natura ſedula Curatrix, ad partus neceſſaria præmittens terminos naſcendi præfixit: at Aduerſa vt plurimum Fortuna, denegatis ad neceſſarios ſumptus nummis, quibus illa quãdolibet opitulari aſſueuit, pulcherrimos quidem fœtus pluſquã multoties retardat. Nec Nummos ſolum, verum & tẽpus; in tot enim negotia ſum diſtractus, iam me Prælatura Vocãte, iam Oratoria demulcente, iam Mei Conuentus ædificij ſumptuoſitate compreſſus, vt Prælum Prælium horribile cõpureret.

Tertul. in Apol.

Id ergo Lector in cauſa fuit vt Poſthumus iſte, Ingenuiſſimæ ſanè conditionis, vt Mentis & quidem nobiliſsimæ ſoboles, hucuſque lucem non aſpexerit: luceat iam, & illuceſcere faciat Angelici literam Præceptoris, ſimulque Parentis ſui, & cineres, & memoriam (hoc enim ſolum mei laboris præmium) dignam equidem perpetuis marmoribus obærari.

Germanus alter Poſthumus de *Sacramentis in Genere, & in Specie*, vltimo prælum ambit. Hunc ergo certatim emito, & magni quod malueris pretij, vt quantotiùs iterum ſub prælis noſtra cura deſudet, & Te integra Tot Nobilium Librorum, ſeu Liberorum Tanti Patris Familia proditiſsima Totius D. Thomæ doctrinæ ſuppellectili adminiſtranda fideliter, perpetuoque deſeruiat. *VALE.*

RE-

REVERENDISSIMO, AC RELIGIOSISSIMO PATRI MAGISTRO Fr. ILDEPHONSO DE SOTO MAYOR;

TOTIVS SACRI, REGALISQVE DEIPARAE

DE LAS MERCEDES

SODALITII, GENERALI

DIGNISSIMO.

BONIS Auibus tandem, sed seriùs quam Optaram (Reuerẽdissime, ac Religiosissime Prælul) aliqua strenna Tuum Hyerarchatum saluto, quia *Nihil est quod malim, quam Me & gratum esse, & videri.* Alij aliter de more Gentium Inclytum tui fastigij Regimen gratulabundi multimodo munere honorent; *Nostri qui diuino fungimur Sacerdotio muneris fuerit offerre Libros ad diuinam gloriam compositos.* Quid enim aliud in Munificentiæ tuæ lenocinium potuit aptius adhiberi, quam de illa doctrina Liber, in cuius Obiecto (Christo videlicet Incarnato) Perfectissimi Præsulis, Patentis, atque Magistri, explicatur Exemplar? Sistitur ergo Amplitudini Tuæ, acerbo fato immaturè præerepto Patre Orbus, ille Posthumus meus, se Tuæ Vigilantissimæ Tutelæ pupillum Commissurus. Viderat enim Te iamè Tua Augustissima Familia alterius Posthumi, Patris scilicet *Fr. SILVESTRI DE SAABEDRA*, necnon Aliorum Doctissimorum Magistrorum Libros Paterna Cura ad præla promouentem; nec tamen territus abijt, eo quod solemne Consultorum Responsum propter Liberos plures, numerumque Tutelarum, à recenti Tutelæ onere quempiam non excusari sanciuit.

Tullius pro Plã-tio.

Cyrillus Alex. ad-uer. Iu-lian.

Si vero de Iure obijcias plurium supra tres Tutelarum onus vni homini excusationem præbere, hoc tamen Alijs; Tu namque præ magnitudine

nitudine Prudentiæ, Benignitatis, Liberalitatis, Sapientiæ, arcano quodam veluti mysterio Plures es, cum enim illarum Inclytarum virtutum eximia *Gloria tua humanum modum supergressa sit*, illas oppido *de Communi Deo plusquam vnus habuisti*, quia *Tantæ Prouinciæ Moderator debebas esse multiformis, ac multiplex*, alius in Iustitia, alius in Pietate. Huius ergo Posthumi Tutelam suscipias vt Vnus, Aliorum autem vt Alter.

Ausonius de Gratiano. Phil. li. de Ioseph.

Memineris tamen de suscepta Tutela, quod Tibi munus Iura præscribant; est enim Patrimonio Posthumi indefessa semper adhibenda Cura. Ingens sanè Posthumi huius, ditissimumque Patrimonium existit, aurea nempè *D. Thomæ* doctrina, quam à Christallino illo Sapientiæ Flumine communi Ecclesiæ Magistro, à collibus æternis dilabente *Noster Reuerendissimus Magister Fr. IOANNES de S. THOMA* delibauit. Heu! Quot sunt, qui indagandæ Veritatis gratia (pacatis quidem, vt Credo, Animis) Argumentorum litigijs hoc Patrimonium, quod hæreditario Iure à litterarum Patriarcha Angelo nostro Thoma nostræ Familiæ defertur, Actores indies instantes impugnant, obstant, vrgent, præmunt! Sed *quia id est verum quodcumque primum* stat Inuictum semper Thomistarum Agmen sub Angelici Diui Thomæ Labaro harum sapientissimarum Legionum Antesignano. Quibus tamen Auxiliaribus? Videas.

Tertul. lib. 3. ad uersus Marc. cap. 3.

Pro celebrando Verbi Diuini Incarnationis Mysterio *Angelus Domini stetit*, & subito *facta est cum Angelo Multitudo militiæ cœlestis*: Erant nempè aliquando contra Angeli de Tanto Mysterio eloquium conspicaturi Aduersarij, & pugnas præsentiens Multitudo cœlestis præmissi Angeli vocibus hæret pro Verbo dimicatura. Apposite planè Bedæ, *Ne parua Vnius Angeli videretur authoritas, postquam Vnus Sacramentum nouæ Natiuitatis edocuit, statim multitudo cœlestium Agminum affuit. Benè Chorus aduenientium Angelorum Militiæ cœlestis Vocabulum accipit.* Benè? Parum Benè; nam millies benè, cum Angelicorum Doctorum Sancti Tui Regalis, Militarisque sodalitij exercitus *Angeli* iure debeant Vocitari, cum iam olim (vt vestri tradunt Annales) Angelorum Castra Reginæ Illorum, Vestræque Ductrici Mariæ terribili vt Castrorum acies Ordinatæ adstantia, vt huius de triumphato callido serpente deportatas, æternasque Victorias decantarent, denuoque ingeminarent, nitidissimam hanc Vestri pulcherrimi Habitus, limpidissimam, fortissimamque Ecclesiæ armaturam Vestita, ad prelium se accingentia conspexerim.

Luc. 2.

Beda ibi

Palmis igitur locupletibus conspicuus Angelus noster Thomas in Theologia, & nunc de Verbo Incarnato Triumphum canit, & facta est cum illo multitudo Militiæ cœlestis, dum pro illo certant Doctores

Tui,

Tui, dum pro illo pugnat in nullo Minor, sed omnibus Maior. *Soto* enim *Maior* fœliciter nũcuparis de Nobis benè merendo, Tuosque benignè gubernãdo: nostrorum, illorumque Votorum Maior es, *Nec ideò es Melior quia Maior, sed ideò Maior quia Melior*, Vera acclamatione celebratus, quo Melior *Tanto Maior, tanto Augustior.* *Chrysost. Hom. 13 in Luc. Plin. de Trajano.*

At quas Tuæ Custodiæ pro sua Doctrina Oculatissimo Argo noster Sanctissimus Doctor excubias vigilantissimas debeat, Quis est qui necdum audeat dubitare, cum pro comperto pateat apud Omnes quẽcumque inueneris, qui fideliter, quod dedit *D. Thomæ* nomen obseruet ad Anteriora Cathedrarum subsellia statim gaudere promotum: infidum autem huius Sanctæ, antiquæque doctrinæ exploratorem, si quẽ reperias ad Aduersarios deficientem litterario militari priuilegio spoliatum ignominiosè è Collegijs, principalioribusque Cœnobijs se in perpetuum amandatum lachrymari? Ita pro *D. Thomæ* doctrina (Sapientissime Præsul) efferuescis.

Quem ergo Posthumus iste Patrem poterat flagitare nisi Te Inclyti Tui Generis Claritudine Maiorem? Sed hæc silentio recondam, quia *Quamuis de splendore conscientiæ iubar hauseris, tamen fulgorem stirpis præcipuè morum radijs obumbrasti vincens decorem sanguinis ingenij claritate, dum coruscantem generis Tui lampadem Actuum serenitate transcendis, & factus es stemmatis Victor tui per quod pleresque nascendo superasti.* *Ennod. in vita Antonij.*

Vocitet ergo Patrem Prudentiæ Regimine cæteros excedentem, ideò enim Te Supremi Præsulatus Tua Sapientissima Familia Gubernacula tradidit, Maiorem omnibus animum conspiciens, merito quidem, Tuæ namque præclarissimæ dignitatis membra, etiam Capitis periculo defensanda, non Magnum, immo Maiorem euocitant, sunt etenim Religio: Sacra Omnia: Prælatorum inferiorum iusta potestas: Authoritas Legum: Mos Maiorum: Iudicia: Iurisdictio: Socij, Captiuorum Redemptio: Litterarum Splendor; Regularis disciplinæ exacta Obseruantia: Religionis intemerata Laus: *Harum rerum, tot atque tantarum esse defensorem, & Patronum, Magni animi est, Magni ingenij, magnæque Constantiæ*, immo nõ Magnitudine gaudere possunt, Maioritatem, qui Te Præsulem assumpserunt, disquirebant. Quinam isti? Sapientissimæ Tuæ Familiæ Proceres, & Magistri, Isti Te elegerunt, nec ni à Præmissis electus conquiescerres, quia *Nullam in eo gloriam ponis quod sis Omnibus Maior, nisi Maximi fuerint quibus Maior es.* *Iullius pro Sextio.* *Plin. de Trajano.*

Maiorem ergo Posthumus ambiat, & ad pedes tuos supplex inclinet, non tantum *Filius*, prouoluitur etiam & *Munus*. Vix enim Tui Regiminis Sacri Religiosam sublimitatem attigeras, cum Nostri non immemor vnquam honoris, amoris, & amicitiæ Magnifico velut con-

giario

giario Nostrum Prędicatorum Ordinem Tuo fœlici Fœdere deuotissimum, per Reuerendissimi Patris Magistri *Fr. IOANNIS MARTINEZ* à Magni PHILIPPI IV. Confessionibus, manus cumulasti, eum Librum, seu Liberum alium à proprio Parente Reuer. Admod. Patre Magistro, Tui sacri sodalitij Definitore Generali, summæ litteraturæ, eximiæ prudentiæ Viro, *Fr. IOANNE PRVDENTIO* emancipatum, stylo concinnum, sententiarum, acuminumque Vberrimum, & ipso quidem visu pulcherrimum de *Incarnato Verbo*, pinguissimo quidem Omnigenæ eruditionis, maximi ingenij suauissimæ claritatis patrimonio adornatum. Vt nostræ Familiæ Cooptaretur Reuerendissimo Patri iam supra commemorato arrogandum tradidisti. Cum ergo *Parentum honos Filiorum Tributum sit*, quis Mea intereſſe dubitare valebit recompensandæ gratitudinis Onus? Et Meæ Religionis Filius, & Reuerendissimi Patris Confessoris Discipulus inuenior, Posthumum istum (O quot labores! quot expensæ! quot vigiliæ!) mea cura, imò nostra pecunia Prælum parturiuit, Te ergo Patrem accipiat, in sinuque Tuo Fœliciter conquiescat vt Liber Libro, Argumentum Argumento, Reuerendissimus Reuerendissimo, Parque Pari æqualitèr correspondeat, Meique Sacratissimi Ordinis Gratitudo reluceat ad Tuæ præclarissimæ Familiæ glorioſissimum Columen, ad Patriæ Tuæ interminabile Decus, ad huius Posthumi dulce suffugium, Meamque Tibi perpetuam, & Summam Venerationem. Valeas Fœliciter, & in æternum Viuas.

Plautus

Humillimus, Obsequentissimusque Reuerendissimæ
Paternitatis Tuæ Filius

Fr. Didacus Ramirez.

INDEX QVÆSTIONVM, DISPVTATIONVM, ARTICVLORVM, ET DVBIORVM HVIVS PRIMI TOMI.

Ordo Doctrinæ, & Quæstionum Materiæ de Incarnatione. Pag. 1. & 3. & seq.

QVAESTIO I.

De Cõuenientia Incarnationis. Pag. 4.

Explicatur littera D. Thomæ, & ordo Articulorum. Ibid.

DISPVTATIO I.

De satisfactione Puri Hominis, Pag. 17.

ARTICVLVS I.

Explicatur differentia satisfactionis perfectæ, & imperfectæ, & aperitur Punctus difficultatis. Ibid.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Homo Purus per gratiam possit exhibere condignam satisfactionem pro peccato mortali? Pag. 21.

Probabiliter dicitur peccatum infinitum simpliciter. Pag. 28.

Probabiliter infinitas peccati dicitur secundum quid. Pag. 30.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Contritio saltem ex imperfecta iustitia satisfaciat pro peccato? Pagin. 40.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Homo iustus possit pro veniali peccato satisfacere ad æqualitatẽ? Pag. 49.

DISPVTATIO II.

De Satisfactione Dei hominis. Pag. 55.

ARTICVLVS I.

Vtrùm valor satisfactionis Christi habeat infinitatem intrinsecam desumptam à Supposito? Ibi.

ARTICVLVS II.

Vtrùm omnes conditiones riguroſæ iustitiæ interuenerint in satisfactione Christi Domini? Pag. 65.

Conclusio. Christus Dominus satisfecit ex toto rigore iustitiæ seruando omnes conditiones ad id requisitas. Ibi.

Prima Conditio, quod sit ad alterum. Pag. 66.

Secunda Conditio, quod sit ex proprijs. Pag. 68.

Tertia Conditio, quod bona non sint sub dominio creditoris. Pag. 70.

Quarta Conditio, quod non sit alio titulo debitum. Pag. 73.

Quinta Conditio, quod Creditor acceptare teneatur. Pag. 74.

ARTICVLVS III.

Vtrùm ex virtute iustitiæ commutatiuæ procedat satisfactio Christi. Pagin. 77.

Soluuntur Argumenta. Pag. 81.

DISPVTATIO III.

De Obiecto Incarnationis. Pag. 83.

ARTICVLVS I.

Explicantur stantia, seu signa rationis in decreto Incarnationis, & ape-

aperitur punctus difficultatis. Ibi.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ex vi præsentis decreti poneretur Incarnatio in re, si Adan non peccaret. Pag. 87.

Resolutio difficultatis. Prima Conclusio, repugnat intelligere in aliquo priori quantumcunque præcisio decretum efficax Incarnationis Christi, vt efficax, & in genere, & ordine intentionis non intelligendo illud, in statu determinato personæ, naturæ passibilis, & officij Redemptoris. Pag. 90.

Secunda Conclusio. Remedium peccati habuit connexionem cum decreto Incarnationis efficaci. Pagin. 92.

Tertia Conclusio. Simpliciter, & probabilior, & cõformior sacræ Scripturæ S. Thomæ Sententia est, quod Christus non veniret, non existente peccato. Pag. 93.

Quarta Conclusio. Ante decretum efficax prædestinationis Christi fuit decretum pertinens ad prouidentiam generalem. Pag. 95.

ARTICVLVS III.

Soluuntur Argumenta. Pag. 98.

QVAESTIO II.

De modo Vnionis Verbi Incarnati. Pag. 105.

Ordo Articulorum, & explicatio eorum. Ibi.

DISPVTATIO IV.

De quiditate Incarnationis. Pagina 108.

ARTICVLVS I.

Quid sit vniri aliqua in natura, & hypostasi, vel persona, & quo modo in hac parte loquendum sit. Ibi.

Conclusio non esse factam hanc Vnionem in natura diuina, ita quod post Incarnationem maneant duæ naturæ inconfusæ. Ratio D. Thomæ ostendit. Pag. 111.

Proponitur secunda ratio pro conclusione. Pag. 113.

ARTICVLVS II.

Quis sit formalis terminus Incarnationis. Pag. 114.

Ad fundamenta contraria Respondetur. Pag. 117.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Vnio sit aliquis modus de nouo productus, an sola relatio? Pag. 119.

Statuitur Conclusio, Dicendum est nõ dari talem modum substantialem. Pag. 121.

Soluuntur Argumenta, seu fundamenta oppositarum sententiarum. Pag. 125.

ARTICVLVS IV.

Quo modo dicendus sit Christus persona composita? Pag. 126.

DISPVTATIO V.

De causa morali, & physica Incarnationis. Pag. 130.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Sancti Patres meruerint de congruo Incarnationis substãtiam. Ibi.

Soluuntur Argumenta. Pag. 132.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus potuerit mereri suam Incarnationem? Pag. 134.

Conclusio. Repugnat Christum Dominum mereri, per opera subsequentia suam Incarnationem. Pag. 135.

ARTICVLVS III.

Vtrùm detur causa instrumẽtalis physica Incarnationis? Pag. 137.

Conclusio. In Sententia D. Thomæ potest assignari implicatio, non incontraria. Pag. 138.

QVAESTIO III.

De modo Vnionis ex parte personæ assumentis. Pag. 139.

DISPVTATIO VI.

De persona assumente. Pag. 140.

ARTICVLVS I.

Vtrùm implicet personalitatem creatam terminare alienam naturam? Ibi.

Resolutio difficultatis, implicationem sumen-

ſummendam ex ratione D. Thomæ. Pag. 141.
Soluuntur Argumenta. Ibi.

ARTICVLVS II.

Vtrùm natura humana ſit terminata immediatè per aliquid relatiuum, vel per aliquid abſolutum? Pag. 142.
Soluuntur Argumenta. Pag. 144.

ARTICVLVS III.

Vtrùm plures perſonæ diuinæ poſſint terminare eandem numero humanitatẽ: Aut plures humanitates, ab eadem perſona aſumi? Ibi.
Soluuntur argumenta. Pag. 145.

QVAESTIO IV.

De modo vnionis ex parte naturæ aſuntæ. Pag. 149.

QVAESTIO V.

De Aſſumptione partium humanæ naturæ. Pag. 150.

QVAESTIO VI.

De ordine Aſſumptionis. Ibi.

DISPVTATIO VII.

De termino aſſumpto in Incarnatione. Pag. 151.

ARTICVLVS I.

Vtrùm repugnet de potentia abſoluta, aſſumi naturam terminatam propria ſubſiſtentia? Ibi.
Soluuntur Obiecta. Pag. 152.

ARTICVLVS II.

Vtrùm natura in Verbo appetat propriam perſonalitatem, ita vt ſi dimittetur à verbo naturaliter reſultaret? Pagin. 153.
Soluuntur Argumenta. Pag. 154.

ARTICVLVS III.

Quid de facto fuerit aſſumptum à perſona diuina in humanitate, & quid non ſit aſſumptibile. Pag. 156.

ARTICVLVS IV.

Quis fuerit ordo vnionis inter totam naturam aſſumptam, & partes eius? Pag. 158.

QVAESTIO VII.

De Gratia Chriſti. Pag. 160.

DISPVTATIO VIII.

De Gratia habituali, & alijs donis Animæ Chriſti. Pag. 161.

ARTICVLVS I.

Vtrùm anima formaliter, & intrinſicè ſanctificetur, per vnionem perſonalem verbi? Ibi.

Reſolutio difficultatis: Certum eſt humanitatem ex vnione Hypoſtatica ſanctificatam, & deificatam eſſe. Pag. 162.
Soluuntur Argumenta. Pag. 166.

ARTICVLVS II.

Ad quid formaliter ſeruiat gratia habitualis in Chriſto? Pag. 171.

ARTICVLVS III.

Vtrùm virtutes morales adquiſitæ fuerint per accidens infuſæ Chriſto? Pag. 172.

Reſolutio dubij, quantum ad habitus fuerunt infuſæ Chriſto, à principio, non tamen exercuit illarum actus à primo inſtanti. Pag. 173.
Soluuntur Argumenta. Pag. 175.

ARTICVLVS IV.

Quæ virtutes morales fuerint, aut defuerint Chriſto? Pag. 176.
De Pænitentia. Pag. 178.

ARTICVLVS V.

Vtrùm aliquis actus, vel habitus propriè ſpei fuerit in Chriſto? Pagin. 179.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Chriſto fuerit donum timoris? Pag. 183.
Soluuntur Argumenta. Pag. 186.

DISPVTATIO IX.

De Perfectione gratiæ Chriſti. Pag. 188.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Gratia Chriſti habitualis potue-

tuerit augeri de potentia absoluta. Ibi.
Soluuntur Argumenta. Pag. 193.

ARTICVLVS II.

Quomodo gratia Christi possit dici infinita, & plena. Pag. 195.
Soluuntur obiecta.

ARTICVLVS III.

Vtrùm gratia habitualis possit dici Passio vel ad modum Passionis, respectu gratiæ vnionis? Pag. 199.
Soluuntur Argumenta. Pag. 201.

QVAESTIO XVIII.

De gratia Christi secundum quod est caput Ecclesiæ. Pag. 202.
Explicatio litteræ. Ibi.

DISPVTATIO X.

De gratia Christi in quantum est caput. Pag. 209.

ARTICVLVS I.

Vtrùm gratia Christi secundum quam est caput sit eadem cum gratia habituali eius, vt est quidam homo? Ibi.
Resolutio quæstionis. Suppositum diuinum non est formale constitutiuũ Christi in ratione capitis, sed præ requisitum. Pag. 210.
Soluuntur Obiecta. Pag. 215.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus sit caput omnium hominum etiam in statu innocentiæ? Pag. 217.
De statu innocentiæ. Pag. 218.
Resolutio dubij. Christus non meruit gratiam status innocentiæ formaliter consideratam. Pag. 219.
Soluuntur Obiecta. Pag. 221.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus, vt homo ita sit Angelorum caput, quod in eos gratiam, & gloriam influat? Pag. 224.
Quomodo Christus meruit Angelis? Pag. 226.
Soluuntur Argumenta. Pag. 231.
Definitio D. Hieronymi cõtra Vazquez. Pag. 232.
Soluuntur Obiecta. Pag. 235.

QVAESTIO IX.

De scientia Christi in communi. Pagin. 239.
Expositio litteræ D. Thomæ. Pag. 240.
Circa secundum Articulum D. Tho. Pag. 243.

DISPVTATIO XI.

De scientia Christi in communi. Pagin. 251.

ARTICVLVS I.

Vtrùm implicet de absoluta potentia increatam cognitionem communicari creato intellectui? Ibi.
Soluuntur obiecta. Pag. 255.

ARTICVLVS II.

Vtrùm necesse fuerit in Christo ponere scientiam infusam per se qualis ponitur à Diuo Thoma? Pag. 260.
Soluuntur Argumenta. Pag. 265.

ARTICVLVS III.

Vtrùm scientia naturalis proprijs actibus fuerit à Christo adquisita? Pagin. 268.
Resolutio dubij. In Christo fuit scientia adquisita, secundum modum humanum. Pag. 270.
Soluuntur Obiecta. Pag. 272.
Soluuntur obiecta, contra secundã dificultatem. Pag. 275.

QVAESTIO X.

De scientia beata animæ Christi. Pagin. 277.
Expositio litteræ. Ibi.

DISPVTATIO XII.

De scientia beata Christi. Pag. 282.

ARTICVLVS I.

Vtrùm rectè assignet S. Th. implicationem comprehensionis Dei ab anima Christi? Ibi.
Proponuntur Argumenta. Pag. 284.
Soluuntur Obiecta. Pag. 286.

ARTICVLVS II.

Vtrùm repugnet videri in verbo, vel extra verbum omnes creaturas possibiles? Pag. 288.
Soluuntur Argumenta. Pag. 292.

AR-

ARTICVLVS III.
Qua ratione anima Christi omnia futura cognoscat in verbo. Pag. 299.

QVAESTIO XI.
De Scientia indita, vel infusa animæ Christi. Pag. 306.
Expositio litteræ. Ibi.

DISPVTATIO XIII.
De obiecto ad quod se extendit scientia infusa Christi Domini. Pagin. 311.

ARTICVLVS I.
An potuerit per hanc scientiã cognoscì euidenter Misterium Trinitatis quoad an est? Ibi.
Soluuntur Obiecta. Pag. 315.

ARTICVLVS II.
Vtrùm per hanc scientiam cognoscantur futura contingentia, & cogitationes cordium, & quomodo Christus dicatur Propheta? Pag. 316.
Quid de Christo vt Propheta? Pag. 321.
Soluuntur Argumenta. Pag. 323.

ARTICVLVS III.
Vtrùm res naturales, per hanc scientiam cognoscantur? Ibi.
Soluuntur Obiecta. Pag. 325.

DISPVTATIO XIV.
De modo, & medio cognitionis scientiæ infusæ. Pag. 328.

ARTICVLVS I.
Vtrùm hac scientia potuerit Christus Dominus vti cum discursu, & sine discursu conuersione ad phantasmata, & sine illa? Ibi:
Soluuntur obiecta. Pag. 331.

ARTICVLVS II.
Vtrùm species scientiæ infusæ sint vniuersaliores, & perfectiores quam Angelicæ? Pag. 332.
De prima difficultate, scilicèt de vniuersalitate. Pag. 333.
De secunda difficultate, scilicèt de perfectione. Pag. 334.
Soluuntur obiecta. Pag. 335.
De tertia difficultate, scilicèt quomodo concurrant ad compositionẽ, & diuisionem. Pag. 337.

ARTICVLVS III.
Vtrùm scientia infusa distinguatur per plures habitus? Pag. 338.
Soluuntur argumenta. Pag. 343.

QVAESTIO XII.
De scientia adquisita Christi. Pag. 345.
Expositio litteræ. Ibi.

QVAESTIO XIII.
De Potentia animæ Christi. Pag. 347.
Expositio litteræ. Ibi.

DISPVTATIO XV.
De Virtute qua humanitas Christi operabatur effectus supernaturales. Pag. 349.

ARTICVLVS I.
Vtrùm conclusio D. Thomæ vera, ratioque illius pro illa eficax sit? Ibi.
Soluuntur Argumenta. Pag. 350.

ARTICVLVS II.
Vtrùm humanitas Christi in ordine ad opera miraculosa vere habuerit virtutem, & concursum Physicũ: An vero solum Moralem? Pag. 354.
Prima conclusio. Humanitas Christi Physice instrumentaliter causet nostram iustificationem, & miracula? Pagin. 355.
Secunda conclusio. Humanitas Christi etiam in cælo est causa Physica instrumentalis? Pag. 357.
Tertia conclusio. Non causabat instrumentaliter mediantibus Angelis. Ibi.
Soluuntur Argumenta. Ibi.

ARTICVLVS III.
Vtrùm humanitas Christi Domini ad patranda miracula, & iustificationem Physicè instrumentaliter habuerit aliquam virtutem permanenter habitualiter in ipsa? Pag. 363.

Prima Conclusio. Potestas faciendi miracula est aliquid reale creatum. Ibi.

Secunda Conclusio. Impossibile est quod potestas ad faciẽdia miracula sit aliqua qualitas completa. Pag. 364.

Tertia conclusio. Potestas ista non est qualitas incompleta. Pag. 366.

Quarta Conclusio. Hæc virtus est motio, aut eleuatio Dei. Ibi.

Soluuntur Argumenta, quæ probãt virtutem instrumentalem non esse motionem. Pag. 367.

Vltima Conclusio. Virtus faciendi miracula non est permanenter, sed per modum transeuntis. Pag. 369.

Soluuntur Argumenta, quæ probant esse qualitatem permanentem. Pag. 370.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm nostræ iustificationes, & gratiæ Christus sit causa principalis, an vero solum instrumentalis? Pagina 373.

Prima Conclusio. Humanitatem non esse causam principalem. Ibi.

Secunda Conclusio. Non est causa principalis secundaria Phisica. Pagin. 376.

Tertia Conclusio. Est causa Phisica instrumentalis. Ibi.

Quarta Conclusio. Fuit causa principalis Moralis Christus. Ibi.

Soluuntur Argumenta. Pag. 377.

ARTICVLVS V.

Vtrùm humanitas Christi secundũ propriam virtutem habuerit omnipotentiam respectu proprij corporis? Pagin. 381.

Soluuntur Argumenta. Ibi.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm omnis voluntas humana Christi semper fuerit adimpleta? Pag. 383.

Soluuntur Argumenta. Pag. 385.

QVAESTIO XIV.

De Defectibus corporis assumpti à Filio Dei. Pag. 388.

Ordo doctrinæ, & explicatio litteræ. Ibi.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Filius Dei in humana natura assumere debuerit corporis defectus? Pag. 389. Ibi.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus necessitem subiacendi his defectibus assumpserit? Pag. 390.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus defectus naturalis contraxerit? Pag. 391.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Christus Dominus defectus corporales hominum assumere debuerit? Pag. 392.

QVAESTIO XV.

De Defectibus animæ à Christo assumptis. Pag. 394.

DISPVTATIO XVI.

De impeccabilitate Christi. Pagin. 395.

ARTICVLVS I.

Vtrùm de potentia Dei absoluta Christus in humana natura peccare potuerit? Pag. Ibi.

Soluuntur Argumenta. Pag. 399.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Christo fuerit fomes peccati? Pag. 403.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in Christo fuerit, vel esse potuerit fomes peccati? Pag. 404.

Soluuntur Argumenta. Pag. 405.

Prosequitur textus, & expositio litteræ D. Thomæ. Pag. 408.

QVAESTIO XVI.

De consequentibus vnionem, quantum ad ea quæ conueniunt Christo secundum esse, & fieri. Pag. 410.

ARTICVLVS I.

Vtrùm hæc sit vera Deus est homo? Pag. 411.

DV-

DVBIVM VNICVM.
Vtrùm hæc propositio Deus est homo sit essentialis, & perse, & in materia naturli, vel accidentalis, & in materia contingenti? Ibi.
Soluuntur Argumenta. Pag. 413.
ARTICVLVS II.
Vtrùm hæc sit vera homo est Deus? Pagin. 415.
ARTICVLVS III.
Vtrùm Christus dici possit homo Dominicus. Pag. Ibi.
ARTICVLVS IV.
Vtrùm ea quæ conueniunt Filio hominis possint prædicari de Filio Dei, & econuerso. Pag. 417.

DVBIVM VNICVM.
Vtrùm reuera communicatio Idiomatum naturæ diuinæ, & humanæ reperiatur in Christo? Ibi.
Soluuntur Argumenta. Pag. 418.
ARTICVLVS V.
Vtrùm ea quæ conueniunt Filio hominis possint prædicari de diuina natura, & de humana ea, quæ conueniunt Filio Dei? Pagina 419.

DVBIVM VNICVM.
Vtrùm ea quæ sunt vnionis naturæ possint prædicari de altera in abstracto? Pag. 420.
Soluuntur Argumenta. Pag. 421.
ARTICVLVS VI.
Vtrùm hæc sit vera Deus factus est homo? Pag. 422.

DVBIVM VNICVM.
Vtrùm conclusio S. Thomæ in rigore sermonis sit vera? Ibi.
Soluuntur Argumenta. Pag. 423.
ARTICVLVS VII.
Vtrùm hæc sit vera homo factus est Deus? Pag. 424.

DVBIVM VNICVM.
De veritate prædictæ propositionis. Ibi.
ARTICVLVS VIII.
Vtrùm ista propositio sit vera Christus est creatura? Pag. 425.

DVBIVM VNICVM.
Vtrùm prædicta propositio sit vera in proprietate, & rigore sermonis; an verò solum sit vitanda præter Hæreticos? Ibi.
Conclusio non solum negatur præter Hæreticos, sed quia in re est falsa. Pag. 426.
Soluuntur Obiecta. Pag. 427.
ARTICVLVS IX.
Vtrùm hæc sit vera hic homo (de mõstrato Christo) incipit esse? Pagin. 429.
ARTICVLVS X.
Vtrùm hæc sit vera Christus in quantum homo est creatura? Pag. 430.

DVBIVM VNICVM.
Vtrùm hæc propositio Christus in quã tum homo est creatura sit vera in sensu proprio? Pag. 431.
Soluuntur Obiecta. Pag. 432.
ARTICVLVS XI.
Vtrùm hæc sit vera Christus in quantum homo est Deus? Pag. 434.
ARTICVLVS XII.
Vtrùm hæc sit vera Christus secundũ quod homo est Hypostasis, vel persona? Pag. 435.
QVAESTIO XVII.
De pertinentibus ad vnitatem in Christo quantum ad esse. Pag. 436.
ARTICVLVS I.
Vtrùm Christus sit vnum, vel duo? Pagin. 437.

DVBIVM VNICVM.
Circa secundam Conclusionem.
Vtrùm Christus sit plura, vel duo neutraliter, & aliud, & aliud? Pag. 438.
Soluuntur Argumenta. Pag. 441.
ARTICVLVS II.
Vtrùm in Christo sit tantum vnum esse? Pag. 444.

QVAESTIO XVIII.
De pertinentibus ad vnitarem in Christo quantum ad voluntatem. Pag. 446.
ARTICVLVS I.
Vtrùm in Christo sint duæ voluntates? Pag. 447.
DVBIVM VNICVM.
Vtrùm D. Thom. rectè intellexerit errorem Monotholitarum? Pag. 448.
Soluuntur Obiecta. Pag. 449.
ARTICVLVS II.
Vtrùm in Christo fuerit aliqua voluntas sensualitatis præter rationis voluntatem? Pag. 452.
ARTICVLVS III.
Vtrùm in Christo fuerint duæ voluntates quantum ad rationem? Ibi.
ARTICVLVS IV.
Vtrùm in Christo fuerit liberum arbitrium? Ibi.
ARTICVLVS V.
Vtrùm voluntas Christi humana fuerit omnino conformis diuinæ volũtatæ in volito? Pag. 453.
ARTICVLVS VI.
Vtrùm in Christo fuerit contrarietas voluntatum? Pag. 455.
QVAESTIO XIX.
De pertinentibus ad vnitatem Christi quantum ad operationem. Pag. 457
Expositio litteræ. Ibi.
DISPVTATIO XVIII.
De actionibus meritorijs Christi quoad substantiam regulam, & tẽpus. Pag. 460.
ARTICVLVS I.
Vtrùm omnes operationes Christi essent humanæ, hoc est deliberatione rationis procedentis? Ibi.
Soluuntur Argumenta. Pag. 461.
ARTICVLVS II.
Vtrùm reuera Christus mereri potuerit? Ibi.
Soluuntur Argumenta. Pag. 462.
ARTICVLVS III.
Vtrùm Christus meruerit per actum charitatis erga Deum? An vero solum per actum aliarum virtutum? Pag. 464.
ARTICVLVS IV.
Vtrùm Christus meruerit per actus quos habebat in præcepto? Pag. 469.
Soluuntur Argumenta. Ibi.
ARTICVLVS V.
Vtrùm Christi meritum fuerit infinitum simpliciter? Pag. 475.
ARTICVLVS VI.
Vtrùm Christus in primo instanti suæ Conceptionis meruerit? Pag. 476.
Soluuntur Argumenta. Pag. 477.
ARTICVLVS VII.
Vtrùm in primo instanti suæ Conceptionis Christus totum suum meritũ consumauerit taliter, quod per alias actiones suæ vitæ mortalis nihil nouum meruerit? Pag. 479.
Soluuntur Argumenta. Pag. 481.
DISPVTATIO XVIII.
De his quæ Christus sibi, & alijs meruit. Pag. 482.
ARTICVLVS I.
Vtrùm Christus sibi meruerit gloriam essentialem animæ, gratiam habitualẽ, & alia supernaturalia dona quæ habuit? Ibi.
Soluuntur Argumenta. Pag. 485.
ARTICVLVS II.
Vtrùm Christus meruerit sibi gloriam Corporis, & exaltationem sui nominis? Pag. 488.
ARTICVLVS III.
Vtrùm Christus omnibus hominibus meruerit omnes illas dispositiones, seu motus supernaturales, qui eorum iustificationem præcedunt? Pagin. 490.
Soluuntur Argumenta. Ibi.
QVAESTIO XX. In D. Th. 23.
De Adoptione Christi. Pag. 494.
Expositio litteræ. Ibi.
DISPVTATIO XIX.
De Adoptione Christi. Pag. 495.
ARTICVLVS I.
Vtrùm Deo conueniat adoptare per gratiam omnem creaturam intellectualem? Ibi.

Sol-

Soluuntur Obiecta. Pag. 496.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sit de fide quòd Christus non est Filius adoptiuus Dei, & in quo sensu. Pag. 497.

ARTICVLVS III.

Rationibus Theologicis deductis ex Concilio impugnatur filiatio adoptiua Christi secundum humanitatem, & adoptio humanitatis? Pag. 500.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur Argumenta contra resolutionem positam in duobus articulis præcedentibus. Pag. 504.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Christus in quantum homo sit seruus Dei; & Filius naturalis totius Trinitatis? Pag. 511.

Difficultas prima de seruitute. Ibi.

Difficultas secunda de filiatione respectu totius Trinitatis. Pag. 516.

QVAESTIO XXVI.

De Prædestinatione Christi. Pag. 520.

Expositio litteræ. Ibi.

DISPVTATIO XX.

De Prædestinatione Christi secundum se. Pag. 523.

ARTICVLVS I.

Vtrùm vnio Hypostatica, & extrema vnita cadant sub diuina Prædestinatione? Ibi.

Soluuntur Argumenta. Pag. 526.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus absolutè, vel in quantum homo sit propriè Prædestinatus Filius Dei? Pag. 535.

Soluuntur Argumenta. Pag. 539.

ARTICVLVS III.

Quæ sit ratio subiecti, & termini in Prædestinatione Christi ad esse Filium Dei. Pag. 545.

Primus modus dicendi. Ibi.

Secundus modus dicendi. Pag. 548.

Tertius modus dicendi. Pag. 550.

Quartus modus dicendi. Pag. 551.

Quintus modus dicendi. Pag. 552.

Sextus modus dicendi Ponens Filium prout Incarnatum subiectum, & eundem Filium pro termino ad quem, explicatur, & defenditur. Pagin. 556.

Explicatur prima conditio de Gratia. Pag. 558.

Explicatur secunda conditio de Præcedentia. Pag. 559.

Soluuntur Argumenta. Pag. 563.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Christus sit Prædestinatus ad Gloriam animæ, & gratiam habitualem; & alia dona supernaturalia? Pag. 568.

Soluuntur argumenta. Pag. 570.

INDEX
LOCORVM
SACRÆ SCRIPTVRÆ
ET VETERI TESTAMENTO,
DESIGNANT.

Ex Geneſi.

4 Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Q. 1. Diſp. 2. Art. 1. Pagin. 63. Col. 2. lit. A.

Ex Exodo.

1 Filius meus primogenitus Iſrael. Q. 20. Diſp. 19. Art. 1. Pag. 496. Col. 2. lit. B.

Ex Deuteronomio.

18 Prophetam ſicut me ſuſcitauit ſibi Dominus. Q. 11. Diſp. 13. Pag. 321. Col. 2. lit. E.

Ex Iob.

24 Ipſi fuerunt rebelles lumini. Q. 1. Diſp. 1. Art. 3. Pag. 53. Col. 2. lit. A.

41 Cum ſublatus fuero timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Q. 8. Diſp. 10. Art. 3. Pag. 234. Col. 1. lit. E.

Ex libro Pſalmorum.

2 Ego hodie genui te. Q. 24. Diſp. 20. Art. 2. Pag. 534. Col. 2. lit. D.

11 Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus. Q. 3. Diſp. 5. Art. 1. Pagin. 132. Col. 1. lit. B.

20 Deſiderium animæ eius tribuiſti ei, & voluntatem laborum eius non fraudaſti eum. Q. 10. Diſp. 12. Art. 3. Pag. 301. Col. 1. lit. A.

31 Dixi confitebor aduerſum me in iuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Q. 1. Diſp. 1. Art. 3. Pagin. 41. Col. 2. lit. D.

50 Cor mundum crea in me Deus. Q. 16. Art. 8. Pag. 426. Col. 2. lit. C.

59 Sana contritiones eius, quia commota eſt. Q. 1. Diſp. 1. Art. 3. Pag. 41. Col. 2. lit. D.

68 Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; conſolantē me quæſiui, & non inueni. Q. 12. in expoſitione. Pag. 346.

83 Gratiam, & gloriam dabit Dominus, & Pſalm. 67. Deus noſter, Deus ſaluos faciendi. Q. 13. Diſp. 15. Art. 3. Pag. 374. Col. 1. lit. A.

109 Implebit ruinas. Q. 8. Diſp. 10. Art. 3. Pag. 231. Col. 2. lit. B.

118 Mirabilia opera tua. Q. 13. Diſp. 15. Art. 2. Pag. 361. Col. 1. lit. E.

129 Apud Dominum miſericordia & copioſa apud eum redemptio. Q. 1. Diſp. 2. Art. 2. Pag. 66. Col. 1. lit. A.

Qui-

146 Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Q. 1. Disp. 1. Art. 3. Pag. 41. Col. 2. lit. D.

Ex Prouerbijs.

28 Qui abscondit scelera non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiã consequatur. Q. 1. Disp. 1. Art. 3. Pag. 41. Col. 2. lit. E.

Ex Ecclesiastico.

1 Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis. Q. 7. Disp. 9. Art. 2. Pagin. 196. Col. 2. lit. D.

17 Quam magna misericordia Domini, & propitiatio illius conuertentibus ad se. Q. 1. Disp. 1. Art. 3. Pag. 41. Col. 2. lit. E.

Ex Isaia.

2 Filios enutriui, & exaltaui. Q. 20. Disp. 19. Art. 1. Pag. 496. Col. 2. lit. B.

3 Lingua eorum, & inuentiones eorum contra Dominum; væ autem animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala. Q. 1. Disp. 1. Art. 2. Pagin. 25. Col. 1. lit. E.

7 Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum. Q. 18. Art. 5. Pag. 452. Col. 2. lit. E.

9 Puer natus est nobis. Q. 19. Disp. 18. Art. 2. Pag. 488. Col. 1. lit. E.

10 Consummatio abbrebiata inundabit iustitiam. Q. 1. Disp. 2. Art. 2. Pag. 66. Col. 1. lit. A.

11 Requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, &c. Q. 9. Disput. 11. Art. 2. Pag. 260. Col. 1. lit. B.

43 Seruire me fecisti in peccatis tuis. Q. 1. Disp. 1. Art. 2. Pag. 21. Col. 2. lit. E.

45 Ego Dominus creaui eum. Q. 16. Art. 8. Pag. 425. Col. 2. lit. E.

51 Propè est iustus meus, egressus est Saluator meus. Q. 1. Disp. 2. Art. 2. Pag. 66. Col. 1. lit. C.

Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non defiet. Ibidem.

53 Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Q. 15. Disp. 16. Art. 3 Pag. 408. Col. 2. lit. D.

Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum. Q. 8. Disp. 10. Art. 2. Pagin. 219. Col. 1. lit. E.

Pro eo quod laborauit videbit, & saturabitur. Q. 19. Disp. 17. Art. 2. Pag. 461. Col. 2. lit. D.

Ex Ieremia.

2 Duo mala fecit Populus meus me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas. Q. 1. Disp. 1. Art. 2. Pag. 21. Col. 2. lit. E.

3 Conuertimini Filij reuertentes, & sanate auersiones vestras. Q. 1. Disp. 1. Art. 3. Pag. 41. Col. 2. lit. E.

14 Quare colonus futurus est in terra. Q. 15. Pag. 109.

33 In illo tempore germinare faciã Dauid, germen iustitiæ, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. Q. 1. Disp. 2. Art. 2. Pag. 66. col. 1. lit. C.

Ex Zacharia.

9 Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus. Q. 19. Disp. 18. Art. 2. Pagin. 488. Col. 1. lit. E.

Ex Nouo Testamento.

Ex Matthæo.

4 Accesserunt Angeli, & ministrabant ei. Q. 8. Disp. 10. Art. 3. Pagin. 225. Col. 1. lit. E.

8 Domine si vis potest me mundare. Q. 13. Disp. 15. Art. 3. Pagin. 370. Col. 1. lit. C.

8 Filij autem Regni ejicientur in tenebras exteriores. Q. 20. Disp. 9. Art. 2. Pag. 496. Col. 2 lit. B.

9 Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Q. 13. Disp. 15. Artic. 4. Pag. 378. Col. 2. lit. B.

9 Glorificabant Deum, qui dedit po-

Potestatem talem hominibus. Q. 13. Disp. 15. Art. 2. Pag. 354. Col. 1. lit. C.

15 Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Q. 20. Disp. 19. Art. 2. Pag. 496. Col. 2. lit. B.

17 Ergo liberi sunt Filij. Q. 11. Disp. 14. Art. 1. Pag. 331. Col. 2. lit. C.

17 Hic est Filius meus dilectus. Q. 7. Disp. 8. Art. 2. Pagin. 164. Col. 1. lit. A.

16 Pater si possibile est transeat à me Calix iste. Q. 13. Disp. 15. Art. 6. Pag. 383. Col. 2. lit. E. & Q. 15. Disp. 16. Art. 13. Pag. 406. Col. 1. lit. A.

26 Non sicut ego volo, sed sicut tu. Q. 18. Art. 1. Pag. 448. Col. 2. lit. D.

Vltim. Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. Q. 13. Disp. 15. Art. 1. Pag. 350. Col. 2. lit. E.

Ex Marco.

7 Voluit occultari, & non potuit latere. Q. 18. Art. 6. Pag. 445. Col. 1. lit. B.

13 De die illo nemo scit, neque Angeli, neque Filius, nisi Pater. Q. 10. Pag. 278.

Vltim. In nomine meo dæmonia ejicient: & super ægros manus imponent, & benè habebunt. Q. 13. Disp. 15. Art. 4. Pag. 363. Col. 2. lit. E.

Ex Luca.

2 Proficiebat sapientia, & ætate. Q. 7. Disp. 7. Art. 3. Pag. 173. Col. 1. lit. E.

4 Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua. Q. 11. Disp. 13. Art. 2. Pag. 321. Col. 2. lit. E.

4 Obmutesce, & exi ab homine. Q. 13. Disp. 15. Pag. 362. col. 1. lit. C. & Art. 2. Pag. 354. Col. 1. lit. C.

6 Virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Q. 13. Disp. 15. Art. 3. Pagin. 370. Col. 1. lit. B.

7 Propheta magnus surrexit in nobis. Q. 11. Disp. 13. Art. 2. Pagin. 321. Col. 2. lit. E.

11 Si in digito Dei ejicio dæmonia. Q. 13. Disp. 15. Art. 2. Pag. 355. Col. 2. lit. B.

22 Pater si vis transfer Calicem istum à me; verùm tamen non mea voluntas, sed tua fiat. Q. 18. Artic. 1. Pag. 447. Col. 2. lit. C.

24 Nonne sic oportuit pati Christũ, & ita intrare in gloriam suam? Q. 8. Disp. 10. Art. 3. Pag. 229. Col. 2. lit. B. & Q. 19. Disp. 18. Art. 2. Pag. 488. Col. 2. lit. D.

Ex Ioanne.

1 Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Q. 13. Disp. 15. Art. 4. Pag. 375. Col. 2. lit. A.

1 Verbum caro factum est, & vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis. Q. 8. Pag. 202. & Q. 24. Disp. 20. Art. 3. Pag. 561. Col. 1. lit. B.

1 De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia. Q. 3. Disp. 5. Art. 1. Pag. 131. Col. 1. lit. B.

1 Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Q. 13. Disp. 15. Art. 4. Pagin. 378. Col. 1. lit. E. & Pag. 355. Col. 1. lit. C.

3 Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Q. 19. Disp. 18. Art. 2. Pag. 488. Col. 1. lit. D. & Q. 24. Disp. 20. Art. 3. Pag. 561. Col. 2. lit. D.

3 Qui de cælo venit super omnes est, & quod vidit, & audiuit hoc testatur. Q. 9. Pag. 243.

4 Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me. Q. 18. Art. 1. Pag. 447. Col. 2. lit. D.

5 Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Q. 18. Artic. 1. Pagin. 447. Col. 2. lit. D.

5 Opera quæ dedit mihi Pater ipsa testimonium perhibent de me. Q.19.Disp.18.Art.3.Pag.490.Col. 2.lit.D.

6 Descendi de cælo non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatẽ eius, qui misit me. Q.18.Art.1. Pag. 447.Col.2.lit.D.

6 Non quia Patrẽ vidit quisquam nisi is qui est à Deo vidit patrem. Q. 9.Pag.243.

6 Ego viuo propter Patrem. Q. 24.Disp.20. Art.3. Pag.561. Col.2. lit.B.

6 Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me traxerit eũ. Q.19 Disp.18.Art.3.Pag.490.Col.2.lit.C

8 Ego quod vidi apud Patrem meũ loquor. Q.9.Pag.243.

8 Honorifico Patrem meum, & vos inhonoratis me. Q.1.Disp.2.Art.2. Pag.67.Col.1.lit.E.

8 Scio eum, & sermonem eius seruo. Q.9.Pag.243.

10 Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei facio. Q.13.Disp. 15. Art. 2.Pag.355.Col.2.lit.B.

13 Omnia dedit ei Pater in manus; Q.13.Disp.15.Art. .Pag.350. Col. 2.lit.E.

14 Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Q.8. Disp.10.Art.3. Pagin. 226. Col.1.lit.D.

14 Pater autem in me manens ipse facit opera. Q.13.Disp.15. Art.2. Pag. 355.Col.2.lit.B.

14 Vt cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio; surgite eamus hinc. Q.19.Disp.18. Art.3. Pag. 465.Col.2.lit.B.

15 Maiorem charitatem nemo habet Q.8.Disp.10.Art.2. Pag.220.Col.1. lit.B.

17 Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Q.8. Disp.10. Art.2. Pag. 218.Col.1.lit.B.

17 Pro eis sanctifico me ipsum. Q. 18. Disp.18. Art.2. Pag.488. Col.1. lit.E.

19 Qui me tradidit tibi maius peccatum habet. Q.1. Disp.1. Art.2. Pag. 25.Col.1.lit.E.

Vltim. Vt credatis, quod Iesus est Filius Dei. Q.16. Art.11. Pagin.434. Col.2.lit.D.

Ad Romanos.

1 Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem. Q.16. Art.6. Pagin. 422.col.1.lit.E. & Q.24. Disp.20. Artic.3. Pag.560. Col.2.lit.C.

1 Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Q.7. Disp.8. Art.1. Pagin. 164. Col.1.lit.B. & Q.24. Disput.20. Art.1. Pagin.524. Col.1.lit.E. & 525. Col.2.lit.C. & 532. Col.2.lit.E.

2 Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Q.1. Disp.2. Art.3. Pagin.80. Col.2.lit.C.

3 Quem proposuit Deus propitiationem fidei per sanguinem eius ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentationem iustitiæ Dei ad ostensionem iustitiæ suæ. Q.1. Disput.2. Art.2. Pag.66. Col.1.lit.A.

5 Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Q.13. Dis.15. Artic.4. Pag.576. Col.1.lit. D. & Q.8. Disp.10 Art.1. Pag.214. Col.1.lit.B.

5 Commendat Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus Christus pro nobis mortuus est. Q.1. Disp.3. Artic.2. Pag.92. Col.2.lit.D. & Q.8. Disput. 10. Art.2. Pag.220. Col.1.lit.B.

5 Si enim in vnius delicto mortui sunt multi, multò magis gratia Dei, & donum in gratiam vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. Q. 8. Disp.10. Art.3. Pag.226. Col.1.lit. E.

8 Nihil damnationis est in his, qui sunt in Christo Iesu. Q.1. Disput.1. Art.

Art.3.Pag.46.Col.2.lit.C.

8 Viuificabit mortalia corpora vestra.Q.8.Pag.205.

8 Minis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc expectans reuelationem filiorum Dei,quia ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis.Q.8.Disp.10.Art.Pagin. 234. Col.2.lit.A.

8 Pro nobis omnibus tradidit illũ. Q.19.Disp.18.Art.2. Pag. 488. Col. 1.lit.E.

8 Quicumque Spiritu Dei aguntur hi sunt Filij Dei,non enim accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore.sed accepistis Spiritum adoptionisFiliorum Dei.Q.20.Disp.19.Art. 2.Pag.496.Col.2.lit.C.

8 Accepistis Spiritũ adoptionis, &c. Q.8.Disp.10.Art.1.Pag.214. Col.1. lit.C.

9 Qui sunt Israelitæ quorum est adoptio.Q.20.Disp.19. Art.1. Pagin. 496.Col.2.lit.B.

20 Finis legis Christus est in salutem omni credenti.Pag.1.

11 Gratia iam non est gratia si ex operibus.Q.19.Disp.18. Art.3.Pagin. 463.Col.2.lit.B.

1. *Ad Corinthios.*

1 Nunquid diuisus est Christus. Q. 13.Disp.15.Art.4.Pagin.378.Col.2. lit.D.

2 Loquimur Dei sapientiam in mysterio,quæ abscondita est,quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.Q.24.Disp.20. Art. 1. Pag. 225.Col.2.lit.C. & Art.3.Pag. 561.Col.2.lit.D.

4 In Christo enim Iesu perEuangelium Ego vos genui. Q.13. Disp. 15. Pag.379.Col.1.lit.B.

13 Siue Prophetiæ euacuabuntur,sine linguæ cessabunt. Q.11. Disp. 13. Art.2.Pag.323.Col.1.lit.C.

15 Cum dicat omnia subiecta ei sine dubio præter eũ, qui subiecit ei omnia. Q.8.Disp.10. Art.2. Pagin. 219. Col.1.lit.C.

Ex 2. Ad Corinthios.

5 Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Q.8. Disp. 10.Art.2.Pag.221.Col.1.lit.E.& Artic.3.Pag.229.Col.1.lit.E.

Ad Galatas.

2 Si enim per legem iustitia , ergo gratis Christus mortuus est.Q.8.Disput.10.Art.3.Pag.230.Col.1.lit.B.

4 Itaque iam non est seruus, sed Filius.Q.20.Disp.19.Art.1.Pagin.466. Col.2.lit.E.

4 Misit Deus Filium suum in mundũ factum ex muliere,factum sub lege. Q.16.Art.6.Pag.422.Col.1.lit.E.

4 Filioli mei,quos iterum parturio Q.13.Disp.15.Art.4.Pag.379.Col.1 lit.A.

Ad Ephesios.

1 Qui prædestinauit nos in adoptionem Filiorum secundum propositum volũtatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ,in qua gratificauit nos. Q.8. Disp.10.Art.1.Pag.214.Col.1.lit.A.

1 Suscitans Christum à mortuis , & constituẽs ad dexteram suam in cælestibus super omnem Principatum, & Potestatem,& Virtutem , & Dominationem.Q.8.Disp.10.Art.3.Pagin.225.Col.2.lit.B.

Instaurare omnia , quæ in cælis sunt,& quæ in terra.Q.8. Disput.10. Art.3.Pag.226.Col.1.lit.E.

1 Benedictus Deus,& Pater Domini nostri Iesu Christi , qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo. Q.19. Disp. 18.Art.3.Pag.490.Col.1.lit.E.

1 Primogenitus ex mortuis,& prædestinatus ex Resurrectione. Q.24. Disp.20.Art.2.Pag.534.Col.2.lit.D.

Quia

1 Quia proposuit Deus in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra. Pag. 1.

2 Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, conuiuificauit nos in Christo. Q. 1. Disp. 3. Art. 2. Pagin. 92. Col. 2. lit. D.

2 Creati in bonis operibus. Q. 16. Art. 8. Pag. 426. Col. 1. lit. C.

Ad Philippenses.

2 Exinaniuit semetipsum. Q. 24. Disput. 20. Art. 3. Pag. 561. Col. 1. lit. B.

2 Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem. Q. 1. Dis. 2. Art. 2. Pag. 67. Col. 1. lit. D.

2 Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Q. 19. Disput. 18. Art. 2. Pag. 488. Col. 2. lit. B. & Q. 24. Disp. 20. Art. 3. Pag. 561. Col. 1. lit. B. & Q. 8. Disp. 10. Art. 3. Pag. 229. Col. 2. lit. B.

3 Reformauit corpus humilitatis nostræ. Q. 8. Pag. 205.

Ad Colossenses.

1 Adimpleo ea, quæ desunt Passioni Christi in carne mea. Q. 1. Disp. 2. Art. 1. Pag. 61. Col. 1. lit. B.

2 Delens quod aduersus nos erat Chirographum decreti, quod erat contrarium nobis. Q. 1. Dis. 2. Art. 2. Pag. 66. Col. 1. lit. A. & Q. 19. Dis. 17. Art. 7. Pag. 479. Col. 1. lit. C.

2 Qui est caput omnis Principatus, & Potestatis. Q. 8. Disp. 10. Aartic. 3. Pag. 225. Col. 1. lit. D.

2 In Christo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ. Q. 9. Pag. 246

Ad Thessalonicenses.

4 Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. Q. 19. Dis. 18. Art. 6. Pag. 477. col. 1. lit. D.

Ad Hebræos.

1 Filius meus est tu. Q. 20. Disp. 19. Art. 5. Pag. 517. Col. 2. lit. C.

1 Omnes sunt administratores Christi. Q. 8. Dis. 10. Art. 2. Pag. 224. Col. 2. lit. C. & Art. 3. Pag. 225. Col. 1. lit. E.

2 Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. Q. 6. Disp. 7. Art. 3. Pag. 156. Col. 2. lit. B.

2 Christus didicit ex ijs, quæ passus est obedientiam. Q. 7. Disp. 7. Artic. 3. Pag. 173. Col. 1. lit. E.

2 In eo enim quod omnia ei subiecit nihil dimisit non subiectum ei. Q. 8. Disp. 10. Art. 2. Pag. 219. Col. 1. lit. B. & Q. 10. Disp. 12. Art. 3. Pagin. 302. Col. 2. lit. B.

2 Decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat authorem salutis eorum per Passionem cõsumare. Q. 8. Disp. 10. Art. 3. Pag. 226 Col. 2. lit. C. & Q. 9. Pag. 245.

2 Qui enim sanctificat, & sanctificatur, ex vno omnes propter quã causam non confunditur fratres eos vocare. Q. 8. Disp. 10. Art. 3. Pagin. 228. Col. 2. lit. B.

2 Vidimus Iesum propter Passionẽ mortis gloria, & honore coronatũ. Q. 19. Disp. 18. Art. 2. Pag. 488. Col. 2. lit. B.

3 Ingrediens mundum dixi sacrificium, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Q. 14. Art. 2. Pag. 391. Col. 1. lit. E. & Q. 19. Disp. 17. Art. 6. Pag. 477. Col. 1. lit. B.

4 In omnibus debuit tentari, vt per omnia fratribus assimilaretur. Q. 15. Disp. 16. Art. 3. Pagin. 405. Col. 2. lit. E.

10 Vna oblatione cõsumauit in æternum sanctificatos. Q. 8. Disp. 10. Art. 2. Pag. 219. Col. 2. lit. E.

10 Quanto putatis deteriora mereri

ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & ſanguinem teſtamenti pollutũ duxerit. Q. 1. Diſp. 1. Art. 2. Pag. 22. Col. 1. lit. A.

Ex Iacobo.

1 Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initiũ aliquod creaturæ eius. Q. 8. Diſp. 10. Art. 1. Pagin. 213. Col. 2. lit. E. & Q. 13. Diſp. 15. Artic. 4. Pag. 375. Col. 2. lit. A.

Ex 1. Petri.

1 Manifeſtatus autem nouiſſimis tẽporibus. Q. 24. Diſp. 20. Art. 1. Pagin. 525. Col. 2. lit. C.

2 Chriſtus paſſus eſt pro nobis vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius. Q. 1. Diſp. 2. Art. 1. Pag. 61. Col. 1. lit. B.

Ex 2. Petri.

1 Maxima, & præcioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ cõſortes naturæ. Q. 8. Diſput. 10. Art. 1. Pag. 214. Col. 1. lit. D. & Art. 1. Pag. 166. Col. 1. lit. B.

Ex Apocalipſi.

5 Redemiſti nos Deus in ſanguine tuo. Q. 19. Diſp. 17. Art. 7. Pag. 479. Col. 1. lit. C.

12 Vicerunt eum per ſanguinem agni. Q. 8. Diſp. 10. Artic. 3. Pagin. 226. Col. 1. lit. E.

18 Quantum glorificauit ſe, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentorum, & luctus. Q. 1. Diſp. 1. Art. 2. Pagin. 25. Col. 1. lit. D.

TERTIA PARS
SVMMÆ THEOLOGIÆ
SANCTI THOMÆ:
ORDO DOCTRINÆ.

IN initio huius tertiæ partis *ordinem doctrinæ suæ exponens* S.Doct.*Incarnationis mysterium quasi verticem,& fastigium totius Theologiæ, collocauit, dum inquit,quòd necesse est ad consumationem totius Theologici negotij,vt post considerationem vltimi finis humanæ vitæ,& virtutum,& vitiorum de ipso omnium saluatore,& beneficijs eius nostra consideratio subsequatur. Et quidem inennarrabile hoc diuinæ pietatis opus,id est,incarnatio,quasi cæterorum omnium perfectiuum est, & consumatiuum; licet etiam fundamentum omnium illorum appelletur, dicente Apostolo* 1. ad Corinth. 3.Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est,quod est Christus Iesus;*neque enim inconueniens est, vt idem sit fundamentum,& consumatio,sicut idem est principium,& finis, Alpha,& O. primus,& nouissimus, Apocal.vlt.*

Denique finis ipse *in intentione primum,in executione vltimum est, Christum autem finem esse quò totius legis,& Prophetarum dirigebantur oracula, Paulus ipse testatur ad Romanos* 10.Finis legis Christus in salutem omni credenti,finis,*vt inquit* August.tract. 55.in Ioannem perficiens, non interficiens,finis quousque eamus,non vbi pereamus: *& ideò de ipso dictum est à Propheta*:Omnis consumationis vidi finem,*quia etsi omnium fundamentum, & primum principium sit Christus,in eo tamen,tanquam in fine omnia consumãtur,& perficiuntur, vt explicat* Ambros. sermon. 12. in Psalmo 118. *& D.Thom.ad Roman.* 10.*circa illa verba* finis legis Christus.

Qua ratione Iustinus Martyr *in expositione fidei,&* Damascen. lib.3. cap. 6. *Sacramentum incarnationis vocant*: Æconomia totius vniuersi,*id est, dispensationem,qua totius vniuersi distribuitur,ac disponitur perfectio, ipso rursum attestante* Apostolo,ad Ephes. 1. Quia proposuit Deus in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis sunt,& quæ in terra. *Propter quod rectè dixit* Dionysius 2. de diuinis nominibus,mysterium hoc esse omnium, quæ de Deo dicũtur clarissimum, quòd nulla oratione explicari potest,& mẽti omni est incognitum,etiam

ipsi primo Angelo. *Clarissimum enim omnium diuinorum operum est incarnationis Sacramentum, quod cæteris omnibus lucem, claritatemque communicat, tanquam omnium perfectio, & consumatio, quod antiqui Ecclesiæ fideles non obscurè indicasse videntur, cũ diem Natiuitatis Dominicæ diem noui solis appellabant, in tantum quòd Iudæi, & Pagani, etiam hoc nomine festiuitatem illam nominarẽt, vt refert* Ambrof. serm. 10. *de natali Domini, quasi hoc ipso significantes diuinæ incarnationis, opus quasi clarissimum rerum omnium finem, & nouum solem super cœlesti luce, ac diuina claritate planè omnibus Dei operibus prælucère.*

Quarè aptissimè D. Thom. *totius Theologiæ disciplinam admirabili ordine disponens, cùm prius egisset de vltimo fine hominis, & medijs, quibus ad ipsum tendimus ex parte nostra per operationes virtutum, vel deuiamus per peccata, quod est considerare finem vltimum per modum principij, & fundamenti, seu radicis operandi omnes actiones morales, quatenus primus est in intentione: nunc denique ad consumationem totius Theologiæ de ipso vltimo fine, quatenus in se ipso viam nobis aperuit ad ipsum consequendum exercendo officium Saluatoris purgantis nos à peccatis, & consumantis, ac instaurantis omnia, opportunè in hac 3.* parte *disputauit, vt sic à fine vltimo in intentione nostra ad media moralia, quæ sunt operationes virtutum descendens, disputatio ipsa transiret ad ipsum finem vltimum in executione assequẽdum, & fruendum per ipsius Verbi incarnati manuductionem, quod populum suum à peccatis saluans viam in se ipso inueniendæ veritatis, hoc est assequendi finem vltimum demonstraret; & ideò in hac 3.* parte *agit de ipso Saluatore, & de Sacramentis eius, quibus nos à peccatis purgat.*

Et 3. de *assequutione gloriæ in vltima resurrectione, ad quam per ipsum peruenimus; licet autem in omnibus fidei nostræ mysterijs captiuandus sit intellectus in obsequium Altitudinis, quam comprehendere non valemus, tamen in Mysteriorum omnium vertice specialiter obseruandum est, Quod S. Leo Papa,* serm. 9. de Natiuitate Domini, *prudenter admodum consuluit, dicens*: Gaudeamus, quia ad eloquendum tantæ misericordiæ, sacramẽtum impares sumus, & cùm salutis nostræ altitudinem promere non valeamus, sentiamus nobis bonum esse quod vincimur. *Nemo enim ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit in omnibus rebus diuinis, & si multum proficiat, multum sibi superesse, quod quærat: sub hac igitur humili, & vera ignorantiæ nostræ confessione de ipsius Incarnati Verbi, auxilio confisi ad explicandum tanti mysterij sacramentum, iuxtà Angelici Doctoris* D. Thomæ *doctrinam accedentes. Primum, quòd in eius interpretandis Quæstionibus se offert est seriem, ordinationemque totius Materiæ breuiter explicare; deinde ipsos Articulos sigillatim discutere.*

ORDO QVÆSTIONVM MATERIÆ de Incarnatione.

MAteriam hanc, de qua agunt *DD.* cũ Magistro, *in 3. à Distinct. 1.* scientifico ordine sic distribuit *S. Thomas*, vt prius agat de eo, quod pertinet ad Quæstionem *An est*; deinde de eo, quod pertinet ad Quæstionem *Quid est*; De Quæstione *An est*, egit *S. Doct.* sub nomine *Conuenientiæ* in *Quæst. 1.* inquirens *De Conuenientia Incarnationis*, quo nomine comprehendit omne illud, quod pertinet ad Quæstionem *An est*, scilicet possibilitatem, seu non repugnantiam, & decẽtiam ex parte Dei, necessitatem, & vtilitatem, ex parte nostra: circunstantiam temporis, in quo de facto executioni mandata est Incarnatio. Hæc enim tria scilicet *Conuenientia*, & *Decentia*, seu *Possibilitas*, *Necessitas*, seu *Vtilitas*, *Executio*, seu *Existentia* ipsius Incarnationis amplectuntur omnia, quæ pertinere possunt ad Quæstionem *An est*, & sub nomine *Conuenientiæ* tractantur in hac Quæstione, vt ostendemus in explanatione singulorum Articulorum.

Deinde à Quæst. 2. incipit tractare *D. Thomas*, de Quidditate Incarnationis, seu de eo, quod pertinet ad Quæstionem *Quid est*. Procedit autem scientifico ordine à toto ad partes prius definiendo, & considerando ipsum Totum, deinde ad singulas partes descendendo. Consistit autẽ essentia, seu quidditas Incarnationis in *Vnione substantiali duarum naturarum in vno supposito*, seu *persona*. Vnde ad explicandam quidditatem hanc considerat prius *D. Thom.* ipsam Vnionem in se; deinde descendit ad explicandum partes, seu extrema, ad talem vnionẽ concurrentia. Et de ipsa vnione in se agit *Quæstione 2.* ostendendo quid sit illa vnio, & qualis sit, & quo modo facta. De Extremis autem, seu Partibus vnitis per hanc vnionem quatuor considerat *D. Thom.* Primò, Extremum assumens, quòd est *Persona diuina*. Secundò, Extremum assumptum, quòd est *Natura Humana*. Tertiò, Partes huius naturæ, quę fuerunt assumptæ. Quartò, Ordinem assumendi inter ipsas partes. Et de primo scilicet de *Persona assumente* agit *Quæstione 3.* De Extremo assumpto, *Quæstione 4.* De Partibus assumptis, *Quæst. 5.* De Ordine assumendi illas, *Quæst. 6.* Et sic terminatur totus Tractatus, & Materia Incarnationis. Ex inde verò à *Quæst. 7.* agit de Accidentibus, seu Perfectionibus, quibus ornata fuit natura humana assumpta, scilicet de *Gratia*, *Scientia*, & *Potentia*, alijsque Concomitantibus Mysterium Incarnationis; de quibus in præsenti agendum non est, sed in alia Materia.

DE CONVENIENTIA INCARNATIONIS.

Explicatur littera D. Thom. & Ordo Articulorum.

COnuenientiam Mysterij Incarnationis considerat *S. Thom.* quantum ad tria. Primum absolutè, & in se, & quasi in cõmuni loquendo de *Vnione Hypostatica*, quomodo scilicet Deo talis vnio conueniat. Secundò, Determinatè, & respectiuè, scilicet respectu naturæ humanæ, & respectu finis, propter quem facta est. Tertiò, Ex parte circunstantiarum, scilicet quomodo conuenienti tempore facta sit. Primùm Punctum expedit *S. Thom. art.* 1. Secundum tractat, *art.* 2. &c.

Circa Primum inquirit *S. Thom.* art. 1. *Vtrùm Conueniens fuerit Deum incarnari?* Vbi notat optimè *Caiet.* Quòd non inquirit *S. Doct.* Vtrùm sit conueniens huic, vel illi ad hunc, vel illum finem, ex hoc, vel illo motiuo; sed absolutè, *Vtrùm sit conueniens*, quòd in hoc articulo principaliter intendit loqui de ipsa Incarnatione, seu *Vnione Hypostatica*, vt sic, & ita *in Corpore Articuli* procedit ex ratione vniuersali ad quamcumque naturam creatam, & ex quocumque motiuo vnio ista fiat.

Pro maiori tamen Intelligentia Notandum est, Quòd ly *Conueniens* sumitur dupliciter. Vno modo pro eo, quod est *Congruum*, *Decens*, aut *Bonum commodum*; alio modo magis absolutè pro eo, quod est *Non repugnans*, seu *Possibile*; sicut prædicatum dicitur conuenire subiecto, id est, non repugnare illi. Et hoc ideò est, quia ly *Conueniens* semper includit respectum ad aliud. Dicitur enim conueniens alicui, & per respectum ad aliquam causam, vel motiuum. Quando enim ex causa quasi intrinseca, & secundùm propria principia aliquid conuenit alteri, dicitur non repugnare illi, & quasi conueniens Logicè, seu Metaphisicè, & hoc est *Conueniens* magis absolutum, quod ex causa magis intrinseca. Quando verò conuenit ex aliqua causa, seu motiuo extrinseco, & quasi accidentali, & in ordine ad aliquem finem, à quo honestatur, dicitur *Congruum*, seu *Decens*.

In præsenti ergo Articulo vtroque modo sumit *D. Thomæ* ly *Conueniens*; nam in *Argumento sed contra* sumit ly *Conueniens*, pro eo, quod *Congruum*, seu *Decens*, & ideò dicit: *Illud est conuenientissimum, vt per visibilia inuisibilia Dei demonstrentur, &c.* Quia ex ordine ad finem sumit huiusmodi conuenientiam, scilicet, vt manifestentur attributa Dei; quod est finis principalis, & cuius gratia; non finis minus principalis, & effectus, qui est reparatio nostra. In *Corpore* autem *Articuli* sumit ly *Conueniens*, quasi phisicè pro eo, quod est non repugnans, quia inquit: *Quòd vnicuique rei illud est conueniens, quod competit sibi secundùm rationem propriæ naturæ; sicut homini conuenit ridere, aut ratiocinari.* Quod sanè procedit de conuenientia Logica, seu Metaphisica, quia quando conuenit secundùm rationem propriæ

natu-

naturæ conuenit, tanquàm prædicatum subiecto. Vbi etiam obiter notandum est, non solùm loqui *D. Thom.* de eo quod conuenit tanquam prædicatum necessarium, sed etiam quod conuenit, siue non repugnat tanquam prædicatum contingens: ita quod nõ solùm de prædicato, quod est proprium, sed etiam quod est quintum prædicabile, intelligendum est, vt patet ex eius exemplo, *Sicut homini* (inquit) *conueniens est ratiocinari*, Nõ dixit *Rationale esse*, quod necessàriò conuenit, sed *Ratiocinari*, pro actu, qui contingenter prædicatur. Cùm enim intentio *D. Thom.* solũ sit ostendere Incarnationem esse conuenientem, id est, *non repugnantem Deo*, non fuit necesse loqui solùm de prædicato cõueniente necessariò, sed de quocumque prædicato non repugnante, siue liberè conueniat, siue necessariò. Quod alij Authores solent dicere, quòd loquitur de eo, quod est Consentaneum diuinæ bonitati, & perfectioni; non tamen de eo, quod conuenit necessariò, & importat perfectionem in Deo, licèt Nos existimemus magis rigorosè loquutum *D. Thom.* ostendendo non repugnantiam, seu posibilitatem istius Mysterij in *Corpore Articuli.*

Relicta ergo ratione allata in *Argumento sed contra*, quæ supponit posibilitatem, seu non repugnantiam huius mysterij, & solùm tangit cõgruentiam eius, non quidem ex parte naturæ humanæ, (de quo *Articulo sequenti*) sed ex parte ipsius Dei, quatenus decet, & congruum est manifestari eius attributa: Explicanda est ratio allata in Corpore Articuli, in qua ostenditur non repugnantia, seu conuenientia, & posibilitas huius mysterij, eo modo, quo ostendi potest per rationes congruentiæ, sicut etiã in *I. Parte* ostendit Deo conuenire Processionem Verbi per actum intellectus ad intra, licèt id non possit demonstrari.

Facit ergo D. Thom. tres consequentias. *Prima est*: Vnicuique conueniens est illud, quod competit ei secundùm rationem propriæ naturæ; sed natura Dei est essentia bonitatis; ergo quidquid pertinet ad rationem boni, conueniens est Deo. *Secunda Consequentia*: Ad rationem boni pertinet se communicare alijs; ergo ad rationem summi boni summo modo se cõmunicare. *Tertia.* Summa communicatio maximè fit per hoc, quod sibi coniungat naturam creatam, quod est *Incarnari*; ergo id conuenit Deo.

Quantum ad primam consequentiam, illa maior Propositio *Vnicuique conueniens est, quod ei competit secundùm rationem propriæ naturæ*, explicatione non indiget; neque etiam Minor Propositio, *Natura Dei est essentia bonitatis*, quæ explicata est, *Quæst. 6. I. Part.* Conclusio verò illata; *Ergo quidquid pertinet ad rationem boni formaliter conueniens est Deo*, difficultatem ingessit *Caietano.* Nam multa pertinent ad rationem boni, quæ Deo non conueniunt, nam ambulare, ridere, & omnia bona creata ad rationem boni pertinent, nec tamen Deo conueniunt. Sed facilè soluitur aduertendo, quòd sensus *S. Thom.* est formalis: Quidquid pertinet ad rationem

boni formaliter, & secundùm ipsam rationem boni; non quidquid pertinet quasi materialiter, & vt participans, ac limitans ipsam rationem boni, sicut aliud est, quod pertinet ad rationem hominis, vel animalis, aliud, in quo inuenitur ratio animalis, vel hominis, & se habet in quantum contrahens, ac participans rationem hominis. Et qui diceret, quòd ipsi essentiæ humanitatis conuenit, quidquid pertinet ad rationem hominis, non diceret, quòd conuenit, quidquid pertinet ad indiuidualem rationem Petri, vel Pauli, quæ potius contrahunt, & limitant rationem humanitatis, quam constituant: sicut solet dicere plerumque *D. Thom.* Quòd forma abstracta, v.g. *Calor abstractus* dicit totam perfectionem caloris; forma verò in subiecto posita limitata est, & non dicit totam perfectionẽ formæ.

Sic ergo Quidquid pertinet ad rationem, seu perfectionem boni, includit ipsa essentia diuinitatis, non quidquid pertinet ad limitationem, & contractionem boni, quale est bonum creatum, vt ridere, ambulare, &c. Et hoc est, quod dicit *Caiet.* in præsenti *Articulo*, quòd aliud est loqui de ratione boni, aliud de ratione talis boni, & limitati boni; & conuenit Deo quidquid est de ratione boni, non talis boni. Quod perperam *Vazquez* emendare voluit in *secunda Dubitatione litteræ*, nec tamen aliam solutionem inuenit, quam *Caiet.* dicens: Quòd ridere, & similia non conueniunt Deo, quia non pertinent ad rationem bonitatis, sed quædam entia sunt participantia bonitatem, & sunt bona alicui rei conuenientia secundùm peculiarem naturam ipsius, quod est planè solutionem *Caiet.* tradere.

Quantum ad secundam consequentiam S. Thom. illa propositio *Ad rationem boni pertinet se alijs communicare*, quod alijs verbis dici solet, scilicet, Quod *Bonum est diffusiuum sui*, etiam occasionem difficultatis præbuit *Caiet.* Quia si se communicare pertinet ad rationem boni, vtique communicatio ista erit aliqua perfectio in ipso bono; quod si ita est, careret Deus aliqua perfectione, quia non se communicauit ab æterno, posset que perpetuò illa carere, si nollet vnquam se communicare.

Occasione huius Difficultatis digrediuntur Aliqui ad explicandum, An volitio libera in Deo dicat aliquam perfectionem in eo, in quo libera, siquidem per illam se communicat Deus? Alij etiam, vt *Suarez, & Cabrera in Comment. Litteræ, Disput. 7. huius Articuli* explicãt, quo modo, & in quo genere causæ Bonum intelligatur esse communicatiuum, seu diffusiuum sui. Vtraque ista digressio aliena est à præsenti loco. Nam Prima pertinet ad *Quæstionem 19. I. Partis. Secunda ad Quæstionem 5.* Ad dubitationem *Caiet.* Respond. ipse. Primò, Quòd posset distingui de communicare se secũdùm quod importat actionem, quæ est perfectio agentis in actu, quæ in Deo est sua substantia: Et de illo secundùm quod importat illationem effectus ad extra. Secundò, Quòd non opportet ad hoc recurrere, sed quòd est falsum simpliciter, quòd communicare se alijs, nõ importat perfectionem;

nem;non quidem in communicante, sed in illis, quibus communicatur: Itaque dato, quòd nullam addat perfectionem bono communicanti se ipsum,necessariò tamen ponit perfectionem in his, quibus communicatur, & ad naturam boni spectat communicare se ipsum alijs; non vt ipsum communicans sit melius,sed vt alia bonificentur per ipsum.

Vtraque solutio displicuit P. Vazquez loco citato,& P. Lorca, disp. 1. & Primam ex eo reijciunt,quia si communicare se sumptum pro actione est actio transiens,falsò dicitur à *Caiet.* esse perfectionem agentis, cùm actio transiens sit in passo;si est actio immanens,sicut volitio communicandi se; ergo si noluisset se communicare, defuisset Deo aliqua perfectio, & licet *Caiet. 1. Part. Quæst. 19 Art. 2.* Admisserit esse in Deo perfectiones liberas, quæ ei deesse possunt,hoc tamen admitti non potest, quia aliàs esset aliqua perfectio in Deo,quæ non esset sua essentia, siquidem abeì se posset ab illo. *Secundam* autem solutionem impugnat *Vazquez*,quia licet doctrinã verisimam contineret; ignorat tamen quomodo solutioni Argumenti accõmodari possit. Vnde ipse soluit difficultatem dicendo: Quòd non assumit *S. Thom.* illam propositionem *Communicare se alijs est perfectio Dei*, sed illam *Communicare se alijs conuenit bonitati, vt bonitas est*, Quasi dicat,est actus maximè ei conueniens,& consentaneus, sicut calefacere est actus proprius;& conueniens igni. Nec dicit *S. Thom.* Quòd communicare se alijs conuenit alicui,quatenus bonum est,sed quòd si res aliqua se alteri communicat,id conuenit naturæ illius,quatenus bona est,id est, prouenit ex bonitate,& perfectione eius. Vnde *S. Thom.* (inquit) supponit possibilem esse hunc modum se communicandi, & probat hanc communicationem esse conuenientem.

At verò P. Lorca ex eo reijcit hanc secundam solutionem,quia enerùat cum rationis *S. Thomæ*. Quia si communicare se est perfectio creaturæ dumtaxat,non Dei se communicantis,non probatur inde Incarnationem fuisse conuenientem Deo;ad hoc enim requirebatur,vt aliquo modo esset bonum Dei. Et ideò soluit ipse Difficultatem dicendo, Quòd Deo conueniens est se communicare, tanquam perfectio extrinseca, quia est decens ipsum Deum,& consentaneum eius bonitati, ex quo tamẽ intrinsicè non perficitur, sicut manifestare suam bonitatem est bonum Deo, & adorari à Nobis,non tamen intrinsecum ei.

Cæterum hi Authores,aut oscitanter legerunt *Caiet.* aut in contradicẽdo nimij sunt. Nam quod attinet ad *Primam solutionem* expresè dicit *Caiet.* quòd communicare se secundùm quod importat actionem, quæ est perfectio agentis,in Deo est sua substantia; & hoc numquam illi defuit, licet communicare se,vt importat illationem effectus,sit aliquid temporale,& deesse possit Deo. Vnde *Caiet.* doctrina verisima est,& planè soluit difficultatem,quia siue actio sit in agente,siue in passo,semper saluatur, quòd

non

non caret [illegible] qua perfectione, licèt non se communicet. Nam si actio sit aliquid exultens in agente saluat, quòd talis actio pro hac parte, qua est in agente, est substantia Dei, & non Deo deest; si autem totum quod est actio transit ad passum, & nihil ponit in agente, tunc actio solùm importat illationem effectus; vel est illi semper coniuncta, & sic non ponit perfectionem in agente, & consequenter à fortiori saluat, quòd tale communicare potuit deesse Deo, quia in eo non ponit perfectionem quasi subiectiuè, sed solùm extrinsicè, quia ab eo procedit. Itaque solutio *Caiet.* in omni Opinione locum habet, siue actio sit in agente; sic enim est substantia Dei, & solùm quoad illationem effectus non ponit perfectionẽ in Deo, & abesse potest ab illo; siue actio sit in passo, & nõ in agente; sic enim multò meliùs saluatur, quòd non est perfectio communicare se alijs, & potuit abesse Deo. Quòd verò actio Dei sit ipsa substantia Dei, expressa sententia est *S Thom. 1. Part. Quæst 25. Art. 1. ad 2. & Quæst. 46. Artic. 1. ad 10. & Quæst. 1. de Potentia, Art. 1.* Quòd si loquamur de Actione immanenti libera, cùm *Caietanus* hìc expresè dicat, quòd est substantia Dei, quomodo impugnari potest, quòd in eius sententia actus liber potest abesse à Deo, quòd aliquam perfectionẽ? Quidquid enim senserit alibi *Caiet.* saltem in præsenti dicit illam perfectionem actionis esse substantiam Dei, & illam sentit abesse non posse à Deo.

Quoad impugnationem secundæ solutionis de ignorantia, quam fatetur *Vazquez*, non est quid dicamus; constat enim clarè, quomodo doctrina *Caiet.* applicanda sit solutioni argumenti, quia ad rationem boni pertinet communicare se alijs, non quasi perfectio passiua ipsius boni, sed quasi perfectio actiua; pertinet enim ad rationem boni esse nõ solum perfectionem, sed perfectiuum aliorum, quatenus diffusiuum est sui; vnde cùm ex eo quod se communicet bonum, non requiratur, quòd reddatur melius, aut perfectiùs in se, sed alia reddantur perfecta, & bonificata ab ipso, ex eo quod Deus non se communicet, non caret aliqua perfectione in se, sed solùm creaturæ carent perfectione communicata, & Deus solùm caret relatione rationis, qua respicit creaturas communicatas; applicatio enim, & extensio perfectionis actiuæ Dei ad perficiendum creaturas, non ponit nouam perfectionem in Deo, sed nouum respectum rationis.

Solutio autem Vazquez, ex eo apparet diminuta. Quia licet *D. Thom.* non dicat, quòd *Communicare se est perfectio boni*, sed actus consentaneus, & conueniens bono; hoc tamen est, quòd Nos inquirimus, An hoc, quod est esse consentaneum, & conueniens sit perfectio ipsius boni, vel non? Et si hoc, quòd est communicare se, prouenit ex perfectione, & bonitate, & si se communicat, est bona; non autem, quia bona est, se communicat. Restat vlteriùs explicare, An hoc quod prouenit ex ipsa bonitate, & perfectione, scilicet, *Communicare* se, sit perfectio ipsius, vel nõ sit perfectio? Et reddere

ratio-

rationem, cur perfectio non sit; aut si est, quo modo deesse potuit Deo; ergo intactam relinquit difficultatem ipse *Vazquez*.

Ad impugnationem autem Patris Lorca Resp. ex dictis, Quòd communicare se, est perfectio passiua creaturæ; est autem perfectio actiua Dei, & hæc semper est in Deo quantùm ad perfectionem; quantùm verò ad applicationem, & respectum ad creaturas, non semper debet, & necessariò conuenire Deo. Sicut dici solet de Actu Libero, vt liber est, 1. *Part. Quæst.* 19. *Art.* 2. Quòd quantum ad perfectionem libertatis est in Deo necessariò, non quantum ad extensionem, & respectum rationis ad obiectum volitum. Et sic probatur maximè Incarnationem conuenire Deo, quia etsi non sit perfectio de nouo conueniens Deo, qua ipse melior fiat passiuè; est tamen perfectio actiua ipsius Dei, qua perficit alia, communicando se, & meliora facit; & hæc maximè decet Deum. Imò ex ipsa solutione, quam assignat *Lorca*, apertè conuincitur malè impugnasse *Caietanum*. Quia si communicare se, est conueniens Deo, tanquam perfectio quædam extrinseca decens, & consentanea bonitati Dei; ergo non requiritur, quòd sit bonum ipsius Dei, sed solùm sufficit, quòd sit bonum creaturæ, actiuè tamen proueniens à Deo, aut aliàs eneruat ipse *Lorca* rationem *D. Thom.* vt *Caiet.* obijciebat. Et hæc dicta sint circa illam propositionem, *Ad rationem boni pertinet se alijs communicare.*

Circa consequentiam verò illatam; *Ergo ad ratioonem summi boni pertinet se summo modo communicare*, proportionaliter intelligenda est. Si enim communicatio fit, iuxta naturam boni, oportet, quòd summo Bono aliqua summa communicatio conuenire debeat. Quia tamen summa cõmunicatio posset dupliciter intelligi, Vno modo *Summa simpliciter, & omnibus modis*, id est, tam ex parte communicantis, quàm ex parte rei communicatæ, & modi se communicandi, quæ communicatio esset infinita. Alia *Summa non simpliciter, & omnibus modis*; sed *Summa saltem ex parte cõmunicantis, & rei communicatæ*, non tamen in modo communicandi, licèt ex ratione *D. Thom.* vtraque inferri possit, & vtraque de facto conueniat Deo; de secunda tamen communicatione summa locutus est *D. Thom.* Quia non dixit absolutè, *Summo Bono conuenit summa communicatio*, sed pertinet ad rationem summi, quòd summo modo se cõmunicet creaturæ.

Quod enim Summum Bonum habeat summam communicationem absolutè, verum quidem est; sed illa communicatio est ad intra, & non est communicatio creaturæ facta, sed diuinis personis procedentibus conueniens. Summa autem communicatio creaturæ facta, est illa, quæ non omnibus modis summa est, aliàs non maneret creatura, si summo modo, hoc est, infinito modo se illi communicaret. Est ergo diligenter aduertendum, Quòd illi tres termini, *Se*, *Summo modo*, *Creaturæ*, explicant genus huius cõmunicationis, quæ Deo ostenditur conueniens. Etenim *Communicare se*

stat

ſtat dupliciter. Vno modo, quòd communicat ſe *in ſe ſeipſo*; alio modo, quòd communicat ſe *in aliquo ſui*, quia videlicet communicat aliquã participationem ſui, ſcilicet proprietatem, ſeu effectum, ſiue accidens ſuum, ſicut Sol communicat ſe aëri producendo lucem; & ignis ligno, producẽdo calorem; & in vniuerſum omne ſuppoſitum creatum, quãdo communicat ſe alteri per aliquam actionem, numquam ſe ſubſtantialiter communicat, ſed aliquid ſui, putà contactum, vel accidens, aut effectum ſuũ; ſi enim ſe communicaret, fieret conuerſio, & mixtio ſui cum alio, quòd iam non eſt communicare ſe alteri, ſed corrumpere ſe ipſum, & alterum.

Ex defectu ergo ſummi boni habet creatura, non ſe communicare alteri propriè, ſed aliquid ſui, niſi fortè ſit ens in cõpletum, vt Forma, aut Materia, quorum communicatio omninò imperfecta eſt, & Deo conuenire non poteſt. Quare communicari ſummo modo creaturæ manente creatura explicatur per ly *Communicare ſe*; hoc enim ipſo quod *Se*, & non *aliquid ſui* diuina ſubſtantia, quæ completa ſubſtantia eſt, communicat, ſummo modo communicatur creaturæ, hoc eſt, communicatione qua nõ aliquid ſui, ſed ſe ipſam communicat; præſertim ſi ſubſtantialiter ſe communicat; ſic enim formaliſsimè, & propriè ſe communicat, nam communicatio, quæ fit intellectui Beatorum in ratione Speciei, communicatio eſt intelligibilis, non ſubſtantialis, vnde non ita propriè, & formaliter ſe communicat.

Facit ergo S. Thom. hanc Conſequentiam *Ad rationem Boni pertinet communicare ſe ipſum*, vtique extra ſe, & non ſolùm ad intra, quantùm poſſibile eſt; ergo Summo modo etiam extra ſe, id eſt, creaturæ conuenit ſe communicare ſummo modo, id eſt, maiori, & altiori modo, quàm quodlibet bonum, non ſummum ſe communicat. Videmus autem, quòd omnia bona creata, & limitata communicant ſe, non ſimpliciter, & propriè, ſed in aliquo ſui, & in aliqua participatione ſui; ergo ſummo bono, cui altior communicatio conuenit, & excedens quamlibet communicationem inferioris boni, oportet, quòd attribuamus talem, & tam excellentem modum communicationis, quòd poſsit communicare ſe ipſum in ſe, & non in aliqua participatione ſui; aliàs non excederet modus, & genus communicationis Summi Boni, genus, & modum cõmunicationis limitati boni.

Ex hoc explicatur vltima conſequentia *S. Thomæ*, Summa communicatio maximè fit per hoc, quòd ſibi in vnitate Perſonæ naturam creatam coniungat; ergo Deo conuenit Incarnari. Vbi apertè loquitur *S. Thom.* de *Vnione Hipoſtatica* in genere, & non vt determinatè facta eſt in tali natura, ſed vt factibilis in quacumque natura creata, & oſtendit ſummam cõmunicationem conſiſtere in vnione naturæ creatæ ad ſuam Perſonam. Nam in Deo ſolùm eſt *Natura*, & *Perſona*. Si ergo Deo propter ſummam rationem bonitatis conuenit communicare ſe, & non ſolùm aliquam partici-

patio-

pationem sui, vel debet naturam cõmunicare, vel Personam; naturã non potest communicare creaturæ, quia sic non maneret creatura, sed Deus, cũ haberet naturam diuinam; ergo si se cõmunicat creaturæ, ita quod maneat creatura, oportet, quòd cõmunicet suam Personam, & ita communicatio summa, qualis est communicatio sui met, & non participationis, seu effectus sui, debet esse communicatio in *Hypostasi*, seu Persona.

Cur autem è conuersò Natura diuina non potuit cõmunicari Personæ creaturę? *Resp.* Quòd id demõstratur à *D. Thom.* infrà *Quæst. 3. Art. 1.* Præsertim *ad 2.* Vbi ostendit, quòd concursus duarum naturarũ substantialiter, non potest fieri in vna hypostasi creata; & multò minus poterit sustẽtare substantialiter naturã creatam, & incommunicatam, vt omittã quod talis modus cõmunicandi inuoluit manifestam imperfectionem. Oportet enim, quòd Natura Diuina subsisteret per subsistentiam creatã, & ita subsistentia creata cõmunicaret illi aliquam actualitatẽ, seu effectũ formalẽ; quòd est omninò contra Immutabilitatẽ Diuinã, & summã rationẽ Actus Puri, & ita manet hoc excluſſum per doctrinam traditã Solutione ad 1.

Ex dictis colliges benedixisse *Caiet.* hìc in præsenti, Quòd tractando cõuenientiã Incarnationis ex naturis extremorũ, scilicet Dei, & Humanæ Naturæ, excluditur impossibilitas Incarnationis, & ita sub titulo *Conuenientiæ* satisfactũ est materię de *Possibilitate Incarnationis*. Itaque *S. Thom.* in hac ratione adducta in *Corpore Articuli*, nõ supponit Possibilitatem, sed probat illam; non quidẽ demonstratiuè, sed ex probabilissima cõgruentia, eius impossibilitatem remouendo, & non solùm congruitatem, & decentiam Incarnationis, sed conuenientiam huius prædicati ad illud subiectum, nempè ad Summam Bonitatem ex proprijs naturæ diuinæ, ostendendo, & expressè affirmando, quòd sumit ly *Conueniens*, prout dicit id, *Quòd competit alicui formæ ratione propriæ naturæ.*

Neque obstat instantia P. Suarez, in *Commentario huius Litteræ*, scilicet, Quòd si ratio *S. Thomæ* non supponit possibilitatem Incarnationis, nullo modo procedit, nam si quis vellet simili Argumento cõcludere, quòd Deo sit conueniens producere creaturam, vel Angelum infinitè perfectum, & conferre Beatis visionem comprehensiuã sui, quia hæc esset maxima quædam communicatio suæ bonitatis. Respondendum esset, quòd illa communicatio est impossibilis, & ideò non est maxima.

Resp. tamen facilè ex dictis. Quòd *S. Thom.* non intendit in præsenti ostendere maximam cõmunicationem absolutè, & omnibus modis, sed maximã communicationem creaturæ faciendam. Maxima enim cõmunicatio absolutè deducitur quidem ex Ratione *D. Thomæ*; non tamẽ respectu creaturæ, sed respectu Dei ad intra, vbi cõmunicatur modo infinito tota Diuinitas. Apponendo autem illam restrictionẽ *Summo modo se cõmunicare creaturæ*, limitat rationem suam ad summã communicationem non modo infinito, sed eo modo, qui requiritur, vt manente creatura se illi cõ-

muni-

municet, quòd non fieret si creatura infinita produceretur, aut Visio comprehensiua communicaretur. Et ideò intẽtio sua solùm est probare, quòd Deo ex eo, quod Summum Bonum est, debet conuenire (loquendo in genere, & in communi) aliquis modus cõmunicationis, qui sit excellentior, & maior, quã modus communicationis, qui inuenitur in bono limitato; scilicet, quòd communicet se, non propriè, sed in aliquo sui; hoc enim est intentum *S. Thomæ*, scilicet ostendere, Quòd Deo conuenit communicatio Vnionis Hypostaticæ, quæ ideò summa est, quia in hoc non communicat Deus aliquid sui, sed se substantialiter.

In responsione ad 2. Prospice, quòd quando Dicit *D. Thom.* non esse conueniens carni humanæ secundùm conditionem suæ naturæ vniri Deo in vnitate Personæ; non negat *Carni humanæ* id fuisse maximè conueniens quantùm ad decentiam, & congruitatem, & summam perfectionem illi additam. Quis enim hoc negaret? Sed sumit ly *Conueniens* Logicè, Quia nõ est prędicatum illi conueniens secundùm aliquam conditionem suæ naturæ, eo modo, quo id sumpserat in *Corpore Articuli.* Deo enim tantùm conuenit secundùm conditionem, & principia suæ formæ, quatenùs scilicet est *Summa Bonitas*, & habet excellentiam Bonitatis in communicando se supra alia bona finita.

In 2. *Art. inquit D. Thom.* Conuenientiam Incarnationis ex parte hominis indigentis ea ad reparationem sui, & ideò nõ ponit titulum sub ratione *Conuenientiæ*, sed *Necessitatis, Vtrùm necessarium fuerit ad Reparationẽ Generis Humani, &c.* Vbi ly *Ad Reparationem* supponit indigentiã ex parte hominis reparandi, & ly *Necessarium* inquirit conuenientem modum huius Reparationis, An scilicet ita conueniens fuerit hoc remedium, quòd fuerit simpliciter necessarium, vel solùm cõueniens, quia meliùs, & vtiliùs respectiuè, & comparatiuè ad indigentiam humanæ miseriæ.

Resolutio S. Thomæ constat duplici conclusione. Prima, Hoc remediũ non fuit simpliciter necessarium respectu finis, scilicet Reparationis humanæ. Secunda, Fuit hoc remedium vtiliùs, & conuenientiùs ad Reparationem. Et quando audis *Non fuisse necessarium*, vel *Fuisse solùm Melius ad Reparationem*, Intellige ad reparationem *Absolutè, & quoad substantiam*; nam si loquimur de *Reparatione sub tali modo*, putà ad *Reparationem ex iustitia*, sic fuit simpliciter necessarium Deum incarnari, quia Deus solùm non poterat sibi satisfacere, non ex defectu potentiæ, sed ex defectu inferioris naturæ, in qua exerceretur satisfactio. Homo autem purus non poterat ex defectu potentiæ, & ita quantùm ad hunc modum reparandi Incarnatio non vtilior, sed simpliciter fuit necessaria. Hoc tamen non est loqui de sola reparatione, sed etiam de modo, & medio reparandi determinatè.

Conuenientias, & Vtilitates, quæ in hoc modo reparationis inuentæ sunt, optimè explicat *D. Thom.* vltimam autem, quam affert *in Calce Corporis Articuli*, & *Solutione ad* 2. quæ inter omnes est præcipua, scilicet, Quia

ad

ad perfectam, & æqualem satisfactionem pro peccato Incarnatio requirebatur, in Disputatione seorsum examinabitur. Vbi etiam Ostendemus, quòd quando *D. Thom.* distinguit hìc *Purum hominem*, contra *Deum Incarnatum*, non loquitur de homine puro, quasi sit *In puris naturalibus*, & destituto omni dono supernaturali, sed de homine puro, vt distinguitur *Contra hominem habentem personam increatam*, quantumcumque aliàs sit præditus donis supernaturalibus.

In Artic. 3 Ponit *D. Thom.* Conuenientiam Incarnationis ex parte finis proximi, seu motiui extrinseci, quòd ita mouit voluntatem diuinam, vt sine ipso non mandaretur executioni Incarnatio, & ita inquirit; *Vtrùm si homo non peccasset, Deus Incarnatus fuisset?* Licèt tamen in hac difficultate multa videantur inuolui, quæ tangunt Prædestinationem Christi, & ordinem, modumque in Decretis Diuinis intentum; tamen in *Præsenti Quæstione* tractat *D. Thom.* de omni eo, quòd pertinet ad Quæstionem *An est*, similiterque de Conuenientijs Incarnationis, tam ex parte Dei, quàm ex parte necessitatis hominis, oportebat inuestigare illam conuenientiã, quæ ita mouit voluntatem diuinam, vt sine ipsa non fieret Incarnatio, nec daretur existentia, seu *An est* Incarnationis.

Resp. S Thom. Peccato non existente Incarnationem non fuisse futuram, & ita remedium peccati fuisse motiuum Incarnationis de facto. *Ratio eius est*, Quia volũtatis Dei motiuum, & ratio in his, quæ sunt supra naturam, constare nobis non possunt, nisi ex ipsa Dei reuelatione, quæ in scriptura innotescit; scriptura autem vbique assignat rationem Incarnationis ex peccato primi hominis; ergo eo cessante, cessaret ratio huius voluntatis, vt de facto à Deo habita est, & consequenter cessaret ista voluntas incarnandi, quam de facto habuisset.

In hac ratione solum inuenit *P. Suarez in Commentario* Difficultatẽ in illa Propositione. *Vbique Scriptura assignat rationem Incarnationis ex peccato primi hominis.* Nam licèt id frequentiùs assignet Scriptura, non tamẽ semper, sed aliquando assignat Charitatẽ Dei nimiam, & ostensionem gloriæ suæ, & diuitiarum, vt ad *Ephes.* 1. *& ad Corinth.* 2 *& alijs locis.* Vidit tamen ipse *Suarez* huius obiectionis solutionẽ, quæ à *D. Thom* assignata est *Solutione ad* 1. Quia quando assignatur Redẽptio nostra pro motiuo, & ratione Incarnationis, non excluditur ostentio Gloriæ, & Charitatis Dei, aliorumque Attributorũ eius; hoc enim est quasi finis vltimus, & primarius in omni opere Dei ad extra, & finis per modũ causæ, quæ dicitur *Cuius gratia*, quæ semper oportet esse excellẽtiorẽ, eo quòd est ad finem; Nos autẽ Loquimur in præsenti de fine proximo, & formali, & qui se habet, vt *Finis effectus*, scilicet Redemptione hominum, qui finis minus excellens est, quã ipsa Incarnatio, cùm ab illa sit effectus. Est autem quasi determinans, & particularizans ipsum motiuum Decreti diuini, ita vt sine illo non fieret Incarnatio, quia vult Deus ostendere Gloriam suam, & Charitatem suam,

non quomodocumque, sed in tali effectu, qui est Redemptio nostra, & non sine illo; qui autem loquitur de fine effecto, numquam excludit causam. Et sic Scriptura loquitur de Ostensione Gloriæ, & Charitatis Dei ordinata, & determinata ad talem effectum redemptionis, & nõ aliter, & ita in illo loco ad *Ephes.* 1. postquam dixit Apostolus, quòd *Prædestinauit nos per Iesum Christum in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio suo* subdit, *In quo habemus redemptionem, &c.*

Vnde Suarez aliunde instat, scilicet non posse satis conuinci istas rationes intentionis gloriæ Dei, charitatis, &c. non assignari, nisi vt contẽtas in redemptione; posset enim quis dicere, esse sufficiẽtes per se, licèt etiam concurrerit illa, quæ est ex parte redemptionis hominum, quæ vt magis vsitata, & præsenti statui accõmodata à Scriptura assignantur. Fortiusque vrget in *Explicatione solutionis ad* 5. Quia negari nõ potest Adamo in statu innocentiæ reuelatam fuisse aliquam causam Incarnationis, præsertim cũ ipse *D. Thom.* dicat 2. 2. *Quæst.* 2. *Art.* 7. hominem ante peccatum habuisse explicitam fidem Christi, prout ordinabatur ad consumationem gloriæ, non prout ordinabatur ad redemptionem à peccato; ergo iam aliquando Deus reuelauit hoc mysterium ex aliqua causa independente à peccato, scilicet ipsi Adamo in statu Innocentiæ. Eneruatur ergo tota vis rationis *S. Thomæ*, quæ fundatur in reuelatione diuina, quæ vbique facta est per ordinem ad peccatum primi hominis; aliquando enim reuelata est sine ordine ad peccatum, & ita Adam pro illo statu posset cõcludere oppositum conclusionis D. Thomæ, ex eius ratione dicendo: Ex reuelatione Dei cognosco mysterium Incarnationis, sine ordine ad peccatum; ergo etiam si non peccem, Deus incarnabitur.

Quòd si dicatur non reuelasse Deum Adamo Incarnationem indepẽdentem à peccato positiuè, sed solũ negatiuè, id est, non reuelauit dependentiam, quam de facto habebat à peccato. *Cõtra instatur.* Quia hoc modo etiã possemus dicere, nobis non reuelasse Deum dependentiam, quã habet Incarnatio à peccato; neque enim vnquã dicit Scriptura, quòd nõ existẽte peccato Christus non veniret, sed solũ reuelauit hanc causam veniendi, quę ita nostro statui conuenit; alias verò causas propter quas veniret, etiã non existente peccato, non reuelauit nobis, sicut neque istã, quæ ex peccato est reuelauit Adam; nutat ergo ratio *D. Thomæ* in reuelatione fundata.

De hoc Discursu amplius disputandum est infra Agendo de hac Difficultate. Interim dicimus, Quòd cùm status Innocentiæ non esset status permansurus, & de facto duraturus, vsque ad Incarnationem Christi, conueniens erat, vt non omnes circunstantiæ Christi venturi explicitè reuelarentur, licèt implicitè continerentur in ipso mysterio reuelato; vnde Adam posset ex vi illius reuelationis certò cognoscere Christum venturum. Quòd verò ipso non peccante veniret, non poterat certò, sed coniecturaliter concludere, quia non sibi erãt reuelatæ circun-

stan-

ſtantiæ,in quibus veniret Chriſtus;& ideò falleretur,ſi id de facto concluderet;id tamen non faceret,quia dum durabat ſtatus Innocentiæ, deceptioni non erat obnoxius. At verò facta iam explicitè reuelatione Chriſti in carne paſsibili,& vt Redemptoris,inconueniens eſt dicere, quòd Deus occultauit cauſam principalem, propter quam veniret, & ſine qua non veniret,ſiquidem reuelauit omnes circunſtantias Incarnationis, & paſsibilitatem,ac mortem,munuſque Redemptoris.

Vnde non poteſt eſſe probabile, quòd reuelando omnes circunſtantias,principalem,quæ finis eſt propter quẽ venit,tacuerit, & ex qua magis homo recognoſcere debebat hoc beneficium. Quòd ſi reuelauit finem hunc propter quem venit,non tamen adæquatè,quia aliàs cauſas propter quas etiam venit,occultauit,certè diuinare eſt hoc; ergo probabilius loquitur *S. Thom.* Qui ex reuelatis cauſis finem, propter quem venit,affirmat,& colligit,quam qui ex non reuelatis,& conſequenter diuinans procedit. Et hæc dixerim quantùm ad Argumentum ſumptum ex reuelatione facta Adamo, in qua non fuit manifeſtata cauſa, propter quam venit Chriſtus,nam de alijs cauſis nobis manifeſtatis præter redemptionem à peccato,ſufficienter dixit *S. Thom. ſolutione ad* 3. omnes alias cauſas pertinere aliquo modo ad remediũ peccati. Quòd amplius infrà explicabitur.

Argumenta omnia,quæ proponit *S. Thom.* eorumque ſolutiones,ſi diligenter conſiderentur,continent abſolutam reſpõſionem ad omnia, quæ difficultatem ingerere ſolent in hac parte. Ad duo enim capita reducuntur principalia Argumenta Aduerſariorum. Quidam procedunt *ex parte Motiuorum* oſtendendo,quòd præter redemptionẽ à peccatis, fuerint alia motiua ſufficientia,& independentia à peccato; Vnde etiam ceſſante peccato veniret Chriſtus,& hoc tangit *S. Thom.* tribus primis Argumentis, oſtẽdendo,quòd nec ex alijs cauſis neque ex perfectione Vniuerſi, neque ex capacitate naturæ humanæ ad Vnionem hanc ſumitur ſufficiens motiuum,vt Chriſtus veniret. Alia verò Argumenta in hac Difficultate procedunt *ex parte Prædeſtinationis Chriſti*,qui prædeſtinatus eſt, vt finis omniũ in genere gratiæ, & naturæ, & conſummationis gloriæ, etiam reſpectu Adam in ſtatu Innocentiæ,& ſic præcedere debuit eius prædeſtinatio, & Decretum quodcumque,ſeu permiſsionem peccati,vel prẽuiſionem permiſsionis peccati. Et de his reſpondet *S. Thom. Argument.* 4. & 5. Cuius ſolutiones examinabimus,in Diſputatione.

Solùm in ſolut. ad 4. Oportet aduertere, Quòd quando dicit *S. Thom.* Quòd prædeſtinatio ſupponit præſcientiã futurorũ, duo termini notandi ſunt ly *Futurorũ*,& ly *Prædeſtinatio*. Nam ille terminus *Futurorum* ſtat in *Suppoſitione determinata*,non *indefinita*,aut vniuerſali. Non enim omnium futurorum præſupponere poteſt præſcientiam prædeſtinatio; ſed aliquorum,vt notat in præſenti *Caietanus*; eorum enim futurorum, quæ pendent à prædeſtinatione,nõ poteſt præſcientia ſupponi ante prædeſtinationem,

quamuis autem non pendeant à prædestinatione, pendere tamen debent ab alio Decreto, seu voluntate diuina, siquidem est eorum causa, & mediante illo præsciuntur à Deo. Vnde ex hoc loco non potest haberi, quòd antecedenter ad omne decretum liberum Deus videat aliqua futura, sed solùm ante prædestinationem.

Secundus terminus est ly *Prædestinatio*, quæ sumitur à *D. Thom.* tam pro *Prædestinatione totali*, id est, quæ includit omnes effectus prædestinationis, quam *pro partiali*, quæ includit solùm aliquem ex effectibus prædestinationis, & ex hac secunda exemplificat ad primam; ostendere enim vult *S. Thom.* quòd prædestinatio totalis potest præsupponere præscientiam alicuius futuri, quia etiam prædestinatio vnius effectus, v.gr. impletio, seu executio salutis, quæ est vnus ex effectibus prædestinationis, supponit præscientiam alicuius futuri: v.g. orationis, per quam exequitur Deus illam impletionem salutis. Simpliciter ergo non repugnabit, quòd prædestinatio primi effectus præsupponat præscientiam alicuius futuri extra ordinem prædestinationis, non quidem, vt sit prædestinationis causa, sed vt sit conditio, seu præ requisitum, vt talis prædestinatio habeatur, sicut natura, seu persona prædestinati, & aliæ res naturales præsupponuntur ad prædestinationem.

In Artic. 4. solùm explicat ampliùs doctrinam *Tertij Articuli*, ostendendo propter quòd peccatum principaliùs venerit Christus. Clarus est, nec expositione indiget. Vide *Caietanum*.

In Artic. 5. *&* 6. Tractat *D. Thom.* Conueniẽtiam Incarnationis ex parte circunstantiæ tẽporis, scilicet, Quo tẽpore fuerit conueniens Deum Incarnari; ab initio mundi, an in fine? *Et Resp.* Quòd non fuit cõueniens *in initio ante peccatũ* Incarnari, quia venit in remediũ peccati: *Nec statim post peccatũ*, Quia cùm ex superbia processerit, nõ conuenienter ei applicaretur remedium tantæ perfectionis, nisi post humiliationem, tanquam dispositionem requisitam: *Nec in fine mundi*, quia totaliter esset abolita Dei notitia, atque adeò omnis dispositio ablata ad hoc remediũ. Conueniebat autem perfectioni Incarnationis, vt tanquam causa efficiens præcederet curationem humanæ naturæ, vt quia valdè imperfecta erat, priùs disponeretur ad tam efficax remedium, & ideò in Medio Tempore venit.

In 5. tamen Artic. benè Nota *solutionem ad* 2. Vbi *D. Thom.* aduertit reprobasse *D. Aug.* illam solutionem in *Lib. de Sex Quæstionibus Paganorum Quæst.* 2. Quòd scilicet tunc Christus voluit apparere, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando scilicet, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri; ex hoc enim dicto *August.* volebãt *Semipellagiani* deducere fundamentũ pro asserenda scientia conditionata (quã ipsi ponebant) vt saluarent eos prædestinari à Deo, quos præsciebat benè vsuros libertate sua, & auxilio Dei, vt ex Epistolis *Prosperi*, & *Hilarij*, & ipso *Augustino*, *Lib. de Prædestinatione Sanctorum* constat. Proinde *Augustinus* explicans

ibi

ibi se ipsum dicit, Se id dixisse, *sine præiudicio latentis Dei consilij*. Ex quo liquido datur intelligi talium futurorum conditionatorum Deo non esse tribuendam scientiam, nisi innixam, & fundatam in aliquo Consilio, seu Decreto Voluntatis Dei. Et ita *D. Thomas* in præsenti amplectitur aliam solutionem *Augustini*, Quod totum hoc ad prædestinationem, seu prouidentiam, & iudicium Dei reducit.

His positis circa explicationem litteræ *huius Quæstionis* restat Difficultates tractare, quæ circa illam disputari solent. Est autem in tota ista Quæstione conuenientiæ Incarnationis, duplex Celebris Materia disputanda: Altera de *Satisfactione Christi*: Altera de *Decreto Incarnationis*, & Motiuo propter quod venit, & ita vt exactè tractentur istæ Difficultates, Tres Disputationes instituemus. Prima, *De satisfactione puri hominis pro peccato*. Secunda, *De satisfactione Christi*. Tertia, *De Decreto, & Motiuo*.

QVAESTIO PRIMA.

DISPVTATIO I.

De satisfactione Puri hominis.

QVIA impossibile est *perfectissimam satisfactionem, qualis est satisfactio Christi Domini, plenè intelligere, nisi intellecta satisfactione puri hominis, quæ imperfecta est, & de qua in præsenti solet agi, & quia connaturale est, procedere ab imperfecto, ad perfectum, ideò prius agemus de satisfactione puri hominis, ostendendo eius deficientiam; deinde de satisfactione Christi, agendo de eius perfectione. Oportet autem pro totius Materiæ intelligentia præmittere, in quo consistat perfecta, vel imperfecta satisfactio, & quid sit punctus difficultatis in præsenti.*

ARTICVLVS I.

Explicatur Differentia Satisfactionis Perfectæ, & Imperfectæ, & aperitur Punctus Difficultatis.

DIVVS *Thomas in præsenti Quæstione, Artic. 2. ad 2.* Diuisit Satisfactionē sufficientem in *Perfectam*, & *Imperfectam*. Eius verba sunt; *Satisfactio potest dici dupliciter sufficiens; vno modo perfectè, quia est condigna per quandam adæquationem ad recompēsationem culpæ commissæ. Alio modo potest dici satisfactio hominis esse sufficiens imperfectè, scilicet secundùm acceptionem eius, qui est ea contentus, quamuis non sit condigna.* Istæ sunt diffinitiones seu descriptiones satisfactionis perfectæ, & imperfectæ, apud *D. Thom.* Quæ vt intelligantur, quia præcipuam lucem afferūt difficultatibus deinceps tractandis, supponenda est ratio communis, seu generica satisfactionis; deinde explicandum est, in quo consistat quòd sit sufficiens, & quid sit ille duplex modus sufficientiæ, *ex condignitate*, videlicet, & *ex acceptione Creditoris*. Igitur *Satisfactio* in tota sua amplitudine, & genere nihil aliud

importat, quam *Compensationem*, seu *Redditionem alicuius debiti.*

Quia verò est Multiplex Debitum secundùm variationē eius, variatur quoque species, seu ratio *Satisfactionis* Variatur autem ratio debiti secūdùm varias species, & partes potentiales iustitiæ, vt notat *S Thom.* 2. 2. *Quæst.* 80. *Artic. vnic.* Vbi explicat partes potentiales. Aliud enim est *Debitum legale*, seu strictum, & ex lege ortum; aliud *Morale*, seu *Decentiæ*, sicut est debitum *Fidelitatis, Gratitudinis, Amicitiæ.* Vnde similiter *Compensatio debiti*, alia est compensatio debiti legalis; alia debiti moralis, seu decentiæ; & consequenter in omnibus istis compensationibus inuenitur diuersa ratio compensationis. Sicut alia est satisfactio gratitudinis pro beneficio accepto, alia satisfactio fidelitatis loquendo semper veritatem; alia amicitiæ, reddendo redamationem. In præsenti loquimur de *Satisfactione debiti legalis*, seu *Debiti riguroſi*, quale inuenitur in materia Iustitiæ, & læsionis alicuius iuris; siquidem agimus de satisfactione iniuriæ factæ Deo per peccatum; & sic definitur satisfactio, Quòd est *Recompēsatio voluntaria æquiualentis pro æquiualenti.* Et dicitur *Voluntaria* ad distinguendum illam à satisfactione, qua quis soluit debitum etiam non volens: hæc autem propriè non vocatur satisfactio.

Vt autem recompensatio sit æquiualens, ex quo pendet, quòd sit sufficiens, attendēda sunt duo. Alterum est *Materia*, seu *Pretium* in quo fit recompensatio; alterum est *Forma iustitiæ*, seu Conditiones, vt ex rigore iustitiæ fiat; Potest ergo perfectio, & imperfectio satisfactionis distingui ex parte *Materiæ*, vel ex parte *Formæ.* Ex parte quidē *Materiæ*, perfectio, vel imperfectio attenditur penes valorem, seu adæquationem ad id pro quo fit recompensatio Et quidem si valor ipse rei, seu materiæ oblatæ adæquet ex se in recompensatione debitum, vocatur *Satisfactio perfecta.* Sicut siquis abstulit centū, & offert rem habentē pretium, seu valorem ipsorum centum, est *Satisfactio perfecta*, ex parte rei oblatæ. Si vero pretium, seu res oblata non habeat in se valorem adæquantem debitum, *Satisfactio est imperfecta*; vnde vt sit sufficiens, debet suppleri, quod deest ex acceptione, & gratia Creditoris, quatenùs illo modico pretio est contentus, reliquum remittens. Ex parte autem *Formæ*, seu modi iustitiæ attēditur etiam perfectio, vel imperfectio, si seruantur, vel non seruantur omnes conditiones requisitæ ad specialem, & propriā iustitiam, quæ non solùm attēdit valorem materiæ, sed etiam Conditiones Personarum.

Numerantur autem à Theologis præsertim Thomistis, *Capreolo, Caietano, Ferrariensi*, Alijsque extra scholam Thomistarū, *Quinque Conditiones* ad exactam, rigorosamque formam iustitiæ requisitæ. *Prima est*, Vt illa Bona, seu materia ex qua fit cōpensatio, licèt habeant valorem æquantem debitum; sint tamen *Propria ipsius Debitoris*, quia si aliena sunt, nō recompēsat. *Secunda*, Quòd non solùm sint propria quomodocumque, sed nullo modò *Sub dominio Creditoris. Tertia*, Quòd *Non sint alio titulo debita. Quarta*, Quòd intercedat vera ratio *Ad Alterum*, & sint distinctæ personæ, Creditor, & Debitor. *Quinta*, Quòd Creditor *teneatur acceptare* talem satisfactionem, ita quòd aliam non possit exigere. An verò ad hanc quintam conditionem requiratur aliquod pactum inter Creditōrem, & Debitorem, vt Creditor obligari possit ad acceptandam satisfactionem, & quomodo tale pactum, si fortè detur, non excludat veram rationem iustitiæ, disquiretur sequenti Disputatione tractando de *Satisfactione Christi.* Interim certum est, Quòd si tale pactum intercedat, non debet esse pactum fauorabile addens ex fauore Creditoris aliquid pro sufficientia, & valore recompensationis; tale enim pactū addit ex parte materiæ aliquid ad valorem, & condignitatem rei; & hoc pacto fauorabili dato destruitur vera ratio iustitiæ, & satisfactionis perfectæ, sed ad summum debet esse pactum quasi legale, id est, ad modum contractus, sicut intercedit inter Cōductorem, & Operarium, vt ex iustitia sit obligatio.

Constat ergo ex dictis Duplicem esse satisfactionem perfectam, duplicem item imperfectam. Perfecta ex parte materiæ est, quæ habet ex parte rei oblatæ valorē sufficientem, & condignitatem ad debitum: Imperfecta, quæ nō habet, sed indiget gratia Creditoris, non quomodocumque, sed supplēte valorē qui deest. Perfecta ex parte formæ vocari solet *Satisfactio ex toto rigore iustitiæ*, quæ scilicet seruat omnes cōditiones iustitiæ rigorosæ; Imperfecta ex parte formæ, quæ eas non omninò seruat, quamuis aliàs perfecta sit ex parte materiæ, & valoris in quo recompensat.

Pa-

Pater Vazquez in hac 3. Part. Tom. 1. Disput. 2. Cap. 5. num. 51. & Disput 4. Cap. 2. & Disput. 7. Cap. 5. & Disput. 8. Cap. 3. Et alijs locis dicit tria. *Primò*, Præcipuam rationem *Satisfactionis perfectæ* in eo constitui, vt sit talis, quòd non indigeat fauore, & acceptione Creditoris gratis aliquid remittentis. *Secundò*, Satisfactionem Christi pro nobis esse in genere meriti, scilicet ex eo Christum satisfeciſſe, quia perfectè meruit nobis auxilia gratiæ, & sanctificationē nostram. *Tertiò*, Conditiones requisitas ad rigorem iustitiæ dicit conducere quidem ad perfectionem satisfactionis, quæ est ex iustitia propriè dicta, qualis est Iustitia Cōmutatiua inter homines; non tamen ad perfectionem satisfactionis, quæ est ex iustitia generaliter accepta, & qualis inuenitur in ratione meriti, & præmij inter Deum, & homines. Vnde non distinguit perfectionem satisfactionis ex parte materiæ, vel ex parte formæ iustitiæ, sed distinguit duplicem iustitiam; alteram *Propriam*, alteram *Generalem*, & dicit quòd ad rigorē, & perfectionem iustitiæ proprie dictæ requiruntur illæ conditiones numeratæ: ad rigorem verò, & perfectionem iustitiæ generaliter acceptæ, dicit non requiri illas conditiones, sed sine illis inueniri rigorem, perfectionemque iustitiæ, solùm per hoc, quod absque fauore, & gratia Creditoris habeat satisfactio valorem adæquantem debitum. Sicut, v.g. vna ex conditionibus requisitis, est quòd homo ex proprijs, & non acceptis satisfaciat, & tamen ex rigore iustitiæ homo iustus meretur præmium, etiamsi ex acceptis à Deo mereatur, quia ex rigore iustitiæ generaliter acceptæ, non propriæ, & commutatiuæ quis meretur. Quam doctrinam probat *Disput. 9. cap. 4.*

Verum illud Fundamentum Vazquez, Quòd satisfactio Christi fuerit per modum meriti, non est nunc tractandum, sed reseruandum *Disput. sequenti*, vbi latiùs examinabitur; ostendemusque latam differentiā inter meritum, & satisfactionem. Nunc sufficit nobis aduertere, quòd si loquamur in præsenti de satisfactione propria, qualis est illa, quam definiuimus, quòd sit *Compensatio æquiualentis pro æquiualenti*, impossibile est, quòd extrahatur à limite iustitiæ propriæ dictæ. Si verò dicitur pertinere ad iustitiam generaliter acceptam, oportet quòd satisfactio non sit propria, sed generaliter etiam accepta.

Quod autem rigorosa, & propria satisfactio ad iustitiam propriè dictam pertinere debeat, ex eo manifestum est. Quia satisfactio ex natura propria, & essentiali ordinari debet ad bonum ipsius Creditoris, in eo in quo læsum est ius ipsius; non autem ad bonum satisfaciētis, aut aliorum, quibus meretur, aut in quorum vtilitatem cedit satisfactio, nisi per accidens, quatenus liberantur à debito, vel ab onere satisfaciendi: per se autem, & proprium obiectum satisfactionis est reparare Ius læsum Creditoris; si enim hoc non habet, extra diffinitionem est propriæ satisfactionis, & sic pertinebit ad aliam speciem, de qua in præsenti non loquimur. Reparare autem ius læsum est obiectum iustitiæ propriè dictæ; sic enim probat *S. Thom. 2. 2. Quæst. 61. art. 4.* Quòd in passionibus, & actionibus iniuriosis est iustum commutatiuum, quod vtique est iustitiæ propriè dictæ; cùm ergo Deus habeat ius proprijssimum ne offendatur ab homine, multò magis, quàm homo ne offendatur ab alio, læsio huius iuris est, læsio iustiti propriè dicti Vnde vera, & propria satisfactio ad hoc tendit, & de se petit conditiones iustitiæ propriæ dictę, nisi per accidens, ex defectu conditionum deficiat à iustitia propriè dicta, & declinet in aliam speciem, quæ sit pars potentialis iustitiæ.

Vbi Notāda sunt Aurea Verba *D. Thom. 2. 2. Quæst. 57. Art. 1. ad 3. Quòd qua iustitia æqualitatem importat, Deo autem non possumus æquiualens recompensare, inde est, quòd iustum secundùm perfectam rationem non possumus Deo reddere, & propter hoc non dicitur propriè* Ius, *lex diuina, sed* Fas, *quia videlicet sufficit Deo, vt impleamus quod possumus. Iustitia tamen ad hoc tendit, vt homo quantùm potest Deo recompenset, totaliter animam ei subijciens.* Vbi *S. Doctor* quando dicit quòd *Deo non possumus æquiualens recompensare, & ideò iustum secundùm perfectam rationem non possumus ei reddere*, apertè id, quòd remouet est iustum propriè dictum, & pertinens ad iustitiam propriè dictam. Ergo è conuerso recompensatio æquiualentis, si esset possibilis, deberet esse iustum propriè dictum. Loquimur autem in præsenti de satisfactione, prout est recompensatio æquiualentis secundùm perfectam rationem; ergo loquimur de satisfactione pertinente ad iustum propriè dictum, & non secundùm generalem rationem iustitiæ.

Et ex doctrina D. Thom in præsenti *Art. 2.* id non obscurè deducitur, vt etiam nō-

tat

tat *M.Soto in 4. Distinct.1.Quæst.5.Art.4.* Nam cum dicit satisfactionem sufficientē perfectè esse illam, quæ est condigna per quandam adæquationem ad recompensationem culpæ, non solùm loquitur de condignitate adæquante recompensationem ex parte valoris rei oblatæ; sed etiam ex parte conditionum requisitarum ad iustam recompensationem; quia si Conditiones istæ defuerint, redundat in defectum condignitatis simpliciter loquendo, siquidem si defuerint istæ conditiones ex gratia Creditoris suppleri debent, vt patet, si Creditor habeat dominium rei, quæ sibi offertur in recompensationem, aut est sibi alio titulo debita, aut ab ipso collata Debitori, vt sibi satisfaciat, non est dubium interuenire gratiam specialem Creditoris, vt contentus sit tali satisfactione, siquidem ex natura rei, non sibi fit satis per illa bona, quæ ipsemet possidet, aut donat, vt sibi satisfiat.

Quare si Vazquez ad perfectam satisfactionem exigit, quòd non egeat gratia Creditoris, vtique perfectam satisfactionem nullo modo potest admittere, nisi habeat omnes illas conditiones, quia si aliqua defuerit, ex gratia Creditoris suppleri debet, & consequenter perfecta satisfactio ex natura rei debet poni in ratione iustitiæ propriè dictæ. Quòd si non habuerit omnes illas conditiones, habuerit autem valorem ex parte rei oblatæ, non propterea erit perfecta satisfactio in alio genere iustitiæ, sed dicetur *Perfecta*, ex parte materiæ tantùm, & non ex omni parte, quòd est esse perfectam secundùm quid, sicut dicimus aliquid esse bonum ex obiecto, quòd tamē potest ex circunstantia esse malum. In quo longè differt ratio *Meriti*, à ratione *Satisfactionis*, quia ratio meriti, vt docet *S.Thom. 2.2.Quæst.21.Art.3.* dicitur in ordine ad retributionem, quæ fit secundùm iustitiā. Retributio autem propriè fit secundùm actum iustitiæ distributiuæ, & in hoc præcisè saluatur vera ratio meriti.

Ad rationem autem iustitiæ distributiuæ non attenditur, quòd aliquis operetur ex proprijs, vel ab alio acceptis, &c. sed sufficit, quòd benè operetur, nam & seruus mereri potest apud Dominum, licèt totum, quod habeat domini sit. Satisfactio autem fit secundùm recompensationem, seu restitutionem iniuriæ, vel damni illati; vnde maximè pertinet ad veram satisfactionem, quòd fiat ex proprijs, & aliàs indebitis, quia aliter non resarcit, quòd ablatum est à Creditore, nisi tantùm ex illius gratia. Et hoc ideò est, quia Meritum respicit retributionem, & sic ordinatur ad bonum merentis; Satisfactio verò recompensationē, & sic ordinatur ad bonum Creditoris; vnde in hoc per se attenditur, quòd fiat secundùm illas conditiones, nō verò in merito.

In præsenti ergo Disputatione supponimus tanquam certum, purum hominem non posse Deo pro peccatis satisfacere ex rigore propriæ iustitiæ seruando omnes illas conditiones requisitas ad veram formæ iustitiæ. Hoc supponimus contra *Aureolum in 4.Distinct.15. Artic.2. in hac noua Editione*; dixit enim hominē purū per gratiā, posse ex rigore iustitiæ satisfacere Deo pro peccato, quia potest offerre Deo actum ita intensum in charitate, sicut fuit peccatum secundùm malitiam: Et ex alia parte non debet illum actum titulo Iustitiæ, sed Religionis, aut Charitatis, vel gratitudinis; ergo potest per illum actum reddere æquale titulo iustitiæ. Nec enim esse debitum alio titulo impedit, quo minùs etiam titulo iustitiæ dari possit, nam potest Petrus soluere pecuniam debitam Paulo existenti in extrema necessitate, & tunc soluit eodem pretio debitum Iustitiæ, & Charitatis. *Cæterum* non est ventilanda Quæstio ista, sed supponenda; nam nec homo purus, vt distinguitur ab habente gratiam, & in puris naturalibus, potest de rigore iustitiæ satisfacere; nec homo purus, vt distinguitur ab habente Diuinum suppositum, licèt habeat gratiam.

Ratio est. Quia homo purus pro offensa Deo illata, non potest per propria naturalia satisfacere, siquidem quidquid naturale est in homine, debitum est Deo, titulo creationis, ita quòd etiamsi non offendisset, illa omnia naturalia Deo debebat subijcere, ideòque tanquam aliàs debita non satisfaciunt ex rigore, vt optimè aduertit *Anselmus Lib.1.Cur Deus homo, Cap.20.* Et prę-terea illa opera naturalia erant inferioris ordinis ad personam offensam, quæ infinita est, & offensa erat in ratione Finis Vltimi, & vt supernaturalis est Author, siquidem de se illud peccatum erat exclusiuum gratiæ, etiamsi de facto non excluderet, quia de facto erat in homine in statu puræ naturæ, & ad reparandum bonum naturæ per peccatum amissum. Sicut vita naturalis amissa reparari non potest per naturam. De quo videndus est *S.Thom.1.2. Quæst. 109.Artic.6.& 7.* Quare si potest homo

Deo

Deo satisfacere, debet esse per opera supernaturalia excedentia naturam totam; hæc autem non sunt propria hominis, sed ex gratia Dei ipsi donata, & sub dominio Dei contenta, magis quàm sub hominis dominio, quia totum quod ex creatura est, magis est Dei, quàm ipsius creaturæ; præsertim in his, quæ liberaliter dãtur; nec enim potest Deus abdicare à se dominiũ eius, quod donat. Igitur non potest homo purus seruare omnes conditiones iustitiæ in satisfactione offensæ diuinæ. Hoc certum est. A

Solùm ergo restat Dubium, An per operà supernaturalia possit homo satisfacere, exhibendo valorem, & pretium condignum, quantùm est ex parte materiæ, seu rei oblatæ, pro offensa facta Deo: An verò requiratur aliud altius supernaturali actu, vt possit condignitatem hanc habere? Et ad Rationem *Aureoli* patet clarè, Quòd etsi id, quod offerret homo purus Deo, esset æqualis valoris cum peccato, tamen quia offerebat illud, vt acceptum à Deo, & sub dominio Dei existens, non offerebat secundùm conditiones iustitiæ, quidquid sit an alio titulo aliarum Virtutum sint debita; sufficit enim, quòd sub dominio Dei continerentur, vt ex rigore iustitiæ non fiant. Vnde si in Satisfactione Christi non inueniremus aliquo modo actiones satisfactorias esse extra dominium Dei in ratione redditionis honoris, reuera difficilè inueniremus satisfactionem ex rigore iustitiæ Resultant ergo Tres Difficultates. *Prima*, An possit per opera supernaturalia à Gratia procedentia exhibere opera condigna pro offensa propria, vel aliena mortali? *Secunda*, Quomodo Contritio satisfaciat pro peccato in ordine ad remissionem culpæ de facto; & quod genus satisfactionis sit? *Tertia*, An saltem pro Veniali possit homo iustus condignè satisfacere? Hæ sunt principales Difficultates, ex quibus Aliæ minoris ponderis solui possunt. B C D E

ARTICVLVS II.

Vtrùm homo purus per Gratiam possit exhibere condignam Satisfactionem pro peccato mortali?

DVO *in Peccato* attendenda sunt in præsenti, quæ recompensatione indigere videmus, vnum ex parte *Damni*, alterum ex parte *Iniuriæ*. Ratio damni nihil infert Deo intrinsicè, quia nihil illi aufertur ex bonis suis, vnde damnificari, aut spoliari non potest. Causat tamen peccatum in nobis damnum, quatenùs inducit maculam priuantem rectitudine morali, & priuãtem etiam nitore gratiæ; vnde plura alia damna in potentijs animæ sequuntur, quæ enumerat *S. Thom.* 1. 2. *Quæst.* 85. Ratio autem *Iniuriæ*, non tenet se ex parte nostri, quia per peccatum iniuriam non sustinemus, cum potiùs voluntarij simus, *Peccatum enim in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium*. Sed iniuria infertur Deo, non quidem iniuria damnificatiua, sed per modum contemptus in transgressione voluntatis Dei, & læsiua iuris diuini, in quantùm non habemus ipsum pro fine vltimo, ad quod habet ius strictum, & proprium; nam habet strictum, & verum dominium; ergo strictum, & verum ius ad ista bona extrinseca hominis, & consequenter redditur offensa eius Maiestas. Hæc verò Iniuria consistit in aliqua moralitate, & denominatione, qua persona ipsa læsa dicitur, non effectiuè, & entitatiuè, sed moraliter, & secundùm æstimationem rectam. In quo differt Deus à Legislatore, & Principe creato, cuius mandata, & leges, si quis transgreditur, etiamsi Principem offendat, nõ tamen eius honorem propriè lædit, quia solùm dicitur inobediens Principi, non tamen dehonorans ipsum, & aliud est peccatum Inobedientię, aliud læsiuum honoris. In peccato mortali, non solùm est transgressio præcepti, sed & læsio diuini honoris, & iniustitia stricta.

At verò, qui peccat in Deum, non tantùm offendit ipsum in ratione inobedientiæ, sed etiam in ratione læsionis honoris, quia Deus est finis vltimus omnium actionum moralium, quòd non habet Princeps creatus, & ad hoc habet supremum ius, & supremum dominium. Vnde qui in actionibus moralibus ipsum non habet pro fine, lædit Ius ipsius. Sicut enim habet ius, vt colatur tanquam Primum Principium (& Idolatria est speciali modo dehonoratiua Dei) sic habet ius, vt sit finis vltimus omnis actionis moralis, quòd quidem læditur per peccatum mortale. Vnde de omni peccato verificatur, quòd dicit *Scriptura*, Peccatum postponere Deum creaturæ, & ideò nomine *Seruitutis, Derelictionis, & Conculcationis* Dei significatur. Isaias 43. *Seruire me fecisti in peccatis tuis; præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Ierem. 2. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem*

fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas. Et ad Hebræos 10. *Quantò putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit.* Sicut ergo, qui faceret Principem seruire, aut ipsum derelinqueret, aut conculcaret, non solùm inobediēs, sed etiam dehonoratiuus esset; sic per istas metaphoras significatur peccatum, non solùm generali quadam ratione inobedientiæ ad mandata Dei, sed etiam modo dehonoratiuo Deum offendere.

Oppositum huius tāquam sententiæ suæ Fundamentum supponit *Pater Vazquez* in præsenti *Disput.2.Cap.3.Num.22.* remittitque se ad 1.2.*Disput.223.Cap.3.* Vnde quia disputare non possumus, nisi in principijs aliquibus conueniamus, oportet cōtra ipsum tanquam certū supponere. Quòd in peccato non solùm est transgressio præcepti diuini, sed & læsio diuini honoris, & consequenter aliquid spectans ad materiam iniustitiæ, quia læsio honoris semper est iniustitia. Et præcipuum Fundamentū *Vazquez* est; Quia aliàs in quolibet peccato esset duplex malitia, & ratio peccati, altera iniustitiæ erga Deum; altera contra aliam virtutem, v.g. Actus *Intemperantiæ* esset cōtra temperantiam ex obiecto suo, & contra iustitiam, vt iniuriosus est Deo.

Et præterea; Quia Nos non tenemur ex iustitia satisfacere Deo, sed tenemur per charitatem ei reconciliari, & mediante reconciliatione ei satisfacere; ergo signum est Nos non committere per peccatum aliquā iniustitiam specialem contra Deum, siquidem ex iustitia non tenemur ei Idem etiam ostendit exemplo Principis, cui non infertur iniuria propriè, & per se loquendo, ex eo quod eius mandatum quis transgrediatur, vnde in hoc non committit iniuriam contra Principem ex iustitia resarciendam, quia nec in honore ipsum lædit, neque in bonis damnificat, nisi fortasse verbis contumelioſis in ipsum Principem insurgeret, vt si in eius conspectu diceret se nihili facere eius præceptum; hoc enim genus iniuriæ teneretur resarcire.

Caterum, vt huius Authoris æquiuocationem (in qua maximè laborat) ostendamus, Aduertendum est, Aliud esse, An offensa, & iniuria illata Deo possit habere rationem iniuriæ propriè, & strictè dictæ ex parte iuris læsi: Aliud, Quam obligationem nos habemus ad illam resarciendā ex parte nostri, & attenta conditione subiecti. Nos enim non habemus obligationem reddendi aliquid Deo debitum ex iustitia strictè dicta, sed hoc non est ex defectu ipsius debiti, & defectu iniuriæ propriè dictæ illatæ Deo, aut iuris stricti, & proprij, in ipso læsi, sed ex defectu subiecti, & magnitudine iniuriæ, quia scilicet subiectum, nō potest adæquare excellentiam eius cui debet. Vnde *S.Thom. 2.2.Quæst.80.Artic.vnico. Et Quæst.57. Artic.1.ad 3.* Debitum erga Deum non negat esse riguroſum, & strictum, sed potiùs, quia nimis excedit, non posse à nobis ei reddi æquale, propter inferioritatem nostram. Non autem diminuitur aliqua ratio iniuriæ, ex eo quòd committatur à persona non habente æqualitatem ex parte subiecti ad recompensandum debitum, sed potiùs augetur; ergo ex defectu huius æqualitatis negare proprijssimam rationem iniuriæ, & iniustitiæ ex parte iuris læsi intollerabilis sententia est. Quis enim æquis auribus audiat offensam, & iniuriam vnius hominis erga alium, veram iniuriæ rationem sortiri, ad cuius recompensationem strictè tenetur ex iustitia: Offensam autem hominis erga Deum non esse iniustitiam, neque iniuriam strictè dictam, cùm maius ius lædatur, & consequenter quantùm est ex parte iuris læsi strictiùs obligari hominem ad recompensandum, quamuis ex conditione subiecti, cui impossibile est æquale reddere ex iustitia stricta, id non possit?

Quare si velit Vazquez læsionem diuini iuris non esse iniustitiam, quia homo non potest secundum iustitiæ æqualitatem illā recompensare, hoc nihil est. Nam etsi homo ex defectu, & impossibilitate restituere aliquid non possit, non continuò læsio iuris alieni desinit esse materia iniustitiæ, quātùm est ex ea parte, & hoc est solùm, quòd Nos intendimus in præsenti, scilicet dari aliquam læsionem diuini iuris per peccatum, quam nō possit homo purus adæquare, & consequenter pro illa exigatur satisfactio Dei hominis, in quo nobis deinde cum Vazquez controuersia erit. Si autem velit ipsam offensam, seu iniuriam peccati non esse læsionem diuini iuris strictè, & propriè dicti, quæ quantùm est de se, & ex parte sua fundare debebat debitum strictum in materia iustitiæ, si ex alia parte esset æqualis redditor, in hoc nullo modo possumus ei non dissentire. Et hoc ipse videtur intendere locis allegatis, dum ex eo quòd Deus non lædatur in nobis per peccatum, infert non esse inter illum, &

nos

nos propriã rationem iustitiæ, & iniustitiæ.

In hoc ergo Contradicimus Vazquez, & Fundamentum hoc omninò falsum reputamus, valdèque diminuere grauitatẽ peccati, cuius iniuria, & offensa in Deum, ita in Scriptura exaggeratur, & per modum iniuriæ, & iniustitiæ strictè dictæ significatur. *Et hoc sic ostendo.* Quia Deus non solum se habet, vt *Legislator* ex quo correspondet ei in hominibus debitũ Obedientiæ, & quasi obseruatio iustitiæ legalis, vt eius mandata, & leges custodiantur (vt expressè dicit *S. Thom. 2. 2. Quæst. 18. Artic. 5 ad 3.* Qua ratione inquit, *Omne peccatum dicitur iniquitas*, 1. Ioann. 3. Quia exorbitat ab æquitate diuinæ regulæ, sicut etiã exponit *2. 2. Quæst. 110. Artic. 4. ad 3.* & ad *Romanos 1. Lect. 8.*) sed etiam est *Finis Vltimus* omnium actionum moralium; vnde habet strictum, & proprium ius, vt nullus ei finis, præponatur, sed ipse in omni actione finis sit. In quo valdè differt à Principe creato.

Quòd autem hoc ius, quòd habet Deus, vt sit finis vltimus omnium actionum sit strictum, & proprijssimum, patet. Quia habet verum, & supremum Dominium honoris, & dignitatis suæ seruandæ erga homines, & creaturas intellectuales, non minùs, quàm homines habent dominium honoris, & famæ suæ: quia licèt fama, & honor sit subiectiuè in honorante, fundamentum tamen, & excellentia est in honorato, ratione cuius ipse habet possessionem, & dominium famæ, & ius ne lædatur ab aliquo, ita quod tale ius, & tale dominium sufficit ad constituendam rationem iniustitiæ strictè, & propriè dictæ si lædatur. Ergo similiter habet Deus strictum ius ad similia bona honoris, ita quod læsio eius sit læsio stricti iuris, & strictam rationem iniuriæ constituens. Honor autẽ supremus Dei est, quod sit finis vltimus in omni actione morali; ergo amotio, vel læsio huius honoris, est læsio iuris strictè dicti.

Et quia Vazquez gloriatur nullum testimonium *Doctoris Sancti*, contra ipsum afferri posse in dicta *Disputatione 223. Cap. 2.* Aduertite expressisse *D. Thom.* hunc eumdẽ discursum in *Quæst. 28 de Veritate, Art. 2.* Cuius verba sunt: *Quicumque rem aliquam digniorem indigniori postponat, iniuriam ei facit; & tanto amplius, quanto res est dignior. Quicumque autem in re temporali finem sibi constituat, quod facit omnis moraliter peccans, ex hoc ipso quantum ad affectum suum præponit creaturam Creatori diligens plus creaturã, quã Creatorẽ. Finis enim est, qui maximè diligitur. Cũ ergo Deus in infinitũ creatura excedat, erit peccantis mortaliter cõtrà Deũ infinita offensa ex parte dignitatis eius, cui per peccatũ quod ?modo iniuria fit, dum ipse Deus contemnitur, & eius præceptum.*

Vbi Sanctus Doctor Iniuriam factam Deo per peccatum reducit ad contemptum, seu inhonorationem Dei, quatenus est finis vltimus, & quia nõ solum contemnitur præceptum, seu etiam Deus. Ergo *Sanctus Doctor* sentit, quòd iniuria facta Deo, non solùm fundatur in transgressione præcepti, & in eo, quòd posponit Deum, vt finem vltimum creaturæ, sed ex dignitate finis vltimi habet Deus ius proprijssimum, & strictissimum, vt nulli creaturæ postponatur. Ergo peccatum secundùm quòd facit hanc postpositionem est læsiuum iuris strictè dicti, & quantùm est ex hac parte peccatum iniustitiam propriè dictam fundat, non minus, quàm si homini lædatur ius proprium in honore, vnde in *scriptura* significatur peccatum per modum Iniuriæ læsiuæ diuini honoris, quòd significatur nomine *Seruitutis*, & *Derelectionis*, & *Conculcationis* Dei, quæ sunt nomina lædentia ius proprium, & honorem Dei.

Dices. Si Deus habet tam strictum, & proprium ius ad honorem suum; ergo sequitur, quod ad reddendum ei debitum honorem non sufficit Religio, sed requiritur aliqua iustitia propriè dicta: vnde consequenter solus Christus posset reddere Deo debitum cultum. *Sequela patet.* Quia Deus habet ius tale, vt colatur, quòd adæquari non potest ab homine; ergo vt hoc debitum adæquetur, non sufficit Religio, quæ est in homine puro, & consequenter requiritur, quòd adæquaretur à Christo. *Resp.* Ita verum esse, quod Religio non potest ad æqualitatem explere totum debitum, quòd debemus Deo; & ideo est pars potentialis iustitiæ, quia licèt non deficiat à ratione debiti; deficit tamen à redditione æqualis, vt dicit *S. Thom. 2. 2. Quæst. 80. Articul. vnico.* Cæterum Christus Dominus non debuit venire ad implendum istam æqualitatem Religionis, sed ad recompensandam æqualitatem iniuriæ, quia debitum Religionis est inferioris ad superiorem; vnde non expletur, aut adæquatur per hoc, quòd æqualis persona subijciatur alteri, seu reddat hoc debitum, sed extrahitur ad aliud genus debiti. At verò iniuria facta superiori ab inferiori non resarcitur per hoc, quòd inferior supe-

superiori subijciatur (hoc enim semper erat ei debitū) sed per hoc, quòd persona æqualis ei honorem deferat, & subiectionem, assumendo in se vices hominis inferioris. Nec per hoc negamus Christum habuisse virtutem Religionis, qua Deo cultum redderet per modum inferioris, sicut habuit Obedientiam; sed Dicimus quòd non fuit necesse ad hoc subijcere Deo Personam diuinam, sed quòd persona diuina Incarnata subijceret Deo ea, quæ hominis erant, & dependebant à Deo, vt à Primo Principio Creante.

Ad fundamentum Vazquez Resp. Ad 1. Quòd læsio Iuris diuini, quæ intercedit in omni peccato, non constituit speciem iniustitiæ particularis in quolibet peccato ex defectu conditionis subiecti peccantis, non ex defectu proprij iuris, quòd læditur in Deo; eadem enim ratio est ponendi ex parte Dei verum iustum, & verum, ac propriū ius. Constat autem ex *D. Thom.* Iustum in Deo non dici ius solùm ex defectu nostro, quia non possumus ipsi æquialens reddere, non quia ex parte Dei non sit sufficiens fundamentum huius proprij, & stricti iuris, vt notari potest 2.2. *Quæst.* 57. *Articul.* 1. *ad* 3. in illis verbis: *Quia iustitia æqualitatem importat, Deo autem non possumus æquiualens reddere, vel recompensare; inde est, quòd iustum secundùm perfectam rationem non possumus reddere Deo, & propter hoc non dicitur propriè* Ius, *lex diuina, sed* Fas. Notentur omnes Causales D. Thomæ: *Quia non possumus æquiualens recompensare, inde est, quòd iustum, &c.* Et *Propter hoc non dicitur propriè ius lex diuina,* & Tota ergo ratio quare legis diuinæ transgressio non est propriè contra Ius, est, *quia non possumus æquiualens recompensare Deo,* & ideò ad defectum conditionis requisitæ ex parte subiecti reducit *S. Thom.* quòd deficiat ius propriè dictum inter Deum, & homines.

Ex qua doctrina patet manifestè ad Fundamentum *Vazquez*, Quòd in quolibet peccato est transgressio legis, & mandati diuini, non tamen est species *Iniustitiæ* propriè dictæ, eo modo, quo neque est *Ius* propriè dictum, scilicet non ex defectu eius, quòd requiritur ad ius ex parte Dei, sed ex eo, quòd requiritur ex parte nostra, scilicet ex defectu æqualitatis: quia cùm iustitia sit inter duos, defectus ex parte vnius, sufficit ad tollendam rationem iustitiæ propriè dictæ, & consequenter ad tollendam etiam rationem iniustitiæ propriè dictæ, & consequenter non habet quodlibet peccatum speciem iustitiæ, non tamen tollitur, quòd lædatur Supremum Ius ex parte Dei, quòd est strictissimum, & proprijssimum quantùm est ex parte Dei, deficit tamen ex parte nostra.

Ad 2. *Dicitur* Quòd probat id, quod Diximus obligationem iustitiæ propriè dictæ non dari in nobis ex defectu impossibilitatis subiecti, non ex defectu iuris, vt tenet se ex parte Dei, quòd nullo modo minuit, sed auget rationem iniurię propriè dictæ. *Ad* 3. *Resp.* Exemplum allatum de Principe creato non tenere, quia Princeps est purè legislator, non autem finis vltimus actionum humanarum, & ideò transgressio mandati eius est purè contra obedientiam, aut iustitiam legalem, non contra honorem debitum.

Hoc iacto Fundamento, non erit difficile intelligere sententiam, & resolutionem huius Difficultatis; in duobus enim principijs hucusque explicatis pendet Varietas Sententiarum, & Difficultas, quæ in hac parte contingit. Nam Aliqui confundunt æqualitatem satisfactionis ex parte pretij, seu valoris cum æqualitate ex parte Conditionum requisitarum ad rigorem iustitię. Alij confundunt valorem gratiæ ad resarciendum damnum, quòd intulit in honore peccatum, cum valore ad recompensandum iniuriam. Et in ipsa gratia oportet distinguere valorem gratiæ actualis, à valore gratiæ habitualis, quatenùs honorem reddit emundatum in se, & purum per effectū formalem physicum, & id, quòd habet, quatenus reddit acceptum, & reconciliatum Deo, qui est effectus quasi moralis, & remissioni diuinæ correspondens.

In hac ergo Parte inuenio Tres sententias. *Prima est*, Quòd per Opera Gratiæ, & Charitatis potest hõmo reddere Deo æquialens, & ad æquatum pretium satisfactionis, quantùm est ex parte ipsius charitatis solùm, quia ex proprijs viribus non habetur, sed ex misericordia Dei redditur illa satisfactio, non perfecta, sed ex acceptione Creditoris. Pro hac sententia citatur communiter *Caietanus* super hunc *Articulum* 2. De cuius tamen Mente postea Dicemus. Illam tamen significat *Scotus in* 4. *Distinct.* 15. *Quæstion.* 1. *circa* 2. *Quæsitum.* Et pro eadem Opinione stat *Sotus in* 4. non vt communiter citatur *Distinct.* 15. & *Distinct.* 19. *Quæstion.* 1. *Artic.* 2. §. *Duplex ergo. Nazarius*, 3. *Part. Quæst.* 1. *Artic.* 2.

Con-

Controuers. 4. tribuitur etiam *Palud.* & Alijs Quos non Vidi.

Proponuntur Argumenta Primæ Sententiæ.

HÆC *Sententia* habet duplex præcipuum Fundamentum, vnde præcipua Argumenta ortum habent ex illisque difficultatem sortiuntur. Alterum tenet se ex parte *Peccati*; alterum ex parte *Ipsius Gratiæ*, seu actuum ab illa procedentium. Ex parte *Peccati* probatur peccatum non habere infinitatem simpliciter, sed ad summū secundùm quid, & consequenter esse adæquabile ab actu non infinito simpliciter, sed secundùm quid. Quòd ergo peccatum nō sit infinitum simpliciter, probatur. Quia peccata etiam in ratione offensę non sunt paria, sed inæqualia; ergo nullum eorum est infinitum simpliciter. *Consequentia patet.* Quia infinitum *Simpliciter* est, cui non potest fieri additio simpliciter; & infinitum *In aliquo genere* est, cui non potest fieri additio in illo genere, aliàs si fieret in eo, in quo fieret additio, non erat infinitum, siquidem aliquid ei deerat. Vbi autem est inæqualitas, vnum est maius alio; ergo vnum habet additionem, & excessum ad alterum, & consequenter illud minus, & inferius nō est infinitum in genere peccati. *Antecedens autē* certum est de Fide, Tum ex illo Ioann. 19. *Qui me tradidit tibi maius peccatum habet*; Tum ex eo quòd pœnæ peccatorum sunt inæquales. Apocalip. 18. *Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentorum, & luctus.* Matth. 10. & 11. *Dico vobis, quòd terræ Sodomorū remissius erit in die iudicij, quàm tibi.* Tum ex his, quæ docet *D. Thom.* 1. 2. *Quæst.* 73. *Art.* 2. Ostendens non omnia peccata esse paria.

Nec dici potest omnia esse paria in ratione offensæ, licèt non in ratione malitiæ, & moralitatis. *Tum, quia* Pœna correspondet peccato, vt offensiuū est diuinæ maiestatis, quia vt offensiuum est, debet esse punibile; vnde *Isai.* 3. dicitur: *Lingua eorum, & adinuentiones eorum contra dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Væ animæ eorū quoniam reddita sunt eis mala.* Et infra: *Væ impio in malū, retributio enim manuum eius fiet ei.* Ergo prouocationi diuinæ maiestatis, quę est ratio offensæ, correspōdet redditio mali, seu pœnæ; pœna autem inæqualis est; ergo offensa in ratione offensę. *Tū etiā.* Quia ex malitia, vt est contraria regulæ rationis, sequitur ratio offensæ, quia enim lex, quæ est regula actionū humanarū, contēnitur, & finis vltimus derelinquitur, offenditur Deus & in quātū legislator, & in quātū dignitatē habet finis vltimi; ergo si malitia moralitatis est inæqualis, quę consistit in contrarietate ad istam regulam, etiam & offensa inæqualis est in ratione offensæ.

Secundo arguitur ex Parte Peccati. Nam tota ratio offensę, si qua est in peccato, pertinet ad auersionem à Deo, seu consistit in hoc, quòd Deo displiceat peccatū; sed hæc est infinita secundùm quid solùm, & finita simpliciter; ergo est recōpensabilis per actū simpliciter finitū in genere morali, & solùm secundū quid infinitum. *Minor patet.* Nam auersio à Deo sequitur ipsam cōuersionem ad bonū temporale. Tum, quia tātum quis auertitur à Deo, quantū cōuertitur ad creaturam; conuertitur autem ad creaturam finito modo; ergo finito modo auertitur à Deo. *Tum, quia* Auersio, cū sit priuatio quædam, in tantum censenda est finita, vel infinita, in quantum priuat aliquo finito, vel infinito: non est autem auersio priuatio formæ infinitæ, quia forma, qua priuat, non est Deus, sed rectitudo moralis, vel gratia; Deo autem non priuat, nisi vt fine, vel obiecto, non tanquā forma, non enim Deus informat animā in qua ponitur illa priuatio, sed est finis, quo tēdit anima: ergo est priuatio formæ finitæ; ergo ipsa auersio est finita. Similiter displicētia, quā habet Deus de peccato, nōest displicentia infinita. *Tum, Quia* potest crescere ista displicētia; magis enim de vno peccato ei displicet, quam de alio. *Tum, Quia* bonitas moralis, quā tollit peccatū, non placet Deo infinitè; ergo nec malitia moralis ei opposita infinitè displicet.

Tertio Arguitur. Peccatum nullo modo est lætiuum diuini honoris in se, sed solū habet rationem contemptus Dei, prout in suo præcepto, per cuius transgressionem contemnitur; ergo non induit rationē infinitæ offensæ erga Deū. *Consequentia patet.* Quia non potest habere rationem infinitæ iniuriæ, nisi quatenus lædit infinitum ius, & honorem infinitum: ex hoc autem solùm, quòd transgreditur præceptum, non lædit ius, neque honorem, sed solùm inobediens est, non dehonoratiuus; ergo non facit infinitam offensam. *Antecedens autem constat.* Tum, quia nihil detrimenti accipit Deus ex peccato, etiā in honore proprio, vt est in Deo; vt autem est in homine honorante Deum, est aliquid parui momenti, & quid finitum, quia homo finito modo

honorat Deum ; ergo honor prout in honorante quid finitu est. *Tũ, quia* si læderetur Deus in honore, deberet peccatum recompensari per Cultum, & honorem Deo exhibitum, non autem per Contritionem, & Pœnitentiam; sicut quando homo læditur in honore per honorationem contrariam ei satis fit. *Et confirmatur,* Quia peccatũ non offendit Deum modo infinito, sicut offenderet Deus infinitus, si per impossibile daretur; ergo.

Quarto Arguitur ex secundo Capite, nempè *ex Parte gratiæ*, in cuius valore debet fieri satisfactio. Nam gratia potest dare actui satisfactorio valorem adæquantem grauitatem iniuriæ; ergo, &c. *Antecedens Probatur*, Nam grauitas iniuriæ solùm habet infinitatem secundùm quid, ex parte personæ offensæ, aliàs non posset illa grauitas crescere, aut minui in ratione iniuriæ, vt *Dicebamus*. Sed etiam Gratia , & Charitas habent infinitatem secundùm quid, quatenus tangunt Deum , vt obiectum proprium in se ipso, qui est infinitus, licèt modo finito ; ergo adæquat valor procedens ex gratia grauitatem offensæ peccati. *Confirmatur.* Quia peccatum habet infinitatem ex quadam denominatione extrinseca ipsius personæ offensæ, non autem ex aliquo intrinseco influxu illi impresso; at verò actus procedens à gratia, ex ipsa gratia participat influxum tendendi ad Deum , vt ad finem dignificantem ipsam satisfactionem in ordine supernaturali, & diuino; ergo habet potiori iure infinitatem secundùm quid compensatiuam grauitatis peccati.

Quinto, non minus placet Deo actus procedens ex gratia, quam displicuit actus peccati destruens ipsam gratiam ; ergo ad æqualitatem compensat gratia peccati malitiam, & offensam. *Consequentia patet.* Quia in tantum peccatum offendit Deum, in quantum reddit hominem inuisum, & displicentem Deo; ergo si compensat hanc displicentiam ad æqualitatem, compensat malitiam, & offensam peccati. *Antecedens verò probatur.* Quia gratia semel posita in subiecto, & actus ab illa procedens reddunt hominem intrinsicè renouatum, iustum, & sanctum : alioquin si formaliter, & intrinsicè non redderetur homo gratus, & iustus, indigeret aliquo extrinseco fauore, quo iustus fieret, & sic iustificatio nostra consisteret in aliquo extrinseco, & non in aliqua iustitia intra nos recepta, contra Cõ-

A *cilium Tridentinum, Sess. 6. Cap. 7. & Canon.* 11. Sed facta interiori renouatione per gratiam, ille homo non potest amplius esse inuisus, & displicens Deo ; ergo tota displicentia ex peccato contracta tollitur ad æqualitatem per gratiam, & ita intrinsicè, quòd nullo fauore extrinseco indiget, vt tollatur.

Sexto solet fieri Argumentum. Quia potest homo purus recipere à Deo tantam plenitudinem gratiæ, quòd possit illam deriuare ad alios ministerialiter, & esse Caput B gratiæ, sicut Christus fuit. Vnde *Sanctus Doctor* concedit infra *Quæst. 64. Artic. 4.* Quòd Christus potuit communicare alicui homini potestatem excellentiæ ad instituenda Sacramenta , & ad influendum gratiam in alios; ergo tunc talis homo posset mereri alijs de condigno gratiam , & gloriam, & auxilia diuina, quibus à peccato resurgerent ; ergo & satisfacere pro eis ad æqualitatem. *Patet Vltima Consequentia.* C Quia impossibile est mereri gratiam de cõdigno, quin mereatur de condigno abolitionem peccati ; ergo offert condignum valorem pro offensa, & peccato abolendo; ergo & æqualem satisfactionem, quantum est ex parte pretij, & valoris.

Vltimo faciunt difficultatem in hac parte quædam loca *Sancti Thomæ*. Nam in 4. *Distinct. 15. Quæst. 1. Art. 2. solutione ad* 1. dicit duo. Primum , Quòd *Sicut offensa habuit quamdam infinitatem ex infinitate* D *diuinæ Maiestatis, ita & satisfactio accipit quamdam infinitatem ex infinitate diuinæ Misericordiæ, prout est gratia informata, per quam acceptum redditur, quod homo reddere potest.* Secundum est: Quòd *Aliqui dicebant, quòd peccatum quantum ad auersionem satisfieri potest virtute meriti Christi, quòd quodammodo infinitum fuit*, sed *hoc* (inquit Diuus Thom.) *in idem reddit, quòd prius dictum est, quia per fidem Mediatoris gratia data est credentibus, si tamen alio mo-* E *do gratiam daret, sufficeret satisfactio per modum prædictum.*

Vbi clarè habetur, Quòd Gratia præstat infinitatem quamdam, sicut peccatum habebat ex offensa diuinæ Maiestatis, & quod virtute meriti Christi , non amplius habet homo ad satisfaciendum, quam gratiam, ita quòd si aliunde eam haberet , eodem modo satisfaceret, sed virtute meriti Christi præbet homo satisfactionem sufficientem; ergo etiam ex gratia, etsi aliunde haberetur, quàm per Christum. Et idem dicit *S. Thom.*

Thom.in 4.ad Annib.Distinct.15.Quæst.1. Art.1.Alij (inquit) *dicunt,quòd quantum ad auersionem satisfieri potest pro peccato virtute meriti Christi;sed contra hoc est,quod etiamsi meritum Christi non interuenisset,& alio modo daretur homini gratia, posset vtique satisfacere.* Et in 3.*Distinct.20. Quæst. 1.Art.2.ad 1.*ait: *Quòd in statu innocentiæ posset homo ad æqualitatem satisfacere* Et in 3.*ad Annib.Distinct.20. Quæst.Vnic. Art. 1.ad 1.*Quòd ibi videri potest.

Secunda Sententia Vazquez.

SEcunda *Sententia est Patris Vazquez* in præsenti *Disput.2.Cap.5.* Qui censet cum Præcedenti SententiaContritionem, vt informatam gratia, esse de se sufficientem satisfactionem pro peccato, quantum ad iniuriam offensæ,& malitiam,quam habet. Cæterum aliunde esse insufficientem, quia non potest omne debitum peccati exhaurire, nam secundùm *Sanctorum Patrum* Sententiam, præsertim *Sancti Celestini Papæ,Prosperi,& Fulgentij*,per peccatum primi Parētis omnes perdidimus sanctam cogitationem,& cōtraximus debitum perpetuò carendi illa: vnde non solū perdidimus per peccatum gratiam sanctificantem, qua constituimur in amicitia Dei, sed etiā omnem gratiam excitantem, qua moueri possumus,& inchoare motum tendendi ad iustificationē. Quare cùm cōtritio, seu opus charitatis nō possit in nobis procedere,nisi ab aliquo auxilio excitante, & sancta cogitatione,necessariò supponit datum tale auxilium ante omnem satisfactionem, & meritum;nec potest pro illa obtinenda cōtritionem,seu satisfactionem offerre; ergo nō potest contritio,& satisfactio nostra, etiam ex gratia procedens,omne debitum peccati exhaurire, videlicet debitum carēdi gratia excitante; & consequenter non potest esse sufficiens,& æqualis satisfactio. E contra vero satisfactio Christi, qua meruit nobis primam gratiam, & auxilia, & obtulit Deo condignum pretium pro illis obtinēdis,& pro remissione peccatorum, & gratia,fuit perfectissima satisfactio,vtpote omne debitum peccati absoluens.

Sed quia poterat fieri à *Vazquez* Argumentum de homine puro, qui non mereretur remissionem proprij peccati, sed alterius hominis;tunc enim non videtur currere ratio facta, quia etsi nullus possit sibi mereri gratiam primam, & pro debito illo carendi gratia excitante satisfacere,non tamen ostenditur, quòd non possit mereri alteri primam gratiam, & satisfacere pro peccato alterius, etiam quantum ad hoc debitum, præsertim si puro homini communicaretur gratia Capitis, citra vnionem ad Personam diuinam.

Huic difficultati aliunde occurrit *Vazquez Disput.4.Cap.5.* & se torquet in reddenda sufficienti ratione;in Summa autem dicit duo. *Alterum est*, Quòd homo purus non potest mereri alteri primam gratiam, & auxilia ad resurgendum à peccato, nisi per gratiam, vel adoptionis, vel vnionis. Gratia *Vnionis* est ipsa Incarnatio,& sic nō manet homo purus. Gratia autem *Adoptionis* quantumcumque intensa, non potest alteri mereri primam gratiam condignè, quia est eiusdem speciei cum nostra gratia, quæ solùm determinata est ad merendum vitam æternā. *Alterum est*, Quòd neque ex pacto aliquo Dei,neque ex aliqua perfectione intensiua gratiæ potest fieri gratia Capitis, vt mereretur alteri primam gratiam. Non ex pacto, Quia est hoc extrinsecum, & non mutat naturas rerum, neque dat valorem condignum actui, non habenti illum ex se, sed solùm esset satisfactio ex acceptione. Non ex augmento perfectionis, Quia quantumcumque crescat gratia, non mutat speciem; ex sua autem specie solùm est determinata, vt sit meritū condignum gloriæ; ergo non potest esse meritum condignum primæ gratiæ respectu alterius. Quare negat *Vazquez*, quòd gratia possit mereri alteri primam gratiā, quia non meretur gratia alteri, sed sibi, & sibi non potest mereri omne debitum peccati, quia saltem primam gratiam mereri non potest, & ita claudicat ex hac parte satisfactio puri hominis.

Tertia Sententia Sanct.Thom.

TErtia *Sententia est Sancti Thomæ*, & communiter *Thomistarum*, Quòd satisfactio puri hominis, non potest esse ad æqualitatem pro offensa,etiam propria,sed exigi ad id satisfactionem Dei hominis,qui non solùm erit æqualis, sed etiam superabundans,vnde simpliciter æqualis reperiri nō potest.Et quod attinet ad *D.Thom.*licèt ipse varijs locis, varias assignauerit rationes, cur purus homo non posset ad æqualitatem satisfacere; videtur tamen omnes collegisse, & expressisse *in* 3. *Sentent.*

Distinct.20.Quæst.1.Artic.2. Inquit ergo Diuus Thomas, *Ad hoc vt satisfactio esset condigna, opportebat quòd haberet virtutem infinitam, quia peccatum pro quo fiebat, habebat infinitatem quamdam ex tribus. Primò, ex infinitate Maiestatis diuinæ, in quantum offensa fuerat per contemptum inobedientiæ; quantò enim maior est, in quem peccatur, tantò est grauior culpa. Secundò ex Bono, quòd per peccatum auferebatur, quòd est infinitum, scilicet ipse Deus, cuius participatione fiunt homines Beati.* (vide infinitatem ex parte vltimi finis derelicti) *Tertiò, ex ipsa natura; quæ corrupta erat, quæ quidem infinitatem quandam habet, in quantum in ea possunt supposita in infinitum multiplicari; actio autem puræ creaturæ, non potest habere infinitam efficaciam, & ideò nulla pura creatura poterat sufficienter satisfactionem facere.* Et Artic. 4. inquit: *Quòd ex parte Dei fuit alius modus possibilis nostræ liberationis, quia eius potentia limitata non est, quem si elegisset, conuenientissimus fuisset; non tamen habuisset rationem Redemptionis, sed Liberationis tantùm, quia liberatio non fuisset facta per solutionem pretij.*

Sentit ergo *D.Thomas*, Quòd etiam ex parte solutionis pretij, & valoris rei oblatæ, non est sufficiens alius modus satisfactionis nisi per Christum. Et in 3.ad Annibaldum, Distinct.20. Artic.3. *Non potuit genus humanum aliter redimi, nisi per Incarnationem, & passionem alicuius personæ diuinæ.* Et in hac Quæstione, Artic. 2. ad 2. Non minus id expressit faciens illam consequentiam: *Peccatum contra Deum commissum quamdam infinitatem habet ex infinitate diuinæ maiestatis; tantò enim offensa est maior, quantò maior est ille, in quem delinquitur. Vnde oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, vtpotè Dei, & hominis existens.* In qua Consequentia loquitur *Sanctus Doctor* de satisfactione condigna, nō de conditionibus requisitis ad rigorem iustitiæ, & pro illa condignitate requirit efficaciam infinitam, & hāc explicat, quòd sit Dei, & hominis; ergo omnis alia efficacia infinita ex parte obiecti, vel aliunde sumpta, quàm ex parte Dei, & hominis, non est condigna. Hæc sententia communiter etiam inter Thomistas recipitur. Videatur *Magister Medina* in præsenti super istum *Art.2. Magister Cabrera, Disput.12. Suarez Disp.4.Sectione 9. Lorca in præsenti Art.2. Disput.4. Albarez Disp.6. & Alij Multi.*

Totum autem Fundamentum huius sententiæ consistit in hoc, vt explicemus quænam sit illa quædam infinitas, quam peccatum habet ex infinitate diuinæ maiestatis, quam *D Thom.* in singulari non explicat in hoc articulo. Possumus enim varijs modis hanc infinitatem considerare, scilicet, An sit simpliciter infinita, nō quidem simpliciter in genere entis (de hoc enim Nullus dubitat) sed infinita simpliciter in genere iniuriæ, & æstimationis personæ offensæ. An verò solùm sit secundùm quid? Item An sit infinitas intrinsicè conueniens peccato, an solùm per denominationem extrinsecam? An proueniat ex obiecto, ad quod tendit peccatum, & à quo specificatur, an ex auersione, seu priuatione, quam importat; vel ex quo alio principio desumat hanc infinitatem: & quomodo stat malitiam peccati esse finitam, iniuriam verò infinitam? Hæc omnia longam postulabāt Disputationem, si sigillatim discutienda essent. Cæterum, quia in hoc loco non tractamus de peccatis, eorumque quidditate, sed de satisfactione pro eorum iniuria, & læsione requisita in ordine ad Deum, ideò breuiter hæc explicanda sunt.

Probabiliter Peccatum dicitur infinitum simpliciter.

Dico ergo infinitatem peccati esse infinitatem in ratione iniuriæ, (& potest probabiliter defendi, quòd sit infinitas secundùm quid tantùm; & potest etiam dici, quòd sit appellandum simpliciter infinitū) quæ quidem non est simpliciter infinita, si ly *Simpliciter* sumatur pro eo quod omnibus modis est tale; cōstat enim, quòd etiam in ratione iniuriæ potest multis, ac diuersis modis attingere diuinam maiestatem, & consequenter quodlibet peccatum nō omnibus modis, nec summo modo est iniuria. Si autē ly *Simpliciter* sumatur, pro eo quod est absolutè, & sine addito, aut diminutione tale, sic peccatum potest dici simpliciter infinitum in ratione iniuriæ, eo quod simpliciter attingit infinitā maiestatē, non quidem ex parte obiecti ad quod peccatum conuertitur, sed ex parte auersionis, vt tangit personam, à qua fit auersio.

Pro huius declaratione est notanda duplex doctrina *S Thomæ*. Prima est, 3.*Part. Quæst.* 50. *Artic.* 5. Quòd ly *Simpliciter* tale, potest dici duobus modis: *Vno modo*

do secundùm quòd simpliciter est idem, quòd absolutè, sicut simpliciter dicitur, quòd nullo addito est tale. Alio modo simpliciter tale, est idem quod omninò, vel totaliter tale. Secunda est 1.2. *Quæst.*73. *Artic.*1. Quòd *Persona in quam peccatur, est quodammodo obiectum peccati; gravitas autem peccati attenditur ex parte obiecti, ex quo quidem tantò attenditur maior gravitas in peccato, quanto obiectum eius est principalior finis.* Vbi *Sanctus Doctor* Personam offensam nō ponit esse simpliciter obiectum, sed quòdammodo, id est, quia induit modum obiecti, quatenus ex illo aggrauatur iniuria peccati in ratione iniuriæ; quia cum omnis iniuria sit læsiua alicuius iuris, & ius semper est in personis; oportet, quòd ipsa persona, cuius ius læditur, attendatur quodammodo, vt obiectum peccati, in quantum est læsiuum iuris. Et quanto persona aliqua est dignior, tantò crescit ipsum ius, quod habet, ne contemnatur, & dehonoretur, siue dehonoratio ista sit cōsecuta, sicut in omni peccato consequitur ex auersione; siue sit intēta, sicut in peccatis specialibus, vt blasphemiæ, indignæ tractationis rerum diuinarum, in quibus Deus specialiter dehonoratur dehonoratione intenta, & non solùm consequuta.

Dicimus ergo, Quòd cum ius diuinum, vt honoretur à creaturis rationalibus sit fundatum in suprema eius maiestate, & dignitate, iniuria attingens hoc ius pertinet ad ordinem infinitè superantem omnem dignitatem creatam, & non solùm superantem, sed etiam lædentem omnes dignitates creatas, ex eo quod lædit ius diuinum. Et ex hac parte habet sufficientem rationem, vt in genere iniuriæ dicatur simpliciter, & absolutè, id est, sine addito iniuria infinita, quia lædit infinitam maiestatem tali modo, quòd sufficit ad lædendum omnem multitudinem creaturarum, & consequenter dignitatem creaturarum, non tamen lædit ipsam maiestatem Dei omni modo, quo iniuriabilis est, & ex parte hac deficit ab infinitate simpliciter, prout ly *Simpliciter* est idem quod omnibus modis tale.

In hoc Discursu solū restat probare, quòd ille, qui lædit diuinam maiestatem per iniuriam, ex hoc solùm, quòd diuinam maiestatem lædat, attingat omnem multitudinem creaturarum, ita quòd ratione huius crescat illa iniuria infinitè simpliciter. Hoc autem probatur ex singulari doctrina *Sancti Thomæ* 2.2. *Quæst.*65. *Artic.*4. Vbi inquit, *Quòd quanto aliqua iniuria in plures redundat, cæteris paribus, tantò grauius est peccatum, & inde est, quòd grauius est peccatum si quis percutiat Principem, quam priuatam personam, quia redundat in iniuriā totius multitudinis.* Sic Sanctus Thomas, vnde sumitur Argumentum, & confirmatio præfatæ doctrinæ. Nam iniuria facta Principi, ex eo est grauior, quàm iniuria facta homini priuato, quia iniuria Principis redundat in iniuriam totius multitudinis. Princeps siquidem est Caput totius multitudinis, & consequenter Summum totius multitudinis, atque adeò eo læso læditur tota multitudo. Cum ergo Deus sit Princeps omnium creaturarum in infinitū omnes excedens, qui iniuriam infert Deo, redundat eius iniuria in totam multitudinem creaturarum, etiamsi omnes possibiles essent productæ per impossibile; omnes enim quātùm est de se sufficiens, est peccatum iniuriare, & consequenter induit infinitatem iniuriæ simpliciter, quia attingit infinitas creaturas iniuriando, licèt modus iniuriæ ex parte iniuriantis, & in modo lædendi Deum in præceptis suis, & displicendi ipsi possit crescere magis, vel minus, secundum quòd iniurians maiori Conatu peccat, aut circa maius obiectum, seu præceptum.

Dices: Similiter Charitas attingit bonitatem diuinam, vt est in se infinita, & Religio colit dignitatem infinitam primi principij, & tamen, quia modo finito attingunt, non dicuntur simpliciter infinitę, sed secundùm quid; ergo etiam peccatum ex eo quòd offendat Dei maiestatem infinitam, solùm habet infinitatem secundum quid, non autem simpliciter, cum in modo attingendi finitatem habeat. Similiter Charitas ad infinitas creaturas extendi potest, quia diligendo Deum, potest charitas diligere infinitas creaturas propter Deum; ergo in hoc pari passu currit cum infinitate iniuriæ peccati: atque adeò, sicut charitas non potest dici infinita simpliciter, ex eo quòd obiectum infinitum attingit, sic neque peccatum dicetur iniuria simpliciter infinita, sed solùm secundum quid.

Sed Contra est, & explicatur amplius Doctrina tradita, vt clarè videatur differentia inter virtutes attingentes Deum in se, & peccatum dehonorans Deum in se. Nam virtutes, quæ tendunt in Deum, etsi attingant bonitatem eius, aut intelligibilitatem,

vel etiam infinitatem, vt in Deo est, vt tamen se accommodat finitæ capacitati, & modo creaturæ, & non vt in omni sua infinitate assequibilis est, aut ad infinita participabilis. Cæterum peccatum cum non tendat in Deum, sed deserat, & contemnat illum, nō deserit ipsum, prout se accommodat capacitati istius creaturæ, aut illius, sed absolutè totam maiestatem Dei posponit creaturæ, & ita differendo attingit infinitatem eius, quia attingit il.ā, vt caput est omnis multitudinis creaturarū, & consequenter, vt infinitè participabilis, taliter quod ipsa dehonoratio peccati, ita infinitatē Dei attingit, quòd redundat in multitudinem infinitam creaturarum, atque adeò ex hac parte superat modum infinitatis virtutum Theologalium, aut gratiæ, secundùm valorem, æstimationemque in genere iniuriæ. Neque est similis extensio charitatis ad infinitas creaturas amandas, quia charitas solùm habet motiuum amandi infinitas creaturas, quia propter Deum potest amare omnia referibilia in Deum, sicut Fides potest credere infinita credibilia ex authoritate diuina.

Cæterum hæc infinitas est sincathegorimatica, quia scilicet potest non tot amare, quin plura, nec tot diligere, quin plura, non tamen vnico actu amat infinita, aut credit infinita. Peccatum autem dehonorando Deum, ita dehonorat vt infinitum, quod redundat iniuria in infinitam multitudinem. Sed est in hoc differentia alia notanda inter peccatum, & amorem Dei, seu Visionem Beatificam, quod cum Visio sit tendentia positiua ad infinitum obiectum, si semel ita tenderet, quòd redundaret visio in infinita obiecta, simpliciter esset omnibus modis infinita, & comprehensiua Dei, quia non posset ad infinita deriuari, nisi physica virtute causam penetraret. At verò cum peccatum attingat Deum deserendo ipsum, & sic iniuria solùm in valore, & æstimatione morali ipsum attingat, & inde ad creaturas deriuetur, nō solùm attenditur iste modus attingendi, vt sit omnibus modis simpliciter infinitum, sed etiam aliæ circunstātiæ attenduntur in morali æstimatione, quę pluribus, ac diuersis modis corrumpi possunt, & secundùm illos diuersis modis lædi, & dehonorari infinita maiestas, ac deseri; proindeque ex hac parte non quodlibet peccatum iniuriat, quantùm iniuriabilis est, nec omnia peccata sunt paria, vt in solutione argumentorum dicetur. Et hæc dicta sint in gratiam huius sententiæ, & modi philosophandi de infinitate peccati simpliciter, quæ est sententia valdè probabilis, defenditurque à *Magistro Vincentio Asturicensi Relect. de Gratia Christi. Pagin.* 301. pro eaque citat varios Authores, licèt in omnibus non ita probent eius sententiam.

Probabiliter Infinitas peccati dicitur secundùm quid.

Secunda Pars Conclusionis, Quòd est probabile infinitatem peccati esse dicendam secundùm quid, à pluribus Authoribus tenetur, & tribui solet *Scoto in* 3. *Distinct.* 20 *Quæst.* 2. §. *Contra ea*, & indicatur à *Magistro Soto in* 4. *Distinct.* 19. *Quæst.* 1. *Artic.* 2. *ad* 1. defenditurque à *Magistro Nazario* in præsenti *Controuers.* 1. & à *Patre Suarez in præsenti Disput.* 4. *sect* 7. §. *Nihilominus Cōtraria Sententia*. Videturque congruere cū modo loquendi *D. Thomæ*, qui in hoc *Artic.* 2. dicit *Peccatum habere quandam infinitatem*, & ly *Quandam* potest in duplici sensu accipi. Vno modo, quia solùm est in quodam determinato genere, & non simpliciter in omni genere, & sic accipit Prima Sententia; alio modo, quòd solùm est secundùm quid, & non simpliciter etiam in proprio genere, & sic accipit iste secundus modus dicendi, non tamen conuincit primum sensum non esse admittendum.

Explicatur verò ista Pars, Quia in peccato solum est reperire duo. Alterum est malitia moralis; alterum est ratio iniuriæ, quæ inde consequitur contra Deum. Et quidem malitia moralis sumitur per conuersionem ad obiectum dissonum rationi, cum auersione à fine recto, & ita includit contrarietatem ex parte obiecti, & priuationem ex parte auersionis, ad regulas rationis. Et hæc duo intrinsecè conueniunt peccato, & per denominationem intrinsecam, sicut motui conuenit intrinsecè ordo conuersionis ad terminum ad quem, & priuatio termini à quo, quem relinquit, ratione cuius priuatiuè ei opponitur. Ratio autem iniuriæ non consistit propriè in aliquo intrinseco ipsi peccato, sed est quædā moralis æstimatio, quæ lædit ius alienum, non quidem physicè tollendo, aut positiuè inferendo aliquid, personæ habenti ius, sed secundùm moralem æstimationem ius lædere censetur, non seruando id, quòd tali iuri debetur; ex hac enim priuatione resultat moralis quædam æstimatio, contraria de-

debitæ æstimationi talis rei, & non fundatur hæc moralitas in aliqua humana impositione, seu taxatione, sed in illa priuatione debitæ obseruationis, qua posita resultat ipso facto indebita æstimatio, & moralis indignitas personæ, cui debebatur contraria æstimatio. Et sic quia non est aliquid realiter, & positiuè personam tangens, nec resultans ex positiua aliqua ratione in peccato, sed ex priuatione eius, quod debetur personæ, dicitur esse quasi extrinseca moralitas. A B

Infinitas ergo ex parte malitiæ moralis in peccato admittenda non est, sed solùm in genere, & ratione iniuriæ, quãuis *Asturicẽsis vbi supra*, etiã ex parte malitiæ moralis infinitatem aliquam inuenerit, non quidem quatenus opponitur bono morali debito homini ipsi; sic enim constat, quòd illud bonum finitum est, quia bonitas moralis, virtus finita est, & licèt priuet hominem assecutione vltimi finis, qui est Deus, & bonum infinitum. Qua etiam ratione agnouit *D. Thomas* infinitatem aliquam in peccato in 3. *Distinct.* 20. tamen infinitas hæc est obiectiua, & extrinseca, & non inuenitur in ipsa formali affectione, quæ finita est semper, sed in ipso bono assecuto extrinseco, & sic semper manet infinitas secundùm quid, scilicet ex parte finis extrinseci, & ex parte formæ priuatæ, à qua sumitur, quòd sit simpliciter tale. *Asturicensis* autem putat peccatum, non solùm priuare bono morali ipsi homini debito, sed bono morali debito toti intellectuali naturæ, in qua Deus includitur, & cuius bonum morale infinitum est. Cæterum ista consideratio non videtur sufficiens ad infinitatem propriè, & determinatè, sed solùm analogicè, & in confuso, quia intellectualis natura, vt comprehendit Deum, & creaturas intellectuales, non est positiuè infinita, sed abstractiuè; abstrahit enim analogicè à finito, & infinito. Ex hoc ergo, quòd peccatum sit contra naturam intellectualem, vt sic, solùm sequitur, quòd sit contra bonum intellectuale infinitum, analogicè, & indeterminatè, & in communi, quod est esse infinitum secundùm quid, non autem opponitur bono morali determinatè, vt infinito, & prout est bonum Dei, sed bonum morale hominis. C D E

Considerando ergo peccatum ex parte iniuriæ. Qui defendunt esse solùm infinitum secundum quid, nituntur in duobus. Primò, Quia ratio iniuriæ est solùm extrinseca quædam denominatio in peccato, & consequenter reputatur, tanquam infinitas secundùm quid, quando enim prædicatum aliquod potest conuenire intrinsicè, & extrinsicè, sicut est ly *Infinitum*, ei cui conuenit extrinsicè, secundùm quid dicitur conuenire absolutè loquendo. Sed hoc non multum probat, quia fatẽtur oppositi Authores, quòd ista infinitas comparata ad infinitatem in toto genere entis, vel in ratione infinitatis extrinsecæ, potest dici secundùm quid, id est, minor illa. Quæstio tamen præsens procedit de infinitate peccati in eo genere in quo est infinitas, scilicet in genere iniuriæ, An in illo genere sit secundùm quid, vel simpliciter?

Et ideò secundum fundamentum additur, Quòd *Pater Suarez* prosequitur, scilicet, Quia infinitas hæc in genere iniuriæ potest crescere in peccato, & est maior in vno, quàm in alio; ergo signum est infinitatem non esse simpliciter adhuc in genere iniuriæ, siquidẽ in hoc genere potest crescere, & minui. Atque ita licèt offendat Deum, qui est simpliciter infinitus, tanquã obiectum offensionis, tamen inde solùm habet obiectiuam, & extrinsecam infinitatem, quia sicut hoc obiectum finitè cognoscit simpliciter loquendo, ita & finitè odit, vel amat, & ad illud conuertitur, vel auertitur; ergo simpliciter dicendum est peccatum finitum, & secundùm quid infinitum, eo quòd vt attingatur obiectum infinitum, non requiritur infinitas simpliciter in actu, sed sufficit quod sit altioris ordinis, quam infiniti actus attingentes obiecta inferiora finita. Sicut Visio Beat. est altioris ordinis attingendo Deum in se, & non habet infinitatem simpliciter, sed solùm extrinsicè, sicque excedit infinitas cognitiones inferiores circa obiecta finita. Et de hoc amplius dicetur in solutione Argumentorum.

Tertia verò Pars Conclusionis positæ, quæ communiter tenetur à Thomistis, & à *Patre Suarez* citato probatur. Quia valor Charitatis, & Gratiæ, sumitur ab ipsa forma charitatis, & secundùm formalem effectum, quem subiecto præbet, sic est eius valor; formalis autem effectus, quem præbet subiecto, opponitur peccato, quatenùs est priuatio rectitudinis debitæ subiecto. Illud autem, quòd ex peccato consequitur, scilicet læsionem iuris diuini, & moralitatem offensæ, charitas, & gratia non attingit secũdùm valorem quem præbet subiecto,

cto,& actui ab eo procedēti, sed secundùm quòd procedit à remissione diuina, cuius effectus est gratia. Quo sensu *Caietanus* dixit in præsenti Gratiam, & Charitatem satisfacere pro peccato ex acceptione diuinæ misericordiæ, à qua procedit. Itaque gratia habet duo: *Vnum est esse effectum remissionis diuinæ, & procedere à Deo offensam remittente*, vt dicit *S. Thom* 1.2. *Quæst.* 113. *Artic.*6. *ad* 2. Sicque in suam gratiam recipiente peccatorem. Aliud est dare homini rectitudinem,& eleuare adesse supernaturale,& ad altiorem ordinem, actibusque ab ea procedentibus hunc valorem tribuere. De quo videri potest *S. Thom.* 1.2. *Quæst.* 113. *Artic.* 1. & 2. Et ista duo possunt separari in gratia, quia licèt gratia semper habeat pro effectu formali hominem iustificare, id est, eum facere iustum, & ei tribuere rectitudinem, quæ est iustitia generalis, cui opponitur peccatum in ratione malitiæ, vt dicit *Sanct. Thom.* loco citato, & *Quæst.* 28. *de Veritate, Artic.* 1. Tamen aliquando inuenitur sine remissione peccati, scilicet, quando infunditur non peccatori, vt amoueat culpam, sed vt eleuetur ad ordinem gratiæ, vt monet ibi *Sanctus Doctor solut. ad* 12. Et quidem gratia secundùm quòd importat effectum diuinæ dilectionis,& placationis offensam remittentis, habet valorem ad tollendam rationem offensæ in vi talis dilectionis,& vt subest illi.

Vnde ad Gratiam pertinet tollere peccatum, etiam in ratione offensæ secundùm quòd subiecto confert remissionem peccati, procedendo à Deo, vt effectus gratuitæ dilectionis,& placationis illius; vnde habet pro effectu formali intrinsicè tollere offensam, non quomodocunque, sed per modum gratuitæ remissionis, & non aliter, quia gratia non tollit offensam, nisi vt est effectus procedens à gratuita dilectione Dei remittentis peccatum; ergo neque cōfert subiecto hunc effectum formalem, nisi per modum gratuitæ condonationis, neque enim confert illum, nisi vt gerens vices illius dilectionis gratuitæ, cuius est effectus, & à qua procedit, vnde dicit S. Thomas, Quæst. 18. de Veritate, Artic. 2. ad 6. *Quòd hoc ipsum, quòd est Deum non imputare nobis nostra delicta, ex consequenti relinquit in nobis aliquid, per quòd à reatu prædicto digni iumus absolui, & hoc est Gratia.* Solum ergo pertinet ad illam, tollere rationem offensæ formaliter gratuitò, non tollere offensam formaliter satisfactiuè.

Considerata autem Gratia, secundū quòd ponit in homine iustitiam, quæ est ordo, & rectitudo rationis in esse supernaturali, eleuatque hominem ad ordinem supernaturalem, sic valor iste gratiæ, qui ex rectitudine ista morali, & supernaturali primò procedit non est sufficiens, & æquale pretium pro peccato in ratione iniuriæ. *Ratio est manifesta*, Quia gratia est forma dans illam rectitudinem, qua peccatum priuat, & ideò adæquat peccati malitiam, quæ est forma opposita eius priuationi; ipsi autem læsioni iuris diuini, & dehonorationi factæ Deo, Gratia non opponitur; quia læsio iuris diuini non est priuatio gratiæ, sed priuatio eius, quòd debebatur Deo ab ista persona, scilicet à creatura; ergo proportio ista, quæ requiritur inter creaturam offendentem, & Deum offensum, non recompensatur per gratiam, quia etsi eleuet creaturam, & ordinet ad supernaturalem finem, non tamen vt grauitas offensæ proportionetur, quòd consistebat in hoc quòd tolleretur ius Dei à tam inferiori creatura, seu persona, sicut est creatura.

Et explicatur hoc manifestius. Nam si homo haberet gratiam, & Deus eam illi subtraheret sine culpa, maneretque priuatus illa, tunc intelligeremus ad æqualitatem recompensari, & tolli priuationem gratiæ per infusionem eius, iterum in subiectum. Sic ergo homo non solum per peccatum amisit gratiam, sed etiam offendit lædendo ius Dei. *Ratio est*, Quia iniuria non potest intelligi sine læsione alicuius iuris (vt dictum est) quòd in Principe est ius æquiualens toti multitudini, & in Deo est ius superans totam multitudinem creaturarum, quæ offenso Deo offenduntur. Ad reparationem autem iuris læsi, plus pretij, & valoris requiritur, quàm ad consecutionem, & exhibitionem talis iuris, si læsum non esset; ergo valor procedens à gratia, & charitate nullo modo reparat rationem iniuriæ in peccato. *Maior huius syllogismi manifesta est*, ex diffinitione iniuriæ, quæ est *Læsio Iuris alieni*; vbi autem non est ius, non est iniuria. *Minor probatur* etiā manifestè. Nam reparatio iuris læsi, si perfecta est, & æqualis ex sua natura, & non ex acceptione extrinseca, oportet quòd quantum læsum est, & ablatum de iure, tantum reparet, & recompenset; reddere autem idem, quòd ante læsionem iuris reddebatur, non est recompensare, quòd læsum est, sed continuare, quòd ante fiebat; ergo hoc præcisè non

est

est sufficiens valor ad reparandam læsionem iuris.

Et patet exemplis. Nam siquis existens in dignitate dehonorauit Principem, aut amicus dehonorauit amicum, per hoc præcisè, quòd iste redeat ad amicitiam, & ille ad dignitatem, licèt restituatur id quod ipse amiserat, non tamen læsio Principis per hoc solùm manet reparata. Etsi per impossibile fingeremus alterum Deum, qui ex æqualitate cum Deo tractaret, si ille alter Deus ipsum offenderet, non repararetur læsio iuris diuini per hoc quòd tractaret cum eo, sicut ante, sed requireretur, quòd humiliaretur ante Deum quem offenderat, & signa maioris reuerentiæ exhiberet. *Cuius ratio est.* Quia per iniuriam, seu læsionem iuris persona offensa deprimitur, & dehonoratur, & à iure suo cadit respectu eius à quo offenditur; ergo non sufficit, quòd persona offendens tractet cum eo, sicut ante, sed requiritur, quòd deprimat se, sicut persona offensa depressa est, & tunc erit æqualitas, & reparatio iuris. Per hoc autem, quòd homo Deum offendit Persona infinita depressa est, & in suo iure diminuta; ergo non sufficit, quòd exhibeat illi valorem, quo antea conseruabat, & reddebat ius debitum; sed requiritur, quòd aliqua Persona similiter diuina deprimatur, & humilietur ante Deum; & hoc factum est per Incarnationem.

Vnde Probatur Consequentia syllogismi facti. Quia Gratia, & Charitas non habet maiorem valorem in homine post peccatum ad illius reparationem, quam antea habebat: ponamus ergo vnum hominem esse in gratia, ac deinde peccare, & rursus reddita gratia, vndecunque reddatur, exhibere ad satisfactionem peccati opera informata gratia, & charitate: Probamus valorem istum procedentem à gratia non exhibere valorem satisfaciētem iniuriæ peccati. Nam per gratiam ante peccatum habitam reddebat homo Deo ius ipsi debitū, scilicet habere eum pro fine vltimo supernaturali, & ad eum esse conuersum, recedendo à quocumque alio fine; per peccatum non solùm discontinuauit reddere istud ius, sed etiam offendit, deprimendo ius diuinum, & contemnendo ipsum postposuit creaturæ. Ergo quando iterum ei datur valor gratiæ supernaturalis, continuat iterum cōuersionem supernaturalem ad eum, & reddit id quod debet, & ante faciebat. Cæterum illa depressio Personæ diuinæ, & illa læsio iuris alieni irreparata manet; vnde quantumcumque pœniteat, si valor pœnitentiæ desumitur ab informatione gratiæ, & charitatis, non exhibet maiorem valorem, quam exhibebat ante peccatum, & deberet exhibere etiamsi non peccasset; insufficiens ergo est ad satisfactionem æqualem pro iniuria.

Et Confirmatur. Quia licet homini restituatur totus valor supernaturalis, quem per peccatum amisserat, siue gratis restituatur, siue non; tamen non restituitur valor Personæ diuinæ, sed persona manet creata, eleuata tamen per gratiam ad honorem, quem ante habebat. Peccatum autē offendit ex parte obiecti offensi, non personam creatam in gratia constitutam, sed Personam diuinam, cuius ius lædit, & quam depressit; ergo nisi Persona diuina deprimatur in recompensam huius læsionis, & depressionis, nihil resarcitur diuina, sed solùm resarcitur id quòd homini erat ablatum.

Et ex hoc apparet, quàm diminutè processerit *Pater Vazquez* in Secunda Sentētia supra relata; ex eo enim quòd auxilium, & prima Sanctæ cogitatio nobis est indebita, etli datur, solùm misericorditer datur, intulit quòd satisfactio pro peccato exhibita non est perfecta, quia supponit partem debiti remissam. In quo valdè diminutè processit. *Primò*, Quia solùm respexit ad restitutionem, & reparationem peccati ex parte eorum, quæ ab homine ablata sunt per peccatum, sicut est gratia, & omnia gratiæ auxilia, quæ ei facta sunt indebita: de reparatione autem iniuriæ, vt tenet se ex parte Dei offensi, nihil omninò tangit. *Secundò*. Quia debitum carendi auxilio, est pœna, & non culpa, neque iniuria formaliter loquendo. Sicut ipsa gratia sanctificante carere non est culpa, sed pœna, & ita dicit *S. T hom. Quæst. 28. de Veritate, Artic. 6.* circa Calcem Corporis: *Quòd absentia gratiæ secundùm se considerata, habet tantùm rationem pœnæ, non autem rationem culpæ, nisi secundùm quòd relinquitur ex actu voluntario præcedente.* Hac enim ratione inuenimus, quòd macula sit culpa, & peccatum originale sit culpa, scilicet, secundùm quod relinquitur ex actu voluntario. Cæterum ipsa carentia gratiæ, vel denegatio auxilij, est pœna. Nos autem in præsenti non quærimus de satisfactione pro pœna, sed pro culpa, in ratione iniuriæ, & culpæ; ergo diminutè procedit *Vazquez* ostendendo

dendo imperfectam satisfactionem, ex eo quod non satisfacit pro debito auxilij.

Quod si dicas: Quòd licèt carentia auxilij sit quasi physicè pœna, sicut & carentia gratiæ; tamen ipsum debitum carendi, seu moralis carentia ex parte subiecti est culpa. *Contra hoc est, Tertiò*. Quia hoc debitum, vel soluitur quantum ad hanc partem per exhibitionem physicam auxilij, vel non soluitur, sed etiam posito auxilio physicè debitum manet integrum. *Si dicas hoc secundum*: Adhuc ergo erit perfecta satisfactio, licèt non soluat partem istam debiti quoad auxilium, siquidem etiam illo dato, debitũ manet integrum, & nulla pars soluta. *Si Primum*: Ergo si carentia physica non erat nisi pœna, exhibitio illius physica, quando misericorditer datur à Deo, non erit nisi releuatio pœnæ, quoad illam partem; & sic quod manet remissum est pœna, & quòd non potest soluere contritio, est pars pœnæ debitæ; ergo quoad debitum culpæ integrè, & perfectè satisfacit: quòd negare videtur *Vazquez*, aut si non negat, nihil amplius indigemus pro hac Materia, in qua agimus præcisè de satisfactione culpæ.

Quartò Vrgetur amplius id quod Dicebamus referendo Sentẽtiam *Vazquez*. Nam saltem de potentia absoluta non est implicatio, quòd gratia alicui homini puro tribuatur cum tanta perfectione, & eminentia per modum Capitis, quòd possit influere gratiam in alios, & mereri alteri de condigno primam gratiam, aut auxilium; siquidem vt *S. Thom.* probat infrà *Quæst. 8. Art. 5*. Gratia Capitis in Christo est ipsamet gratia personalis, & particularis, & propter eminentiam suam, quam habet, competit ei quod possit gratiam in alios deriuare. Hæc autem Eminentia explicatur aliquando à *Diuo Thoma*, quod sit per modum meriti; aliquando per modum efficientiæ instrumentalis, vt in 1 2. *Quæst. 114. Art. 6*. dicit: Quòd consistit in hoc quod anima Christi mota est per gratiam, non solùm vt ipse perueniret ad gloriam, sed etiam vt alios in eam adduceret, in quantum est Caput Ecclesiæ. Per modum autem efficientiæ, *Quæst. 8. citat. Artic. 6. & Artic. 1. ad 2*.

Nusquam autem hanc eminentiam reducit ad gratiam vnionis, seu diuinam personalitatem, formaliter loquendo. Vnde ergo est implicatio, quòd similis eminentia gratiæ, non possit à Deo communicari alicui homini puro, scilicet, vt mereretur à Deo, non solùm vt ipse perueniret ad gloriam, sed etiam alios in eam adduceret? Debuit ergo *Vazquez* ostendere, quòd gratia ex sua specie solùm est determinata ad hoc, vt mereatur sibi, & non alteri de condigno, ita vt quantumcumque crescat, & quamcumque eminentiam habeat, & perfectionem, non possit alteri mereri, & quod ex hoc solueretur eius species: species enim gratiç, nullam contradictionem habet cum hac eminentia, quæ est mereri alteri de condigno. Neque enim hoc repugnat ipsi esse supernaturali, nec participationi diuinæ naturæ, aut Filiationi adoptiuæ, ex quibus potest considerari species gratiæ. Et quandiu hoc non ostendit, non satisfacit difficultati, Quare purus homo de potentia absoluta, non possit satisfacere perfectè, saltem pro peccato alterius.

Soluuntur Argumenta.

AD *Primum Argumentum* pro Prima Sententia *Respond. Aliqui*, qui existimant peccatum habere infinitatem simpliciter in genere iniuriæ, vnum peccatũ esse maius alio, ex parte obiecti, non ex parte diuinæ maiestatis, quæ offenditur. Ita *Aluarez de Incarnatione, Disput. 3. ad 4*. Et in idem ferè consentit solutio *Asturicensis*, vbi supra *fol. 308*. Additque auersionẽ peccati, licèt secundùm se, & vt attingit Deum infinita sit, neque admittat magis, & minus, quantùm est ex se, & seorsum, ac præcisè considerata, tamen vt causatur à Conuersione ad bonum commutabile, ab eoque dimanat, vt à causa, finita simpliciter est, & susçipit magis, & minus. Sicut Tenebræ, licèt secundùm se, sint priuatio totalis lucis, tamen per ordinem ad causam, à qua causantur, possunt esse tenebræ maiores, vel minores, secundùm quod à corpore magis, vel minus densò causantur.

Cæterum hoc est ponere, quòd auersio peccati simpliciter, & in re finita sit; nam vt ponitur in re, semper ponitur, vt consecuta, & dependens ab aliqua conuersione ad bonum; & consequenter prout ponitur in re, semper est finita, & pro illa, vt ponitur in re, sufficiet satisfactio finita. Sicut in tenebris, vt dependentibus ab opacitate, & densitate corporis, maiori, vel minori, relinquitur semper aliquid de opposita forma, & non sunt pura, & simplex priuatio; tunc autem solùm tenebræ sunt pura, & simplex priuatio, quando totum lumen inter-

tercluditur, siue id fiat vno, vel pluribus velaminibus; vt signanter aduertit *Sanctus Thom.* 1.2. *Quæst.* 73. *Artic.* 1.

Aliter ergo ex dictis Resp. ad Argumentum. Quòd stando in sententia probabili, quòd peccatum in ratione iniuriæ, sit simpliciter infinitum, adhuc potest crescere, quia non est simpliciter, id est, *Omnibus modis tale*, sed solum simpliciter, id est, *Absolutè tale*; id est, Verè, & absolutè habet genus iniuriæ infinitæ. Et hoc præsertim contingit in infinitate respectiua, & quæ non est absoluta in toto genere entis, vt benè aduertit *Asturicensis* vbi supra, & multò magis in infinitate morali, quæ dependere potest à pluribus circunstãtijs, ex quarum varia comparatione diuersificatur modus grauitatis iniuriæ, etiam intra genus infinitæ iniuriæ simpliciter. Vt enim sit infinita simpliter, hoc est *Absolutè*, sufficit, quòd verè habeat genus tollendi ius infinitum, & infinitæ Personæ dignitatem deprimere, licèt ex alijs respectibus, & circũstantijs diuersificari possit, quia nõ est omnibus modis infinita. Simpliciter ergo infinita est, quia verè, & absolutè attingit genus infinitæ iniuriæ, licèt non omnẽ modum infinitæ iniuriæ. Sicut si daretur vna linea infinita versus Orientem, non repugnaret dari aliam infinitam versus Occidentem, & alias infinitas versus alias partes, & quælibet illarum esset simpliciter, id est, *Absolutè*, & verè infinita, quia haberet speciem infinitæ lineæ, non tamen esset *Omnibus modis* infinita, quia alia, atque alia indiuidua sub tali specie infinita continerentur, quæ diuersis modis infita essent.

Dato autem, quòd peccatum sit infinitum solùm secundùm quid, adhuc non habet vim Argumentum. Quia illa infinitas in ratione iniuriæ, non est adæquabilis ab infinitate secundùm quid, quam habet charitas, aut gratia; quia sunt infinitates disparatæ, neque vna adæquat, quòd altera tollit: infinitas enim gratiæ, & charitatis solũ est infinitas ex parte finis, ad quem tendit, manente ratione formali finita, & modo attingendi; quia attingit positiuè tendendo in obiectum infinitum, & cõsequenter sub modo capacitatis finitæ. Infinitas verò peccati est infinitas iniuriæ lædens ius infinitum, deserendo obiectum infinitum, non sub capacitate istius, vel illius, sed absolutè; iniuria autem Dei, siuè sit infinita simpliciter, siuè secundùm quid, non resarcitur per hoc, quod habeatur pro fine vltimo ab illo, qui læsit tale ius; hoc enim debebat facere, etiamsi non læderet: sed per hoc quod sicut Persona diuina per peccatum est offensa, & humiliata in iure suo, seu diminuta, ita sit aliqua persona diuina, quæ se humiliet, & diminuatur in iure suo ipsi Deo offenso. Et per hoc fit æqualitas; non autem per hoc solùm, quòd habeatur pro fine vltimo quantumcumque intensissimè.

Ad secundum Respond. Rationem iniuriæ in peccato esse auersionem, non quancumque, sed auersionem à fine vltimo, cũ morali quadam attingentia ipsius diuinæ Personæ, cuius læditur ius. Et hæc talis auersio habet infinitatem in genere iniuriæ, vel simpliciter, vel secundùm quid, nõ reparabilem per gratiam, & charitatẽ. Itaque in peccato, sicut datur duplex conuersio, scilicet ad obiectum, & ad finem; id est, ad finem proximum, & vltimum; ita datur duplex quasi auersio; scilicet, à fine proximo actus boni moralis, & à fine vltimo (in omni enim actu datur finis proximus, & vltimus) & quidem auersio ab obiecto virtutis, seu à fine proximo, est quid simpliciter finitum, sicut & ipsum bonum, quo priuat finitum est; & hoc probat Argumentum; at verò auersio à fine vltimo, & si fiat mediante auersione à bono morali; & ex hac parte finita sit, vt tamẽ est est iniuriosa, & tangit ipsum Deum lædendo ius ipsius, habet infinitatem hucusque explicatam, siue sit simpliciter, siue sit secundùm quid finita, & nõ est reparabilis per actum charitatis, & gratiæ, sed per humiliationem Personæ diuinæ, & infinitæ, vt declaratum est. *Et Quando instatur*, Quòd est priuatio formæ finitæ, *Conceditur*, & cõsequenter ex parte priuationis peccatum finitum est; ex parte tamen moralitatis iniuriosæ infinitatẽ habet lædendo ius infinitum, vt dictũ est. Et quod additur de Displicentia peccati, quòd non displicet Deo infinitè. *Resp.* Quòd eo modo, quo peccatum est infinitum displicet infinitè; & eo modo quo finitum est, finitè. Ex parte enim priuationis moralis boni, aut virtutis, displicet finitè; ex parte iniuriæ, displicet infinitè, vel secundùm quid, vel simpliciter absolutè, & si non simpliciter omnibus modis. Et ideò potest crescere displicentia de peccato, sicut & ratio iniuriæ.

Ad Tertium Nego antecedens. Ad cuius probationem primam Dicitur, Quòd Honor, qui est in honorante potest dupliciter considerari. *Vno modo* quantum ad reddi-

tio-

tionem honoris ex parte honorantis; & sic totum, quod homo potest Deo reddere, est quid finitum, & inferius ad ipsam Dei dignitatem. *Alio modo* quantum ad ius, quod habet Deus, vt sibi reddatur ab honorante ille paruus honor, & ne dehonoretur à creatura. Quòd aliis verbis dici potest, quòd honor, vel consideratur quantum ad id quod exhibetur, vel quantum ad rationem, & fundamentum exhibendi ex parte Dei. Si primo modo consideretur, est quid finitum, si secundo modo, est quid infinitum: sicut dominium Dei est infinitum, nō ex parte rei possessæ, quæ sunt creaturæ, sed ex parte iuris possidendi. Homo ergo reddendo honorem numquam adæquat ius, quod habet Deus, vt honoretur, quia ob suam infinitam excellentiam, non potest à creatura ei reddi æquale. At verò offendēdo adæquat ius Dei, quia totum Deum deserit, & ei præponit creaturam in suo affectu; ad hoc autem, vt in nullius affectu, seu actione, Deus postponatur creaturæ, habet Deus ius infinitum, fundatum in excellentia infinita.

Et ex hoc soluitur secunda Probatio antecedentis. Nam licèt Deus dehonoretur per peccatum, non tamen recompensatur læsio ista per Religionem, quia Religio solùm respicit Cultum Dei, non vindicationem peccati; hæc enim pertinet ad pœnitentiā. Vnde aliter respicit Personam Dei, scilicet, non *vt offensam*, neque vt placandam, sed Deum primum principium, *vt colendum*. Non pertinet autem ad eandem virtutem, etiam inter homines, reddere honorem debitum alteri, & resarcire ius honoris ablatum; nam hoc pertinet ad iustitiam, siquidem in reddendo illo honore nō respicietur honor ipse, sed ius, quòd læsum est in honore. Similiter ergo in Deo aliud est reddere honorem per modum cultus, quòd pertinet ad Religionem; aliud reddere ius læsum in honore, quod pertinet ad iustitiam, vel imperfectam, vt in pœnitentia; vel perfectam, vt in Christo.

Ad Confirmationem Resp. Quòd si per impossibile imaginaremus Deum offendi ab altero Deo, illa esset offensa infinita, pluribus modis, quam nostra, seu alio modo, scilicet ex parte conatus, & intensionis infinitæ, aut ex effectu aliquo infinito, non tamen ex hoc tollitur, quòd offensa humana in æstimatione morali, & in genere iniuriæ, sit simpliciter absolutè infinita (vt explicatum est) imò in hac ratione iniuriæ, & moralis æstimationis, offensa facta ab homine, est maior, quam ab alio Deo facta, quia est à viliori persona, & postponit Deū creaturæ, non autem postponit Deum Deo. Vnde ex hac parte esset maior moraliter, licèt altera esset maior, quasi physicè, & intensiuè.

Ad Argumenta pro secundo fundamento *Nego antecedens.* Ad probationem Dicimus, sicut supra. Quòd etiamsi grauitas peccati sit secundùm quid, & gratia habēt aliquam infinitatem secundùm quid, per vnam tamen, non recompensatur alia, quia procedunt in diuerso genere, ita quod vna non ponit, quòd alia tollit. Sicut infinitas in genere quantitatis, non recompensatur per infinitatem in genere qualitatis, quia sunt in diuerso genere. Infinitas enim peccati est infinitas in genere iniuriæ lædens ius, & consequenter contemnens, & deprimens personā, cuius lædit ius, qui est Deus. At verò gratia nō habet aliquid infinitū ex parte eius, quòd subijcit Deo pro tali satisfactione, sed solùm ex parte eius, cui subijcit; subijcit enim, & conuertit hominem Deo, non verò aliquid diuinum subijcit Deo, vt æqualitas fiat inter Deum, per offensam depressùm, & læsum per iniuriam, & Deum subiectum, & humiliatum, vt satisfiat iniuriæ, & sic non sunt infinitates facientes recompensationem, & adæquationem; neque enim ex infinitate eius, cui offertur, sumitur valor satisfactionis, sed ex parte eius quod offertur.

Itaque non est facta læsio in hoc, quòd homo non sit conuersus ad Deum; hoc enim præcisè restituit gratia ipsi homini ad æqualitatem; sed in hoc, quod Persona Dei est priuata iure suo, quod habebat in actionibus humanis; & sic in affectu hominum est depressa, & diminuta iure suo postponēdo illum creaturæ. Hoc autem, quòd est Personam diuinam diminutam esse, & dehonoratam non habet æqualitatē cum hoc, quod est creaturam esse ei subiectam, & ad ipsum conuersam, quod facit gratia: sed si alia Persona diuina ei diminuatur, & humilietur, in hoc est æqualitas. Infinitates ergo gratiæ, & peccati non faciunt recompensationem in eodem, sed solùm recompensatio fit in ratione bonitatis, & malitiæ; & in eo in quo homo damnificatus est per priuationem gratiæ, in eo restituitur integrè per gratiam: in eo autem in quo Deus offensus est, non fit æqualitas ad Deum, sed solùm redditur Deo per gratiam,

tiam id, quod debetur ei dari ab homine, etiamsi non peccasset, scilicet esse conuersum ad ipsum. Non sufficit igitur ad æqualitatem iniuriæ subijci creaturam Deo, sed requiritur, quod aliquid diuinum, seu infinitum subijciatur, sicut infinitum, qui erat Deus, subiectus est pro offensa, & postpositus moraliter creaturæ. A

Ad Confirmationem Resp. Gratiam communicare actibus suis illam dignitatem supernaturalem, & illam ratione infinitatis, scilicet ordinem ad obiectum infinitum secundum denominationem, tamen totum hoc est in ordine ad obiectum infinitum supponendo finitatem ex parte personæ, quæ subijcitur Deo, & ideò nō facit æqualitatem cum infinitate iniuriæ, cuius infinitas consistebat in hoc, quod infinita Persona esset subiecta, & postposita creaturæ. *Et si dicas.* Nam subiectio, qua Persona diuina se subijcit Deo, est maior, quàm subiectio, qua peccator illam subijcit creaturæ; ergo non fit æqualitas in hoc, sed excessus, & superabundantia. B C

Resp. Reuera ita esse, quod satisfactio Christi non solùm fuit æqualis, sed superexcedens, quia infinitas operū Christi erat personalis, atque adeò extrinseca ipsis operibus (vt postea ostendemus) & denominatio infinitatis proueniens à principio operante, est multò maioris æstimationis, quā illa, quæ solùm prouenit ex denominatione personæ, quæ se habet, vt terminus: vnde pro peccato vt est iniuria, non inuenitur æqualis recompensatio, quæ neque excedat, neque excedatur, sed vel est superabundans, vel deficiens. De his inferius. D

Ad Quintum Respond. Duplici distinctione, *Prima ad Antecedens.* Non minus placet Deo actus procedens ex gratia, quam displicuit actus peccati. Si consideretur peccatum, quantum ad rationem mali moralis, & actus procedens à gratia secundùm cōuersionem ad Deum, & bonitatem moralem etiam, *Concedo*: Si consideretur peccatum in ratione iniuriæ, & actus à gratia in ratione satisfaciētis perfectè, & propriè, *Nego.* Secunda est *Ad probationem huius antecedentis.* Posita gratia redditur homo iustus, & Sanctus, sine alio fauore extrinseco superueniente ipsi gratiæ, *Concedo.* Sine fauore extrinseco à quo procedat gratia, & eius effectus sit, *Nego.* Iam enim supra diximus, quòd gratia non solùm habet intrinsecum valorem præbere animæ, eleuando illam ad supernaturalem Dei participationem, sed etiam est effectus dilectionis gratuitæ, & remissiuæ offensæ gratis; vt ostendimus ex *Diuo Thoma*, & fauet *Concil. Tridentin. Sess.6. Can.7.* Dicens: *Quòd iustificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis.* Et infra dicit: *Quòd efficiens causa huius iustificationis, est misericors Deus, qui gratuitò abluit, & sanctificat.* Ecce quo modo apertè *Concilium* ponit, quod iustificatio includit remissionem, licèt non solùm, sed etiam interiorem renouationem; & quod est effectus misericordiæ Dei gratuitò abluentis. E

Supponit ergo Gratia fauorem gratuitum remissionis, & misericordiæ gratuitæ abluētis, & ratione illius plenè sanctificat, excludendo peccatum, & in ratione mali, & in ratione iniuriæ. Ita tamen, quod iniuria per remissionem, intrinseca macula per renouationem interiorem excludatur: non verò renouatio interior dat valorem satisfaciendi ad æqualitatem pro iniuria; nec gratia ratione solius renouationis remittit peccatum, sed vt est effectus dilectionis gratuitæ. Et ita posita gratia in subiecto non displicet amplius subiectum, neque est offensum Deo. Posita gratia, vt remissiua est, & renouatiua, *Concedo.* Posita vt tantum renouatiua intrinsicè, sine remissione tamen Dei, *Nego.* Sic enim adhuc manet ratio iniuriæ ad æqualitatem reducenda, vel gratis remittenda. Vnde si per impossibile Deus poneret gratiam intrinsicè renouantem in anima, & nollet remittere offensam, sine æquali satisfactione, aut meré gratis, ille homo perpetuò maneret excluſas à Regno; quod est signum non esse sublatam offensam. Sicut Patres in lymbo manserunt quousque iniuria peccati satis facta est per Christum, licèt ipsi essent iusti, & nihil purgandum haberent, etsi Christus non veniret, perpetuò ibi manerent.

Quod si dicas: Si gratia remittit peccatum per modum gratuitæ remissionis: Quid ergo fecit Christus per suam satisfactionem, & quomodo nobis remittitur peccatum ex vi satisfactionis eius? *Respond.* Gratiam illam, quæ datur per Christum respectu nostri, dari gratis, quia *Iustificati sumus gratis per gratiam ipsius*; respectu autem Christi non datur gratis, neque in ratione meriti, quia ipse meruit illam nobis, neque in ratione satisfactionis, quia datur illa gratia nobis in vi recompen-

satisfactionis factæ à Christo, qua deleuit per sanguinem suum chyrographum, quod erat contrarium nobis, & consequenter applicando nobis suam satisfactionem, tollit omne impedimentum offensæ, vt detur gratia.

Ad Sextum Resp. Quòd dato hoc, quod homo purus haberet totam illam eminentiam gratiæ, & mereretur alijs primam gratiam, adhuc non satisfaceret pro peccato: est enim alia ratio meriti, alia satisfactionis. Sed aduerte esse valdè controuersum, & dubium inter *Thomistas*, An de potentia absoluta possit homo purus per actus procedentes à gratia mereri alteri primam gratiam de condigno, quantum est ex valore, & condignitate operis? Alij enim solũ concedunt meritum imperfectum, fundatum scilicet in pacto aliquo extrinseco, & acceptione Dei, quo vellet sic paciscicum aliquo, vt pro eius operibus daret alteri gratiam; non tamen ex pacto iustitiæ, neque ex condignitate operis Sic *Cabrera in præsenti Disp.12.n.39. Aluarez Disp.6 in solutione Confirmationis secundi argumenti Vazquez Disp.4.cit.* Quamuis ex alio fundamento, vt vidimus referendo eius sententiam.

Alij concedunt meritum ex condigno, vt *Magister Soto, Vega, Gabriel. Durandus, Scot.* & alij quos citat, & sequitur *Lorca in præsenti Disp.6.* licèt probabilẽ etiam reputet oppositam sentẽtiam, neque alterã partem conuinci posse existimet. Et *num.13.* extẽdit hoc etiam ad satisfactionẽ taliter, quod potest homo iustus satisfacere pro peccato alterius hominis non de rigore iustitiæ, sed secundũ cõdignitatẽ ex parte valoris oblati pro satisfactione, quia æqualitatẽ satisfactionis existimat, sumendã esse à valore satisfactionis immediatè, nõ ex persõna satisfaciente, nisi quatenus ex illa valor satisfactionis originatur. Potest autẽ proferre actũ dignũ gratia sanctificante pro altero homine, quia gratia habet vim emundandi à peccato per se, secluso quocumque extrinseco.

Ego tamen abstineo in præsenti à Quæstione de Marito; pertinet enim ad *Quæstionem* 114.1.2. *Art.6.* disputare, An possit mereri aliquis de potentia absoluta alteri primã gratiã; nec video claram implicationem, vt cõtra *Vazquez* arguendo Dicebamus, vt non possit purus homo talem eminentiam gratiæ habere, vt possit alteri primam gratiã mereri, quia gratia nõ excedit valorem, & proportionem actuum à gratia procedẽtium. Et hoc quod est gratiam illã esse alteri, seu pro altero, non est conditio ita improportionata gratiæ, quod nõ possit habere æqualitatẽ cum illa, si ad id ordinaretur à Deo. Vel vt verbis *D. Thom.* vtamur loco citato 1.2. si moueretur à Deo nõ solùm, vt peruenire ad gloriam, sed vt etiam alios ad eam adduceret. Itaque bonum eius tunc non esset gloria propria, sed gratia, & gloria alterius.

Sed quidquid sit de hac controuersia, quã in præsenti nolo diffinire, quia hìc non est proprius locus. Quòd attinet ad præsens Dico conformiter ad ea, quæ determinauimus, quod etiamsi demus purum hominẽ iustum mereri pro altero primam gratiam, non debemus concedere, quòd possit satisfacere ad æqualitatẽ pro peccato in genere iniuriæ, existimoque esse longè diuersam rationẽ meriti, & satisfactionis. Quòd non obscurè indicat *S. Thom.* dum inquirens infra *Quæst.48.* Titulos, quibus Christus nostram salutem operatus est per passionem suam, distinguit *Artic.1. & 2.* tanquam diuersos titulos, rationem *Meriti*, qua meruit nostrã salutem, & rationem *Satisfactionis.* Et fundamentũ huius est ex his, quæ supra diximus *Artic.1. præcedenti, ex D. Thoma.* Quòd ratio *Meriti* respicit retributionem, pertinetque ad iustitiã distributiuam; ratio autem *Satisfactionis* respicit recompensationem æqualitatis, pertinetque ad iustitiã commutatiuam si sit perfecta, qua læsum ius alterius resarcitur, & adæquatur. Et potest contingere, quòd aliquis mereatur gratiam sanctificantem, seu remissionẽ peccati pro altero dãdam secundũ formam iustitiæ distributiuæ, & recompensationem meritorum eius, quod est mereri liberationẽ à peccato; non tamen detur ista remissio peccati secundũ formam iustitiæ commutatiuę resarciendo ad æqualitatem ius læsum. Et hoc est, quod dicebat *S. Thom.* supra allatus in 3. Distinct.20. Quæst.1. Artic.4. *Quòd si alio modo Deus liberaret genus humanum, haberet quidem modum liberationis tantùm, sed non redemptionis, quia liberatio non fuisset facta per solutionem pretij.*

Itaque nõ repugnat, quòd aliquis mereatur de condigno primã gratiã, seu cõdonationẽ peccati, ita quod Deus velit retribuere præmiũ actui meritorio meo per cõdonationẽ, & remissionẽ peccati factã Petro. Sicut si miles suis factis mereatur, vt Rex tribuat veniã iniuriæ sibi illatæ ab homine plebeio; aut vt remittat magnã summam pecuniæ sibi debitã. At verò repugnat iuxta dicta,

dicta, quod homo purus exhibeat Deo valorem condignum, seu pretium pro iniuria sibi illata per peccatum, & ita Deus tollat peccatum alterius ex vi valoris actus oblati ab homine puro, quo ad æqualitatem soluatur iniuria Dei: quia quantumcumque sit magnus ille valor à gratia procedens, non potest tamen tangere in morali æstimatione infinitatem, quam peccatum importat in ratione iniuriæ, illamque ad æqualitatem excludere, cum per illam iniuriam sit contempta, & depressa Persona infinita. Per oblationem autem actus charitatis, & gratiæ non humiliatur, nec subijcitur Deo Persona infinita, sed solùm persona finita, quæ potiùs ex subiectione ad Deum per actus procedentes à gratia adquirit dignitatem, & perficit ius.

Semper ergo iniuria manet irreparata secundùm æqualitatem, quia non reddit Deo pro iniuria aliquid amplius, quam reddebatur ante iniuriam. Vnde licet verum sit, quod valor actionis est, qui satisfacit, tamen quando valor actionis dependet quoad æqualitatem faciendam ex valore personæ, quia inæqualitas facta per peccatum tenebat se ex parte personæ infinitæ contemptæ, & læsæ per peccatum; oportet, quòd talis valor fundetur in persona eiusdem infinitatis, vt æqualitatem faciat, quia quæcunque alia persona (quæ infinita non sit) quantumcumque humilietur, non adæquat humiliationem iniuriosam factam in persona infinita per peccatū. Quare in hac satisfactione dignitas personæ nō consideratur solùm, vt conditio requisita, sicut ad merendum requiritur personam esse in statu digno; sed vt constituens æqualitatem valoris satisfactiui, vt qualis persona fuit depressa per peccatum, talis humilietur ad satisfaciendum.

Ad Argumentum ergo Sextum, in cuius gratiam hæc dicta sunt. *Resp.* Quòd dato, quod aliquis posit mereri de condigno primam gratiam alteri, & facere illam debitam sibi ex iustitia distributiua; negamus tamen, quòd posit satisfacere perfectè, & reddere debitam illam remissionem ex vi iustitiæ commutatiuæ. *Ad probationem Consequentiæ. Respond.* Quòd licèt offerat condignum valorem pro prima gratia, & remissione peccati condignitate meriti, non tamen cōdignum condignitate satisfactionis, quia non offert valorem condignum recōpensatiuum, cui respondeat euacuatio debiti, seu proportionatum, cui respondeat tanquam retributio ipsa condonatio debiti. Vnde tunc non tollet Deus culpam, vt satisfactus ex vi compensationis sibi factæ, sed potius ipse per condonationē, & remissionem peccati vult compensare, & retribuere actum meritorium sibi exhibitum. Et est manifestum exemplum supra allatum. Si Rex attēdens facta alicuius Militis in eorum præmium velit remittere mille, quæ sibi debet Petrus; tunc non fit illa remissio per modum satisfactionis ad æqualitatem, sed in recompensam meritorum; alius est enim titulus meriti, alius satisfactionis.

Nec potest dici, Quòd gratia data ex vi talium meritorum habet formaliter, & secūdùm suam naturam, sine extrinseco fauore tollere maculam, & cōsequenter rationem offensæ, quia hoc ipso non est dignus odio Dei, nec illi infensus, qui non habet maculam; solùm enim peccatum, seu macula est id, quod odit Deus in homine, scilicet id, quo est peccator; ergo neque manet offensa, quia offensa non manet, nisi homo maneat infensus, & inuisus Deo, vt arguit *Vazquez* 1. 2. *Disput.* 206. *Cap.* 6.

Resp. enim ex sæpè dictis, Quòd gratia tollit maculā quasi formaliter physicè; rationem autem offensæ inde resultantē formaliter moraliter, non moralitate satisfactionis, sed condonationis, & remissionis, per modū effectus secundarij, & priuatiui, in quantū est effectus voluntatis, & amoris Dei gratuiti gratis remittentis peccatum, vt supra diximus *ex Concilio, & D. Thom.* Nō quia hoc faciat gratia per extrinsecum fauorem superuenientem, sed quia est forma procedens a voluntate condonante, & remittente, nō ex vi satisfactionis, quam ipsa gratia secum afferat: neque enim gratia satisfacit, cū sit Dei condonatio, & procedat ab ipso creditore cōdonante, sed quia ipsa gratia, seu iustitia nobis inhærēs, & quæ per merita Christi datur, est vnica causa formalis nostræ iustificationis, vt docet *Cōcil. Sess.* 6. *Cap.* 7. Atq; ita ipsa gratia sola, vt formalis causa tollit peccatū moraliter, & physicè in ratione mali, & ratione iniuriæ; non tamen vt satisfactio, sed vt cōdonatio; quòd est necessario aduertendū contra Vazquez.

Ad vltimum Argumentū Resp. Ad locū *D. Thom. ex 4. Senten.* Dicunt Thomistæ in præsenti nō loqui de satisfactione perfecta, & ex natura rei æquali, sed de imperfecta, & quæ supponit acceptionē gratuitam. Dicit enim, quòd habet infinitatem ex infinitate

diuinæ misericordiæ, per quam acceptum redditur, quod homo reddere potest. Hæc ergo infinitas non est infinitas condignitatis perfectæ, sed acceptionis gratuitæ; nam etiam ad acceptationem istam requiritur infinitas ex parte acceptantis; solus enim Deus potest acceptionem istam facere. Quando autem subdit *Diuus Thom.* quòd in idem reddit satisfacere ex virtute meriti Christi, & per gratiam, quia gratia datur per fidem Mediatoris, non loquitur de satisfactione facta immediatè à Christo, sed de ea, quam nos facimus per gratiam receptam à Christo; nam satisfactio, vt correspondet nobis, etiam vt membra sumus Christi, non est eiusdem perfectionis, atque vt correspondet ipsi Christo, vt dicemus postea.

Vnde id, quòd vltimò subdit Sanctus Thom. *Quòd si alio modo gratiam daret, sufficeret satisfactio per modum prædictum*; manifestè significat se loqui de satisfactione imperfecta, vtpotè ex illis verbis *Per modum prædictum, &c.* Refert enim se ad modum satisfactionis antea dictum: ante autem locutus erat de satisfactione ex acceptatione Dei secundùm quam acceptum redditur id, quod homo reddere potest, quod totum est satisfactio imperfecta. Eodem modo intelliguntur verba *ex 4. Sententiarum ad Annib.* Quia idem significant. Ad locum autem ex 3. *Sentent. Distinct.* 20. *Respond.* Sanctum Thomam non dicere, quòd homo in statu innocentiæ poterat satisfacere ad æqualitatem; sed quòd homo lapsus potest redire ad dignitatem tantam, quantam habuit in statu innocentiæ. Et ideò ad perfectam reparationem exigitur, quòd sit satisfactio æquiualens culpæ. Quod verò ista æquiualentia fieret in statu innocentiæ non dicit. Similiter in vltimo loco in 3. *ad Annib.* Non dicit, quòd contritio satisfacit ex radice, vel conditione personæ, sed quòd pœna quæcunque etiam minima assumpta à Christo sufficeret quantum est ex conditione personæ ad satisfaciendum, plus quam quæliber contritio: de hoc enim procedebat argumentum.

***

ARTICVLVS III.

Vtrùm Contritio saltem ex imperfecta Iustitia satisfaciat pro peccato?

HÆC *quæstio* breuiter resoluenda est, quia propriè non spectat ad hunc locũ, sed ad Materiã de Pœnitẽtia, vel de Iustificatione. Quia tamẽ ad præcedentis quæstionis resolutionẽ aliqualiter confert, vt amplius explicata maneat ratio iustitiæ, quæ in satisfactione puri hominis inuenitur, aliquid oportet in præsenti tangere de hac difficultate. Explicato enim quomodo gratia ipsã det valorem ad satisfaciendum, & quomodo tollat peccatum, restat videre quomodo actus ipse, quo iustificamur, satisfacere possit.

Vt autem euitemus confusionem, & prolixitatem, quæ in hac Difficultate enodãda esse sãtis magna solet inter Authores, tria oportet prænotare tanquam fundamenta dicendorum. *Primum est*, Quòd contritio etiã vt est actus correspondens virtuti Pœnitẽtiæ, modum aliquem satisfactionis obseruat, & formam iustitiæ, etsi imperfectã; ita quod sicut per religionẽ reddimus Deo recompensationẽ honoris, & cultus, ideòque est pars potentialis iustitiæ religio, quia modum habet iustitiæ in reddendo debitũ: ita & Pœnitentia reddit Deo recompensationem pro offensa, puniendo peccatum eo modo, quo potest, ideòque est pars potentialis iustitiæ, vt determinat *D. Thom.* 3. *Part. Quæst.* 81. *Artic.* 3. Quia habet pro materia cõpensationem pro offensa, quæ dicit cõmutationem quãdam, quæ est materia iustitiæ. Vnde inquit *S. Doctor*, Quòd est manifestum pœnitentiã esse partem iustitiæ, potentialem tamen, quia non reddit iustum æquale. Vnde & notanter dixi *Pœnitentiã habere modum Iustitiæ satisfaciẽtis*, & hoc vt certũ supponimus. Quem autem valorẽ habeat id, quod offert in tali modo commutationis, & satisfactionis; & qua ratione imperfectã rationẽ iusti attingat, vel nõ attingat ex parte valoris oblati in recõpensam, est Difficultas deinceps inquirẽda.

Secundum Quod supponimus est contra *Patrem Vazquez* 1. 2. *Disput.* 203. Quòd contritio (etiam vt informatur à charitate) solùm est dispositio ad infusionẽ gratiæ, & remotionẽ peccati tam quoad maculã, quæ physicè, & intrinsicè est in homine, quàm quoad rationem iniuriæ, quæ tollitur per remissionem. Sententia enim *Patris*

tris Vazquez in hoc consistit, quòd parvuli, & adulti, qui sola attritione cum sacramento iustificantur, non possunt nisi per habitum iustificari, idque de fide Catholica esse, cum iustificentur per inhærentem iustitiam, & consequenter per aliquod accidens superueniens ipsi animæ, & non per operationē, cum parvuli illam nō habeant; attriti autem operationem habent, cui gratia non est coniuncta ex se, & sine sacramēto; ergo oportet, quòd alio accidente iustificentur, quod non sit operatio. At verò adulti, qui actum contritionis eliciunt, licèt de facto iustificētur per habitū, & eis infundatur quidquid parvulis infunditur, quia tamen adhuc definitum non est omnē iustificationem fieri in nobis per habitum, probabile esse dicit, quòd solus actus contritionis charitate formatus iustificare nos possit, etiāsi de potētia absoluta habitus nō infundatur, & quod actualiter conuertit hominē in Deum, vt vltimum finem, & auertit eum à fine contrario; ergo remoto quocunque habitu per solam conuersionem actualem, tollitur macula, seu auersio à fine vltimo, & redditur homo Dei amicus, & in Deo manens, & Deus in eo, & cætera omnia, quæ gratiæ iustificanti solent attribui.

Alij etiam dixerunt contritionē non esse quidem formā, qua formaliter iustificetur homo; esse tamen dispositionem vltimam, ita necessariò connexam cum grātia, & remissione peccati, quod de iustitia faciat illā debitā, & sine noua misericordia dandam: non quidē de iustitia omnino rigorosa, sed fundata in acceptione Dei, qua misericorditer largitus est auxilium, à quo contritio procedit. Quę sententia attribui solet *Paludano*, *& Scotō*, *Magistro Soto*, *& Magistro Bañez* 1. *Part. Quæst.* 21. *Art.* 4. *in fine.*

Nos autem, etsi probabile existimemus, nondum esse definitum iustificationem fieri per habitum; Supponimus tamen contra *Vazquez*, nullo modo fieri posse nisi per habitum, & contra aliorum sententiam, nō posse esse dispositionem necessariò connexam cum iustificatione à peccato ex natura sua, sed ex misericordia Dei. Itaque habet se contritio, sicut dispositio passiua ad suscipiendam gratiam, non sicut actiua, quæ illā inducat: sunt enim quædam dispositiones purè passiue se habentes, cum quibus non habet immediatam connexionem forma inducenda, sed mediante alio agēte liberè, vel contingenter inducente formam; sicut diaphanum est dispositio respectu lucis, & rotunditas cœli est dispositio ad motū circularem, & tamen motus ille debet induci mediante Intelligentia liberè mouente, & lux mediante luminoso contingenter applicato. Aliæ dispositiones sunt immediatā connexionem habentes cum forma, sicut calor vt octo cum igne, & ista vocatur dispositio necessitans ad formam, nec indiget alia actione, quam illa, qua talis dispositio ponitur; ex vi enim talis actionis inducitur etiā forma. At verò illa alia dispositio præter actionem, qua producitur, & conuenit subiecto, indiget alia actione producente formā, sicut præter diaphanæitatis productionem oportet alia actione induci lucem à luminoso, licèt non teneat exemplum quoad omnia, quia diaphanæitas antecedit lucem tempore; contritio verò simul est cum gratia, in quo assimilatur calori vt octo respectu ignis, vt dicit *S. Thom.* 28. *de Veritate*, *Artic.* 7. *ad* 11.

Hac ergo ratione declaramus cōtra vtrāque sententiam, quomodo contritio se habeat ad gratiam, & remissionem peccatorū. Primo enim se habet vt dispositio, & secundò tanquam dispositio non immediatā habens connexionē cum gratia, sed mediatā, scilicet mediante misericordia Dei, quæ lucem gratiæ causat in subiecto cōtrito. Et ita in Scriptura assignatur contritio, & cōuersio ad Deū tanquam actio, super quā cadit misericordia Dei sanans animam, & iustificans (ita quod ipsi cōtritioni fit promissio remissionis peccatorum; non fieret autē si esset forma id formaliter faciens: quis enim albedini promittet facere albū?) Ecclesiastici enim 17. dicitur: *Quā magna misericordia domini, & propitiatio illius cōuertentibus ad se.* Psalm. 31. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiā meam domino, & tu remisisti impietatē peccati mei.* Vbi prius ponitur confessio, seu actus pœnitentiæ, deinde Deus, vt remittens tollit peccatum; ergo adhuc vt beneficiū nouum, & gratiā faciēs. Et Ierem. 3. *Conuertimini filij hominū reuertētes, & sanate auersiones vestras.* Psalm. 59. *Sana contritiones eius, quia cōmota est.* Et in 146 *Qui sanat contritos corde, & alligat cōtritiones eorū.* Et Prouerb. 28. *Qui abscondit scelera nō dirigetur; qui autē confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Quibus locis præter contritionē, & actum pœnitētiæ requiritur sanatio Dei, & misericordia ad iustificationē, in qua cōsistit sanitas animæ, ita quòd hæc superuenit cōtritioni cordis, tāquā præsuppositæ dispositioni.

Et Concil.Trident. formalem causam nostræ iustificationis explicans *Sess.6.Cap.7.* Dicit *Vnicam formalem esse iustitiam in nobis inhærentem, qua donati à Deo renouamur spiritu mentis nostræ.* Cum ergo constet contritionis motum non semper in nobis inhærere, sed transire; quo modo ipso transeunte, posset verificari nos esse iustos per inhærentem nobis iustitiam, tanquam per vnicam causam formalem? Et si paruuli iustificantur non per motum contritionis, & *Concil.* dicit *Esse vnicam tantùm causam formalem*: Ergo non alia iustificamur nos, quàm ipsi; nam ly *Vnicam* excludit omnem aliam. Et quidquid sit an voluerit excludere *Concil.* causam extrinsecã iustificationis, & solam extrinsecam definire (vt vult *Vazquez* 1.2. *Disput.*104. *Cap.9.*) tamen illam, qua paruuli iustificãtur, certum est non esse motum contritionis: ergo illa met, qua paruuli iustificantur formaliter debet esse, qua iustificamur nos; alioquin non esset vnica formalis causa in illis, & in nobis.

Et inde conficitur Fundamentum pro hac parte. Quia motus contritionis habet duo, quibus valde deficit a formali iustificatione. *Primò*, Quia non est aliquid permanens, etiam vt formatus Charitate, quia etiam vt formatus est actus, & non habitus; & consequenter, neque permanenti modo iustificat, neque destruit habitualẽ, & permanentem maculam peccati, quæ non potest destrui, sicut gratia per impedimentum influxus, & conuersionis eius in subiecto. Destruitur ergo solùm per oppositam formam; ergo hæc debet esse aliquid habituale. *Secundò*, Quia non opponitur moralitati offensæ; neque enim est sufficiens compensatio ipsa contritio actiua, cum sit actio nostra, neque sit ipsa contritio condonatio Dei, aut effectus condonationis eius in nobis. *Tum*, Quia remissio est permanens de se, & ita non potest pro effectu habere trãsitorium actum solùm. *Tum*, Quia hoc pacto non verificaremus, quòd Deus condonaret peccata pœnitenti, siquidem ipsa pœnitentia esset effectus condonationis diuinæ; cum autem effectus sit posterior causa, consequenter si pœnitentia illa esset effectus remissionis diuinæ, supponeret actiuam condonationem non cadere supra hominem pœnitentem, sed sicut impœnitenti inspiratur pœnitentia, ita & impœnitenti tribuitur remissio; quòd est valde absurdum.

Imò Sequitur, si contritio habet de se sufficientem vim ad remissionem peccati, quòd quando infunditur gratia, iam inuenit peccatum remissum, & consequenter ipsa infusio gratiæ nihil operatur ad remissionem peccati in re, & de facto. *Sequela patet.* Nam si contritio formaliter tollit peccatum de potentia absoluta, vel hoc facit mediante aliquo fauore extrinseco, ei superueniente; vel secundùm propriam rationem, & formalitatem. Primum non admittit *Vazquez*, quia hoc non est formaliter tolli per contritionem peccatum intrinsicè, sed per pactum extrinsicè, quòd simpliciter non est tolli. *Si secundum.* Ergo si Deus modo operetur conformiter ad naturam contritionis, & non modum impediat naturalem eius in causando, formaliter etiam per illam tolletur peccatum, siquidem ex natura sua id potest: ergo quando postea gratiam infundit, per illam gratiam peccatum non remittitur formaliter, quia inuenit illum remissum. Quòd omninò falsum esse constat, nam gratiam, & charitatem concurrere ad satisfactionem, & ab illa non excludi, constat ex *Tridentino, Sess.6.Canon.*11. Et ex iustificatione paruulorum, quibus remittitur peccatum per infusionem gratiæ: absurdum est autem dicere aliter iustificari adultos, quam paruulos; & ex ipso etiam peccato constat, quia per ipsum perditur gratia tanquam forma ei opposita; ergo gratia formaliter tollit peccatum, & iustificat nos, non verò contritio.

Vnde ruit Fundamentum Vazquez. Nam actus contritionis conuertit quidem hominem actualiter ad Deum, non tamen habitualiter, neque tollit auersionem, seu maculam habitualem, cui non opponitur formaliter, vnde Deus nondum diligit illum hominem, vt gratum sibi ex parte personæ, sed ex parte actus, & ita relinquit hominem habitualiter auersum; neque etiam est ipsa condonatio Dei, vt tollat peccatum moraliter in ratione iniuriæ, vnde solùm est dispositio actualis conuersio ad habitualem conuersionem, sine qua non est iustificatio: neque Deus dicitur habitare in homine, neque esse in illo per modum habitationis, quæ indicat quid habituale, & permanens. *Et si dicas.* Ergo similiter peccatum non tollit gratiam, neque illi opponitur formaliter, quia est actus, & gratia est habitualis *Resp.* Quòd peccatũ ratione actus non destruit gratiam tãquam forma oppo-

sita

sita directè, sed vt opposita directè ipsi influentiæ diuinæ tanquam impedimentum præstans, ne influat Deus lucem gratiæ in anima. Sicut claudens fenestram opponitur lumini, seu influentiæ Solis, vt dicit *S. Thom.2.2.Quæst.24.Artic.12.* Et ex hoc impedimento necessariò sequitur priuatio, seu macula, & quasi Vmbra in anima per modum permanentis: quamdiu enim est impedita influentia lucis, vmbra, seu macula permanenti modo est, & tollit lucem.

Et ex hoc conuincitur altera sententia, quæ dicebat, contritionem esse dispositionem necessariò connexam cum gratia. Dicimus enim, quòd contritio taliter est dispositio, quòd gratiæ infusio, & remissio peccati in ratione iniuriæ est omninò gratis, & ex misericordia Dei illi coniuncta, & est diuinum beneficium ab ipsa contritione distinctum. Et infusio gratiæ, & ablatio peccati, quæ est quasi secundus effectus eius, non secundarius positiuus, sed priuatiuus, seu negatiuus, id est, corruptio formæ oppositæ, quæ non separatur à primario formali. Ista inquam infusio gratiæ, & ablatio peccati fit omninò gratis, non solùm in sua radice, sed in se formaliter; ergo non potest habere necessariam connexionem cum dispositione aliqua antecedenti: quia quod est necessariò connexum, nullo modo datur gratis posito illo, cum quo connexionem habet. Sicut posita gratia in eo, qui decedit ab hac vita, non est noua gratia dare illi gloriam. Et ita gloria non datur gratis simpliciter loquendo, & in se formaliter, licèt detur in sua radice, scilicet, quia gratia, quæ est radix gloriæ, gratis datur. Quo sensu dicitur ad Rom.6. *Gratia Dei est vita æterna.* Si ergo contritio habet similem cõnexionem cum remissione peccati, quæ est necessariò ei debita, ipsa remissio peccati non poterit dici, quòd fiat gratis, nisi in sua radice, quia scilicet auxilium ad contritionem datur gratuitò, & sic absolutè dicetur, quòd non fiat gratis, sicut absolutè dicitur, quòd gloria datur ex iustitia. Aut saltem sequitur, quòd ista locutio sit falsa: *Pœnitenti gratis remittitur peccatum*, & ista vera, *Pœnitenti ex debito, & ex iustitia remittitur peccatum.* Imo absolutè non est dicẽdum, quòd remittitur pœnitenti, quia remissio est veniæ cõdonatio. Vbi autẽ intercedit iustitiæ debitũ, & necessaria cõnexio, cõdonatio locũ non habet, nec remissio: constat autem, tam ex Scriptura, quàm ex *Trident.Sess.7.8.& 9.* peccata gratis remitti, & nos iustificari gratis, etiam post dispositionem ad quam iustificatio consequitur; de ea enim loquitur *Concilium.* Posita ergo dispositione adhuc gratis fit remissio.

Et manifestè declaratur. Quia omne debitum ex iustitia, quòd interuenire potest, vel est de iustitia meriti, vel satisfactionis, vel naturalis, & physicæ connexionis, sicut inter formam, & vltimam dispositionem. Meritum quidem non est, alias homo per contritionem mereretur de condigno iustificari; quòd est hæreticum contra expressam diffinitionem *Tridentini Sess.6.8.* Vbi inquit: *Ideò nos gratis iustificari, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsam iustificationis gratiam promerentur.* Contritio autem præcedit ipsam iustificationem, tãquam Opus quoddam, & dispositio. Ergo. Satisfactio etiam ad æqualitatem non est. Tum ex dictis *Articulo præcedenti.* Tum, quia illa contritio non procedit ab homine iusto, sed ad iustitiam tendente; ergo vt procedit ab homine, non habet valorem satisfactionis æqualis respectu Dei; cùm enim persona non sit accepta Deo, nec eius satisfactio prout oblata à tali persona erit Deo accepta. Nec denique est naturalis, & physica connexio inter contritionem, & infusionem gratiæ, seu remissionem peccati: quia gratia non requirit physicam dispositionem cum à solo Deo physicè fiat; neque vt vniatur subiecto, cum in paruulis reperiatur, & vniatur secluſa contritione; & cum gratia sit in anima, contritio verò in voluntate. Restat ergo ex his falsam esse secũdam sententiam ponentem necessariam connexionem, inter contritionem, & gratiam.

Tertio supponimus. Quòd contritio in duplici statu consideratur, scilicet, vt formata, & vt subsequitur gratiam, & vt antecedit formationem, & per modum dispositionis se habet ad gratiam. Qui duo status non sunt aliud, quàm duo respectus, & dependentiæ ipsius contritionis secundùm diuersam prioritatem naturæ, secundùm quam in vna consideratione se habet, vt causa, & antecedit; secundùm aliam se habet, vt effectus, & subsequitur (causæ enim adinuicem sunt causæ, & consequenter adinuicem etiam sunt causatæ.) Cæterum contritio sub formalitate, & statu dispositionis non procedit effectiuè à gratia, sed à libero arbitrio, & auxilio supernaturali; sub ratione autem formationis procedit à gra-

gratia effectiuè. Nam vt dicit D. Thom. Quæst. 28. de Veritate, Artic. 8. solut. ad 3. *Contritio procedit à libero arbitrio, & à gratia, & secundùm quod procedit à libero arbitrio est dispositio ad gratiam, simul existens cum gratia: sed secundùm quod est à gratia comparatur, vt actus secundus ad gratiam.* Quod explicans amplius solutione sequenti respondens Argumento, quòd fecerat, Quod *effectus causæ efficientis numquàm est dispositio ad causam efficientem; contritio autem est effectus gratiæ, vt causæ efficientis; nam eodem modo, & genere causæ concurrit potentia, & habitus, scilicet in genere causæ efficientis; ergo ad gratiam non disponit contritio.* Respondet Sanctus Doctor: *Quòd sicut actus formaliter perficit potentiam, ita id, quod ex habitu relinquitur in actu est formale respectu substantiæ actus, quam potentia ministrat, & sic habitus est principium formale actus formati, quamuis respectu formationis habeat rationem causæ efficientis.*

Ex qua Doctrina intelligimus, quòd contritio secundùm se, & secundùm suam substantiam nullo modo est ab habitu gratiæ effectiuè; vt formata autem quantum ad ipsam formationem est effectiuè ab habitu gratiæ; quoad substantiam ergo est à libero arbitrio, vt dicit *Sanctus Thomas*, sed non à libero arbitrio nudo, sed vt adiuto per auxilium gratiæ. Hoc enim est valdè familiare in *Diuo Thoma*, quando dicit *Procedere aliquam dispositionem à libero arbitrio*, ibi non excludere auxilium, sed donum habituale: ab auxilio ergo, & libero arbitrio procedit contritio in illo vltimo instanti, & vt sic est dispositio, respicitque pro effectu ipsam remissionem culpæ, imò & physicè in quodam genere expellit peccatum, vt dicetur postea.

Eadem autem contritio quantum ad formalitatem aliam, scilicet, vt est formata, quæ est perfectio quædam contritionis, seu modus aliquis illius secundùm quod ex cõiunctione ad gratiam perficitur, eique subordinatur, & ad eius finem ordinatur; sic dimanat à gratia, & effectiuè est ab illa, & sic subsequitur gratiam, & est posterior illa. Non est autem inconueniens, quod idem in eodem instanti procedat à diuersis causis efficientibus secundùm diuersas rationes, seu respectus. Sicut homo procedit ab homine, & à sole; & actus virtutis inferioris imperatiuè à superiori, & ab intellectu, vt moto à voluntate per actum imperij. Et sicut ipsemet actus contritionis, quando post existentem gratiam elicitur à virtute pœnitentiæ, & imperatur à charitate, sic loco virtutis pœnitentiæ procedit ab auxilio in instanti iustificationis, & formatur à gratia, & charitate. Et hoc ideò, quia procedit vt dispositio, & non vt merè actus consequẽs, vel concomitans, & sic in genere dispositionis antecedit habitum pœnitentiæ; & consequenter in hac consideratione non procedit ab ipso, & tamen in hac consideratione habet causam efficientem. Ergo ab auxilio pendet effectiuè, non ab habitu.

Restat ergo videre, An contritio prout correspondet auxilio, & præcedit gratiam, suamque etiam formationem, habeat valorem talem, quod sit satisfactio saltem imperfecta; An vt subsequitur gratiam, vel non habeat?

Sit Vnica Conclusio.

IN Sententia Sancti Thomæ certum est, Quod contritio satisfacit ex iustitia imperfecta pro peccato, ita quod non solùm conatur ad satisfactionem ex parte modi, quem seruat, sed etiam de facto satisfacit. Valor autem huius satisfactionis probabile est, quòd conueniat ipsi contritioni ex auxilio diuino, vt antecedit gratiam, & non solùm cõtritioni, vt formatæ per gratiam, sed ab illa gratia habet acceptionem, & supplementum, seu complemẽtum satisfactionis, non formalem rationem satisfactionis.

In prima huius Conclusionis parte communiter conueniunt Thomistæ, præter *Medinam, & Zumel.* Videri potest *Cabrera* in præsenti *Disput.* 14. *num* 83. *Aluarez Disput.* 7. *Concl.* 4. *Nazarius, Controuers.* 5. *Nuño* 2. *Tomo, Quæst.* 85. *Artic.* 3. *Dub.* 2. *Bañez* 1. *Part. Quæst.* 22. *Artic.* 4. *Suarez in præsenti Disput.* 4. *Sect.* 8. *Caietan. Ferrar. Soto*, Alijque ab omnibus citati.

Et conuincitur meo videri apertè ipsis testimonijs *Sancti Thomæ.* Nam loquens de satisfactione pro peccato secundùm rationem culpæ, non quantum ad pœnam ex peccato relictam (vt Aliqui falsò interpretantur) Nam in 4. *Distinct.* 15. *Quæst.* 1. *Art.* 2. Vbi inquit, Quòd nõ potest homo satisfacere si ly Satis *æqualitatem quantitatis importet.* Contingit autem si æqualitatem proportionis importet, & hoc sicut sufficit ad rationem iustitiæ, ita ad rationẽ satisfactionis, *vt solutione ad* 1. ostenditur, quod hæc satisfactio sit formaliter pro culpa, vt offensa est, sic dicit: *Quidam dicunt quòd*

quòd peccatum habet infinitatem ex parte auersionis, & sic gratis dimittitur; sed ex parte conuersionis finita est, & sic pro ea satisfieri potest. Sed hoc nihil est, quia satisfactio non respondet peccato, nisi secundùm quod est offensa Dei, quod non habet ex parte conuersionis, sed ex parte auersionis. Ergo secundùm *Diuum Thomam*, pro ipsa ratione offensæ, & non solum pro pœna debet dari satisfactio pœnitētiæ, quæ sit solùm ex imperfecta iustitia.

Prætereà dicit *Sanctus Thomas*, Quòd pœnitentia est pars iustitiæ, & sub iustitia continetur sicut pars potentialis, non minus quàm Religio; vt patet *in* 4. *Distinct.* 14. *Quæst.* 1. *Artic.* 1. *Quæstiuncula* 5. *Et in* 3. *Parte. Quæst.* 85. *Articul.* 3. Vbi apertissimè ponit emendationem peccati, quàm pœnitens exhibet Deo habere rationem commutationis, & iustitiæ. Et sicut Religio offert cultum Deo non quidem æqualem, sed aliqualem, ita & pœnitentia aliqualem offert compensationem; aliàs si nec perfectè, nec imperfectè satisfaceret secundùm iustitiam, neque perfectè, neque imperfectè esset species, & pars potentialis iustitiæ, quod negat *Sanctus Doctor.*

Denique 1. *part. Quæst.* 21. *Articul.* 4. *ad* 1. *In iustificatione* (inquit) *impij apparet iustitia dum culpam relaxat propter dilectionem, quam tamen ipse misericorditer infundit.* Sed præsertim videndus est *Doct. Sanct.* Quæstion. 28. de Veritat. Artic. 1. ad 8. *In remissione* (inquit) *peccatorum aliqua iustitia seruatur, secundum quod omnes viæ sunt misericordia, & veritas, præcipuè quidem ex parte Dei, in quantum remittendo peccata facit, quod Deum decet. Aliquo etiam modo, sed non sufficienter apparet iustitia ex parte eius, cui peccatum remittitur, in quantum in eo aliqua dispositio ad gratiam reperitur, licèt insufficiens.*

Totum autem fundamentum pendet ex his principijs, quòd per contritionem offertur Deo in recompensam peccati, aliquid habens proportionem cum offensa, etsi non æqualitatem, scilicet aliquid supernaturale, & in hoc genere supernaturali offert aliquid, quod ante peccatum non offerebat, scilicet dolorem, & pœnam pro peccato. Pœna autem pro peccato assumpta, præsertim voluntaria, ordinem recompensandi dicit, quia ex natura rei culpa per pœnam recompensatur satisfaciendo. Ergo si voluntariè assumat, illam satisfaciet. *Item.* Ad imperfectam satisfactionem sufficit, quòd offeratur aliquid, quod sit sufficiens ex acceptione Creditoris, licèt non ex æquiualenti valore; & hac ratione videmus, quod per Religionem redditur Deo debitum secundùm iustitiam imperfectā, licèt non reddatur æquale.

Ex his ergo principijs apertè colligitur, quòd in actu pœnitentiæ debet concurrere satisfactio sufficiens ad imperfectam iustitiam, & satisfactionem amicabilem. Itaque acceptio Creditoris non cadit super aliquid nullam habens proportionem cùm offensa, sicut si Deus paciscèretur, quod propter opus merè naturale vellet remittere peccatum: tunc enim talis remissio esset purè gratuita, ita quod nullam rationem iustitiæ etiam imperfectæ haberet, sed esset merè condonatio extrinseca; vndè si hìc non inuenitur imperfecta iustitia, non relinquitur aliquis locus inueniendi illam, quam tamen dari *Sanctus Thom.* fatetur in præsenti *Art.* 2 *ad* 1.

In secunda autem Parte, ex qua magis pendet explicatio fundamenti primæ partis, variant *Thomistæ*. Quidam enim vt *Magister Albarez* citatus, & *Nazarius* tenet quòd contritio satisfacit, vt est formata gratia; sed *Magister Cabrera*, *Nuño*, & ex parte *Nazarius* conueniunt in nostra Cōclusione. Et mihi videtur eam colligi ex vltima authoritate adducta ex *Diuo Thoma Quæst.* 28. *de Veritat.* Illa enim verba vltima, si bene ponderentur, habent hanc efficaciam: *Aliquo modo, sed non sufficienter apparet iustitia ex parte eius, cui peccatum remittitur, in quātum in eo aliqua dispositio ad gratiam reperitur, sed nō sufficiens.* Ergo dispositio, vt antecedit remissionem, fundat aliquam iustitiam, & consequenter vt antecedit gratiam per quam fit remissio. Et hoc significatly *Dispositio ad gratiam*, id est, non vt à gratia procedit, sed vt ad gratiam tendit. Et præsertim in Sententia *Diui Thomæ*, qui eadem *Quæst.* 28. *Artic.* 8. *ad* 3. In secundo loco positum, vt supra retulimus, dicit: *Quòd contritio vt procedit à libero arbitrio, est dispositio ad gratiam, & secundùm quod est à gratia comparatur, vt actus secundus ad gratiam.* Hic autem dicit: *Quòd in quantum est in homine dispositio ad gratiam fundatur illa iustitia imperfecta.* Ergo loquitur de contritione, non vt est à gratia; sic enim est actus secundus ipsius, vt docet *Sanctus Thom.* sed vt antecedit gratiam, quia sic est dispositio ad eam.

Fundamentum primæ sententiæ est. Quia con-

contritio ad hoc, vt sit satisfactio, requirit valorem actus, quem offerat pro satisfactione, & quod persona offerens sit grata, & accepta Deo; quia si non est ei accepta, nihil iustitiæ potest fundare ad Deum; vtrũque autem habet à gratia habituali, sine qua caret valore intrinseco, quem habet ex participatione gratiæ, & persona non est accepta Deo. Et inde deducuntur alia inconuenientia. Quia prout antecedit gratiam non habet ius meriti respectu gratiæ, etiam de congruo; ergo neque satisfactionis; & quia aliàs ipsa remissio peccati non fieret omninò gratis, sed ex aliqua iustitia, quam antecedenter haberet homo ex vi contritionis, & sic infusio gratiæ supponeret Deum pacatum, & contentum saltem ex vi satisfactionis oblatæ. *Ac denique*, Quia contritio expellit peccatum effectiuè, tam moraliter, quàm physicè; ergo pro illo priori peccatum est expulsum passiuè antequam adueniat gratia, & remissio peccati.

Fundamentum autem alterius sententiæ est ex opposito. Quia contritio, vt subsequitur gratiam, supponit gratiam in subiecto, & consequenter peccatum remissum; ergo iam non supponit debitum in subiecto; ergo prout sic non satisfacit in eodem ad remissionem peccati, sed si satisfacit est ex superabundantia; sicut per totam vitam postquam homo est in gratia, potest plures, ac plures contritionis actus elicere, qui satisfactorij sunt, licèt iam peccatum sit remissum, vt ergo saluetur, quod contritio aliquando satisfacit pro ipso peccato in ordine ad eius expulsionem, & remissionem, oportet quod non supponat peccatum remissum, & gratiam infusam, quia satisfactio de se non fundatur in amicitia præsupposita, sed tendit ad amicitiam faciendam, & reconciliandum personas; ergo non fundatur eius valor in amicitia eliciẽte, sed determinante actus cõtritionis, quia ad hoc fit, vt reconciliatio compleatur; nõ ergo satisfacit vt formata per gratiam, & amicitiam, sed vt egreditur ab auxilio, & terminatur ad conciliandam gratiam, quã habet in eodem instanti.

Nec sufficit solutio Aluarez. Quòd quando infunditur gratia solùm tollitur peccatum, vt macula est; vt autem est iniuria non tollitur tunc formaliter, sed radicaliter: formaliter tollitur per contritionem subsequentem gratiam, quatenus tollit inæqualitatem. *Contra hoc enim est.* Nam gratia non solùm radicaliter, sed formaliter tollit rationem iniuriæ, quia non solùm habet pro effectu formali physico delere maculam, sed etiam moraliter tollere rationem offensæ, & dare remissionem iniuriæ; aliàs non perfectè, & simpliciter iustificaret per formam intrinsecam, vt dicit *Concil. Sess. 6. Cap. 7.* Ergo omni alio remoto tollit formaliter omnem rationem iniuriæ, quia non manet simpliciter homo iustificatus, & amicus nisi tollatur peccatũ, etiam moraliter in ratione iniuriæ, & non solùm in ratione maculæ. Et patet euidenter in iustificatione paruuli, in quo non solùm ratio maculæ, sed etiam ratio iniuriæ tollitur formaliter; aliàs maneret adhuc paruulus baptizatus inimicus Dei moraliter, & offensus illi, cõtra illud *Pauli* Rom. 8. *Nihil damnationis est in his, qui sunt in Christo Iesu.* Esset autem aliquid damnationis, si non esset ratio iniuriæ remissa formaliter, ita vt formaliter non essent offensi Deo, & non solùm radicaliter: ergo cum in eis non sit alia forma tollens peccatum in ratione iniuriæ, nisi gratia, oportet dicere, quod ipsa est de se sufficiens forma ad tollendum formaliter rationem iniuriæ, & non solùm radicaliter.

Cum autem sit valdè absurdum, quòd forma iustificans aliter iustificet in paruulis, quam in adultis, consequenter etiam in adultis fatendum est, tolli rationem formaliter iniuriæ, & non solùm radicaliter per ipsam gratiam iustificantem. Cũ enim gratia sit effectus dilectionis Dei gratuitæ, qua diligit nos, non potest, non secum afferre remissionem peccati, quæ ex tali dilectione resultat: relinquitur ergo quod contritio, vt posterior ipsa gratia, & ad illam consequuta, non tollat peccatum formaliter, quantum ad rationem iniuriæ satisfaciendo, quia iam inuenit peccatum formaliter remissum, & debitum sublatũ, & consequenter si satisfaciendo tollit, vt antecedit gratiam satisfacit.

Et ad Fundamentum oppositæ Sententiæ Respondeti potest. *Ad Primum*, Quòd satisfactio requirit valorem actus, & quod persona sit grata, sed non omnem valorem, cum sit satisfactio imperfecta, nec quod omni modo, & consideratione sit grata: sed contritio, vt antecedit gratiam, habet valorem supernaturalem dispositiuum ad gratiam, licèt non formatum à gratia, & ita minorem valorem habet, quã quando est formata; non tamen nullum habet

habet valorē cùm supernaturalitatem habeat ab auxilio. Et ita fatemur, quod vt procedit à gratia, habet plus valoris, quàm ante formationem; aliquem tamen valorem habet etiam ante. Similiter ad satisfactionem istam requiritur, quòd persona sit grata Deo, non quidem elicitiuè, sed sufficit, quod terminatiuè; id est, quod satisfactio terminetur ad hoc, vt homo habeat gratiam; ad hoc enim tendit, & ad hoc disponit, vt reconcilietur homo Deo, & hoc habet in eodem instanti à parte rei; non tamen requiritur, quod procedat à gratia, vt à principio eliciente, & formante ob rationes dictas. A B

Et Quando instatur, Quod persona, quæ non est grata, non fundat ius aliquod respectu Dei; ergo neque aliquam iustitiam, etiam imperfectam, quia ius, & iustitia idem sunt. *Resp.* Quod satisfaciens imperfectè non fundat aliquod ius, sed potiùs disponit, vt Deus cedat iuri, quod habet contra hominem in quantum læsus est; vnde simpliciter non tollit ius. *Et ad Consequentiam.* Ergo neque fundat, seu importat iustitiam. *Distingues* Iustitiam fundatam in aliquo iure creaturæ, *Concedo:* Iustitiam fundatam in aliqua dispositione, vt Deus tollat ius suum, & cedat illi, *Nego.* Itaque satisfactio ex parte offendentis non supponit ius, sicut meritum ex parte merentis (vt mox dicetur) non supponit ius ex parte personæ offensę, vnde satisfaciens perfectè intendit, per æqualitatem tollere ius, quod habet offensus; & satisfaciens imperfectè intendit disponere vt offensus cedat iuri suo, & remittat offensam, saltem aliquid offerendo. Ad hoc autem non supponitur, quòd persona sit grata, nisi in quantum gratia dat valorem actui, vt oblatus ipsi offenso velit placari, & iuri suo cedere. Si ergo ante gratiam actus habeat valorem, etsi non tantùm, quantùm à gratia, iam aliquid offert Deo, quo disponat, vt cedat ipse iuri suo, & consequenter iã satisfacit ex iustitia imperfecta, non fundando ius, sed disponendo vt alter cedat iuri suo. Vnde satisfactio non facit hominem dignum, vt sibi remittatur iniuria, sicut meritum facit dignum, vt sibi detur præmium; sed si satisfactio est perfecta, recompensat iniuriam, & non facit ita dignum, vt sibi remittatur, sed vt deleatur, & totalitèr recompensetur. Si autem sit imperfecta, non reddit dignum, quasi ius habentem, vt sibi remittatur, sed dispositum, vt velit Deus cedere iuri suo, & hæc est iustitia imperfecta, & secundùm quid, quæ non recompensatiuè aliquid offert, sed dispositiuè, vt Deus gratis remittat, & cedat iuri suo. C D E

Et hinc patet ad secundum fundamentum ex pluribus inconuenientibus. *Ad Primum inconueniens* Dico, quod contritio, vt antecedit gratiam, non habet ius meriti, etiam de congruo ad ipsam gratiam, benè tamen satisfactionis; quia omne meritum supponit dignitatem ex parte personæ, tanquam principium meriti: satisfactio autem non supponit amicitiam, sed tendit ad illam conciliandam. Et ad satisfactionem imperfectam sufficit dignitas aliqua ex parte actus; ad perfectam verò etiam ex parte personæ, secundùm quod ex illa refunditur in actum, vt dicemus Disputatione sequenti.

Ratio autem horum est, Quia meritum importat ius in ordine ad retributionem faciendam per iustitiam distributiuam, quæ respicit dignitatem personarum; quia secundùm proportionem personæ ad præmium reddit illud. Vnde si persona est omnino indigna, nullum ius fundat, nisi vt excludatur à beneficijs distribuendis, neque de congruo, neque de condigno, quia nec habet ius, vt sibi detur per meritum præmij, quod est condignum, neque per meritum beneficij, quod est congruum. Cæterum cùm satisfactio non respiciat ordinem iustitiæ distributiuæ, sed commutatiuæ, quantum est ex se, non fundat ius suum in dignitate personę, nisi secundùm quod illa requiritur ad valorem actus sufficientis: sicut si est satisfactio iniuriæ, oportet, quod quantò excellentior persona humiliata est per iniuriam, tantò excellentior humilietur per satisfactionem. Intendit ergo satisfactio ius creditoris extinguere, non ius ad illum fundare. Hoc autem perfectè extinguitur per recompensationem totalem; imperfectè autem ius per recompensationem partialem reddendo partem debiti, quam potest, vel disponendo, vt Creditor totum remittat. Per contritionem ergo non fit recompensatio debita, nec tollitur pars debiti, sed disponitur homo, vt Deus illi omne debitum remittat; iuxtà illud Matth. 18. *Serue nequam, omne debitum remisi tibi, quoniam rogasti me.* Vbinō pars debiti dicitur remissa, sed totum; & hoc quia rogauit rogatione pœnitentiæ, de qua in præsenti loquebatur, & ita potest fundare rationem satisfactionis imperfectè;

fectè, & dispositiuè, non verò rationem meriti.

Ad secundum inconuenies Resp. Quòd remissio peccati sit omnino gratis, si ly *Omnino* excludat rationem meriti, & iustitiæ; non tamen si excludat omnem dispositionem, ad hoc vt Creditor cedat iuri suo, quæ dispositiuè dicitur iustitia. Etenim quando Apostolus ait, *Iustificari hominem gratis*, non possumus meliorem intelligentiam accipere, quàm quæ ab ipsa Ecclesia traditur in *Concilio Trident. Sess 6. Cap. 8.* Vbi dicitur *Perpetuum Ecclesiæ consensum hoc tenuisse, vt gratis dicamur iustificari, ideò quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promerentur.* Si ergo satisfactio illa, & iustitia imperfecta, quam ponimus in contritione ante infusionem gratiæ, non fundat ius meriti, sed solùm disponit hominem, vt creditor cedat iuri, planè ex sensu perpetuo Catholicæ Ecclesiæ, non aduersatur hoc iustificationi gratis factæ, iuxta *Apostolũ*; apertè enim stat, quod fiat gratis, quia satisfactio illa talis est, & tam insufficiẽs, vt ipse creditor nullatenus obligetur ad dimittendum debitum, sed solùm aliqua proportio est ex parte eius, qui disponitur, vt velit remittere gratis; nam & ipse dicit, *Omne debitum dimisi quoniam rogasti me*; ergo hoc quod offerebatur, dispositio quædam fuit, & nihil debiti destruxit. Et ex hoc sequitur, quòd satisfactio vt antecedit gratiam, non reddit hominem Deo pacatum formaliter, sed dispositiuè, terminatur autem ad gratiam, qua redditur homo pacatus perfectè, & formaliter, ex parte hominis.

Sed dices: Hoc ipso quod aliquis satisfacit, & tollit ius alterius, hoc ipso acquirit ius, ne alter ab eo exigat satisfactionem; ergo hoc ipso est dignus remissione: Ergo satisfaciens imperfectè est dignus remissione, saltem secundùm ius imperfectum, & eo modo, quo meritum decongruo acquirit aliquod ius merenti.

Resp. Quod propriè loquendo, qui satisfacit etiam perfectè, non dicitur acquirere ius, ne alter exigat ab eo, sed propriè extinguit ius creditoris soluendo illi; ipse autem debitor solutus debito, non acquirit ius contra illum, sed manet solutus, sicut antequam debitum contraheret: tunc autem non dicebatur habere propriè ius, ne alter ab eo exigeret; propriè enim non est ius ad istam negationem, sic enim habet vnusquisque respectu omnium hominum, qui sunt in mundo sibi ignoti, ne ab eo exigãt, quod non debet, quod non est ius propriè. Itaque soluens creditori extinguit ius illius, non proprie adquirit ius, & est dignus, non vt sibi remittat iniuriam, sed ne exigat debitum. At verò, qui imperfectè satisfacit, nullum ius etiam imperfectum acquirit, vt alter sibi faciat gratiam remissionis, quia respectu eius, pro quo nõ offert æqualem satisfactionem, nihil iuris extinguit ex parte creditoris, & consequenter nihil iuris in se acquirit, quia ius satisfacientis (si quod est) resultat ex extinctione debiti apud creditorem, vnde solùm est dispositiuus, & proportionatus aliquo modo, vt alter sibi faciat gratiam, non vt iure reddatur.

Aliud est de merito etiam congruo; quia meritum non respicit extinctionem iuris creditoris, sed retributionem præmij, vel beneficij propter condignitatem merentis, aut quasi condignitatem, & ideò habet ius, vt distributor sibi reddat mercedem, seu debitum meriti, ordinaturque hoc ad bonum merentis, non ad bonum creditoris, sicut satisfactio, quę tale ius non inducit contra creditorem. Vnde manet solutum Argumentum, quòd *Magister Nuño* nimis difficile reputat; scilicet, Quia satisfactio, etsi non reddat dignum, vt sibi aliquid cõferatur, benè tamen vt sibi remittatur offensa, quia ad hoc tendit essentialiter: constat enim ex dictis, id non esse necessarium, quia hoc non facit satisfactio, nisi in quantum ius creditoris extinguit; si autem non extinguat illud, non reddit hominem dignum remissione per aliquod ius, sed dispositum, vt sibi fiat gratia, & hoc est imperfecta iustitia dispositiuè, vt dictum est.

Ad Tertium inconueniens Respond. Quòd ea difficultas pertinet ad Materiam de Pœnitentia, quo modo Pœnitentia expellat peccatum moraliter, & physicè? Interim sufficiant verba Sancti Thomæ annotare 3. Part. Quæst 85. Artic. 2. in Corpore ad 3. *Quod pœnitentia expellit omne peccatum effectiuè, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex diuina gratia, homine cooperante.* Vbi nota, quòd peccatum opponitur multis, & ideò etiam à multis expellitur, ab vno quoque in suo genere: sicut forma aliqua, quæ corrumpitur, potest à multis efficientibus expelli, sicut & opposita produci. V.g. peccatum iniustitiæ opponitur gratiæ, vt tollenti rationem maculæ, & auersionis habitua-

bitualis; charitati ratione finis vltimi, ad quem iustitia ordinabatur; iustitiæ speciali, ex parte suæ speciei, & conuersionis ad obiectum oppositum iustitiæ; pœnitentiæ secundùm quod dicit iniuriam Dei, quam recompensare intendit pœnitentia eo modo, quo potest. Et ideò omnia ista concurrunt ad expellendum peccatum, sed non quodlibet eorum adæquate expellit, & cõpletè, sed in suo genere, & incomplete; vnde ex eo quod expellatur ab vno, non sequitur, quòd est expulsum peccatum absolutè, sed secundùm quid, & ex parte. Sicut ergo quando Sol, & homo generant hominem, Sol non generat absolutè, sed sub ratione Corporis; homo verò sub ratione hominis, & causæ vniuocæ: sic quando dicit S. Doctor: *Quòd pœnitentia expellit effectiuè, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex diuina gratia, homine cooperante*, designat apertè rationem formalem sub qua pœnitentia attingit peccati expulsionem, scilicet, *In quantum est remissibile diuina gratia, homine cooperante*. Est autem remissibile ratione iniuriæ, & quia iniuria etiam per gratiam tollitur formaliter, non sub quacumque ratione attingitur à pœnitentia, sed *vt remissibile est diuina gratia homine cooperante*, id est, homine aliquo modo satisfaciente, & conante ex se. Quare posito eo conatu, ante infusionem gratiæ, non perfectè peccatum est expulsum, sed tantum dispositiuè, & inchoatiuè; restatque adhuc expellendum formaliter, & completè per ipsam remissionem peccati secundùm infusionem gratiæ.

Pœnitentia autem expellit ante gratiam moraliter satisfactiuè imperfectè, secundùm quod est remissibile peccatum mediante aliqua cooperatione, id est, dispositione nostra; gratia autem secundùm quod est remissibile completè, & absolutè. Physicè autem expellit peccatum, quatenus inæqualitatem causat impedientem physicam formam, qua formaliter tollitur; sub illa enim formalitate inæqualitatis, & iniustitiæ ad Deum, non tollitur peccatum à gratia, neque à charitate, aut alia virtute, quam à pœnitentia: non autem se habet contritio, seu actus pœnitentiæ, vt dispositio physica actiua, & immediata ad formam, quæ ipsam formam actiuè producat, aut vniat subiecto, cum hoc solùm fiat à Deo physicè, vel ab instrumento Sacramentorum, sed se habet vt dispositio physica passiua, & quasi mediata. Sicut diaphanæitas se habet ad lucem, & rotunditas cœli ad motum circularem, quæ ita disponunt subiectum ad recipiendas formas, quod tamen non illas efficiendo attingunt, sed mediare debet aliud agens, quod lucem diffundat diaphano, aut motum Cœlo; per se autem expellunt formam contrariam receptioni lucis. Sed de his alibi.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Homo iustus possit pro veniali Peccato satisfacere ad æqualitatem?

RATIO dubitandi pro parte negatiua videtur sumi ex dictis. Nã per peccatum veniale fit vere, & propriè aliqua offensa, & iniuria Deo, etsi imperfecta, & secundùm quid; ergo læditur aliquod ius Dei: hoc autem ius est infinitum; ergo debet satisfieri ad æqualitatem per personam infinitam, sicut diximus de mortali peccato. *Antecedens manifestum est*, Quia Deus habet ius, vt sit finis vltimus cuiuscumque actus humani, non solùm habitu, sed etiam actu; nam ad omnia illa habet ius, ad quæ se potest extendere causalitas finis vltimi; causalitas autem finis vltimi non solùm nata est extendi ad actus humanos secundùm habitum, sed etiam secundùm actualem relationem ad se, vt patet in actibus bonis moralibus; ergo qui priuat actum illa actuali relatione, & ordinatione ad Deum finem vltimum, priuat eum aliquo iure, & facit illi aliquam iniuriam; ergo non est ad æqualitatem reparabile per actum aliquem personæ finitæ, quia in his actibus persona illa non cedit iuri suo aliquo respectu Dei, sed potius auget ius suum, & perficitur per hoc, quod conteratur, & magis subijciatur Deo.

Et Confirmatur. Quia Deus verè remittit peccatum veniale; nam per orationem Dominicam petimus, *Dimitte nobis debita nostra*. In qua petitione peccata venialia includi, *Patres* communiter docent, & ex illis *Thomistæ* 3. *Part. Quæst.* 87. *Art.* 3. Ergo

habet peccatum veniale veram rationem iniuriæ respectu Dei, aliàs non esset materia remissibilis, si non esset iniuria. Quòd si verè remittit; ergo & gratis; omnem enim remissionem peccati gratis fieri, & per gratiam, *Scriptura* passim docet, & ipsum nomen *Remissionis* indicat; nec enim remittitur, nisi quod gratis donatur.

Et adhuc Confirmatur secundo, Quia posita illa satisfactione hominis iusti, vel Deus tenetur illam acceptare secundùm leges iustitiæ, vel non. Si tenetur acceptare, sequitur satisfactionem pro veniali, non solùm esse condignam, sed ex toto rigore iustitiæ; nec magis satisfacere pro eo Christum, quam hominem purum, quia supremus rigor iustitiæ est talem exhiberi satisfactionem, quæ non possit non acceptari à Creditore Si non tenetur acceptare; ergo posset Deus vtens iure suo, hominem perpetuò priuare beatitudine, quia non acceptata satisfactione, non tollitur culpa venialis, & ea non ablata, non potest obtineri beatitudo. Si ergo potest non acceptare, potest priuare beatitudine, & consequenter etiam gratia, & charitate, quæ sunt gloria in semine; atque adeò de se peccatum veniale esset punibile perpetuò, & consequenter irreparabile ab ipso homine, solùm autem ex misericordia Dei haberet, posse reparari, & temporali pœna recompensari; quæ omnia sunt omninò absurda, & contra communem sensum *Thomistarum*, & Theologorum, præsertim 1.2. *Quæst.* 72. *Artic* 5. & *Quæst.* 88. *Artic.* 1. & 2.

Communis tamen Theologorum Sententia (excepto *Magistro Petro de Soto, de Institutione Sacerdotum, Cap.* 18.) Tenet hominem iustum satisfacere de condigno pro veniali, imò aliqui ex Antiquis videntur per actus purè naturales condignè satisfieri peccato veniali; quod tamen simpliciter vitandum est, & *Pater Suarez* illud censurat *tanquam sapiens errorem Pellagij*. Nam satisfactio venialium valdè conducit ab obtinendum beatitudinem; per vires autem naturæ non potest fieri aliquid ad beatitudinem supernaturalem conducens. Inducuntur autem Theologi ad hoc asserendum, Tum ex natura ipsa peccati venialis: Tum ex natura gratiæ. Ex natura quidem peccati venialis, Quia peccatum veniale ab intrinseco est reparabile, cùm relinquat in homine conuersionem ad finem vltimum, ex quo reparari potest tanquam ex primo principio, quidquid retardat ipsius assecutionem; peccatum autem mortale est irreparabile ex se, quia tollit principium vitæ, scilicet conuersionem ad finem, vnde omnia media ordinantur, vt optimè declarat *Sanctus Thomas* 1.2. *Quæst.* 88. *Artic.* 1. Si autem peccatum veniale habet principium intrinsecum reparationis; ergo & satisfactionis, quia si non maneret principium satisfactionis in homine, & peccatum veniale exigit ad sui reparationem satisfactionem; ergo pro hac parte non esset reparabile ab intrinseco, & ita simpliciter non esset reparabile, quia ad hoc sufficit, quòd ex aliqua parte reparabile non sit; nam saltem pro hac parte, qua non esset reparabile iuxtà satisfactionem, quæ necessariò requiritur ad eius reparationem, amitteret principium reparationis quantum ad aliquid ad reparationem requisitum, vnde ex hac parte peccatum mortale esset, quia priuaret principio reparatiuo interiori, quod est principium vitæ. Vnde si sine satisfactione reparari non potest, & ad hoc principium non habet, sequitur carere simpliciter principio reparante interius, quod est esse mortale.

Ex parte etiam gratiæ idem ostenditur. Quia gratia est ius ad gloriam, non solùm physicum, sed morale; quia non solùm hominem renouat interius, sed etiam remittit offensam, vt est effectus dilectionis Dei, (vt diximus suprà) ita quod decedenti in gratia, non potest negari gloria in perpetuum, & hoc habet ex natura sua, cum Gratia Dei sit vita æterna, & per quam sumus diuinæ consortes naturæ, & in Deo manemus, &c. Quæ passim *Scriptura* docet. Per peccata autem venialia non tollitur istud ius; ergo si non remaneret ius in ipsa gratia ad tollenda venialia voluntate non resistente, sed solùm ex defectu satisfactionis, posito peccato veniali maneret illud ius perpetuò impeditum, quantum est ex se. Vel ergo haberet ius vt sibi auferretur illud impedimentum, vel non. Si non haberet, esset per inde, atque carere iure, quia non habere ius, vt tollatur illud, sine quo non potest obtinere gloriam, est non habere ius ad gloriam. Si autem habet, ergo potest satisfacere, quia sine satisfactione non est ius, vt tollatur. Nam quod tollatur sola satisfactione, (vt *Scotus* voluit) scilicet per nudam

nudam sustinentiam pœnæ, excluditur à *Diuo Thoma* in 4. Distinct. 16. Quæst. 2. Artic. 3. Quæstiunc. 3. ad 3. & Quæst. 7. de Malo, Artic. 11. Præsertim ad 9. *Quia pœna directè non opponitur culpæ, vt culpa est, sed solùm debito, seu reatui, quem homo incurrit per culpam; cùm enim culpa sit voluntaria, pœna autem inuoluntaria (aliàs pœna non esset) fit, quod ratio culpæ non contrariatur, neque recompensatur per pœnam, quatenus inuoluntariè sustinetur, sed quatenus voluntariè, & sic actus voluntatis expellit veniale, non verò nuda sustinentia pœnæ.*

Tota ergo Difficultas consistit in Respondendo ad Rationem dubitandi positam in principio; & quomodo actus nostri habeant æqualitatem cum offensa peccati, & satisfaciant pro illa; in hoc enim non conueniunt Theologi. *Vazquez* enim *Disput. 3. Cap. 3.* Tria dicit: *Primum* satisfactionem pro veniali, non ideò esse perfectam, quia perfectè conuertat hominem ad Deũ, vt vltimum finem; sic enim etiam pro mortali esset perfecta, quia conuertit hominem in finem tam perfectè, sicut mortale auertit; nec quia persona est digna, & iusta; nam etiam contritio eum, qui est in peccato mortali facit iustum, aut supponit, quia procedit ab habitu gratiæ. *Secundum est,* Quòd ideò satisfactio pro veniali est perfecta, non verò pro mortali, quia illa fit sine vlla condonatione, non ista, quia per peccatum veniale non incurrit quis debitum perpetuò carendi auxilio gratiæ, aliàs puniretur pœna æterna; & ideò quando datur homini, etsi gratis detur, non tamen per modum alicuius condonationis; vnde per ipsum auxilium sibi datum satisfacit perfectè; quia de se est sufficiens tollere maculam venialis contritio, sicut & mortalis sine nouo fauore, & aliàs non supponit condonationem alicuius debiti, vt detur auxilium, sicut supponit auxilium, quod datur peccatori; ergo est perfecta.

Tertium est, Quòd illud auxilium, quod datur homini iusto ad tollendum veniale, est gratia redemptionis ex meritis mortis Christi, & consequenter soluit aliquod debitum, non quidem contractum ex peccato veniali, sed ex originali, vel mortali, ratione cuius habet debitum carendi perpetuò illo auxilio, quo emundari potest à veniali; sicut etiam efficax perseuerantia datur per Christum tanquam gratia redemptionis, tollitque aliquod debitum cõtractum, non ex peccato veniali, sed mortali.

Cæterum hoc Tertium dictum Vazquez reputo plusquam falsum, nequid amplius dicam. Nam si in homine iusto, post remissum peccatum originale, adhuc remanet debitum perpetuò carendi auxilio ad tollendum veniale; ergo homo iustus cum peccato veniali haberet in se sufficiens debitum, vt perpetuò excluderetur à gloria secundùm iustitiam; nam habebat debitum perpetuò carendi illo principio, sine quo non poterat tolli veniale, & consequenter neque ad gloriam peruenire; ergo originale peccatum, aut mortale aduenientè gratia adhuc retinet aliquid damnationis, in his qui venialiter peccant, scilicet debitum perpetuò carendi principio remissionis venialium; quo si careret perpetuò, nunquam videret Deum. Hoc autem est expressè contra Apostolum Roman. 8. *Nihil nunc damnationis est in his, qui sunt in Christo Iesu.* Quòd exponens Concil. Tridentin. Session. 5. Cap. 5. Dicit, *Quòd in renatis nihil odit Deus; quia nihil damnationis est his, qui verè consepulti sunt in Christo, ita vt nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.* Si autem haberent debitum perpetuò carendi auxilio ad tollendum veniale; posito veniali haberent aliquid quod remoraretur à cœli ingressu, nisi Deus ex sua misericordia vellet illud tollere; ergo haberent aliquid damnationis remorantis à cœli ingressu; quod est hæreticum. Quare iustus non habet debitum priuatiuè perpetuo carendi auxilio gratiæ, aut perseuerantiæ, sed non est illi debitum, & gratis datur, licèt per Christum vt redimentem. Sicut omnis etiam gratia actualis ad operandum post iustificationem, non quia quodlibet auxilium redimat formaliter ab aliquo debito, sed quia datur subiecto redempto, ex vi primariæ redemptionis dimanat.

Et ita relicta ista ratione debiti, pro qua non fit satisfactio ab homine iusto (vt etiam fatetur *Vazquez*) in peccato veniali restat videre, quomodo pro ratione iniuriæ satisfacit ad æqualitatem, & non pro peccato veniali, cum vtrobique persona offensa sit infinita. Quod communiter alij Authores reducunt ad

hoc, quod persona infinita attingitur per peccatum secundùm quid,& finito modo, non faciendo illi iniuriam simpliciter,quia non aufertur ab eo ratio vltimi finis, sicut in peccato mortali; licèt ex parte obiecti possint aliqua venialia peccata,versari immediatè erga Deum, sicut motus indeliberatus infidelitatis,aut blasphemiæ,vt *Cabrera* aduertit contra *Suarez*.

Vt ergo penetrari possit,& intelligi, quo modo peccatum veniale non lædat ius diuinum, nec sit contra dignitatem personæ infinitæ, *Est notandum.* Quòd respectu peccati venialis Deus habet ius per modum legislatoris, contra cuius præceptum fit actus peccati venialis: respectu autem peccati mortalis,& habet ius legislatoris,& simul finis vltimi, quod tollitur per tale peccatum subtrahendo hominem ab ipso; nam finis vltimus non potest finalizare actum, nisi finalicet etiam ipsum operantem,quia finis vltimus est finis operantis,& non solùm operis; est enim finis vltimus causa ipsius efficientis vt causet,& consequenter non debet finalizare solùm ipsum actum, sed etiam ipsum agens vt operetur, & eliciat Non potest ergo causalitas causæ finalis extendi ad ipsum actum, nisi medio operante, & finalizando ipsum operantem.

Vnde vlterius fit, quòd peccatum veniale, cum supponat operantem finalizatum à fine vltimo, non potest habere alium finem vltimum, à quo finalicetur, cum hic non possit influere in actum, nisi influendo,& finalizando operantem. Nec requiritur, quòd finis influat in omnem actum, & eodem modo, id est in se,& formaliter, sed sufficit, quod habitualiter, mediatè, & negatiuè,id est,mediante aliquo, quod non habet contrarietatem cum ipso, nec tollit rationem finis vltimi ab illo: qui enim venialiter peccat,intēdit aliquid facere propter aliquid, dummodo non contrarietur charitati, quia si contrariatur, non vult illud,& in hoc quod vult,*Dummodo non contrarietur charitati*, finalizatur à charitate habitualiter, & quasi negatiuè, & in alio sibi coniuncto,non in se: compatitur enim hunc modum finalizandi charitatis ipsum veniale, vel quia materia ipsa, seu obiectum ita leue est, quod non est contra finem, vel quia ipsum agens non tali modo agit,quod agat contra finem, quia indeliberatè agit.

Sic ergo Dicimus, Quòd ius diuinum vt sit finis vltimus omnium actionum humanarum, est primo, & per se vt sit finis vltimus mediante ipso operante, & sit finis operantis: quod autem vlterius extendatur, ita vt non solùm negatiuè, sed dispositiuè, & formaliter influat in actus,pertinet quidem ad causalitatem finis; non tamen priuatio eius est contra dignitatem finis, sed contra extensionem quandam huius finis ab operante ad actum, quod non tollit, quin Deus possideat vt finis vltimus ipsum operantem, & possidendo operantem,etiam possideat, & subijciat sibi actionem habitualiter, licèt non actualiter: vnde non simpliciter facit contra ius diuinum,quia non simpliciter facit contra possessionem Dei, & subiectionem hominis ad Deum, sed contra modum iuris diuini, quia scilicet Deus non omnimodo subijcit sibi illum actum, id est, secundùm relationem actualem in Deum; benè tamen secundùm habitualem. Facit tamen contra Deum,vt legislatorem, quia in rei veritate contra legem virtutis alicuius est peccatum veniale,vtpotè displicens Deo, non tamen est contra finem legis, vt benè obseruat *Caietanus* 1.2. *Quæst.* 88. *Artic.* 1. in calce Commentarij,quia *Finis legis est charitas*, vt dicit Apostolus, quam veniale non tollit, sed solùm impedit egressum eius ad extra,id est ad actionem,& materias virtutum; & ideò peccatum veniale non facit peccantem Deo displicentem, quia non tollit charitatem,& gratiam, licèt ipsum peccatum Deo displiceat, & ideò macula eius non est propriè, & simpliciter macula, quia non tollit interiorem pulchritudinem, sed solùm impedit, ne exterius appareat, sicut puluis, aut lutum inhærens in facie,vt benè notat *S. Thomas in* 4. *Distinct.* 16. *Quæst.* 2. *Artic.* 1. *Quæst.* 2. *ad* 3. *& Artic.* 2. *Quæst.* 1. *ad* 1. *&* 1.2. *Quæst.* 89. *Artic.* 1.

Ex his ergo Respond.ad Argum. ex ratione dubitandi, & *Dico ad Antecedens*, Quod per peccatum veniale fit aliqua offensa secundùm quid, & contra præceptum,sed non contra finem præcepti. *Et ad Conseq.* Ergo tollitur ius secundùm quid,& quo ad aliquam extensionem,*Concedo*. In se simpliciter,*Nego*. Et ita non tollitur ius infinitum simpliciter, sed secundùm quid, id est modus,seu extensio iuris infiniti. *Et ad Prob. Dist. Antec.* Deus habet ius,vt sit finis

vlti-

vltimus, non solùm habitu, sed etiam actu, eodem modo respectu vtriusque, *Nego*. Diuerso modo, *Concedo*. Est enim Deus finis vltimus in actu ipsius operis mediante finalizatione ipsius operantis; vnde qui facit contra finem operis, & operantis, tollit ius finalizationis diuinæ simpliciter. Qui autem non facit contra finalizationem operantis, sed operis, non tollit ius diuinum simpliciter, sed secundùm quid, retinetque radicem, vnde possit ipsam extensionem finalizationis, & causalitatis diuinæ resarcire; atque adeò non lædit ius diuinum propriè, & simpliciter, sed secundùm quid, id est, secundùm quemdam modum, seu extensionem.

Et ad vltimam. Ergo, qui actu non ordinat, facit contra aliquod ius impediendo illud, quo ad extentionem, & modum aliquem, *Concedo*. Tollendo ipsum ius, quo ad principalitatem, & radicem eius, *Nego*. Manet enim ius diuinum quo ad hoc, quod habetur pro fine vltimo ab ipso operante, in quo radicaliter est tota ratio diuini iuris, licèt non maneat extentio, qua deriuatur in actum, vt actualiter referatur in ipsum finem in ratione actus. Vnde quamdiu non tollitur ius supra ipsum operantem, sed tantum retardatur, & impeditur ne exeat in opus, non tollitur ius a Deo, etiam quod habet, vt opus ad se referatur actualiter, quia ibi manet radicaliter hoc ius, quamdiu ei operans manet subordinatum, licèt impeditum. Et ideo non requiritur quòd aliqua persona cedat iuri suo, vt ad æqualitatem satisfaciat, sed quod retardationem istam tollat ex vi ipsius subiectionis ad Deum ex parte operantis, in quo radicaliter conseruatur ius diuinum, etsi non explicatur.

Et ad instantiam Vazquez, Quòd verè est offensiuum Dei peccatum veniale, & contra præceptum ipsius. *Respond*. Esse verè offensiuum, & contra legem; non contra finem legis, neque contra amicitiam Dei, vnde non fit Deo iniuria simpliciter, & propriè, nec tollitur ius, sed solùm inobedientia contra legem. Vt autem recompensetur inobedientia, quando solùm fit contra legem, & non fit propriè iniuria legislatori, non requiritur persona infinita, quia non requiritur ad satisfaciendum persona, quæ cedat iuri suo, qualis est diuina, sed quæ subdatur per obedientiam, qualis est creata. Non habere autem ipsum pro fine vltimo in peccato mortali est iniuria proprie loquendo, quia quasi subtrahitur ab eius dominio in genere causæ finalis, & rebellat contra Deum ponendo finem in creatura, iuxta illud Iob. 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini*. Et Ieremiæ 2. *Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas*. Vnde ad hanc iniuriam tollendam requiritur, quòd aliqua persona, quæ possit cedere iuri suo satisfaciat. Nulla autem creatura quantumuis perfecta cedit iuri suo ex parte personæ humiliando eam; quin potius perficitur ex eo quod subijciatur Deo, sed solùm imperfectè subijciendo illi actum per pœnitentiam recompensat.

In peccato autem veniali, quia non tollitur ius finis vltimi, siquidem persona manet sub illo verè, etsi non actu, non requiritur ad æqualem satisfactionem, quod persona cedat iuri suo, sed quod actus subijciatur, & tollat retardationem, & impedimentum huius iuris. *Nec sequitur* æquè nos satisfacere pro veniali, atque Christus. Quia etsi non esset necessaria eius persona infinita ad satisfaciendum; semper tamen satisfactio erat perfectior, & abundantior ex parte personæ, & aliàs ex toto rigore. Nam quod dicit *Vazquez* efficaciorem esse propriam satisfactionem, quam Christi ad emundandum nos à peccato, sequenti Disput. confodietur.

Ad 1. Conf. Resp. facilè, Deum verè, & propriè remittere peccatum veniale dando gratis pretium, quo reddatur illi satisfactio, & reparatio illius per formalem gratiam sanctificantem, seu auxilium, non autem quia sine satisfactione illud remittat, & hoc est remittere debitum æquiualenter: nam in idem recidit, quod debitori remittatur formaliter peccatum, & quod à creditore detur pretium, quo sibi soluat ad æqualitatem. Vnde opera nostra sine gratia à qua procedunt, non haberent satisfacere ad æqualitatem pro veniali.

Adde, quod etiam de facto sæpè fit vera, & formalis remissio peccati venialis, quoniam scilicet ipse motus, seu actus ratione cuius remittitur, non est directè contra veniale, sed virtualiter tantùm: tunc enim Deus supplet remittendo, quod actus non habet formaliter tollere. Sicut in aspersione aquæ benedictæ, & aliis sacramentalibus docent peritiores Theologi, infra *Quæst.* 87.

Ad 2. Conf. Respond. vnico verbo, Quòd

Deus potest non acceptare de facto illam satisfactionem, si consideretur vt supremus Dominus; non tamen si consideretur vt iustus Iudex; quia Deus ex suppositione talis satisfactionis debet necessariò iudicare, quod illa sit condigna respectu talis peccati, & ita non iudicat insufficientem. Quia tamen est supremus Dominus omnis creaturæ potest non acceptare illam, non quidem iure Iudicij, sed iure supremi dominij, ratione cuius etiam hominem iustum (imò beatum) potest perpetuò priuare gloria de potentia absoluta. Vnde illa satisfactio, vt de facto acceptetur, indiget pacto, & lege Dei, non quidem fauorabili, & supplente aliquem valorem in satisfactione, sed tanquam conditio applicans, & requisita, vt de facto non reijciatur à Deo tanquam supremo Domino, quod nullatenus minuit condignitatem, & æqualitatem satisfactionis in genere iustitiæ, quia iustitia diminuitur quidem ex eo, quod fiat mediante aliquo fauore, & pacto extrinseco; non tamen ex pacto per modum contractus, qui antecedat ipsam operationem, non superueniat ipsi.

Vnde soluitur illa Difficultas, quam sæpè, & importunè inculcat *Vazquez*;

A Quòd si iustificatio nostra, præter formam interius renouantem, requireret pro complemento pactum, & acceptationem Dei, illa forma non esset condigna ad iustificandum; quia illa posita adhuc maneret aliquid, quod displiceret Deo, indigens pacto, & acceptatione ipsius vt remittatur. *Sed ex dictis* hoc facilè explicatur. Nam in iustificatione nostra (vt supra dictum est) requiritur quidem fauor, & remissio gratuita, non tamen superueniens gratiæ, sed

B causans gratiam, à qua ipsa gratia dimanat, vt effectus gratuitæ dilectionis Dei, sed etiã in satisfactione omnino æquali illa acceptatio, seu pactum dicitur esse complementum, non ad præstandum dignitatem, & supplendum valorem, qui desit illi formæ, sed vt applicans ipsam condignam satisfactionem, ne reijciatur à Deo; sicut laborans in vinea facit actum condignum mercede, & tamen nisi fiat pactum tanquam applicatio illius laboris ad conductum, non tenetur illud soluere ex iustitia; non quia id requiratur ad supplendum valorem, sed vt applicatio, vt de facto soluatur ex iustitia, Sed de his alibi.

DIS-

DISPVTATIO SECVNDA
DE SATISFACTIONE DEI HOMINIS.

TRIA Sunt, *quæ præcipuam difficultatem faciunt circa satisfactionem Dei hominis*. Primum, *Vnde habeat valorem sufficientem ad satisfaciendum pro iniuria peccati?* Secundum, *An sit satisfactio, non solùm perfecta ex parte valoris, sed etiam ex toto rigore iustitiæ?* Tertium, *A qua virtute eliciatur talis satisfactio? Et ideò de singulis Difficultatibus singulos articulos instituemus.*

ARTICVLVS I.

Vtrùm valor satisfactionis Christi habeat infinitatem intrinsecam desumptam à Supposito?

HÆC *Difficultas* procedit de valore desumpto ex parte principij *Quod*, seu suppositi. Et supponendum est principium *Quod* actionum esse ipsum suppositum, seu personam, non autem natura; licèt tamen *Vazquez* hic *Disput.* 8. *Cap.* 2. Contendat humanitatem Christi, non solùm in concreto, sed etiã abstractè significatam esse principium *Quod* satisfactionis, & non solùm principium *Quo*; non tamen humanitatem nudam, sed vt deificatam, seu sanctificatam, & vnctam diuinitate, ex qua sanctificatione accipit valorem satisfaciendi tanquam ex forma, non tanquam ex principio proximo *Quod* operationum.

Non possumus autem immorari in hac Opinione impugnanda, sed breuiter æquiuocatio eius aperienda est; quia fortasis solùm in verbis, & modo loquendi ludificat. Oportet enim explicare quid intelligat *Vazquez* per principium *Quod*, & principium *Quo*; ex horum enim definitione, & declaratione tota difficultas soluitur. Nos enim secundùm communem sensum *Philosophorum* intelligimus per principiũ *Quod*, principium operans tanquam totum quoddam terminatum, & subsistens in se: principium autem *Quo*, ipsam formam, ratione A cuius fit operatio. Sicut enim se habet aliquid ad esse, ita, & ad operari, quia operari sequitur esse; videmus autem, quod illud habet esse vt *Quod*, quod est totum, & subsistens; illud autem habet esse vt *Quo*, quod est forma dans esse: sicut calor, & calidum, nam calor est forma, qua aliquid redditur calidum; calidum autem est ipsum subiectũ recipiens calorem, habensque illum incõmunicabiliter. Ac proinde tunc significatur aliquid vt *Quo*, quando significatur vt B pars informans, & communicabilis; tunc autem vt *Quod*, quando significatur vt totum, non amplius communicabile, atque adeò terminatum, & subsistens.

Et de hoc videndus est *S. Thomas* 2. 2. *Quæst.* 58. *Artic.* 2. Quòd *Actiones propriè sunt suppositorum*, & totorum, non autem partium, & potentiarum, seu formarum. *Et* 3. *Part. Quæst.* 35. *Art.* 2. *& Quæst.* 20. *Art.* 1. *ad* 2. *& Quæst.* 46. *Art.* 12. Et hac ratione in diuinis ex diuerso modo significandi, C non dicimus quod *Deitas generat*, sed quod *Deus generat*, & qui ponunt quod in Deo datur subsistentia absoluta, ideò id ponunt, quia Deitas est non solùm principium *Quo*, sed *Quod* operationum ad extra, & incommunicabilis alteri supposito extraneo, quia nihil potest significari vt *Quod* nisi significetur, vt subsistens.

Ex hac ergo communi, & vsitata forma loquendi infertur manifestè, sententiam *Vazquez* esse omninò falsam; quia humanitas nullo modo est subsistẽs, nisi per subsistentiã Verbi, vt fides docet; ergo nullo modo significari potest, vt pricipiũ *Quod*, nisi mediante persona Verbi: cũ autẽ humanitas significet solùm id, quod est naturæ creatæ,

&

& nullo modo id, quod subsistens est (fatetur enim fides quod Verbum assumpsit humanitatem, & negat quod assumpsit subsistens, seu personam) impossibile est quod humanitas se habeat, vt principium *Quod* operationis humanæ, sed principium *Quo* respectu ipsius suppositi, seu personæ in qua talis natura subsistit. A

Si autem velit dicere *Vazquez*, quod humanitas, & natura, etiam vt non subsistens, potest dici principium *Quod*: Quæstio est de modo loquendi, & malè confundit cõmunes terminos loquendi apud Philosophos, qui distinguunt principium *Quod*, & *Quo*, per hoc quod vnum significatur, vt totum, & subsistens; aliud significatur, vt forma, & ratio, seu quasi pars, qua aliquid est tale. Et quando *Patres* dicunt quod *Humanitas satisfacit*, & quod *Secundùm quod homo Christus vicit mundum, & In forma serui redemit nos*, Et similes alias locutiones: nũquam excludunt suppositum, seu subsistentiam, sed explicant principiũ proximum *Quo*, & formam, qua fit talis operatio, non excludendo suppositum: sicut dicimus quod calor calefacit non excludendo subiectum calidum, sed supponendo. *Redemit ergo nos in forma serui: Satisfacit in quantum homo: Meruit secundùm humanitatem*, non tamen id quod satisfacit, meruit, & redemit, vt *Quod* est humanitas, sed Verbum per humanitatem. Sed de his non est cur amplius tempus teramus, cùm sit receptissimum inter Philosophos, quod *Actiones sunt suppositorum*; nec in principijs adeo manifestis Disputatio est admittenda. Videatur *D.T.* infrà *Quæst.* 19. *Artic.* 1. & *Quæst.* 46. *Artic.* 12. *Magister Albarez hic Disp.* 3. B C D

Non tamen relinquam aduertere *contra Vazquez*, quod ex eius sententia (si in hac parte à nobis differt) inconuenientia maxima sequantur. Nam fides apertè docet Verbum, seu Diuinam personam operationes humanas exercuisse in natura assumpta; nam filius Dei natus est, & passus pro nobis, vt *in Symbolo* confitemur; & hoc non solum per communicationem idiomatum, sed tanquam persona vera, & propria illius naturæ; sicut enim persona Petri ambulat, patitur, & agit, sic persona illius hominis ambulabat, agebat, & patiebatur, non autem erat alia persona, quàm Diuina; persona autem nõ est principium *Quo*, sed *Quod*, cum sit ipsum totum, non forma, seu natura. Si ergo humanitas erat etiam principium operans vt *Quod*; erant in Christo duo operantia vt *Quod*, scilicet persona, & humanitas; ergo erat aliud, & aliud; nam si humanitas erat principium *Quod*, & humanitas realiter distinguitur à Verbo; ergo erat aliud à Verbo, eo modo, quo erat principum *Quod* distinctum à Verbo. E

Dicere autem Quod in Christo est *aliud*, & *aliud* neutraliter, est error illorum, qui ponebant in Christo duo suppositа, & vnã personam, quod maximè accedit ad hæresim Nestorij. Et in se est hæresis damnata ab Ecclesia, vt *Sanct. Thom.* affirmat infra *Quæst* 17. *Artic.* 1. & *Quæst.* 2. *Artic.* 3. Ergo vel *Vazquez* debet concedere, quòd sunt duo principia *Quod*, & consequenter quòd sunt duo neutraliter, & *aliud*, & *aliud*; vel sentire Nobiscum, quod Verbum non est principium *Quod*, sed humanitas, & sic Verbum non agit, neque patitur. Vide *Nazarium* hìc *Controuers.* 3.

Hoc suppositо Quatuor hìc se offerunt explicanda. *Primum est*, An valor infinitus conueniat actionibus Christi? *Secundum*, An intrinsicè conueniat: An solum denominatione aliqua extrinseca? *Tertium*, A quo principio profluat immediatè ille valor; An à suppositо, vel à gratia, seu sanctificatione animæ? *Quartum*, Quomodo suppositum concurrat ad illam infinitatem præstandam? Vt autem harum Quæstionum clarior resolutio breuitèr haberi possit:

Considerandum est; Quòd actus ab eisdem principijs potest habere valorem, & perfectionem, à quibus habet esse; nam qui dat esse, seu formam, dat perfectionem, & consequentia ad formam. Pendet autem actus humanus, & moralis præcipuè à duobus principijs, scilicet à subiecto eliciente, & ab obiecto specificante, in quo aliæ causæ continentur: nam finalis ex parte obiecti inuoluitur, & materialis ex parte eliciẽtis se tenet; cùm recipiatur actus in principio à quo elicitur. A quatuor autem causis pendet quicunque effectus, seu actus, & ab illis perfectionem, & valorem sortitur, sicut & esse.

Secundo supponendum est, Intrinsicè, & realitèr dependere actum ab istis principijs: licet enim ipsa extrinseca sint actui, ordo tamen ad illa, & dependentia actui ipsi intrinseca est. Sic enim videmus, quod potentia, habitus, & actus realitèr, & intrinsicè pendent à suis obiectis, ab illisque

ac-

accipiunt perfectionem, & specificationē, & omnis effectus pendet realitèr à suis causis, etiam extrinsecis, habetque ordinem, & relationem ad illas. Sic ergo in satisfactione, & actibus Christi Domini, qui mediante humanitate fiunt, & inuenitur ordo realis ad obiectum, à quo specificantur, & ad principium à quo procedunt. Concurrit autē duplex principium scilicet *Quod*, & *Quo*, & adhùc in principio *Quo* est diuersitas, quia & ipsa natura, seu forma substantialis, & potentia, & habitus sunt principia *Quo* interse subordinata, & vnum se habet, vt virtus, & quasi instrumentum alterius, & ad omnia illa dicit ordinem actus egrediens ab illis, quia realiter ab illis causatur. Principium autem *Quod* est vnum tantum, scilicet ipsum suppositum, quod non influit in actum per distinctam causalitatem, aut influxum ab ipsa natura, sicut nec per distinctam virtutem, sed ex ipsa natura cum suis potentijs, & ex supposito fit vnum operans integrū, & totale, ita quod ipsum totum, seu ipsa persona est operans; & natura, seu forma, aut potentia est id per quod operatur: sicut homo operans per manum, & ipsa manus operatur, & homo, pendetque motus realitèr ab vtroque, non tamen per distinctum influxum, sed homo, & manus eadem actione operantur, sicut eadem virtute, & potentia, homo tamen vt *Quod*, & manus vt *Quo*.

Vltimò supponendum est, Quod in actionibus Christi, quæ procedunt ab humanitate, non datur infinitas aliqua physica, neque ex parte obiecti formalis specificatiui, neque ex parte principij *Quo*, aut virtutis, neque ex parte alicuius physicæ entitatis superadditæ actibus. Supponimus enim omnia principia *Quo* in humanitate Christi esse finita physicè, & entitatiuè; nam de ipsa natura, seu substantia humana, constat finitam entitatem esse, cum sit creata substantia. Similitèr, & potentiæ, quæ sunt propriæ passiones ab illa dimanantes, vt intellectus, & voluntas. Habitus etiam ei superaddiri vt gratia, & virtutes infusæ, aut acquisitæ, quia gratia non fuit infinita intensiuè in Christo, & entitatiuè, vt determinat *Sanct. Thom. infrà Quæst 7. Artic. 11. & 12.* Licet in esse gratiæ infinita dicatur, quatenùs coniuncta est suo principio proprio, sicut lux solis coniuncta est proprio principio lucis & calor ignis proprio principio caloris: neque enim datur aliqua infinita qualitas cathegorematicè producta de facto à Deo.

Vnde sequitur, Quod cùm omnia principia humanitatis productiua actionum sint finita physicè, & entitatiuè, ipsi etiam actus finiti sunt physicè, quia suppositum Verbi cum operatur mediante natura humana, & operationes humanas producit, non tribuit illis aliquam physicam entitatem, quæ non egrediatur ab ipsis potentijs, & virtute naturæ humanæ. Neque enim suppositum efficientèr physicè influit in operationes aliqua influentia, quæ non sit mediante virtute ipsius naturæ, cuius est suppositum. Et multo minus id verificatur in Verbo Diuino, quod nullam potest habere efficaciam in operationes humanas, non mediante natura humana, & virtute eius vt principio *Quo*, nisi talis efficacia, & influxus sit communis toti Trinitati, quamuis esset influxus, & operatio ad extra, quæ omnibus personis communis est, vtpotè egrediens ab eadem omnipotentia.

Quare Diuinum Verbum non alitèr influit vt suppositum humanitatis, nisi terminando ipsam naturam, & constituendo totum, quia media tali natura, & virtute eius operatur, non seorsum. Vnde patet vlteriùs, quòd nō superadditur operibus Christi aliqua entitas, seu formalitas infinita; nā entitas ista, seu formalitas, aut est aliquid receptum in ipsis actibus, eisque inhærens, & conueniens; vel non? Si non est in ipsis; ergo non manent ipsi actus, & satisfactio physicè infinita per talem entitatem; siquidem in ipsa non est, & consequentèr non reddit illam infinitam: & ad quid ponitur talis entitas infinita? vel vbi ponitur, si satisfactionem, & actus non reddit infinitos? Si verò in ipsis recipitur; ergo recipitur ad modum recipientis, atque adeo si recipiens est finitum, scilicet ipse actus, etiam illa entitas, seu formalitas. Et rursùs egredi debet, & emanare cum ipso actu à suo principio *Quo*; ergo non potest esse magis infinita physicè, aut metaphysicè, quàm ipsemet actus egrediens. Quare seclusa omni infinitate physica quantum ad entitatem in actibus Christi, Respondendum est difficultati primæ positæ.

Ad primam Difficultatem Respondeo, Non esse dubitandum, quòd valor actionum, & satisfactionis Christi sit infinitus infinitate morali, & satisfactiua. Hæc conclusio post *Extrauag. Clement. 6.* Negari non

non potest absolutè loquendo. Et quidem *Scotus*, qui pro contraria parte citatur, & scripsit ante *Clementem*, non absolutè negat omnem infinitatem in merito Christi; sed in 3. *Dist.* 19. *Quæst. Vnica*, §. *In ista Quæstione*, determinat quòd meritum Christi in se formaliter non fuit infinitum, etiam per respectum ad suppositum; quia omnis respectus eius erant finiti (quod est dicere fuisse finitum physicè, & entitatiuè) addit tamen, quòd ex circunstantia suppositi, & ex congrua ratione eius, habuit quamdam rationem extrinsecam; quia Deus potuit acceptare illud in infinitum, scilicet pro infinitis extensiuè. Vnde differentia *Scoti* ab Alijs non est in negando infinitatem absolutè; sed in modo ponendi illam, scilicet secundùm extrinsecam rationem, vel intrinsecam, quod parum differt à modo, quem postea explicabimus. *Ioannes de Medina* etiam negat infinitatem intrinsecam, & ex natura rei in satisfactione Christi, admittit tamen illam quasi extrinsece, ex acceptatione Dei.

Sed quidquid sit de hoc, esse in satisfactione Christi valorem infinitum moralem abstrahendo ab hoc, an sit intrinsicè, vel extrinsicè illi conueniens, colligitur apertè ex definitione *Clementis VI. in Extrauag. Vnigenitus de Pœnitentijs, & remissionibus*. Vbi duo docet, *Alterum est*, Quòd Gutta sanguinis Christi propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficisset. *Alterum*, Quòd propter infinita Christi merita non potest consummi, aut minui Thesaurus Ecclesiæ relictus pro indulgentijs; ergo secundùm determinationem *Pontificis*, tribuenda est infinitas meritis Christi, & non infinitas secundùm quid, quæ simpliciter finitas est: nam si simpliciter fuerunt finita merita, malè assignat *Pontifex* causam, quia consummi, aut minui non possit thesaurus: quòd enim finitum est simpliciter, minui, & consummi potest, licèt ex obiecto, aut aliunde dicatur secundùm quid infinitum.

Nec ista infinitas reduci potest ad extrinsecam Dei acceptationem; cùm dicat Pontifex: *Quòd propter vnionem ad Verbũ gutta sanguinis sufficisset*; ergo ex illa vnione participat valorem satisfaciendi pro toto genere humano, atque adeo non est, quòd aliud principium quæramus. Hanc Conclusionem habet *S. Thomas hic Artic. 2. ad 2.* Dum tribuit efficaciam infinitam satisfactioni Christi, vtpotè Dei, & hominis existens. Et in 3. *Distinct* 20. *Quæst. 1. Artic. 3. ad 2.* Dum visum corporalem Christi dicit habere infinitum valorem ex diuinitate coniunctum, in quantum non erat vita puri hominis, sed Dei, & hominis.

Ad secundam Difficultatem dico, Probabilius esse hunc valorem moralem esse realiter intrinsecè in operibus Christi. Volumus dicere, quòd hic valor moralis, seu æstimatio passiua non consistit in aliqua extrinseca deputatione, quæ purè est aliquid rationis; sicut Iudex deputatur à Rege, & ex tali deputatione extrinseca, debetur sibi æstimatio, & reuerentia: & pecunia etiam deputatur ad aliquem valorem vltra naturalem, deputatione extrinseca, quæ nihil reale ponit, sed denominationem rationis. Sed dicimus, quòd moralis æstimatio illarum actionum, consistit in intrinseco ordine, & dependentia ad suum principiũ, à quo egrediũtur, & talis vnio, quæ in actibus ipsis est ordo realis, seu dependentia à supposito, est id quo formaliter moraliter habent illa opera valorem, quatenus formaliter moraliter reddunt illa opera vnita, & coniuncta rei infinitæ. Sicut actus inferiorum virtutum, ex eo quod subijciantur, & imperentur à virtute superiori, procedantque ab eius imperio, & directione, maioris valoris sunt; non per deputationem extrinsecam, sed per ordinem, & motionem extrinsecam, & receptam in inferiori: & vnumquodque ex eo quod coniungitur suo superiori magis perficitur, vt sæpè docet *D. Thomas*, præsertim 1. *Part. Quæst.* 106. *Art.* 1. & *Quæst.* 111. *Art.* 1.

Igitur operationes Christi non perficiuntur, & æstimationem, seu valorem sortiuntur per aliquam extrinsecam deputationẽ, vel acceptationem Dei, quæ sit moralis dignitas secundùm denominationem rationis, sed per intrinsecam, & realem processionem à suo principio, quatenus per hanc processionem, seu dependentiam, & ordinem ad ipsum sunt ei vnitæ, & censentur esse aliquid eius. Hæc Conclusio efficaciter probatur ex verbis relatis Pontificis, & Doctrina S. Thomæ. Nam dicit Pontifex, Quòd *gutta sanguinis Christi propter vnionem ad Verbum sufficisset pro redemptione humani generis*. Vbi non loquitur de gutta sanguinis quasi materialiter, & in se, sed prout effusa in passione; & sic effusio

guttæ

guttæ sanguinis propter vnionem suffeciſſet. Qua etiam ratione perpetuò *Sanct. Thomas* explicat hanc infinitatem, vt patet 1. Part. Quæst. 25. Artic. 6. ad 4. *Quòd humanitas Christi ex hoc quod est vnita Deo, habet dignitatem infinitam.* Et 3. *Part. Quæst.* 48. *Artic.* 2. *ad* 3. inquit *Quòd dignitas carnis Christi non æstimanda est solum secundùm carnis naturam, sed secundùm personam assumentem in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.* Et idem de dolore passionis Christi asserit in Quæst. 46. Artic. 6. ad 6. *Quòd virtutem infinitam habebat ex Diuinitate vnita.*

Ex hoc ergo colligitur Argumentum. Ex vnione ad Verbum reddebatur caro Christi, & eius operatio infinitæ dignitatis; sed vnio ista non erat deputatio extrinseca, aut denominatio rationis, sed realis, & intrinsecus respectus; ergo per realem, & intrinsecum respectum habebatur valor iste infinitus. *Maior* sunt ipsa verba Pontificis in Extrauag *Minor* constat ex principijs fidei: nam quod caro, & anima Christi sint realitèr vnita Verbo, Fides docet, & quod operationes sint vnitæ, ratio naturalis demonstrat; quia realitèr egrediuntur à persona operante mediante natura; ergo saltem in ipso egredi sunt ei coniunctæ, & aliquid illius, omni extrinseca deputatione, & denominatione rationis semota.

Dices. Totum quod est in hac vnione, seu respectu ex parte actionum est aliquid finitum realitèr; ergo non potest realiter, & intrinsicè denominare actum valoris infiniti, sed finiti: neque enim denominat realitèr, nisi quatenus informat actum realitèr; informat autem vt quid finitum in actu in quo recipitur; ergo denominat, vt quid finitum.

Item. Quia si hæc vnio, seu coniunctio ad Christum est sufficiens ad dandam infinitam dignitatem; ergo quæcunque res habuissent realem contactum, & vnionem ad Christum, manerent infinitæ dignitatis, etiamsi essent inanimatæ; & etiam actiones purè naturales, & partis vegetatiuæ essent dignitatis infinitæ. Immò omnes actiones Dei, vt creatio animæ rationalis, conseruatio Vniuersi, & concursus cum actione mea, etiam peccaminosa, esset dignitatis infinitæ, & sic etiam mea actio erit dignitatis infinitæ, ob coniunctionem ad Deum operantem mecum. Vnde *Sanct. Thomas* 1. *Part. Quæst.* 25 *Artic.* 6. Citato, eodem modo dixit habere infinitam dignitatem humanitatem Christi, & beatitudinē creatam, & beatam Virginem, quia est Mater Dei, quæ certè infinitatem solùm habēt secundùm quid.

Ac denique. Quia si esset infinita simplicitèr, non haberet premium, quod ipsi reddi posset; nec nostra satisfactio esset necessaria; nec deberet actus multiplicare Christus Dominus, vt pro nobis satisfaceret, quia primo actu, etiam minimo, vt potè infinito, totum quod mereri posset, esset exhaustum, & pro omnibus peccatis satisfactum; ergo reliqui erant ociosi.

Ad. 1. *Resp.* Quòd quidquid est in illo actu etiam Vnio, & relatio, si considerentur realitèr phisicè, & subiectiuè, vt quid receptum in ipso actu, est phisicè finitum; si autem consideretur terminatiuè ex parte rei infinitæ, seu personæ, cui vnitur, & vt est aliquid eius, sic formalitèr moralitèr reddit actum infiniti valoris. Itaque illa actio personalitèr est infinita, formalitèr phisicè finita: nam illa operatio ex eo quod est procedens à Verbo, vt à persona proximè producente, habet coniunctionem ad Verbum, vt ad determinantem illam operationem, ita quod illa operatio est aliquid Verbi, & Verbum aliquid illius, vt principium Quod illius, & ideo æstimationem, & præcium recipit ex inclusione illa, qua includit personam Verbi per modum terminantis, seu principiantis actiones; non enim actio appretiatur morali æstimatione, seorsum considerata à suo principio à quo egreditur, & à suo termino cum quo identificatur. Licet ergo operatio sit finita phisicè, & relatio, seu ordo, prout in illa est, subiectiuè sit etiam phisicè finita, tamen quia terminatiuè, & personalitèr hæc relatio includit rē valoris infiniti, scilicet Verbum, vt principium à quo egreditur, sic habet æstimationem valoris infiniti non phisicè; quia Verbum non reddit illam phisicè infinitam, sed moralitèr, quatenus ex coniunctione illa phisica, & inclusione rei infinitæ meretur æstimari in infinitum.

Et sicut Philosopht dicunt Locum esse aliquid immobile, & tamen superficies ipsa mobilis est; & rursus ordo, & relatio distantiæ, vt subiectatur in superficie, etiam mobilis est, vt tamen terminatur ad aliquid fixum, scilicet Polos, reddit locum in ratione distantiæ, & situs immobilem terminatiuè. Sic actio Christi in se phisicè finita est, & relatio ad suum principium, prout in ista recepta est phisicè finita; vt tamen termi-

na-

natur ad ſuum principium, illudque includit quodammodo,& eſt aliquid eius,redditur valoris infiniti terminatiuè,& perſonaliter Vnde Deus non æquè diligit illam ſatisfactionem,atque diligit ipſum Verbum abſolutè loquendo ; quia ex parte phyſicæ entitatis remanet finitè diligibilis , & ex parte ipſius dignitatis habet illa actio ſolùm quaſi moraliter , & ex coniunctione ad Verbum, ipſum autē Verbum ex ſe,authoritatiuè , & principaliter , & phyſicè habet infinitam diligibilitatem.

Ad ſecund. Reſp. Non omnes actiones eſſe capaces moralis æſtimationis,& pretij; neque omne quod coniungitur Chriſto, quocumque genere coniunctionis , nam quidquid eſt inanimatum , aut actio purè naturalis non eſt capax meriti, aut ſatisfactionis, & conſequenter neque infinitum valorem ſatisfactionis habere poteſt : ſicut neque Verbū vnitum tribueret ſanctificationem Naturæ lapidis , ſi eam aſſumeret; quia non eſt capax;quam tamen tribuit humanæ naturæ. *De actionibus* autem Dei, quibus operatur vt cauſa vniuerſalis. *Reſp.* Quòd illæ,ſi ſumantur pro actione exiſtenti in Deo,ſunt ipſemet Deus,& ſic ſunt infinitæ in omni genere. Si verò ſumantur pro actione effecta,quæ recipitur in creatura,illa taliter eſt extra Deum , quod non eſt ſpecialiter vnita Deo, & terminata ab ipſo, & tracta ad hoc vt ſit aliquid Dei perſonaliter,ſicut nec ipſa creatura producta;& ideò creatura non habet ſpecialem aliquem valorem ex tali productione , nec homo ex coniunctione ad illum concurſum , ſed communem, & generalem illam rationē, qua creatura Dei refertur ad Deum , quod de ſe manifeſtum eſt , quantum in valore morali differat ab eo , quod ſpecialiter , & perſonaliter eſt actio Dei, illique vnitum.

Similiter Quando *S. Doctor* dicit, *Habere infinitam dignitatem humanitatem Chriſti , Beatitudinem creatam , & B. Virginem*, non facit paritatem , nec comparationem alteri , ſed omnibus attribuit infinitatem, relinquendo vnicuique eam, quam ſecundùm modum ſuum exigit , & in alijs locis ſpecialiter explicat. Cur autem dignitates aliæ ſint infinitæ ſecundùm quid,& moraliter,& hæc humanitatis,& actionis Chriſti ſit infinita ſimpliciter?(licèt id clarius explicabitur in ſolutione ad 3. & 4. difficultatem) nunc breuiter Dico, Quod aliæ dignitates reſpiciunt Deum vt obiectū , cui ſubordinantur,vt Beatitudo creata, & Maternitas B. Virginis , licèt proprius accedat ad ordinem vnionis hypoſtaticæ, adhuc nō habet perſonaliter vnitum Deum,ſed eſt ei coniuncta , vt ſubſiſtenti, & exiſtenti intra ſe; & conſequenter adhuc vt quid extrinſecum,& per modum termini correllatiui, ſeu filij illum attingit. Actiones autē Chriſti procedunt à Perſona diuina , non vt ab obiecto , ſed vt à principio operante. Eſt autem in æſtimatione morali lata diuerſitas,quod aliqua operatio. V.g. Genuflexio attingat Regem,vt obiectum,vel procedat à Rege vt ab operante:nam Genuflexio ad Regem , cùm reſpiciat illum , vt ſuperiorem,& procedat ab inferiori,non moralizatur à Regia dignitate in valore, niſi ſecūdùm quid, & valdè remotè : Genuflexio autem procedens à Rege, ita eſt coniuncta, & vnita Regi, quod æqualitatem cum ipſo habet in valore;quia hoc quod eſt perſonaliter procedere à Rege , non ponit in numero, moraliter loquendo, cum Rege.

Eleuando autem iſta ad Deum,attingere illum vt obiectum,vel terminum correlatiuum,eſt attingere ipſum vt ſuperiorem ab inferiori , & non moralizatur æquali dignitate , & valore cum ipſo Deo ; actio autem procedens perſonaliter à Deo quaſi ad æqualitatem cum Deo moralizatur; quia non ponit in numero in æſtimatione morali actio procedens , & principium à quo procedit, & ideo æſtimationem habet infinitam ſimpliciter; non verò eam habet actus beatitudinis , vel charitatis, niſi obiectiuè,& ſecundùm quid.

Ad Tertium Reſp. Poſſe dari præmium infinitum , eo modo, quo meritum infinitum eſt,ſcilicet,non in eſſe phyſico , ſed in æſtimatione morali ; ſicut ſi Chriſtus dirigeret actiones ſuas, vt vniretur perſona diuina alteri naturæ ; tunc enim natura illa maneret dignificata infinitè moraliter ; de facto autem non applicauit Chriſtus merita ſua pro tali præmio , ſed pro alijs rebus. An verò de facto aliquid collatum fuerit Chriſto per modum præmij,quod eſſet valoris infiniti? Infra *Quæſt.* 19. diſputari ſolet,& *D. Thomas in Artic.* 3. ſatis inclinatur in partem negatiuam , quantum ad ea, quæ ſibi meruit Chriſtus ; quia totum hoc fuit minus dignitate merentis. Et ita *Magiſter Medina* ibi ſolùm concedit præmium infinitum ex parte modi, ſcilicet , quia datum eſt de rigore iuſtitiæ quidquid meruit, non autem ex parte rei collatæ. Alij autem etiam ex parte rei collatæ dicunt habuiſſe ali-

aliquod præmium infinitum, scilicet reuniones humanitatis ad Verbum in Resurrectione; de quo videatur *Aluarez hic Disput. 43. Suarez Disp. 4 Sect. 4.*

Nec etiam sequitur nostram satisfactionem non esse necessariam, si Christi satisfactio fuit infinita, vt impiè Hæretici obijciunt. *Tum*, Quia debemus imitari Christũ in actionibus suis, iuxtà illud 1. Petri, *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius* Tum, Quia debuit nobis applicari Christi satisfactio mediantibus actionibus nostris, etiam satisfactorijs, non vt suppleremus defectum satisfactionis Christi, sed vt illam nobis applicaremus simpliciter, iuxtà illud ad Colo enses 1. *Adimpleo ea, quæ desunt passioni Christi in carne mea.* Tum denique, Quia sicut pertinet ad perfectionem causæ primæ, quòd illa sola nõ operetur, sed ex abundantia sua faciat alias causas operari; ita pertinet ad abundantiam satisfactionis Christi, vt non solùm ipse satisfaciat, sed etiam alios satisfacere faciat.

Denique ad id, quod dicitur de multiplicatione operum Christi. *Resp.* Quod licèt minima actio ex parte suppositi haberet infinitatem, & in hoc esset sufficiens, & æqualis alijs; ex parte tamen obiecti, & speciei suæ non omnes erant æquales. Ordinauit autem Christus meritum suum, non solum ex valore personæ, sed etiam superaddendo valorem ex parte principiorum specificorum, & obiecti: debuit enim satisfactio eius esse exemplaris, & consequenter maior respectu omnium aliarum satisfactionum; & non solùm debuit satisfactionem exhibere ex parte conditionis personæ, sed ex parte ipsius pœnæ, ad quam homo tenebatur, vt dicit *S. Doct. in 3. Dist. 20. Quæst. 1. Artic. 3. & 3. Part. Quæst. 46. Artic. 6. ad 6.* Et præterea etiam idem voluit mereri pluribus actibus, quia pluribus titulis, vt dicit *S. Thomas* infra *Quæst. 34. Artic. 3. ad 3.*

Ad Tertiam Difficultatem Respondeo, Valorem, dignitatemque actionum Christi desumi ex principio *Quo*, & *Quod*: & à principio *Quo* habet valorem, dignitatemque quasi specificam, & consequenter non æqualem omnibus actibus, sed iuxtà perfectionem diuersarum virtutum; à quibus eliciuntur, diuersæ perfectiones sunt. At verò à principio *Quod* habent illæ actiones valorem, æstimationemque infinitam. Hæc conclusio ex præcedenti patet. Nam quod actus ex parte principij *Quo*, scilicet ex potentia, & habitu à quo procedit, habeat suam honestatem, & moralitatem, dubitari non potest, cum sint eiusdem speciei cum actibus nostris, V. g. actus charitatis, humilitatis ieiunij, &c. ergo deberet habere valorem, seu perfectionem specificam, quam nostri actus habent. Ex parte autem principij *Quod*, habent dignitatem infinitam in valore, & æstimatione. Et difficultas reducitur in explicando, Quomodo suppositum concurrat ad talem valorem tribuendum, quod in 4. Difficultate expedietur.

Solum ergo in præsenti inquires, An iste valor sit aliquid pertinens ad bonitatem moralem, ita quod sicut actus virtutis in Christo; V. g. actus Orationis, habet bonitatem moralem ex obiecto, & fine, ita ex supposito habeant aliquam bonitatem moralem, saltem vt pertinens ad circunstantiam *Quis*, vel Quomodo vocandus sit ille valor, qui ex supposito prouenit? *Respondet* P. Suarez hìc *Disput. 4. Sect. 4. §. Ad Argum. Respond.* Valorem prouenientem à supposito esse distinctum à bonitate reali, quæ est differentia actus in esse virtutis, vel illi aliquo modo intrinsecè inhæret, sed pertinet ad quandam moralem æstimationem ipsius actus, secundùm quam, licèt sint finiti in entitate, & intrinseca moralitate; sunt tamen infiniti valoris ex dignitate personæ prouenientis. Et ponit exemplum in contritione, quæ secundum se intelligitur habere totam intrinsecam bonitatem moralem, & tamen nisi intelligatur in supposito grato, non intelligitur habere valorem, & dignitatem meriti; posita verò gratia illam habet non aucta, neque mutata eius bonitate intrinseca.

P. Lorca hic Disp. 6. n. 16. Negat actiones Christi accipere valorem à supposito, tanquã à circunstãtia extrinseca, sed tanquã à principio operãte, & principio actionũ. Et *n. 11.* dicit Substãtiã esse eis extrinsecã, nõ quidẽ quo ad entitatẽ, sed quo ad valorẽ, & æstimationẽ, quæ per se consideratur ex parte operãtis.

Ego verò existimo, Quod licèt inter circunstantias morales numeretur à Theologis persona operans, de quibus *S. Thom. 1. 2. Q. 7.* Tamẽ dignitas ista moralis, quæ dicitur valor, seu pretiũ actionum Christi, non pertinet ad talẽ moralitatem humanam, neque ad circunstantiam eius, quia persona in tantũ redditur circunstantia, in quantũ à ratione regulãte sumitur, vt conditio, seu accidens cõcomitãs subsantiã actus humani in indiuiduo hic, & nunc; & secundũ hanc rationem dat moralitatẽ secundùm quam à dictamine, & regula rationis consideratur, & ipse actus per conformitatẽ ad talem regulam, assumit moralitatem ex circunstantia prouenientem, & ita obiectũ circunstantionatum, & regulatum à ratione, est quod dat moralitatem actui.

At verò dignitas, & valor in ratione meriti dignificans actiones, tribuit ipsis pretium, solũ ex coniunctione, quã habent ad princi-

pium meriti, & sic vocatur à D.Thom.1.2. Q.114. *Art.*3.dicente, *Quòd attenditur pretium operis secundũ dignitatẽ gratiæ, per quã homo consors factus diuinæ naturæ adoptatur in filium Dei*, Hoc autem pretium operis non deriuatur in ipsum ex cõformitate ad regulas rationis, sed ex ipsa coniunctione, & quasi informatione, qua principium meriti informat actus efficiendo illos. *Et huius ratio est*, Quia valor iste non consistit in conformitate cum lege, vel regulis operandi, sed in æstimabilitate passiua, quã habet erga alios, erga quos homo meretur; non ergo persona quatenus circunstantiæ rationẽ exercet, & accidens quoddam est moralitatis descendentis à regulis rationis; sed quatenus æstimabilitatem passiuam fundat in ordine ad alios, dicitur dare valorẽ meriti; hoc autẽ habet actus ex coniunctione ad talem personã, vt ad principiũ à quo egreditur; ex illa ergo habet hanc moralitatẽ, nõ quidẽ regulationis à ratione, sed æstimabilitatis passiuæ. Circũstãtia ergo personæ operantis nõ dicitur actũ ipsum moralizare, quasi immediatè, sed mediante obiecto à quo, vt regulato à regulis rationis, & consequenter circunstantijs ornato sumit actus moralitatẽ.

At verò dignificatio operis non deriuatur in ipsum opus à principio operante mediãte obiecto, quod circũstat, sed mediante cõiunctione, seu egressione, quia circunstantia non moralizat, nisi vt regulis rationis pensatur, & iudicatur, atque adeò vt obiectiuè apprehenditur ab ipsis; dignitas autẽ non ex regulatione rationis, sed ex valore quod in se habet principiũ illud, cui in re cõiungitur actus æstimatur. Vide *Cabrerã* hic *Disp.*5.*n.*178. Hæc autem æstimabilitas passiua fundatur in reali respectu, quo actio egreditur à tali principio, eique coniungitur, nõ in denominatione rationis, qua scilicet ab æstimatione Dei, vel hominũ reddatur tãti valoris, vel à qualibet alia denominatione extrinseca; in quo recedimus à *Suarez*, ob rationẽ supradictam, atque adeò ipsa vnio realis nõ est formaliter æstimabilitas moralis, sed fundamentaliter; fundatur enim in vnione ad Verbum, quia talis natura, seu actio est digna, vt æstimetur, seu honoretur infinitè.

Ad Quartam Difficultatẽ Resp. Varijs modis intelligi posse, quòd suppositũ informet, aut coniungatur suæ actioni, (relicta illorum Opinione, seu potius imaginatione, qui dicebant operationes Christi satisfactorias nõ esse simplices operationes, sed cõpositas ex operatione diuina, & humana; sicut ex actione imperante, & imperata fit vna actio in genere moris, quia Verbo vnito humanitati naturaliter eius operationes subdebãtur vt ortæ ab illo) relicta ergo hac imaginatione, quæ valorẽ tribuit actionibus Christi, non vt præcisẽ coniunctis suppositо, sed vt coniunctis actioni diuinæ (quod benè impugnat *Cabrera Disp.* 5.*n.*91.) Varijs modis intelligi potest talis cõiunctio, aut informatio suppositi cũ actionibus. *Nam Primò*, Suppositũ se habet vt operans *Quod*, & actus vt egrediens ab illo. *Secũdò*, Actio præsertim immanens habet vnionem saltem mediatam ad Verbum, sicut vnũ ex accidentibus eius. *Tertiò*, Suppositum induit rationem obiecti, seu materiæ circa quã versatur ipsa actio, quatenus per actus reflexos Christus se ipsum offert, & humiliat Deo.

Itaque suppositum, & influere potest infinitatẽ per modum obiecti actionis reflectentis supra ipsum suppositũ, & per modum subiecti sustentantis actiones, & per modũ producentis efficienter illas vt *Quod*, & per modũ sanctificãtis formæ, qua humanitas sanctificatur, & per consequens omnes eius operationes redduntur valoris infiniti. Et non negamus omnes istos modos inueniri de facto in suppositо, vt per illos cõiungi intelligatur actionibus Christi, licèt nõ in omnibus secundum omnes modos, & per illos influere intelligatur, seu communicare illis dignitatem suam. Sed Quæstio, & difficultas est, Quisnam modus ex illis requiratur, aut sufficiat, vt valor iste, & dignitas communicetur?

Et in hoc diuisi sunt Theologi. Quidã attribuunt valorẽ suppositо, vt sanctificãti humanitatem, sicut *P. Vazquez* supra impugnatus, faciens humanitatẽ principium *Quod* operationis satisfactiuæ, quatenus deitate sanctificata humanitas operatur. Et Aliqui putant hanc satisfactionẽ solùm per extrinsecam denominationẽ actibus Christi conuenire. Alij existimant à suppositо, vt efficienter operãte prouenire istũ valorẽ; non quia solùm se habeant vt principiũ terminans naturã, & operationes eius, sed vt aliquid influens in ipsas operationes. Alij existimant non quamlibet actionẽ Christi esse dignitatis infinitæ, sed solùm actiones illæ, quæ reflectuntur supra ipsam personam, & humiliando illam Deo includunt illam tanquam materiam, & quasi partem sui; & sic ab ipsa vt inclusa in actibus, tanquam res humiliata, & oblata Deo, accipiunt actiones illæ infinitam dignitatem.

Hæc est Sententia Mag. Asturicensis in Relectione de Gratia Christi, *Pag.* 327. Qui docet, quòd qui alteri satisfacit, non solùm operationem suam, sed etiam se ipsum alteri subijcit; & videmus quòd non in omnibus actionibus dignitas personæ refunditur in actiones: sicut videmus quòd actio comedendi præciosum, non est maioris valoris, absolutè loquendo, in Duce, quàm in milite; est autem maioris valoris Genuflexio,

seu

seu humiliatio Ducis, quàm militis. Quod nō est ob aliud, nisi quia in illa prima actione non sit aliqua subiectio, seu humiliatio personæ, sicut in secunda, & ita valor satisfactionis includit, non solùm subiectionem actionis, sed etiam personæ in ordine ad alterum. Itaque apud *Asturicensem*, infinitas satisfactionis non sumitur solū ex persona extrinsecè considerata, & per modum agētis, sed prout ingreditur satisfactionē quasi pars eius intrinseca, quatenus satisfaciens se subijcit ei, cui satisfacit, vt expresè ponit *Pag. 337.*

Addit tamen, Quod cum in actionibus Christi concurrerit quadruplex formalitas, scilicet, *Sacrificij, Satisfactionis, Sanctificationis*, seu meriti, & *Redemptionis*; formalitas *Redemptionis* accipiebat infinitatē, non ex persona operante, sed ex re oblata, seu pretio; ita quod si per impossibile offerretur à persona finita illa effusio sanguinis, quæ erat pretium, & res oblata, sufficit ad redēptionē. E contra verò *Satisfactio, Sacrificiū, Meritum*, ex personæ operantis dignitate sumebatur, quatenus non solū operabatur, sed se ipsum etiam operando subijciebat Deo, sic enim satisfaciebat. Vnde idem erat valor operantis, & rei oblatæ, distincto tamen modo concurrebat ad rationem redemptionis, & ad alias rationes. Eadem sententiam *Asturicensis* tenet *Nazarius* hìc *Controu. 2. in 1. Part. Controuersiæ.*

Nihilominus verius existimo, quòd omnis actus virtutis in Christo dignificabatur in morali æstimatione dignitate personæ, per hoc solū, quod erat actus ab illa persona egrediens, & in se capax moralitatis; atque ita respectus ille realis, quo ille actus respicit personā, vt principium à *Quo* procedit, & vt est aliquid illius, est ratio qua moraliter dignitas personæ illi cōmunicatur, & cōsequenter reddit actum dignum infinitè, quia moraliter non ponit in numero actio ipsa cum persona.

Ratio, quæ principaliter Me mouet ea est. Quia quicumque actus virtutis, etsi non sit actus reflexiuus supra personam, sed V. g. actus ieiunij, aut actus amoris, vel beneficiē tiæ, hoc ipso, quod procedit à subiecto grato redditur meritorius; ergo dignitas subiecti sine aliqua reflexione, per hoc solum, quod egreditur à principio dignificato cōmunicatur ipsi actioni. *Consequētia est manifesta*; Quia actus non potest esse meritorius, nisi habeat dignitatē à subiecto merēte, quia in omni merito verificatur, quod prius respicit Deus ad personā, quàm ad eius actionem, iuxtà illud Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*, vt communiter explicāt Theologi, & specialiter *S. Th. 27. de Verit. Art. 4.* Vnde si actus est meritorius, necessariò est dignificatus à subiecto operante.

Antecedens autē probatur; Quia quilibet actus virtutis in subiecto grato est meritorius, cū sit opus bonū factum per gratiā Dei ab homine iusto. Cōstat autē nihil amplius requiri ad meritū, nam vt definit Trident. Sess 6. Can. 32. *Siquis dixerit ipsum iustificatū bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiā, & Iesu Christi meritū, cuius viuum membrū est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, &c. anathema sit.* Cū ergo quilibet actus virtutis, etiamsi non reflectatur supra personā, sit bonum opus, si factū est ab homine grato, sine dubio meritorius est, eique communicatur dignificatio, & valor ad meritum requisitus ex parte subiecti.

Ex quo vlterius sit, Quòd si potest aliquis actus sufficienter participare valorē, & dignitatē à persona, vt sit meritorius sine reflexione supra personā; ergo etiam vt sit satisfactorius, poterit participare valorē, & dignitatē à subiecto gratō. *Conseq. patet* Tum, Quia non videtur magis requiri ad participandū dignitatē subiecti in merito, quàm in satisfactione. *Tum*, Quia quilibet actus virtutis satisfactiuus esse potest, cū procedat à principio habente valorē, & in illo offerat creditori aliquid, quod placet æquè, vel multò magis, quam odit offensam; quod ad propriam satisfactionem sufficere docet *D. Thom.* distinguens illā à merito, infra Q. 48. *Artic.* 2. Tum denique, Quia si aliquis actus Christi potest esse meritorius infinitè sine illa reflexione supra personā; potest ergo nobis mereri gratiā, & remissionē peccatorū de toto rigore iustitiæ, quod est per inde, ac satisfacere ad æqualitatē pro nobis. *Denique, Quia* omnis actus bonus moralis hoc ipso quod procedit à Persona diuina, licèt illā non subijciat, & humiliet per actū quasi reflexum, est actio Theandrica, id est actio Dei hominis, vtpotè à Deo homine procedens, ergo est pluris valoris, quā actio hominis puri, quantumcumque iusti, & consequenter plus satisfactiua, quàm actio hominis puri.

Ad Motiuum autem *Asturicensis Resp.* Quòd actus comedēdi talem cibum in Duce, vel in milite, est eiusdem valoris, si sumatur secundùm se, & absolutè; nec enim pertinet

tinet ad comestionem, vt talis est dignitas moralis, sed est officium, seu actus nutriēdi naturā, quod æquè inueniri potest in Duce, & in milite. At verò actiones, etiamsi non subijciant personam, possunt habere diuersum valorem in Duce, & in milite, vt actio dandi beneficium, vel laudandi alium, quæ plus æstimatur, vt procedit à Rege, quā ab infimo homine; & in illa non se subijcit, sed potius vt superius se gerit. Nec tamen negamus quin actiones Christi offerentes ipsum, & humiliantes habeant etiā infinitatem ex re oblata, quæ est pretium infinitū, sed tamen hęc res oblata, licèt sit infinita in se, si tamen non procedat à supposito infinitō, habet rationem redemptionis, & satisfactionis infinitæ, vt patet in oblatione, qua in tēplo oblatus est Dominus à Matre, & à Simeone, & quotidie à Sacerdotibus in altari; & tamē oblatio illa nō est simpliciter infinita, quia nō fit ab ipso supposito infinito.

Dico vltimo, Suppositum non tribuit infinitatem operando, vel influendo aliquid in actionem, condistinctum ab influxu, quo humanitas influit, sed terminando naturā, & concurrendo vt *Quod* mediante ipsa natura, & potentijs eius, vt principio *Quo*, sic redditur illa actio infinita per realem dependentiam, & egressionem, qua egreditur à tali supposito; talis enim realis respectus est moralis vnio, seu cōiunctio ad dignitatē infinitā in actione, quæ capax est moralitatis.

Hæc Conclusio in superioribus ferè explicata est, & probata. Constat enim, quòd suppositum Verbi, prætèr terminationē ad naturam, nō influit aliquid realiter in eam; talis enim influxus est communis toti Trinitati, vtpotè ab Omnipotentia procedēs. Constat etiam, quòd per dependentiam, & egressionem illam realem illa actio dicitur vnita Verbo, & esse aliquid eius, sicut humanitas. Constat etiam quòd natura, quæ est capax moralitatis, & satisfactionis per solam vnionē sanctificatur à Verbo; quod non habet natura, quæ non est capax; ergo similiter actio capax moralitatis procedēs à Verbo dignificatur per hanc vnionem, seu egressionem ab ipso, etsi non capax, nō dignificatur; nec enim amplius requirit actio vt dignificetur quam humanitas: si ergo hæc per solam vnionem sanctificatur, similiter actio. Et sicut gratia inhærens in anima per inhæsionem, & vnionem physicam reddit illam sanctificatam; si verò per potentiam absolutam Dei poneretur inhærens in lapide non sanctificaret illum: sic eadem persona vnita humanitati per vnionem physicam sanctificat illam, non verò vnita naturæ leonis, & actio moralis egrediens à tali persona sic vnita, & consequēter per egressionem, & realem respectum ei coniuncta dignificatur, & sanctificatur; non verò actio naturalis.

Soluuntur Argumenta.

Ex quibus facilè solui possunt, quæcumque Difficultates in oppositum. Nam quod dici solet de Infinitate simpliciter, quæ non potest multiplicari, nos autem debemus ponere omnes actiones Christi infinitas, quod est infinitates multiplicare. Facillimā habet explicationem. Quòd infinitas simpliciter in genere entis non potest multiplicari; benè tamen infinitas in genere determinato, scilicet in ratione valoris moralis, aut sanctificationis. Sicut enim si multæ humanitates Verbo vnirētur, omnes ab eo sanctificarentur; sic si multæ actiones ab eo procedunt, omnes dignificantur infinitè.

Item, quod posset difficultatem facere; Quomodo terminatio personæ infinitæ det infinitatem actui? *Tum*, Quia liberè cōfert illam dignitatem actibus, atque adeò potest maiorem, & minorem conferre, & non semper infinitam. *Tum*, Quia per elicientiam ipsam humanitatis limitarentur, ne infinitum valorem haberent. *Tum denique*, Quia ille valor est extrinsecus actibus, & excedens; ergo instrumentaliter illis cōuenit; & consequenter ex aliquo peculiari influxu diuini Suppositi, & non ex nuda terminatione.

Hæc Omnia ex dictis etiam soluuntur; Quia non est existimandum, quòd ipsa persona per aliquam actionem, liberè elicitam à se, communicet humanitati, vel actioni, aliquam perfectionem, seu valorem infinitum: crassa enim est hæc intelligentia: sed quod ipse actus per hoc, quod vnitus, seu realiter dependens, & egrediens à principio infinito tanquam ab immediato principio *Quod*, remanet infinitè æstimabilis. Vnde licèt fuerit liberum Deo se vnire humanitati, & actioni, non tamen facta hac suppositione est liberum, quod humanitas ipsa, vel actio non sit infinitæ æstimationis; quia hoc solùm consistit in eo quod est esse vnitam principio infinitæ sanctitatis, vnde non est maior, aut minor.

Nec etiam limitatur per elicientiam humanitatis. Quia hæc elicientia limitat qui-

quidem speciem, & entitatem physicam operationis, quam elicit, non tamen vnionem ipsam esse terminatam ad principium dignitatis infinitæ, in quo eius æstimatio infinita consistit, non in physica entitate, aut specie eius. Ac denique iste valor licèt sit extrinsecus, non tamen instrumentaliter actioni conueniens, quia non elicitus mediante virtute impressa à Verbo, sed ex vnione ipsa, & coniunctione ad Verbum prouenies. Sicut enim sanctificatio humanitatis extrinsecus valor est, proueniens ei non instrumentaliter, sed ab vnione cum Verbo; ita, & dignificatio actionis extrinsecus valor est, proueniens ei non instrumentaliter, sed ab vnione, & egressione, seu dependentia reali à Verbo.

Denique Inquires: Si dignitas personæ dignificat actionem, & communicat illi valorem, seu æstimationem; ergo in homine iusto crescente gratia, crescet dignitas in actibus; & sic si actus sint æqualis intensionis, ex eo solùm quod vnus procedat ab homine magis iusto, quàm alter, erit magis meritorius.

Respond. Quòd gratia habet duo officia, *Alterum est* dignificare personam, & ex inde actionem; *Alterum* influere in actum, tanquam principium *Quo*, sicut anima in cuius essentia est, mediantibus tamen suis virtutibus: si ergo maior gratia influat vt principium *Quo*, maiori conatu in actus, non est dubium quin sint illi diuersi meriti. Sed in casu posito quod sint actus æqualis conatus, & intensionis, *Dico*, Quòd dignitas maior gratiæ in ratione dignificantis personam non reddit actum magis meritorium, & dignificatum ea dignitate, quæ prouenit à persona; quia licèt gratia intensior reddat personam magis gratam, & acceptam Deo in ratione sanctitatis, & iustitiæ; in ratione tamen dignitatis ad meritum est dignitas eiusdem rationis, & solùm accidentaliter variatur per hoc quod gratia sit maior, & minor, quia dignitas merentis consistit in hoc quod contors fiat homo diuinæ naturæ, & adoptetur in filium Dei, vt dicit *S. Thomas* 1.2. *Quæst.* 114. *Artic.* 3. Hæc autem dignitas eiusdem æstimationis moralis est personaliter, licèt gratia physicè, & accidentaliter crescat, quia eadem adoptio filiorum est in omnibus, & eadem ratio consortij diuinæ naturæ. Vnde si actus sunt æquales in perfectione propria ex dignitate hac non trahunt maiorem æstimationem in dignitate morali, sicut trahunt ex supposito diuino, à quo non habent filiationem adoptiuam, sed naturalem, & dignitatem personæ diuinæ.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Omnes Conditiones Rigorosæ Iustitiæ interuenerint in Satisfactione Christi Domini?

Satisfactionem Christi perfectam esse ex parte pretij, & rei oblatæ sufficienter manebit probatum, ostendendo satisfeciisse de toto rigore iustitiæ. Et vt breuiter Difficultatem ipsam discutiamus, discurrendo per omnes conditiones requisitas ad rigorem iustitiæ, sit.

CONCLVSIO.

Christus Dominus satisfecit ex toto rigore iustitiæ, seruando omnes conditiones ad id requisitas. Authores, qui stant pro hac parte videri poterunt in *Mag. Cabrera hìc Disp.* 9. *Nazario Controu.* 2. *Part.* 4. *Mag. Aluarez hìc Disp.* 4. *Suarez Disp* 4. *Sect.* 5. *& 6.* Probatio, & explicatio huius conclusionis, Primo fieri potest in communi; deinde in particulari, discurrendo per omnes conditiones requisitas ad rigorem iustitiæ.

In communi ergo id ostenditur. Quia satisfactio Christi ita fuit perfecta ex parte ipsius, vt orta à tali persona, quæ non indiguerit vlla acceptatione Creditoris, vel supplemẽto fauorabili; ergo fuit ex toto rigore iustitiæ. *Consequentia patet*, Quia vbi non seruantur omnes conditiones requisitæ de rigore iustitiæ, aliquid oportet quod supleatur à creditore; quia ipse potest de rigore iuris exigere omnes conditiones: ergo si aliquam nõ exigit, vel est quia seruatur; vel quia ipse cedit de suo iure, & remittit rigorem, quem iustè poterat exigere; ergo si nõ eguit satisfactio Christi vlla acceptatione ex parte Dei, seruauit omnem rigorẽ iustitiæ. *Anteced. verò prob.* Quia in *Scriptura* semper significatur satisfactio Christi, vt facta ex iustitia simpliciter, & secundùm perfectiones iustitiæ: ergo non est cur dicamus in aliquo non interuenisse conditiones ad iustitiam requisitas, quia si deficerent, non diceretur *iustitia simpliciter*, cum non excederet eam, quæ communiter iustitia dicitur inter Deum, & homines.

Quod autem Christi satisfactio simpliciter appelletur iustitia, patet ad Roman. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem fidei per sanguinem eius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione Dei ad ostensionem iustitiæ suæ, &c.* Item ad Colosen. 2. *Delens quòd aduersus nos erat chyrographum decreti, quod erat contrarium nobis.* In quo intelligitur perfectissima iustitia, quia tunc deletur chyrographum, quando totum debitum est exhaustum; significatur ergo euacuasse Christum totum debitum peccati. Item Psalm. 129. *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.* Quã redemptionem copiosam declarat *Scriptura* per hoc, quod est pro infinitis peccatis. Et 1. Ioann. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nobis autem tantùm, sed totius mundi.* Ac denique communiter *Scriptura* attribuit Christo facere iustitiam, & iustum esse, Ierem. 33. *In tempore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & faciet iudicium, & iustitiam in terra.* Isaiæ 51. *Prope est iustus meus, egressus est saluator meus, &c.* Et infra, *Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet.* Et Isai. 10. *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam, &c.*

Quæ locutiones cum sint ita frequentes in *Scriptura*, & ita exaggerent iustitiam, quam Christus Dominus operatus est, verificari non possent, si esset iustitia indigens supplemento, & fauore Dei, & non seruans omnem rigorem iustitiæ; quod non est simpliciter iustitia, sed secundùm quid. Et idẽ communiter *Sancti Patres* affirmant efferentes, & exaggerãtes satisfactionem Christi; & ipsam iustitiam, vt exactissimam prædicantes supra omne debitum peccati, vt videri potest in Authoribus citatis.

In particulari autem, descendendo ad conditiones requisitas ad rigorem iustitiæ, discurremus per singulas conditiones, ostẽdendo eas conuenire satisfactioni Christi: sunt autem quinque conditiones, quas supra *Disp. 1. Artic. 1.* recensuimus. *Prima*, Quòd sit ad Alterum. *Secunda*, Quòd fiat satisfactio ex bonis propris. *Tertia*, Quòd nullo modo sint sub dominio Creditoris. *Quarta*, Quòd non sint alio titulo debita. *Quinta*, Quòd creditor teneatur acceptare talem satisfactionem, nec possit aliam exigere. Ad has reducuntur, vel in his includũtur, omnes quotquot ab Authoribus numerantur ad rigorem iustitiæ requisitæ.

PRIMA CONDITIO.

Quòd sit ad alterum?

Difficultas inueniendi hanc conditionem in satisfactione Christi, præcipuè consistit in hoc puncto. Quòd vera, & rigorosa iustitia exigit, quod sit *ad Alterum tanquam ad distinctum suppositum*; nec solùm quasi physicè distinctũ, sed quasi moraliter, ita quod secundùm moralem æstimationem, non reputetur vnum tanquam aliquid alterius, sicut filius est aliquid Patris, & seruus Domini, & ideò inter seruum, & dominum, filium, & patrem, non est iustitia propriè, & rigorosè dicta. Et ita D. Thom. 2. 2. Quæst. 58. Artic. 2. dicit, *Quòd iustitia propriè dicta, requirit diuersitatem suppositorum, & ideò non est nisi vnius hominis ad alium: sed secundùm similitudinem accipiuntur in vno, & eodem homine diuersa principia actionum, quasi diuersa agentia, sicut ratio, & irascibilis, & concupiscibilis; & ideò metaphoricè in vno, & eodem homine dicitur esse iustitia.*

Vnde constat iustitiam ita esse ad alterum, seu inter duo, quod debet esse inter duo, quæ se habeant vt principia *Quod*, nõ *Quo*; nec enim vna natura satisfacit alteri, sicut nec agit. In Christo autem solùm est vnum principium *Quod subsistens* in duabus naturis; ergo non potest in quantũ homo, sibi in quantum Deo satisfacere; cum sit idem suppositum in quantum Deus, & in quantũ homo. Constat autem quòd Christus non solùm satisfacit Patri, aut Spiritui Sancto, sed etiam ipsi Verbo vt Deus est, quia tota Trinitas erat offensa per peccatum, & sic etiam filio debebat fieri recompensatio.

Vnde explosa manet Aliquorum sententia, qui dicebant Christum satisfeciss̃e personæ Patris, quæ ab illo distincta est, quia sic videtur loqui *Scriptura*, dum dicit, quod *Accessum habemus ad Patrem per ipsum, & aduocatum habemus apud Patrem, &c.* cùm tamen in his locis non possit intelligi nomen *Patris* pro sola persona, prout dicit relationem ad personã Filij, sed pro ipso Deo vt est Pater hominum per gratiam. Constat enim non solùm personæ Patris, sed toti Trinitati factam fuisse offensam.

P. Vazquez Disp. 8. Cap. 7. Dicit humanita-

nitatem satisfeciſſe vt Quod, & ex hac parte diſtingui à perſona Creditoris, cui ſatisfacit; ſed non ſufficere hoc, vt verè ſit ad alterum, quia non ſufficit eſſe ad alterum in perſona, niſi ſit etiam in bonis, ita quod bona vnius non ſint alterius, quod hic non currit. Sed hæc ſententia quantum ad 1. partem de humanitate agente vt *Quod*, ſupra eſt refutata. *Et quo ad* 2. Quod requiritur diſtinctio in bonis, pertinet ad ſecundam, & tertiam conditionem, de qua ſtatim agemus: nunc enim ſolùm agimus de hoc quod eſt *Ad alterum in perſona.* A B

Econtra vero, Alij dicunt ſufficere diſtincta dominia, & iura licet ſit vna perſona; hic autem cùm ſint diſtinctæ voluntates ſunt diuerſa dominia Sed hoc non ſufficit, quia inter ipſa dominia non exercetur iuſtitia, ſed inter perſonas ratione dominationis; ergo quamuis diuerſa dominia ſint, reſtat ſoluere quomodo eiuſdem perſonæ ad ipſam ſit iuſtitia.

Quare Communis Reſponſio (alijs omiſſis, quæ minoris momenti ſunt) ſoluit hanc difficultatem dicendo; Quod in Chriſto licet fuerit tantum vnum ſuppoſitum entitatiuè, & formalitèr, gerit tamen vices diuerſorum ſuppoſitorum, quia propter infinitatem ſuam, cùm poſsit ſubſtantialitèr ſubſiſtere in pluribus naturis, habet etiam omnia illa ſupplere, & facere, quæ plura ſuppoſita facerent. Et quidem in Chriſto fuit ſufficiens ratio ad alterum in genere obedientiæ, ergo & in genere iuſtitiæ. Antecedens eſt de fide ad Philippenſ. 3 *Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem.* Et ad Hebræor. 5. *Didicit ex his, quæ paſſus eſt obedientiam.* C D

Conſequentia patet, Quia obedientia eſt pars potentialis iuſtitiæ, qua inferior reddit debitum Superiori, vt dicit *Sanct Doct.* 2.2. *Quæſt.* 80. *Artic. vnic. ad* 3. Et ſimilitèr in Chriſto fuit Religio ſecundùm quam coluit, & honorauit Deum, iuxta illud Ioann. 8. *Honorifico Patrem meum, & vos honoraſtis me:* Vnde, & ſæpè orauit ad Patrem, & ei obtulit ſacrificium corporis ſui; actus autem ſacrificij, & orationis eſt actus religionis; Religio autem cùm ſit pars iuſtitiæ habet eſſe ad alterum; nec iuſtitia poteſt requirere magis rationem ad alterum, quàm religio, & obedientia: neque enim aliquis propriè obedit ſibi ipſi, ſicut nec imperat ſibi ipſi, nec habet cultus erga ſe, ſed erga alium; ex hac ergo parte, ſi iuſtitia reijcitur, debet reijci religio, & obedientia à Chriſto, quod pugnat cum Scriptura. E

Quando ergo Sanct. Thomas requirit ad rationem iuſtitiæ diſtinctionem ſuppoſitorum, vt ſit propriè ad alterum, dicimus, quod debet intelligi de diſtinctis, ſeu diuerſis ſuppoſitis formalitèr, vel virtualitèr. Et dicimus virtualitèr diſtingui, non virtualitèr partialitèr, ſed virtualitèr totalitèr: id eſt: quando aliqua natura de ſe petit totale ſuppoſitum diſtinctum ab alia, & totalitas iſta ſuppletur per vnum, & idem ſuppoſitū, quod propter infinitatem ſuam totalitèr continet, & facit id quod duo ſuppoſita limitata; tunc illa vnitas ſuppoſiti relinquit virtualem diuerſitatem, ſeu totalitatem, vt poſsint eodem modo ſe habere, ac ſi eſſent ſuppoſita diſtincta, quia id ſuppletur per infinitatem vnius. Sicut ſi Verbum aſſumeret duas humanitates, vel naturam Angelicam, & humanam, illi duo homines inter ſe poſſent actus iuſtitiæ exercere, non minus, quàm ſi eſſet in ſuis proprijs ſuppoſitis, & homo ab Angelo moueri, & circa illum operari, non minus quam modo, cū ſint in diuerſis ſuppoſitis proprijs./ Signum ergo eſt, quod vnitas illa ſuppoſiti ſupplentis pluralitatem totalem multorum, non tollit perfectam rationem ad alterum eminentialitèr, ſed virtualitèr, quod ſufficit ad rationem iuſtitiæ

Et eadem ratione, Qua illud vnum ſuppoſitum poteſt eſſe virtualitèr duplex, totum phiſicè eſt, & duplex moralitèr, quia in humanis, quod duo ſuppoſita phiſica moralitèr non cenſeantur diuerſa, non eſt quia vnum eſt aliquid alterius, ſicut filius patris, vel ſeruus Domini, quantum ad entitatem, ſeu naturam; ſed quia bona vnius ſunt alteri ſubordinata, & à dominio alterius reguntur. Conſtat enim quòd filius, licet ſit aliquid procedens à Patre, & per aliquid ab eo deciſum generatus, tamen ſi emancipetur poteſt veram iuſtitiam erga patrem exercere (vt omnes fatentur) ergo quod inter Patrem, & filium non ſit iuſtitia, quia cenſentur moralitèr eſſe vnum, non eſt propter vnitatem in natura moralem, ſed in regimine, & adminiſtratione bonorum, & idem eſt reſpectu ſerui, & domini. Quare hæc identitas moralis inter ſuppoſita pertinet ad 2. & 3. Cōditionem, An videlicet ex proprijs, & quæ non ſint ſub dominio creditoris Chriſtus ſatisfecerit? Et ex his manet refutata *Patris Loreæ* ſententia hic *Diſp.* 8. *Num.* 13. exiſtimantis non

non esse simpliciter distinctionem in satisfactione Christi, quæ requiritur ad iustitiam.

SECVNDA CONDITIO.

Quòd sit ex Proprijs.

HÆC *Conditio* pendet multum ex Tertia, vbi plenius explicabitur. Hìc tamen inchoanda est eius explicatio, quia ad iustitiam exercendam requiritur, & quod bona sint propria, id est, non donata à creditore perfectè: & requiritur quod non sint sub dominio creditoris. Quod ergo Christus nõ satisfecerit ex proprijs, sed ex gratis acceptis, existimat *Vazquez hìc Disput.8.Cap.3.* Et quidem cohærenter ad suam sententiam, quod humanitas satisfecerit, vt principium *Quod*. Existimat enim satisfactionem Christi non esse ex iustitia propria, sed generali, sicut meritum nostrum, quo meremur vitam æternam, non procedit ex proprijs, sed ex acceptis à Deo gratis, & tamen verè meremur, & ex iustitia facimus debitum præmium.

Quod ergo Christus, quia satisfecit in quantum homo, ex gratis acceptis satisfecerit probat, *Quia* omnis creatura indiget gratia Dei; & eam gratis accipit vt mereatur, Christus verò in quantum homo est creatura; ergo in quantum homo indiget gratia Dei, & non satisfacit ex proprijs. *Secundò.* Quia Christus in quantum homo prædestinatus est filius Dei, hoc est ad vnionem hypostaticam; sed prædestinatio *Est gratiæ præparatio*, vt ait Augustinus; ergo Christo in quantum homo fuit ab æterno præparata gratia vnionis; ergo, & in tempore fuit collata gratia ista gratis: ergo Christus in quantum homo accepit gratiam, & consequenter non satisfecit ex proprijs in quantum homo, sed ex gratis acceptis.

Nec potest dici, quod Christo, in quantum homo non fit gratia, accipiendo hominem pro supposito in concreto, licèt ipsi naturæ gratia fiat. Nam quando ponitur particula *in quantum*, ly *homo* non tenet se ex parte subiecti, sed ex parte prædicati: idem est enim, ac si diceretur Christus in quantum est homo, &c. vbi ly *homo* tenet se ex parte prædicati, atque adeò supponit pro natura; quia terminus concretus positus à parte prædicati semper stat pro natura; præsertim quando ponitur particula *In quantum*; sicut ista, *Christus in quantum est homo est creatura*; sed similiter dicitur, quod Christus in quantum est homo satisfecit, & redemit nos; ergo ly *homo* stat ibi pro natura, atque adeò est capax gratiæ, & per gratis accepta satisfecit. Et pari modo concedendum est, quod in quantum homo satisfecit, & quod ex gratis acceptis satisfecit; atque adeò non ex toto rigore iustitiæ.

Communis Solutio fatetur, Quòd ad rigorem iustitiæ, ita requiritur, quod fiat aliquid ex proprijs, quod tamen non excluditur quæcumque gratia quocumque modo facta; quia benè potest esse, quod aliquid comparatiuè ad aliquid sit gratia, & respectu alterius non. Et sic Dicunt, quod benè potest aliquid gratis accipi à creditore, non in ordine ad satisfactionem, ex quo tamen postea debitor satisfaciat, postquam fecit illud suum; & sic iam non satisfacit ex gratis acceptis in ordine ad satisfactionem, & hoc sufficit vt ipsa satisfactio non gratuitè, sed ex iustitia acceptetur. Non enim opponitur satisfactioni ex iustitia, quod fiat ex proprio gratis quomodocumque accepto; sed ita gratis quod redundet in ipsam acceptationem, ita vt quando acceptatur, non omninò ex iustitia acceptetur.

Item. Potest aliquid gratis accipi à creditore in se, cuius tamen operatio postea egrediens sit ex industria, & labore proprio debitoris, & quia hoc addit de suo respectu, vt est actio propria illius satisfacit ex iustitia; sicut si aliquis acciperet à locatore Aratrum, vel ligonem, quo laboraret in vinea, non ideò labor ille minus mereretur ex iustitia, quàm qui proprio ligone laboraret. Et similiter, qui acciperet pecuniam mutuam à creditore, vt ea negotiaretur, si ex negotiatione redderet creditori debitũ, solueret ex iustitia. Sic Christus licèt acciperet gratis aliquid à Deo, non tamen ad effectum satisfactionis præcisè, sed ob aliũ titulum, scilicet propter communicationem summam diuinæ bonitatis, &c. Similiter etiam opera à Christo facta innitebantur proprio labori, & passioni ipsius, & sic reddebat ex proprijs Deo.

His duabus rationibus vtuntur *Nazarius hìc Controu.2.Part.4. & Suarez Disp. 4.Sect.6.* Quamuis prima ratio non possit currere in sententia, quæ asserit Christum præcisè venisse in remedium, & satisfactionem peccati, vt *Disput. sequenti* dicemus.

Tunc

Tunc enim accepit omnia à creatore, vt satisfaceret. Addenda est ergo alia ratio, quam hic ponit *Suarez*, & communiter vtuntur *Thomistæ*, *Cabrera* hic *Disp. 9. Numer. 42. Lorca Disp. 8. Num. 17.* & Alij cõmuniter; scilicet quod gratia, quæ facta est, fuit facta naturæ, non tamen supposito. Vnde ex parte principij *Quo* non satisfaciebat ex proprijs; bene tamen ex parte principij *Quod*, seu suppositi, cui non fiebat aliqua gratia; quia ei daretur humanitas etiam ornata omnibus gratijs, & adiuta omni auxilio Dei, quia totum hoc respectu verbi non erat gratia, sed potius humiliatio, seu dignatio ipsius; immò ipsi humanitati fiebat gratia, quod vniretur Verbo; atque adeo Verbum accepit humanitatem quasi ligonem, aut aratrum ad laborandum, quia in propria natura laborare non poterat, & ex hoc dedit valorem actionibus humanitatis, sicut homo dat motum ligoni ad operandum. Ita quod si in ligone esset capacitas recipiendi aliquid gratis, magna gratia fieret in eo quod reciperet motum à manibus hominis, ipse tamen homo in ligone laborans, non gratis mereretur mercedem, sed ex iustitia tanquam ex proprijs.

Dices Ergo facit humanitati gratiam, & Christo vt homini gratis multa confert; immò & ipsa vnio gratis data est humanitati, & consequenter actionibus eius, quod totum est fieri gratiam principio *Quo* operationum; ipsi tamen principio *Quod*, seu personæ illius hominis nulla fit gratia. Actiones autem istæ licèt habeant magnum valorem ex principio *Quo*, prout gratia ornato, non tamen satisfaciunt infinitè, & de rigore iustitiæ, nisi prout terminatæ à persona Verbi, & vt sunt aliquid illius vt terminantis; si ergo ipsi vt terminanti naturam, & operationem, nulla fit gratia, illa actio vt satisfactiua est, non ex liberalitate, & gratia creditoris, sed ex proprijs satisfacientis, id est, Verbi, vt terminantis hunc valorem.

Ad fundamenta Vazquez, quantum ad id quod affert de merito nostro; quia meremur ex iustitia, & tamen per principia gratis accepta; *Constat disparitas ex dictis.* Quia nobis vndequaque fit gratia, etiam ex parte personæ, & ideo non habet locum rigorosa iustitia, sed solum generali quadam ratione, quæ non currit in Christo. *Ad primam* rationem eodem modo, *Resp.* Illã syllogismum seludere, quod Christo ex parte principij *Quo*, seu humanæ naturæ fit gratia, non personæ vt terminanti, & satisfacienti; & ita Christus vt homo non satisfacit ex proprijs illius hominis, si ly *Vt* reduplicet naturam humanam; satisfacit tamen ex proprijs illius hominis, si ly *Vt* specificatiuè sumatur pro supposito, quatenus supposito non fit gratia, & actiones, vt pendent à supposito, non sunt ex acceptis gratis ab ipso supposito.

Ad secundam rationem Dicitur, Quòd vt determinat *Sanct. Thom.* infra *Quæst. 24. Artic. 3. & 2.* Licèt personæ conueniant prædestinari, & non humanitati, non tamen personæ id conuenit, nisi ratione humanæ naturæ, quatenus illud subsistens in humana natura, vt sic accepit per gratiam factam humanæ naturæ, quòd sit filius Dei; vnde prædestinatio, *Est gratiæ præparatio*, non tamen est necesse, quòd formalitas gratiæ conueniat supposito prædestinato, sed ei cuius ratione prædestinatur, scilicet humanæ naturæ: ita quod sicut ratione humanæ naturæ prædestinatur, ita & soli naturæ humanæ fiat gratia, per cuius præparationem persona prædestinatur.

Et nota verba D. Thomæ in illo Artic. 2. *Dicendum quòd secundùm vtrumque istorum attribuitur prædestinatio Christo ratione solius humanæ naturæ; nam humana natura non semper fuit Verbo vnita, & ei etiam hoc per gratiam est Collatum, vt filius Dei in persona vniretur.* Cùm ergo dicitur Christus in quantum homo est prædestinatus, ly *In quantum* non reduplicat id, quod est prædestinatum, sed id ratione cuius est prædestinatum; nam id quod prædestinatur, est persona, non humanitas, vt demonstrat *D. Thom* ibi *Artic. 1.* Quia humanitas non est filius Dei naturalis, sed persona illius hominis. Et prædestinatio *Est gratiæ præparatio*, Ita quod requiratur, quòd sit gratia respectu eius, quod prædestinatur, *Nego.* Ita quod sit gratia respectu eius, cuius ratione prædestinatur, id est, naturæ, seu principio quo, *Concedo*; Ergo Christo in quantum homo est facta gratia prædestinationis, ratione naturæ, *Concedo*; Ratione suppositi, *Nego.* Aliud est ergo quod prædestinatur in Christo, scilicet *Persona*; aliud cui in ipsa prædestinatione gratia fit, scilicet *Natura*, quæ in alijs non contingit, in quibus persona est capax gratiæ.

Et ad doctrinam Vazquez, Quod quando concretum ponitur à parte prædicati, stat pro natura, non pro supposito. *Resp.*

Val-

Valde esse allucinatum hunc Authorem, & in lubrico locutum; nam quando dicitur concretum stare pro natura, si intelligitur pro natura solùm, semoto suppositio, ita quod remaneat natura, quasi in abstracto, est falsissima doctrina: nam in ista propositione *Petrus est homo, Christus est homo*, si ly *homo* staret pro natura, excludendo suppositum à prædicato, faceret hunc sensum, *Petrus est humanitas*, quod est falsum. Quando ergo dicimus, quod stat pro *Natura*, intelligimus *Pro supposito rationem naturæ*, non ratione suppositi, vt à natura distinguitur. Et sic dicit *Sanct. Thomas*, loco nuper citato Artic. 2. *Quod hoc dicimus cõuenire alicui secundùm quod homo, quod ei conuenit ratione humanæ naturæ.* Vbi non excluditur Suppositum, sed explicatur ratio ob quam aliquid ei conuenit. Videatur *Sanct. Doct.* infra *Quæst.* 16 *Art.* 10. & 11. & 12. Vbi manifestè dicit, quòd terminus in reduplicatione positus, potest accipi, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ; & nunquam dicit quod stat pro sola natura, sed quod magis propriè respicit, vel tenetur pro natura, quàm pro supposito; quod intelligitur, non excludendo suppositum, sed explicando id ratione cuius aliquid cõuenit supposito.

Et sic quando dicitur *Christus in quantum homo satisfacit*, dico, quòd ibi stat pro supposito ratione naturæ, & quod ibi potest illud prædicatum trahi ad suppositum, & non debet excludere illud, quia vt dicit ibi Sanct. Thomas Articul. 10. *Illa propositio* Christus in quantum homo est creatura, *si adderetur aliquid per quod traheretur ad suppositum, esset magis neganda, quàm concedenda, puta si diceretur Christus secundùm quod hic homo est creatura. At verò si dicamus Christus in quantum homo satisfacit, veram propositionem dicimus.* Ergo signum est quòd hæc propositio *Christus in quantum homo satisfecit*, non excludit suppositum ex *D. Thomæ* sententia; aliàs posita particula trahente ad suppositum, scilicet *hic homo* esset neganda.

Et si instes, Nam Christus satisfacit ratione valoris actionum, hic valor non conuenit illis ratione naturæ humanæ, sed ratione suppositi; ergo suppositum non satisfacit ratione humanæ naturæ. *Resp.* Hunc valorem conuenire ratione suppositi, non absolutè, sed vt subsistentis in humana natura, quia vt subsistebat in diuina, non haberet nisi actiones diuinas, quæ non sunt satisfactoriæ: quia ergo valor prouenit à supposito, vt subsistente in natura humana, dicitur satisfacere ratione humanæ naturæ, non quia ratione illius prouenirat valor, sed quia ratione illius habet actiones capaces valoris prouenientis à supposito; ratio ergo valoris non est natura, sed suppositum. Capacitas tamen susceptiua valoris est in actionibus à natura.

TERTIA CONDITIO.

Quòd Bona non sint sub Dominio Creditoris.

HÆC *Conditio* tantam ingessit difficultatem, vt Plures conati sint potius explicare, quomodo sine illa saluetur iustitia quantum ad rigorem, quam illam velint concedere satisfactioni Christi. Nam in primis constat, quòd illa opera per quæ Christus satisfecit, in quantum erant actiones creatæ, & ab humanitate vt principio *Quo* pendentes, erant sub dominio Dei, quia erant aliquid creatum, & à tota Trinitate procedebant, vt à causa prima vniuersalissima; in hoc autem fundatur dominium Dei super quamcumque creaturam.

Quod verò etiam vt pendebant à diuino supposito essent sub dominio Dei, *Probatur.* Quia prout sic erant sub dominio liberæ voluntatis Christi satisfacientis; omne enim dominium fundatur in aliqua libera voluntate, & sine illa non potest intelligi dominium: ex eo enim quod voluntas est libera, est domina sui actus, & consequenter dominium habet in bona, quæ actibus illis subijciuntur; ergo illæ actiones sub illa formalitate, qua pendebant à supposito diuino, erant sub dominio liberæ voluntatis Christi satisfacientis. In Christo autem solùm est duplex voluntas, diuina, & humana; vel ergo prout sunt actiones suppositi, erant sub dominio voluntatis diuinæ, vel humanæ. Si sub dominio voluntatis diuinę, cum hæc sit communis toti Trinitati, erant sub dominio ipsius creditoris, id est, sub dominio voluntatis Dei. Si sub dominio voluntatis creatæ, illud dominiũ est creatum, & participatum à dominio Dei; ergo talis actio, etiam vt pendet à supposito, magis erit sub dominio Dei, quàm sub dominio voluntatis creatæ: sicut omnis alia res, quæ est sub dominio nostro magis

magis est sub dominio Dei; quia ab eo participatur dominium nostrum.

Nec dici potest, Quòd sunt sub dominio ipsius suppositi; quia suppositum non habet dominium, nisi media aliqua voluntate, non per officium suppositandi præcisè; quia dominium fundatur in libera voluntate. *Et confirmatur*; Quia Deus non dicitur de nouo acquirere aliquo titulo dominium actionum Christi, per hoc quod ei in solutionem offeratur, quod antea non haberet; quomodo enim de nouo posset illi subijci, & dominium habere alicuius rei? ergo antea iam habebat hoc dominium, atque a deo satisfaciebat Christus ex bonis, quæ erant sub dominio creditoris.

Multi ergo dicunt ad satisfactionem honoris pro iniuria, non requiri hanc conditionem, *Quòd fiat ex bonis, quæ non sint sub dominio Creditoris*, sed posse ex quibuscunque fieri, dummodo præstet obsequium, & honorem æqualē iniuriæ illatæ: nec enim satisfactio iniuriæ fit sicut in restitutione pecuniæ, per abdicationem dominij, sed per humiliationem, & subiectionem; ad quod non requiritur aliquod dominium ita proprium, quod omnino sit exemptum à creditore. De qua solutione videri potest *Suarez* hic *Disp.4. Sect.6. Lorca Disput.8. & Nazarius* vbi supra *Controuersia 2.*

Hæc tamen solutio difficultatem mihi magis augere semper visa est. Nam licèt satisfactio pro iniuria non transferat dominium alicuius rei externæ, & vt *Iuristæ* vocant, *alicuius corporalis, sed incorporalis*; tamen vt ad æqualitatem satisfaciat quis pro iniuria, oportet vt tali honore, & obsequio satisfaciat, quod offensus de iure nō possit amplius exigere: sed si honor, quo satisfacit offensor est sub dominio offensi, potest alium exigere honorem de iure pro iniuria facta; ergo exhibendo talem honorem, non satisfacit de rigore iustitiæ. *Maior patet* ex 5. conditione, ad rigorem iustitiæ requisita ex ipsa natura rei, quia de iure non potest creditor amplius exigere, nisi amplius sibi debeatur; ergo si de iure potest exigere aliquid, est sibi debitum, & consequenter non est extinctum omne debitum; ergo vt sit extinctum, & de rigore iustitiæ satisfactum, offensus non debet posse aliquid de iure iustitiæ exigere.

Minor patet, Quia si ille honor exhibitus sub omni titulo continetur sub dominio creditoris; ergo etiamsi non intercedisset iniuria, continebatur sub dominio eius; quia per iniuriam non accreuit eius dominium; ergo si redderetur ei talis honor, non intercedente iniuria, redderetur ei aliquid proprium, & à se possessum, & sibi debitum, vtpote contentum sub eius dominio. Ergo si pro læsione iuris hoc solum redditur, quod ipse possidebat, aliquid amplius de iure potest exigere pro læsione sibi facta; siquidem illud quod erat sub suo dominio, etiam non facta iniuria, poterat exigere sub omni titulo: facta ergo iniuria aliquid honoris sibi debetur amplius, quā qui debebatur, si iniuria non fieret. Est enim contra omne ius, vt nihil amplius detur honoris, & obsequij læso per iniuriam, quàm non læso: si ergo datur illi id, quod possidebat non læsus, post iniuriam aliquid amplius potest de iure exigere; etsi non exigit fauor est & gratia, non rigor iustitiæ.

Vidit Suarez aliqualiter difficultatem hanc, vbi supra, dum dicit, Quòd actus propriè non est satisfaciens ratione dominij, quod habet Deus in illū, sed ratione dominij, quod habet operās ipse: erat enim Christus verus dominus suorum actuum, quos in Dei honorem offerebat, & hoc sufficit ad optimam proportionem in hac parte necessariam.

Sed hæc responsio difficultatē non euacuat. Nam dominium, quod Christus habebat, nullo modo, nec titulo, erat exemptum à dominio Dei, vt ipse *Suarez* fatetur; ergo quantumcunque satisfaceret ex proprio dominio, etiam satisfaciebat ex dominio Dei, quia satisfaciebat ex dominio non exempto, sed subordinato omnino ipsi dominio creditoris. Nec erat vlla consideratio, in qua satisfaceret ex dominio proprio, & non ex dominio Dei; quia non erat vlla consideratio sub qua, vel secundùm quam, dominium proprium non esset subiectū dominio Dei, & ab illo exiret in opus satisfactorium; ergo sub nulla consideratione satisfaciebat, nisi ex dominio creditoris.

Quare ad Argumentum in contrarium *Resp.* Supponendo verum esse, quod actiones Christi, vt sunt creatæ, & entitatiuè acceptæ, sunt sub dominio Creditoris, non tamen vt sunt à supposito. *Ad rationem autem in oppositum*, dico, Quòd illæ actiones, vt pendent à supposito, erant sub dominio voluntatis creatæ, non absolutè, sed vt terminatæ à Persona increata; & sub hoc

hoc respectu, non est dominium participatum à Deo, sed vnitum Deo; quia licèt voluntas humana sit radix libertatis, & dominij; tamen hæc voluntas nunquam est independens à supposito, nec consideranda est seorsum à persona, sed vt vnita illi; de se enim solùm habet dominium vt *Quo*, & vt potentia libera, non tamen potest præscindere ab ordine ad principium *Quod*. Quare eo modo, quo loquimur de actionibus, loquimur de voluntate, à qua egrediuntur, & sub cuius dominio sunt: quia sicut ista voluntas est potentia, non solùm istius naturæ, sed suppositi (est enim inclinatio totius suppositi) aliter habet dominium, vt terminata à supposito creato, vel vt ab increato; nam vt terminata ab increato, non est dominium subiectum Deo creditori, sed ipsius Dei vt satisfacientis; & sicut non est debitum Deo offerre illi actiones terminatas supposito diuino, sic nec est debitum, & subiectum Deo dominium voluntatis creatæ, vt terminatæ à supposito creato, licèt entitatiuè secundùm se sit à Deo.

Vnde facilè solues omnia, quæ *Suarez* proponit contra hoc, & difficilia reputat; non enim habent maiorem difficultatem, quàm vt intelligamus Deo non esse subiectum, nec debitum, nisi quod purè creatum est; quod autem est creatum, & vnitum, seu coniunctum increato, sub illo respectu increati, quod sibi est coniunctum, non est debitum Deo, & subiectum, quia non est inferius ipsi, sed vt dicit Paulus, *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, quod vtique verificatur de ipso, non solùm vt subsistit in diuina, sed etiam vt in humana natura. Si autem prout sic æqualis est; ergo res illa, quæ terminatur tali supposito prout sic, non censetur inferior, sed æqualis; & consequenter non sub dominio. Nec ponimus dominium in supposito præcisè sine libera voluntate, sed cum voluntate vt terminata ab ipso, non absolutè vt terminata.

Etsi instes: Nam dominium voluntatis humanæ in Christo non est alterius speciei, quàm in alijs hominibus, nec aliquid illi intrinsecum additur ex suppositatione Verbi; ergo eodem modo est inferius, & participatum à dominio Dei, sicut in nobis.

Resp. Illud dominium esse eiusdem speciei, atque in nobis, sicut est eadem natura, & eadem voluntas; nec aliquid illi intrinsecum additur *Formaliter*, sed solùm *Terminatiuè*, id est, vnionem ad terminum, seu Personam increatam, & consequenter esse sub dominio Dei formaliter, & secundùm se, non tamen terminatiuè, id est, secundùm quod subest esse diuino à quo terminatur; vnde actiones vt terminatæ ipso esse Dei, non sunt sub dominio voluntatis humanæ absolutè, sed vt terminatæ etiam eodem esse. Et sic per suppositationem, seu terminationem acquirit conditionem quandam requisitam ad dominium, respectu actionum talis suppositi, quam non habet in alio supposito.

Requiritur enim ad dominium, potentia ad exercendum liberè actiones, cũ conditionibus ad id requisitis: vna autem earum est ordo ad suppositum, sine quo actiones exerceri non possent, quia actiones sunt suppositorum; potentia ergo dominatiua, scilicet voluntas, vt habens conditionem hanc, secundùm ordinem ad suppositum increatum, non dicit dominium terminatiuè, & ex parte suppositi subiectum Deo, benè tamen formaliter, licèt illi nihil addatur intrinsecè præter terminationem, nec mutetur species formaliter voluntatis.

Sed adhuc instat Vazquez *Disput.* 8. *Cap.* 4. Illa opera, & horum valor, etiam terminatiuè, pendent à Deo, sicut humanitas terminatiuè pendet à Deo; ergo est sub dominio illius, & quid debitum Deo.

Resp. Quòd pendet à Deo, vt suppositante, & terminante, *Concedo*. Vt communiter causante, sicut dependet à tota Trinitate, *Nego*. Sicut enim speciali modo humanitas suppositatur à Verbo, quo etiam suppositatur ab alijs, licèt effectiuè sit ab omnibus tribus Personis, sic sub speciali modo dependẽtiæ suppositationis offerũtur actiones Deo, quo non pendent à reliquis Personis, nec ab ipso Verbo, vt subsistit in diuina natura, & communiter operatur.

Ad Confirmationem dicitur: Quòd Deus non acquirit dominium de nouo quasi intrinsecè, sed quasi extrinsecè, & modo illo, quo aliquis acquirit dominium honoris; honor enim est in honorante subiectiuè, & intrinsecè; in honorato autem denominatiuè, & extrinsecè; & ita hoc dominium non acquiritur per aliquam intrinsecam immutationem honorati, sed per extrinsecam denominationem, qua redditur illi de nouo subiectio, & obsequium satisfaciẽtis. Sic enim dicitur Deus honorari aliquo nouo, quod non debebatur ipsi à tali supposito, & hoc est habere de nouo dominium illius extrinsecè, & non intrinsecè.

QVAR-

QVARTA CONDITIO.

Quòd non sit alio titulo debitum.

IN hac Conditione impugnanda, respectu satisfactionis Christi, multus est *Pater Vazquez* hìc *Disp.* 8. *Cap.* 6. Et fatetur quidem illam ex Sententia *Anselmi Lib. Cur Deus homo, Cap.* 20. Requiri ad perfectam satisfactionem. Dicit tamen in *Fine Capitis* se nescire, qua ratione Opinio *D. Anselmi* defendi possit; nempè vt satisfactio exhiberi non possit Deo perfectè per opus aliàs præcepti, seu aliàs debitum, alioquin Christus non potuisset satisfacere per opera aliàs debita ex præcepto; & tamen constat Christum habuisse præceptum moriendi, & multa opera fecisse, quæ sunt præcepti naturalis.

Communis autem solutio consistit in duobus. *Primum*, Quòd requiritur ad perfectam satisfactionem, quod id per quod satisfacit non sit debitum alio titulo iustitiæ, seu alio titulo ad satisfactionem iustitiç pertinente; non tamen requiritur, quod non sit debitum alio titulo ad aliam virtutẽ pertinente. V.g. Gratitudinis, Obedientiæ, Religionis, &c. Potest enim vno, & eodẽ actu obligationi vtrique, & titulo satisfieri; sicut quando obligatio cadit super eandem materiam; sicut si Petro extremè indigenti debeo panem, eodem pane satisfacio debito iustitiæ, & misericordiæ: Etsi voui ieiunare Feria VI. ieiunando in quadragesima satisfacio obligationi voti, & præcepti Ecclesiæ.

Secundùm est, Quòd actiones Christi, cùm fuerint infiniti valoris, erant capaces satisfaciendi pluribus titulis inadæquatis diuersarum virtutum; quia quælibet virtus non exhaurit totam infinitatem illius actus, seorsum ab alia. Vnde potest actus Christi habere valorem, vt satisfaciat Deo in honore læso, & vt impleat præceptum speciale Dei, & vt satisfaciat debito gratitudinis, &c. quia quilibet titulus ex istis non est titulus exigens totam infinitatem actus, & totaliter. Quæ vt melius explicentur, & intelligantur.

Dico: Sententiam *D. Anselmi* esse certissimam, & iniuriosè de illa loqui *Vazquez* dicendo esse indefensabilem. Nam *D. Anselmus* sic dicit loco supra citato: *Cum reddis aliquid quod debes Deo, etiamsi non peccasti, non debes computare pro debito quod debes pro peccato; omnia autem ista debes Deo, quæ dicis, scilicet pœnitentiam, cor contritum, abstinentiam, laborẽ corporis, &c.* quæ antea enumerauerat. Vnde concludit in illo Cap. *Non posse hominem satisfacere Deo, quia totum, quod exhibere potest, debet Deo.* Et Cap. sequenti probat, quod etiamsi non deberet, non sufficit id quod homo reddere potest, vt ad æqualitatem reddat. At verò *Lib.* 2. *Cap.* 6. probat non posse facere hanc satisfactionem nisi homo, qui Deus sit, *Quia de suo potuit dare aliquid, quod superat omne, quod sub Deo est.*

Consistit ergo doctrina *Anselmi* in hoc, quod omnia, quæ nos exhibere possumus, debentur Deo; quod autem exhibet Deus homo de suo dat Deo, & superat omne, quod sub Deo est. Vbi ponit duas cõditiones; scilicet, Quod *sit de suo*, & quod *superet omne quod non est Deus*, quod est esse aliquid æquale Deo. Quod est solum docere, id quod *in præcedenti Articulo* dicebamus, scilicet, quod Christus de suo, id est, de proprio dominio reddit Deo aliquid æquale ipsi, scilicet superans omne, quod Deus non est; quod intelligitur ex parte Suppositi à quo terminantur illæ actiones. Quando ergo negat non posse reddere Deo aliquid æquiualens, *Quia totum, quod exhibere possumus debetur Deo*, in illis verbis, *totum debemus*, loquitur de eo debito, quod opponitur titulo iustitiæ, & dominio proprio actionis, ita quod non reddat de suo, nec aliàs sit debitum Deo, etiamsi non peccasset homo. Quidquid autẽ debetur aliquo titulo, non tollente, quod de suo aliquid reddatur secundùm iustitiam, nullo modo negat *Anselmus*, quod possit per illud satisfieri Deo; quia tunc non totũ debetur Deo, nec tollitur quod sit de suo id, quod reddit.

Quare sententia Anselmi verissima est. Nam etiã stãte præcepto Dei, siue naturali, quantum ad opera legis naturalis; siue positiuo, & peculiari ipsi Christo imposito, non tollit illud præceptum, quod exhibeat aliquid de suo, & aliquid de valore superans omne, quod Deus non est; ergo exhibet aliquid sufficiens ad tollendum debitum iustitiæ, licèt habeat aliàs debitũ legis, seu præcepti. Sicut modo habet quis præceptum restituendi ablatum, v.g. per excommunicationem, & hoc non tollit quod verè restituat, quia de suo restituit, & restituendo satisfacit præcepto positiuo.

Ex his ergo duobus, scilicet, quod red-

dat Christus aliquid de suo,& quod valor illius,quod reddit superat omne, quod Deus nō est,sumitur communis solutio; scilicet, quod licèt alijs titulis illæ actiones essent debitæ, non impediunt tamen perfectionē satisfactionis, quia non sunt debitæ alio titulo,& obligatione incompatibili cum debito,& obligatione iustitiæ;& aliunde illæ actiones sunt ita infinitæ, quod æquiualent pluribus titulis debitorum, & ad omnes illos sufficiunt. *Et Primū patet.* Quia titulus, & obligatio alterius virtutis, nō semper est incompatibilis cū obligatione satisfactionis ex iustitia; vt patet in exēplis supra allatis. Et fortiùs instari potest,si filius emancipatus debeat Patri centum, restituendo illa satisfacit iustitię,& pietati,qua tenetur prouidere parenti in suis necessitatibus,etiamsi aliunde posset pater habere sustētationem. Et similiter, cui imponitur præceptum superioris, vel censura vt restituat, satisfacit iustitiæ,& obedientiæ speciali eadem actione. Et similiter, qui voluisset satisfacere creditori,eadem actione iustitiæ,&Religioni satisfaceret:non ergo repugnat fieri perfectam satisfactionem ex rebus debitis alio titulo alterius virtutis, non incompatibili cum debito iustitiæ, etiamsi debitum sit ex præcepto speciali.

Constat ergo, quod in aliquibus casibus eadē re potest quis satisfacere diuersis obligationibus diuersarum virtutum,præsertim quando cadunt supra eandem actionē;quia scilicet eadē actio à diuersis præcipitur virtutibus pro eodem tempore, vel eisdē circunstantijs,&c.& ita contingit hìc,nam satisfactio Christi in quantum talis determinata actio à diuersis virtutibus præcipitur, & ita vnico actu omnibus satisfacit.

Secundum autem à quo pendet ista solutio,scilicet, quod valor ille satisfactionis est infinitus,& consequenter potest pro pluribus titulis sufficere; ex eo impugnatur à *Vazquez*. Quia potest illa actio secundùm totam infinitatem valoris esse debita creditori, si Deus illam alio titulo exigeret, vel sibi reddi præciperet: tunc enim iam non maneret de illa infinitate aliquid suum, quod offerret Deo.

Sed hoc debebat probare *Vazquez*, quod tota infinitas, ita posset esse debita creditori, vel præcepta, quod omnes alios titulos exhauriret, quod est esse totum, & totaliter debitam; hoc enim fieri non potest, cum illa actio sit infinita in valore, atque adeò nullo debito exhauriri possit, quia omne debitum fundatur in aliquo creato in quantum tale: quia licèt posset attingere infinitatem, non tamen omnibus modis attingit. Illa autem infinitas valoris, cum consistat in processione à Supposito, nō quomodocumque, sed omnibus modis infinito,habet infinitatem moralem omnibus modis; cuius signū est, quod illæ actiones Christi sunt æquales in hac dignitate, quod est esse à tali supposito, cum tamen alia debita, quantumcumque sint infinita (vt peccatum)possint crescere,& minui.

QVINTA CONDITIO.

Quòd Creditor acceptare teneatur.

PLVRA, *quæ* ad hanc conditionem spectant, pendent ex disputandis in *sequenti Articulo*, An satisfactio Christi sit ex iustitia commutatiua? Id enim ostendendum est, quomodo ex parte Dei currat obligatio acceptandi id, quod sibi offertur. In præsenti verò solùm attingemus punctum difficultatis, quam contra hanc conditionem proponit *Vazquez Disput. 9.* Pendet autem hæc difficultas ex duobus principijs omninò certis apud ipsum.

Primum est, Quòd licèt ad exercendam perfectam iustitiam in contractibus, requiratur mutuus cōsensus, & pactum partium, sicut in Emptione,& Venditione,& similibus: tamen in solutione debiti, seu satisfactione, ordo iustitiæ exigit, vt si satisfactio est perfecta, & rigurosa, si semel exhibetur creditori sine consensu illius, aut pacto,aut acceptanda sit, aut debitum extinguēdum. Est enim contra omnem iustitiam,vt debitor ad aliquid amplius teneatur, quàm ad restitutionem, & satisfactionem æqualem, & perfectam: quod si creditor noluerit illam, iniustum est vt debitum remaneat, quia hoc debitum cùm sit secundùm iustitiam, non debet ad voluntatem alterius mensurari, sed iuxtà commensurationem, & proportionem talis debiti ex natura sua. Oblata autem sufficienter, & perfecta satisfactione, ex natura rei manet reducta ad æqualitatem,& commensurata natura debiti; non ergo expectanda est voluntas creditoris, sed vel tollenda obligatio debiti, vel acceptanda satisfactio. Et sicut iniuria facta est sine voluntate,& consensu personæ læsæ, quia ipsa in-

inuita facta est inæqualitas iniuriæ; sic reparatio iniuriæ independenter à consensu personæ læsæ, fieri debet; & facta tali reparatione debitum extinguitur, sine alia voluntate creditoris.

Secundum principium est. Quòd oblata quacumque satisfactione, per opera Christi Domini, potuit Deus non acceptare illam, & non extinguere debitum peccati; quia Deus non tenebatur remittere peccatum, sed potuit etiam posita Christi satisfactione denegare auxilium gratiæ, non solùm pro voluntate sua, sed etiam propter peccatum primi Parentis; & potuit sine vlla iniustitia punire hominem pœna æterna, propter commune peccatum; non ergo tenebatur Deus extinguere debitum peccati, positis operibus Christi, quæ offerebat in nostram satisfactionem. *Item.* Quia si obligaretur Deus posita satisfactione Christi illam acceptare, subijceretur ipsi Christo; quia, qui obligatur alteri, in quantum obligatur, subijcitur ei; debet enim obligationem implere; ergo.

Ex quibus Principijs apertè colligitur satisfactionem hanc Christi Domini non fuisse de rigore iustitiæ; quia vt esset talis requirebatur, quod posita illa non posset alia exigi, vel debitum deberet extingui independenter à consensu, & pacto creditoris, sed posset Deus posita, aut ablata satisfactione Christi non acceptare illam, & tamen non extinguere debitum pro peccatis; ergo illa non fuit ex toto rigore iustitiæ. Hæc in summa est tota difficultas *Patris Vazquez.*

Vera, & propria huius Difficultatis solutio consistit in hoc, quod Deum teneri acceptare satisfactionem Christi, non potest verificari absolutè, sed ex aliqua suppositione, seu voluntate sua, quæ non fundat solùm debitum fidelitatis, sed iustitiæ, & hoc sufficit ad rigorem iustitiæ. Tres partes habet hæc conclusio. *Prima*, Quòd absolutè non verificatur Deum teneri acceptare satisfactionem Christi. *Secunda*, Quòd ex aliqua suppositione tenetur. *Tertia*, Quòd hoc sufficit ad rigorem, & debitum iustitiæ.

Prima probatur. Quia ex parte satisfactionis Christi, illa opera possent non dirigi à Christo ad finem satisfactionis pro homine, sed ad alium finem; atque adeò si absolutè fierent, non determinarentur ad hoc, vt pro debito peccati ordinentur ad satisfaciendum; ergo non relinquitur obligatio in Deo ad acceptandum determinatè pro debito peccati in satisfactionem eius, sed potest acceptare tanquam liberale donum à persona Christi sibi oblatum. Sicut qui laborat in vinea alterius, nullo præcedente pacto, aut consensu partium, non tenetur dominus vineæ de iustitia ei reddere mercedem, sed potest acceptare illum laborem tanquam liberaliter sibi factum, & ita solùm ex gratitudine tenebitur: aliàs ex iustitia teneretur homo restituere, & dare mercedē pro omnibus actibus pretio æstimabilibus, qui erga se fiunt, quamdiu non explicatur animus, quo fiat; quod certè est contra omnem praxim, & regulas morales.

Ex hac ergo parte necesse est, quod concurrat voluntas Christi Domini determinans suas actiones ad satisfaciendum pro debito peccati, & voluntas etiam creditoris approbans talem determinationem, & voluntatem satisfaciendi, quæ approbatio nō est pactum fauorabile supplens valorem actus, sed applicans valorem de se indifferētē ad diuersos fines, vt determinetur ad satisfaciendum. Ex parte autem ipsius Dei, cū sit absolutus dominus, & possit quacumque satisfactione oblata, tāquam supremus dominus excludere peccatorem à gratia, & fine supernaturali, & punire ipsum, & anihilare, sine hoc quod iniustitiam committat circa creaturam suam, cum iure creatoris possit omnia illa; inde est quod requiritur pactum, seu voluntas non vtendi hoc supremo dominio, sed tātum volendi procedere secundùm regulas iustitiæ, & vt iustus iudex exigens, volensque sibi satisfieri, & ad æqualitatem reducere iniuriam factam.

Secunda verò pars probatur. Quia facta hac suppositione, quod velit sibi satisfieri, & tanquam iudex facere iustitiam, tenetur Deus iudicare illam satisfactionem Christi esse talem, quod maior non potest exigi secundùm iustitiam; ergo & iudicare debitum extinctum in ratione iniuriæ, & obligationis reddendi aliquid ex vi talis satisfactionis. *Patet conseq.* Quia tenetur iudicare, quod debitor non amplius tenetur exhibere, quam talem satisfactionem; ergo tenetur iudicare; quod debitor ex vi talis satisfactionis liberatur perfectè à debito. Ergo etiam quod offerens talem satisfactionem non est amplius iniuriosus, neque inæqualis personæ læsæ, sed æqualitatem, & iustitiam faciens, atque adeò sine obligatione vlteriori manens.

Antecedens verò manifestum est: Quia

illa satisfactio (vt supponimus) ex natura sua intrinsecè est adæquata ominò cum debito; ergo Deus procedens vt iudex, tenetur iudicare illam esse iustitiam, quia ita est in veritate; & consequenter si adæquat debitum in ratione iniuriæ extinguit illud. Quod si noluerit vt creditor acceptare illud pretium, vel satisfactionem, nihilominus debitum in ratione iniuriæ manet extinctum, quia vel creditor non vult acceptare satisfactionem, quia non est ea contentus; vel quia, etsi sit contentus, tamen non vult illam recipere, etiamsi sibi exhibeatur. *Primum esse non potest.* Quia si Deus, vt iudex, tenetur iudicare illam satisfactionem esse adæquatam iniuriæ, tenetur quoque vt creditor idem iudicare, atque adeò rationabiliter esse illa contentus, nec meliorem exigere.

Secundum verò nihil ad rem spectat, quia, etsi non velit creditor de facto recipere satisfactionem, iudex tamen tenetur iudicare, quod debitor est liber ab obligatione si illam exhibet; & hoc sufficit vt debitum sit extinctum: nec enim est aliud extingui debitum, quàm non obligari amplius debitorem. Si ergo Deus, vt iustus iudex procedit, tenetur iudicare, quod est liber ab obligatione debitor, & consequenter debitum est extinctum, quâuis Deus sine iniustitia posset amplius punire illum debitorem, & denegare ei dona sua, procedendo vt supremus Dominus, non tamen iudicare illum, vt obligatum ex vi iniuriæ, quia hoc esset iudicare cõtra Veritatẽ. Sicut posset hominem in natura integra, vel puris naturalibus creatum punire, & priuare donis suis, non tamen iudicare illum vt obligatum debito iniuriæ.

Tertia denique pars Probatur. Quia vt seruetur rigor iustitiæ, sufficit quod seruetur ille rigor, quem iudex iustus secundum veritatem rei tenetur iudicare, reddendo vnicuique quod suum est; si ergo Deus procedendo vt iudex tenetur iudicare illam satisfactionem esse adæquatam debito, & quod non potest maior exigi, sed illa debet esse contentus, hoc ipso quod velit sibi satisfieri, consequẽter tenetur ex rigore iuris iudicare debitorẽ ad nihil amplius teneri.

Nec obstat dicere, Quòd potest Deus exigere satisfactionem ab ipso, qui verè est debitor, & non admittere, quod fiat ab alio, scilicet à Christo loco debitoris: hoc enim nihil est. *Tum*, Quia licèt Christus in se non sit debitor, est tamen Caput omnium debitorum, seu totius naturæ humanæ; vnde vt tale caput de iure satisfacit, & ipsa natura humana satisfacit per Christum, tanquam per aliquid sui, & sic verificatur secundum moralem æstimationem, quod debitor satisfacit. *Tum etiã*, Quia dato, quòd ad hoc requireretur pactum, & consensus creditoris, vt vellet satisfactionem vnius pro alio acceptare, nihil minuit de rigore iustitiæ, quia non est extra naturalem, & communem modum satisfactionis, adhuc stando intra limites puræ iustitiæ, vt vnus satisfaciat pro alio, quando alius est impotens.

Quod enim non possit obligari tunc creditor ad absolutè acceptandum, non est ex defectu satisfactionis, & per se, sed ex impotẽtia debitoris, & per accidens: rigor autem iustitiæ non diminuitur ex his, quæ sunt per accidens. Et sicut ad redimendũ captiuum requiritur consensus domini, quantumcũque seruus offerat æquale pretium; quia redemptio fundatur in contractu, quasi emptionis, & vẽditionis; sic Christus vt Redẽptor consensum supponit, vt Deus acceptet pretiũ pro hoc captiuo, atque adeò, etiã vt satisfactor pro alieno debito, id supponit: per accidens tamẽ se habet in satisfactione; per se autem in formalitate Redemptoris.

Ad fundamentũ Vazquez ex dictis patet, Quod Deus obligatur acceptare satisfactionẽ Christi ex suppositione, quod Christus in finẽ satisfaciendi sua opera dirigat, & sic Deus acceptet, & ex suppositione quod procedat vt iustus iudex, & nõ vt supremus dominus. Addo etiã ex suppositione, quod velit acceptare satisfactionẽ vnius pro alio, & impotentiam proprij debitoris. Istæ tamẽ suppositiones nihil minuunt de rigore iustitiæ proprie dictæ, vt constat; nec enim suppositiones istæ fundantur in sola, & nuda promissione Dei, ratione cuius ipse teneatur implere promissum suũ, quod est ex fidelitate, sed fundantur in quasi contractu, & promissione onerosa, quæ ad pactum pertinet, & per illum applicatur debitæ materiæ ad ordinem iustitiæ seruandum.

Et licèt posset Deus, posita satisfactione Christi, modo explicato, negare donũ gratiæ, & auxilium, tamen peccatũ in ratione morali debiti, & iniuriæ, applicata satisfactione Christi, maneret extinctũ, licèt in ratione maculæ, quantũ ad physicã priuationẽ gratiæ maneret, & ita nõ esset homo intrinsecè renouatus nõ infusa gratia, licèt esset extincta ratio iniuriæ. Posset etiã Deus tũc punire nomine pœna æterna, nõ propter de-

debitum peccati in ratione iniuriæ, sed vel tanquam supremus Dominus, vel propter reatum pœnæ, si non tolleretur per meritum Christi, sed tantum moralis ratio iniuriæ, sicut modo etiam remissa culpa, & infusa gratia solet manere reatus pœnæ temporalis. Denique, neque tūc maneret Deus subiectus Christo absolutè, neque obligatus, aut debitor, sed sibi ipsi ex ratione suæ rectitudinis, & iustitiæ, factis illis suppositionibus debitor diceretur, sicut facto pacto, & contractu redditur debitor. Et hoc sensu etiā dicit Anselmus, lib 2. Cur Deus homo, Cap 19. *Quòd esset iniustus Deus, si filio non retribueret, facta scilicet suppositione*, & voluntate Dei, sicut explicatum à nobis, quod non ibi negat, sed supponit *D. Anselmus*.

A B

ARTICVLVS III.

Vtrùm ex virtute Iustitiæ commutatiuæ procedat satisfactio Christi?

C

Hactenus explicauimus conditiones requisitas ad rigorem iustitiæ in satisfactione Christi, quantum est ex parte ipsius satisfactionis. Restat videre principium à quo fuit elicita talis satisfactio, & ad quam virtutem pertinuerit illā exhibere? Nec enim virtus, quæ recompēlationem alicuius debiti exhibet, præstat pretium, seu valorem, in quo fit recōpensatio; sicut nec liberalitas præstat pecuniā, quam erogat, sed supponit illam; & virtus solùm inclinat ad vtēdum tali materia, & faciendū recompēlationem. Et quia vbi est diuersum debitu variatur virtus, quia est diuersa difficultas vincenda, & diuersa inclinatio; (vt patet in redditione debiti Religionis, vel obseruantiæ, aut iustitiæ propriæ) ideò quando inquirimus de Virtute à qua elicita fuit satisfactio Christi, idē est quod quærere, Quòd genus debiti in hac satisfactione exhibenda seruatū fuerit: An genus debiti moralis, vel legalis? An iustitiæ commutatiuæ, vel alterius speciei?

D E

Variè in hac parte diuisi sunt Theologi, & omnes ferè Opiniones in tres Classes distribuūtur. Quidā enim satisfactioni Christi non assignant determinatam virtutem; quia existimant à pluribus virtutibus formaliter processisse; scilicet à charitate, humilitate, obedientia, patientia, &c. quæ à charitate, & Religione dirigebantur, & imperabantur. Ita *M. Vincent. Pag* 274. Et *Pater Vazq hìc Disp. 7. Cap. 6.* Alij à pluribus virtutibus eminentialiter processisse; quia existimant esse in Christo quādam iustitiā, quæ eminēter sit commutatiua, distributiua, & legalis, sicut in Deo attributum iustitiæ omnem iustitiam includit, & ab illa dicunt procedere satisfactionem Christi.

Secunda Opinio docet procedere à virtute Religionis, quatenus per satisfactionē Deo exhibuit Christus honorem, & cultū, & specialiter se in sacrificium obtulit, quod est actus religionis: ex parte autem Dei fuit acceptata satisfactio à virtute gratitudinis. Ita *Lorca hìc Disp. 8. num. 14.*

Tertia Opinio docet processisse à iustitia commutatiua, & hi etiam sunt diuisi. Nam quidam dicunt fuisse ab habitu iustitiæ cōmutatiuæ specie differenti a nostra iustitia, cuius solum anima Christi est capax; quia solus ipse potest seruare hanc iustitiā in ordine ad Deum. Ita *Medina* in præsenti *Dub. 3. Responsione ad 2.* & sequitur *Aluarez* in præsenti *Disp. 4. Concluſ. 4. & Solutione ad 6. Nazarius Controuerſ. 1. 3. Part.*

Alij ponunt habitum iustitiæ ad Deum, quam dicunt esse specialem, & distinctam à nostra iustitia commutatiua, solùm ex eo, quod respicit ius altioris ordinis: sicut hac ratione distinguitur Fidelitas, qua implemus promissionem Deo factam, & qua hominibus, habetque pro obiecto seruare ius diuinum, ac si læsum fuerit reparare: inueniturque in omnibus hominibus ista distincta virtus à commutatiua, & reliquis; quia habet distinctam honestatem, & materiam, atque ita ab illa processit satisfactio Christi, quæ perfectè fuit reparatiua diuini iuris. Ita *Suarez Disp. 4. Sect. 5.*

Denique Alij existimant simpliciter processisse satisfactionem Christi à iustitia commutatiua infusa, quæ secundùm suam physicam specie alijs hominibus cōmunis est, & solum in Christo habet distinctā dignitatem moralem, sicut & gratia habitualis, & aliæ virtutes ab ea dimanantes. Sic *Cabrera hìc Disp. 8. Conclusione 2. & 3.*

Nihilominus resolutoriè Dico, Satisfactionem Christi elicitam esse à virtute iustitiæ commutatiuæ, quæ specialiter, & regulariter inuenitur in Christo, non autem in homine puro; ex parte autem Dei acceptantis non correspondet illi formalis iustitia commutatiua, sed eminētialis. Primam partem huius conclusionis sequimur cum

Medina, *Aluarez*, *& Nazario* relatis, & est expressa *Caietani* in *Comment. ad 2. Epist. ad Corinth. Cap. 5.* in fine, vbi dicit, *Quòd passio innocentis pro peccatoribus iustitia est satisfactoria, Species est iustitiæ commutatiuæ pro iniuria soluentis pœnam.*

Tamen pro eius clariori intelligentia est aduertendum. Quod in nobis ponitur virtus pœnitentiæ ad satisfaciendum Deo, distincta à Religione, & à reliquis virtutibus, quæ erga Deum versantur, tanquam pars quædam potentialis iustitiæ, id est, tanquam imperfecta quædam iustitia; quia sicut Religio reddit Deo debitum cultum, & ex hac parte habet rationem iustitiæ, quæ respicit debitum ad alterum; quia tamen non reddit illud ad æqualitatem, deficit à propria, & perfecta ratione iustitiæ, & ita vocatur *Pars Potentialis eius*; ita pœnitentia respicit debitam recompensam pro peccatis faciendam Deo, & ex hac parte habet rationem iustitiæ; quia tamen ad æqualitatem non recompensat, ideò est imperfecta iustitia, & dicitur pars potentialis eius, vt cõstat ex *S. Thom. 3. Part. Quæst. 85. Artic. 3.* Et licèt *Caietanus* sentiat non distingui pœnitentiam à Religione, quia recompensa satisfactionis est exhibitio honoris; tamen expræsè à *D. Thoma* distinguitur in *4. Distinct. 14. Quæst. 1. quæstiunc. 5.* Quia religio respicit debitum in quantum recepit homo aliquid à Deo per creationem; pœnitentia autem respicit debitum quatenus abstulit aliquid à Deo per peccatum, & offensam. Reducere autem ad æqualitatem debitum ex illatione iniuriæ, vel debitum ex acceptatione beneficij, distinctam realitatem, & formalem rationem inducit, sicut etiam inter homines videmus. Hoc ergo supponimus de Materia de Pœnitentia, non enim hìc tractandum est.

Quia ergo in Pœnitentia inuenimus aliquid tenens se ex parte iustitiæ, scilicet recompensatio debiti ex offensa contracti, & aliquid deficiens à iustitia, scilicet, quod nõ ad æqualitatem perueniat recompensandi, si purificetur ab hoc defectu, pertinebit ille actus ad eam virtutem iustitiæ perfectæ à qua deficit pœnitentia, & cuius pars potentialis est. Manifestum est enim, quòd si aliquis actus deficit à perfectione virtutis propter aliquem defectum eo remoto, & purificato ad eam virtutem perfectam pertinebit à cuius perfectione defecit, & cui subordinabatur vt imperfectum perfecto.

Rursus Pœnitentia est imperfecta, & potentialis iustitia respectu iustitiæ commutatiuæ, non distributiuæ, vel legalis, aut alterius; vt patet ex *D. Thom. 3. Part. Quæst. 85. Artic. 3. ad 3.* vbi inquit, *Quòd sicut est commutatio quædam in beneficijs, ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa, vel inuitus punitur, quod pertinet ad vindicatiuam iustitiam; vel voluntariè recompensat, quod pertinet ad pœnitentiam, quæ respicit personam peccatoris, sicut iustitia vindicatiua personam iudicis. Vnde manifestum est, quod vtraque sub iustitia commutatiua cõtinetur.* Sic D. Thomas. Qui etiam legendus est de hac re in *4. Distinct. 14. Quæst. 5. Artic. 1. quæstiunc. 4. ad 4.* Cum ergo pœnitentia ex sua ratione, & natura propria versetur circa materiam iustitiæ commutatiuæ, ex defectu autem æqualis recompensationis à propria, & perfecta iustitia commutatiua deficit, manifestum est, quòd quando actus est recompensatiuus ad æqualitatem offensæ Dei, debet ad perfectam iustitiam commutatiuam pertinere.

Dices: Si hæc ratio probaret aliquid, probaret etiam quòd gratitudo pertinet ad iustitiam commutatiuam perfectã, quando gratiæ pro beneficio aguntur ad æqualitatem, quia etiam ibi ponit *D. Thomas* recompensationem in beneficijs, sicut cum quis gratiam pro beneficio rependit. *Item*, Quòd Vindicatiua iustitia reduceretur ad commutatiuam perfectam, quando iudex omninò æqualem pœnam pro delictis imponit. *Ac denique*, Quòd Religio in Christo esset iustitia perfecta, & propria, quia reddit cultum Deo ad æqualitatem; nec enim magis æqualem recompensationem exhibet pro offensa, quàm pro cultu, honorando Deum, & colendo tanquam æqualem: hoc autem esset destruere in Christo virtutem Religionis; ergo sicut ex hoc non probatur religionem transire ad virtutem iustitiæ commutatiuæ, ita nec satisfactionis actum ad perfectam iustitiam pertinere.

Respondetur Gratitudinem non solùm deficere à commutatiua iustitia ex parte æqualitatis, (si fortè in hoc deficit) sed in ratione debiti; quia gratitudo respicit debitum morale ex honestate conuictus prouenientis, non debitum legale ex rigore legis, seu adæquatè rei ad rem, & contractu, vel quasi cõtractu, vt dicit *S. Thom. 2. 2. Quæst. 80.* At verò offendens, & peccans in Deũ, lædit debitum rigorosum, multò magis quam qui hominem in honore offendit, vt

Dis-

Disputatione præcedenti probatum est; & ideo ex hac parte reduci potest ad perfectam iustitiam commutatiuam, non verò gratitudo. A

Similiter dicendum est de Vindicatiua iustitia, quæ vt dicit *S. Thomas* 2.2. *Quæst.* 80. deficit à debito legali, & rigoroso, & tamen respicit debitum morale; quia sicut gratitudo recompensat in bonis secundùm beneficia, quæ quis accipit, sic vindicatio recompensat in malis quatenus propulsat aliorum iniurias, medi nte publica potestate, & per se ipsum defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ, & vim vi repellit. B Et tamen vt aduertit S. Thomas Quæst. 108. Artic. 2. ad 1. *Punitio peccatorum, seu retributio in malis secundùm quod pertinet ad publicam iustitiam, est actus iustitiæ commutatiuæ; secundùm verò quod pertinet ad immunitatem alicuius personæ singularis, à qua propulsatur iniuria, pertinet ad virtutem vindicationis.* Vnde nunquam vindicatiua iustitia attingit commutatiuam perfectam; C quia nunquam induit rationem debiti legalis, nec enim deficit à iustitia ex parte æqualis, sed ex ratione debiti.

Denique Religio in Christo nunquam reddebat ad æqualitatem cultum debitum, quia licèt actiones religionis denominatiuè essent dignitatis infinitæ, sicut & actiones aliarum virtutum; tamen formaliter ex sua specie attingebant Deum sub respectu inferioris ad superius, quia ex specie sua fundabantur in debito creationis, & consequenter pertinebant ad Christum ratione eius, quod creatum est in illo. D Creatura autem semper est inferior creatore, & debitum, quod in hoc titulo fundatur, ex sua specifica ratione semper est debitum inferioritatis; atque adeò ex sua specie nũquam peruenire potest ad æqualitatem. Sicut etiã actus timoris in Christo semper est respectu inferioris ad superiorem, quatenus affectu reuerentiæ ad diuinam eminentiam mouebatur anima Christi; E cultus ergo religionis in Christo formaliter, & specificatiuè est inferior, & potentialis iustitia; denominatiuè autem habet dignitatem æqualem. Et hæc æqualitas, quæ denominatiuè conuenit illis actibus, non respicitur à religione, quia est extra speciem cultus; respicitur tamen à iustitia commutatiua, non ad tollendum religiosè, sed ad compensandum iustè, & ita quod denominatiuè, & extrinsecè se habet in vno, formaliter, & specificè se habet ad alterum.

Et ex his probatur secunda pars conclusionis. Quia obiectum specificum iustitiæ commutatiuæ ad Deum non potest inueniri, nec respici à pura creatura; ergo neque est capax talis virtutis. *Conseq. patet.* Quia quod non est capax specificationis, neque etiam est capax specificati; ergo si specificatiuum est extra limites puræ creaturæ, etiam & virtus, seu actus specificatus. *Ant. verò manifestum est*, Quia specificatiuum iustitiæ commutatiuæ in ordine ad Deum est reddere æquale Deo; nullum autem purè creatum est æquale Deo; ergo nullum purè creatum specificare potest talem iustitiam commutatiuam, & sic non erit capax illius pura creatura.

Dices: Iustitia commutatiua de se solùm respicit reddere æquale cuicumque, siue homini, siue Deo; & consequenter licèt vbi non inuenit materiam æqualem in actũ respectu talis materiæ, in subiecto tamen in quo inuenitur, sicut in Christo, eadem met virtus immutata reddet æquale: neque enim variatur iustitia commutatiua ex variatione debitoris, vel creditoris, sed ex variatione debiti, & medij, quod constituitur, & honestatis ipsius virtutis, quæ eodem modo se habet erga Deum, & erga homines. Sicut virtutes morales ex eo quod in patria non possint exercere actus, quos hic exercent circa refrænationem passionum, non propterea distinguuntur specie à virtutibus moralibus, quæ sunt in via.

Sed contra hoc est. Quia virtutes respiciunt determinatas regulas, & determinatam materiam regulabilem à ratione modo humano Vnde ex eo dona Spiritus Sancti distinguuntur à virtutibus, etiam supernaturalibus, vt dicit *S. Thomas* 1. 2. *Quæst.* 68. Quia dona regulantur ipso impulsu Spiritus Sancti, qui excedit omnem humanam regulam: virtutes autem morales habent regulas determinatas modo humano, etiamsi virtutes supernaturales sint, quia supernaturalitas solùm mutat motiuum, & finem, non verò excessum vltra modum humanum ponit. Regulare autem debitum quodcumque, & reducere ad æqualitatem, etiamsi sit inter Deum, & homines, excedit omnem regulam, & mensuram humanam, quantumcumque ex supernaturali motiuo fiat: quia (vt supra ostendimus) purus homo, quantumcũque gratia sit præditus, non potest ad æqualitatem satisfacere pro peccato; ergo talis regulatio non est debita iustitiæ commutatiuæ,

quæ

quæ secundùm has regulas procedit, quantumcumque sit supernaturalis, & infusa.

Nec est simile de Virtutibus in Patria, aut etiam de his, quibus deest propria materia, vt magnificentia, seu liberalitas in paupere; virginitas in corrupta, &c. Tales enim virtutes solùm carent materia quasi extrinseca, & remota; non tamen carent formali, & proxima; quia habent regulationem suam, & actũ in præparatione animi exercendi se in illa materia, *Si adesset*. At verò in puro homine non potest cadere regulatio, seu dictamen practicum, & efficax satisfaciendi Deo ad æqualitatem, & consequenter neque actus in præparatione animi, etiam efficaci, licèt inefficacem habere possit; sicut actus, qui versatur circa impossibilia, sed hoc non sufficit ad virtutem.

Denique Tertia Pars est contra *Capreolum in 2. Dist. 2.* Qui existimat in Deo esse propriè iustitiam commutatiuam, eamque exercere quando reddit præmia actibus nostris meritorijs, prout sunt à Spiritu Sancto: quem refutat *Ferrara 1. contra Gent. Cap. 93.* & eam reijcit *S. Thomas 1. Part. Quæst. 21. Artic 1. & in 4. Dist. 46 Quæst. 1. Artic. 2* dum dicit, *In Deo non esse iustitiam commutatiuam; quia vt dicit* Apostolus Rom. 2. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quod magis explicat solut. ad 3. *Quia omne debitum, vel est debitum Deo, vel rei extra Deum, & creatæ, & Deo quidem est debitum, vt agat secundùm decentiam ipsius; extra se autem debet dare id quod conuenit alicui secundùm suam conditionem; sed hoc debitum dependet ex primo, quia hoc debetur vnicuique, quod ordinatum est ad ipsum secundùm ordinem diuinæ sapientiæ. Et licèt Deus hoc modo debitum det alicui, non tamen ipse est debitor, quia ipse ad alia non ordinatur, sed alia ad ipsum*, sic D. Thomas.

Ex quo colligimus, Quòd iustitia commutatiua formalis, & secundùm formalem modum, quo reperitur in nobis, fundatur in acceptatione, & exhibitione alicuius quod simpliciter constituat alterum debitorem, ex vi talis acceptationis præcisè; & consequenter accipiens ordinetur quasi obligatus ad reddendum ei, quod dedit. Si autem acceptatio, qua aliquis recipit ab alio, non sit sufficiens constituere accipientem debitorem per se, & absolutè, sed ex suppositione, & ordinatione voluntatis accipientis; talis non reddit ex iustitia commutatiua formaliter, quia non nascitur obligatio ex acceptis simpliciter, sed ex suppositione, & ordinatione voluntatis accipientis.

Itaque iustitia commutatiua formaliter respicit debitum rigorosum vtriusque partis, non quidem fundatum in aliqua superioritate vnius respectu alterius, sed præcisè in ipsa commutatione dati, & accepti; atque adeò oportet, quòd partes inter quas versatur tales sint, quod quælibet possit obligari, & reddi debitor ex acceptatione, qua accipit ab altero, & quantò magis diminuitur ista obligatio orta ex acceptatione alterius, diminuitur ratio iusti compensatiui formaliter accepti. Cum ergo (vt supra ostendimus Articulo præcedenti) Deus non obligetur acceptare satisfactionem Christi ex vi ipsius satisfactionis absolutè, sed ex suppositione voluntatis suæ, volentis ex supremo dominio respectu hominũ, quod possit alter pro alio satisfacere, &c. Consequenter non acceptat illam ex vi iustitiæ commutatiuæ formaliter: nec enim est Deus capax talis iustitiæ, quæ intrinsecè imperfectionem importat, scilicet obligationem debiti, ortam præcisè ex acceptatione alicuius rei, seu commutatione, non ex ordinatione, & suppositione voluntatis accipientis.

Est tamen iustitia Dei eminentialiter commutatiua; quia seruat modum iustitiæ commutatiuæ in suis iudicijs, & actibus, vt dicit S. Thomas 2. 2. *Quæst. 61. Artic. 4. ad 1.* & ibi benè explicat *Caiet.* & optimè *Ferrara 1. contr. Gent. Cap. 93.* Quatenus ex duabus conditionibus concurrentibus ad iustitiam commutatiuam, scilicet, quod seruetur æqualitas inter datum, & acceptũ, & quod aliquid sit verè datum, scilicet quãtum ad hunc effectum, quod ita sit datum, quod induat obligationem in accipiente ex se, & non ex ordinatione suæ voluntatis; inuenitur prima cõditio in actibus Dei, & in acceptatione satisfactionis Christi, nõ secunda; quia prima dicit perfectionem, scilicet facere æqualitatem; secunda verò imperfectionem. Et similiter se habet Deus in præmiatione meritorum, in qua, & exercet distributiuam iustitiam, & seruat modum commutatiuæ, quantum ad id, quod perfectionis est, non imperfectionis.

Et sic omnia Argumenta, quæ possunt fieri contra iustitiam commutatiuam Christi, ex eo quod non correspondet ex parte Dei iustitia commutatiua, vana sunt. Quia sufficit reperiri iustitiam commutatiuam virtualiter eminentialiter, non formaliter.

Nec

Nec in Christo ponimus iustitiam commutatiuam, vt Deum reddat debitorem simpliciter, sed debitorem ex suppositione voluntatis suæ, & in ratione iusti iudicis, seruantem modum iustitiæ commutatiuæ, quantum ad redditionem æqualis, & secundum quod tenetur iudicare illam satisfactionem sibi exhibitam, esse æqualem, non solum iudicando id speculatiuè, sed practicè, id est, quod debet esse contentus illa, nec exigere potest maiorem, stando intra limites iusti iudicis, quamuis vt supremus dominus aliud possit; quod non tollit rigorem iustitiæ; obstat tamen ne commutatiua formaliter inueniatur, vt dictum est.

Soluuntur Argumenta.

Restat tamen aliquas Difficultates expedire. Prima ex *Magistro Vincentio*. Quia virtus illa iustitiæ commutatiuæ debet oriri ex gratia Christi, sicut aliæ virtutes. Voluntarium enim est dicere, quòd seorsum infundatur à Deo: In nobis autem est gratia eiusdem speciei, atque in Christo; ergo & in nobis debet esse eadem iustitia commutatiua; vel in Christo non est. *Et præsertim hoc vrget*, Si Verbum dimitteret humanitatem; tunc enim in humanitate maneret gratia, & omnes virtutes, seu accidentia illi inhærentia; ergo & maneret illa virtus iustitiæ commutatiuæ: nec enim habet à quo corrumpatur, & consequenter homo purus est capax talis virtutis; alioquin si non esset capax, & anima Christi esset capax illius, obedientialis eius potentia ex vnione ad Verbum esset maior, quàm in nobis, quod est absurdum.

Secundum Argumentum. Quia Christus non satisfecit vt æqualis Deo; ergo neque per iustitiam commutatiuam. *Ant. patet*. Quia satisfecit vt homo; satisfecit vt patiens, & humiliatus ipsi Deo; vnde *Paulus* dicit, Quòd *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem*, & sic inquit *Vincentius*, non est consonum veritati Fidei dicere, quòd Christus satisfecit vt æqualis.

Tertium. Quia ille habitus iustitiæ commutatiuæ esset finitus, & limitatus; ergo satisfactio Christi, prout à tali virtute, non habet infinitatem: ergo neque æqualitatem ad compensandum; & consequenter prout ab illa virtute non est actus iustitiæ commutatiuæ. *Si dicatur* virtutem illam habere infinitatem moralem ex Supposito, licèt non physicam ex sua specie. *Contra hoc est*. Quia propria ratio iustitiæ commutatiuæ, non sumitur ex dignitate personæ in qua est; sed ex ordinatione ad actum, & obiectum suum: sed ex obiecto tuo non habet infinitatem, & æqualitatem, & consequenter ex propria ratione sua non habet rationem iustitiæ commutatiuæ; illa enim dignitas ex persona proueniens communis est omnibus alijs virtutibus, per quas Christus exercebat opera satisfactoria.

Nec potest dici, Quod aliæ virtutes, vt satisfactoriæ, dependebant, & subordinabantur iustitiæ commutatiuæ. Quia licèt iustitia commutatiua posset imperare illas, quantum ad suas rationes specificas, non tamen quantum ad dignitatem, quam habent à Supposito; quia hæc dignitas à nulla virtute regulari potest. Nec enim vlla virtus creata ex sua propria ratione dignitatem illam præhabet, sed ex Supposito accipit, & actuali eius exercitio. Cum ergo talis dignitas nullo modo ex parte obiecti virtutis se possit tenere, à nulla virtute regulari potest ex proptia ratione: frustra ergo ponitur iustitia commutatiua, cum ex ipsa, & ex specie, seu obiecto suo, non possit desumi infinitas, nec æqualitas satisfactionis.

Denique potest argui ex *Lorca*. Quòd inter Deum, & homines non potest intercedere vera iustitia, & debitum legale. Quia non potest inter ipsas esse vera ratio dati, & accepti, nec translationis, aut collationis dominij, ergo nec inter Christum, & Deum. *Consequentia patet*. Quia Christus assumpsit in se debitum quod homines habebant erga Deum; ergo si eorum debitum non erat secundum iustum commutatiuum, nec nos ex iustitia commutatiua satisfaceremus, si possemus ad æqualitatem satisfacere, neque Christus ex commutatiua iustitia satisfecit.

Resp. ad Primum, Commutatiuam iustitiam dimanare à gratia, non quomodocumque, sed à gratia plena, seu habente illam summam perfectionem gratiæ ex coniunctione ad Verbum. Itaque gratia prout coniuncta Verbo est principium à quo dimanat iustitia commutatiua, non verò gratia separata à Verbo. Sicut enim Grane in centro est principium quietis, vt propriæ passionis pro illo statu; extra centrum verò non est principium illius, sed motus. Ita gratia posita in suo centro, quod est Deus, est principium iustitiæ commutatiuæ ad Deum, non verò extra Verbum: sicut gratia

tia vt consumata est principiũ visionis Dei, vt non consumata est principium fidei. Vnde licèt in nobis sit eiusdem speciei, non tamen habet eundem statũ, & consequenter, neque est principium earũdem passionum; aliàs probaret in Christo debere esse pœnitentiam, & fidem; quia in nobis est gratia principium illarum. Si autem Verbũ dimitteret humanitatem, necessariò quoque dimitteret iustitiam commutatiuã, eo quod gratia tunc haberet alium statum separata à cõiunctione ad Verbum: sicut lapis separatus à centro, non amplius producit quietẽ, sed motum; neque gratia separata à termino patriæ producit visionem, sed fidem.

Nec sequitur ex hoc, quòd anima ex vnione ad Verbum habeat maiorem potẽtiam obedientialem, sed solùm sequitur quod in puro homine, non est immediatè, & proximè capax illius virtutis; est tamen mediatè, & remotè; quia anima nostra est assumptibilis à persona diuina, & cõsequẽter mediante assumptione capax illius virtutis; sicut anima videns Deum non est capax fidei, nisi mediatè, id est, posita in statu viæ, & separata à visione; nec anima Christi capax pœnitentiæ, nisi mediatè, si dimittatur à Verbo.

Ad secundum. Miramur quomodo *Mag. Vincẽtius*, ita acriter censuret illam propositionem, Quòd *Christus non satisfecit vt æqualis Deo*, æqualitate se tenente ex parte Suppositi, non naturæ; cũ *Ipse* dicat Christũ nõ satisfeciſſe, nisi per actiones reflexas, quibus Suppositum ipsum in natura assumpta humiliabatur Deo, & si suppositum humiliauit; ergo æquale Deo subiecit, quia suppositũ illud sic humiliatum, non rapinã arbitratum est esse se æquale Deo; & hoc est quod fides docet: nam vtrumque eodẽ loco coniunxit *Apostolus*, quod *non rapinam arbitratus est se esse æqualem Deo*, & quod *Exinaniuit semetipsum*, & humiliauit *factus obediens, vsque ad mortẽ*. Ergo satisfacit vt homo ex parte naturæ, vt Deus ex parte Suppositi, & per passionem, & humiliationem, etiam ipsius suppositi æqualis mediante natura assumpta satisfactio peracta est.

Ad Tertium Eodem modo tenetur Respondere *Vincentius*, qui satisfactionis infinitatem in illis reflexis actionibus posuit, quibus suppositũ humiliabatur, & se vt humiliatum offerebat Deo, ita quod supra suppositum tanquam supra obiectum reflectebantur actiones, atque adeò ex propria ratione illius reflexionis habebat pro obiecto infinitam dignitatem, & consequenter ex natura, & specie talis reflexionis. Quare dicendũ est, quòd illa iustitia commutatiua in Christo, habet pro obiecto æquialens pretium Deo pro offensa reddere, atque adeò dignitatem illam infinitam actionibus cõmunicatã habet pro obiecto specificatiuo: Iustitia enim commutatiua inclinat quidẽ ad reddendum æquale pro æquali, non tamen ipsa ex se reddit pretium, sed facultatẽ aliunde supponit sibi præstari in re. Habet tamẽ pro obiecto illam, si adsit, pro cõmutatione dari; sic ergo ex supposito deriuatur valor in commutatione, & satisfactione Christi exhibendus, non ex virtute iustitiæ; illum tamen iustitia habet pro obiecto, seu pro materia respicere, vt reddat æquialẽs.

Et quando instatur à Vincentio, Quòd nulla virtus regulare potest illum valorem, nec pro obiecto habere, quia illum præhaberet ex propria ratione, & specificatione sua, nõ ex supposito. *Resp.* Quòd præhabet illum valorẽ ex propria ratione, & specificatione obiectiua, quæ obiectiua ratio est ipsum suppositũ; habet enim pro obiecto valorẽ ex supposito desumptũ offerre Deo, & id quod in alijs virtutibus Christi est denominatio dignitatis suppositalis, in commutatiua iustitia est obiectũ specificatiuũ: sicut Vnio hypostatica ex propria ratione habet respicere dignitatẽ infinitã, quia ipsum suppositũ est terminus, seu obiectum talis vnionis; sic ergo iustitia commutatiua, dupliciter habet dignitatem infinitã. *Primò* denominatiuè secundùm quod in exercitio determinatur à supposito vt principio *Quod*, sicut cæteræ virtutes. *Secundò* obiectiuè, & specificatiuè quatenus respicit pro obiecto proprio valorem desumptum à supposito offerre pro recompensa.

Ad quartum Resp. Quòd licèt inter homines, & Deũ non possit intercedere debitũ legale rigorosum, fundatum in ratione dati, & accepti; benè tamen fundatũ in læsione diuini iuris, quia hæc est vera & propria ratio iniuriæ, vt supra probauimus, & ipse *Iorca* nõ negat. Non potest autẽ habere rationẽ propriæ iniuriæ, nisi lædat propriũ, & verum ius, atque adeò debitũ rigorosum, & legale inducat, quãtũ est ex parte iuris læsi, non minus, quã si alicui homini fiat iniuria, licèt ex parte lædentis sit impotentia ad restituendum. Christus autem assumpsit supra se hoc debitũ vt imperfectè, & cum impotentia reddendũ, sicut homines poterãt, sic enim gratis mereretur, sed vt tenebat se ex parte personæ læsæ, & iniuriam propriè dictam illi irrogabat.

DIS-

DISPVTATIO TERTIA
DE DECRETO INCARNATIONIS.

ARTICVLVS I.

Explicantur Instantia, *seu* Signa rationis *in Decreto Incarnationis: & aperitur Punctus Difficultatis.*

NON *sumimus* hic *Signa* diuinæ voluntatis in eo sensu, quo de illis loquitur *S. Thomas 1. Part. Quæst. 19. Artic. 12.* Vbi quinque *Signa* diuinæ voluntatis distinguit, tanquam ea per quæ nobis declaratur quid Deus velit, & quomodo velit, & ita non sunt signa ad distinguendum obiecta volita, sed sunt effectus, quibus nobis innotescit Dei voluntas, sicut *Præceptum Permissio, Consilium, &c.* In præsenti autem sumimus *Instantia*, seu *Signa rationis* ad distinguenda aliqua obiecta volita, quæ in nobis distinguerent diuersos actus; in Deo autem solùm distingunt plures habitudines eiusdem actus, secundùm quod vult vnum ordinari ad alium, vt dicit *S. Thomas 1. Part. Quæst. 19. Artic. 5.* Quia enim in Deo plures actus voluntatis non sunt sicut in nobis, & tamẽ tam diuersa obiecta sunt volita sicut à nobis, illi simplicissimo actui assignamus diuersa instantia, seu signa, id est, diuersas habitudines ad diuersa obiecta. Vnde idem est assignare diuersa *Instantia*, atque assignare diuersa obiecta volita à Deo.

Et quando inter ipsa obiecta est ordo, & connexio, ita quod vnum dependeat ab alio, vel sit prius alio, dicitur etiam vnum signum, seu instans esse prius alio: & quia causæ ad inuicem sunt causæ, & consequẽter ad inuicem dependent, & habent prioritatem, & posterioritatem, quæ dicitur prioritas naturæ, seu dependentiæ; ideò inuenitur etiam vnum signum esse prius, & posterius secundùm diuersas considerationes, seu habitudines. In præsenti ergo, cum agamus de efficaci decreto Dei, quo decreuit, ac voluit Incarnationis mysterium, & volitio efficax pendet ex pluribus; nam respicit finem, & respicit media; respicit intẽtionem, & executionem; respicit rem, quoad substantiam, & quo ad circunstantias; respicit absolutè in se, & comparatiuè ad alios ordines rerum, respicit adæquatè, seu completè, & secundùm omnia ista distingui solent instantia, seu signa rationis in hac parte, non solùm modica confusione, sed magna difficultate. Vt videri potest in *Mag. Nazario* hìc *Artic. 3. Controu. Vnica, & Cabrera.*

Ante omnia autem Moneo, quòd quando distinguimus ista instantia in Decretis diuinis, non ita possumus vnum instans, seu decretum ab alio seiungere, quod vnum habere possit rationem futuritionis respectu alterius, nec Deus potest cognoscere aliquod decretum suum, vt futurum sub aliqua consideratione, sicut putauit *Suarez lib 2. de Scientia conditionali, Cap. 8.* Contra quem pugnat *Vazquez 1. Part. Distinct. 63. Cap. 4. § Sed quæret aliquis.* Et *Pater Hericè, Tract. 1. Disp. 1. Cap. 9.* Separatio quippè instantium, seu signorum in diuinis decretis, nunquam potest fieri in duratione, sed solùm in connotatione ad obiecta, quæ attingunt, quia si posset concipi etiam à nobis vnum instans, seu Decretum diuinum, vt in duratione seiunctum ab altero, & vt futurum respectu alterius decreti, vel respectu voluntatis Dei, posset concipi vt non coexistens alteri, nec coexistens voluntati Dei; quia quod est futurum non est simul coexistens, sed succedens in existentia. Repugnat autem in conceptu ipsius Puri Esse concipi aliquid, vt non coexistens, sed vt succedens; ergo repugnat concipi vt futurum. Quæ est ratio cur in processionibus Personarum, licèt sit ordo Originis, est tamen omnimoda simultas durationis, etiam in nostris conceptibus, quia est omnimoda consubstantialitas, atque adeò omnimoda coexistentia, & duratio.

Quare hoc animaduerto, *Instantia*, seu

Signa

Signa Decretorum diuinorum distinguimus secundùm diuersas habitudines ad obiecta (vt dicit *S. Thomas* 23. *Quæst. de Verit. Artic.* 2 *ad* 1. & 2) quæ prius, aut posterius sunt volita, & procedimus in his signis distinguendis tripliciter. *Primò* secundùm analogiam, & comparationem ad actus, qui in nostra voluntate inueniuntur secundùm intentionem, & executionem ad finem. *Secundò* ex parte motiuorum, quæ concurrere possunt ad inclinandum voluntatem ad aliquid decernendum, si est vnum adæquatum, vel plura. *Tertiò* ex parte obiectorum, quæ concurrunt, & respiciuntur à voluntate efficaci, & dependentia, seu connexione vnius cum alio.

Inuenitur autem in nobis primo distingui actus intellectus circa obiectum, quod proponitur voluntati, & actus voluntatis tendens ad illud: & sic etiam in Deo correspondet instans, seu signum, quo cognoscit res faciendas, proponens illas voluntati, & signum, quo voluntas vult illas; & in intellectu adhuc distinguitur signum cognitionis speculatiuæ, & practicæ; sed de hoc nobis non est difficultas hic. In ipsa ergo voluntate, post propositum obiectum ab intellectu, incipit tendentia in illud, & varij actus sunt secundùm duos ordines, intendendi, scilicet, & exequendi, qui à nobis translati ad Deum diuersa signa, seu instantia constituunt, & diuersas prioritates intentionis & executionis. Qui actus, vt intelligantur, & distinctio istorum duorum ordinum, videri possunt præcipuè tria loca *D. Thomæ*. Ex quibus hauriri potest perfecta huius intelligentia.

Primus est in 1. 2. Quæst. 1. Artic. 4. vbi S. Doctor apertè proponit, *Quòd in finibus est duplex ordo, scilicet intentionis, & executionis, & quod est primum in intentione est quasi principium mouens appetitum, vnde subtracto principio, appetitus à nullo moueretur. Principium autem in executione est vnde incipit operatio, vnde isto principio subtracto nullus inciperet aliquid operari. Istæ ergo sunt diffinitiones eius, quod est primum in intentione, & quod est primum in executione, scilicet, Principium mouens appetitum, & Principium vnde incipit operatio. Vnde quidquid induit rationem mouendi appetitum, induit ordinem intentionis; & quidquid induit rationem vnde incipit operatio, quod pertinet quasi ad genus efficientis, induit ordinem executionis.*

Secundus locus est eadem 1. 2. Quæst. 12. Artic. 1. ad 4. vbi inquit, *Quòd voluntas respicit finem tripliciter, vno modo absolutè; & sic dicitur voluntas prout absolutè volumus, vel sanitatem, vel si quid huiusmodi est: alio modo consideratur finis secundùm quod in eo quiescitur; & hoc modo fruitio respicit finem. Tertio modo consideratur finis, vt est terminus alicuius, quod in ipsum ordinatur; & sic intentio respicit finem. Vnde patet, quòd omnes isti tres actus pertinent ad ordinem intentionis; quia respiciunt finem, vt est principium mouens appetitum; sed simplex voluntas, & fruitio respiciunt finem absolutè, intentio verò respicit finem comparatiuè ad media, & vt est terminus assequibilis, vnde per illum actum fit descensus ad media, atque adeò ad ordinem executionis, licèt ibi nondum incipiat executio.*

Tertius locus est ibidem Quæst. 16. Artic. 4. vbi inquit S. Doctor, *Quòd voluntas habet duplicem habitudinem ad volitum; vna est, qua volitum quodam modo est in volente, id est, secundùm quod præcisè vult illud: alio modo secundùm quod tendit ad consequendum volitum realiter, quod est habere illud perfectè, & per possessionem. Et Prima habitudo voluntatis complectitur non solùm finem, sed etiam media; quia etiam media sunt volita, & ita etiam media possunt pertinere ad ordinem intentionis, secundùm quod volitum mouet appetitum, & est volitum ab eo; & hæc habitudo volendi prout complectitur finem, & media, terminatur in actu electionis, & inde incipit habitudo exequendi per vsum, & imperium, &c.* Vnde colligit ibidem *Caietanus* à prima apprehensione finis, vsque ad vltimam assecutionem eius, interuenire duodecim actus, quorum alij versantur erga finem; alij erga media vt volita; alij erga assecutionem.

Nos breuius proponimus tres ordines actuum, ita inter se ordinatos, & connexos, quòd ex primo deriuatur secundus, & ex secundo, tertius; sicut ex principijs deriuãtur conclusiones, & ideo primus virtualiter continet secundum, & secundus tertium. Primus versatur erga finem volendum; & in his inuenitur triplex actus. *Primus*, quo absolutè vult finem, v. g gloriam, *Secundus* fruitio, quo complacet, seu delectatur in fine sic volito. *Tertius*, quo vult finem assequi, & est intentio, qua apprehenditur finis, vt terminus ad quem media ordinantur: & sic parat voluntas descensum à fine ad media, & virtualiter illa continet; sicut

sicut principia vt disposita in modum præmissarum, Conclusiones.

Secundus ordo actuum versatur circa media, etiam vt volēda, & hic sunt alij tres actus voluntatis. *Primus est* Vsus antecedens electionem; seu motio, qua mouet intellectum, vt consilietur de medijs, seu proponat ea sibi, & sequitur consiliū hæc media proponens ex parte intellectus. *Secundus* actus voluntatis est Cōplacentia de medijs propositis; qui dicitur *Consensus*, quasi benè de illis sentiens, & respōdet fruitioni, qua cōplacet de fine. *Tertius est* Electio, qua vnum medium præfert alteri, & comparatiuè ad alium eligit: & in toto hoc ordine in quo versatur voluntas erga media, versatur circa illa volendo, non exequendo. Et ideo adhuc totum hoc pertinet ad ordinem intentionis generali modò acceptum, licèt non versetur erga finem; tamen comparatiuè ad primum ordinem potest dici executionis, quatenus tractat voluntas de his per quæ assequendus est finis.

Tertius Denique ordo est, ordo assecutionis realis, & sunt alij tres actus. Nam primus est *Imperium*, quo ordinatur, & intimatur executio, & ibi cōpletur efficacia volūtatis via executionis; cum in præcedentibus solùm esset efficax via intentionis. Secundus actus est *Vsus*, quo post imperiū ordinans, & intimans applicatur potentia executiuè ad operandū. *Tertius est* ipsa executio mediorū; & vltimus est assecutio finis. Hæc dicta sunt vt ordo intentionis, & executionis per suos actus declaretur, & ex illis diuersa instantia, seu signa rationis in Deo distinguere possimus, secūdū istorum actuum varietatē, & in aliquibus actibus diuersa signa secundùm diuersas rationes, & circunstantias, aut motiua, quæ in actibus considerantur ad intendendū, ad consiliandū, ad eligendū, &c.

Secundo Oportet notare, quid intelligamus per efficacem voluntatem, & quid cōcurrat ad illā? Et pro eius intelligentia, quātū attinet ad præsens, breuiter attēdenda est doctrina *S. Thom. Q. 6. de Verit. Artic.* 1. Et similē habet 12. *de Verit. Art.* 10. Vbi loquens de Prouidētia Dei, & Prædestinatione dicit, *Quòd in qualibet ordinatione ad finē duo est considerare; scilicet ipsum ordinem, & exitum, vel euentū ordinis; non enim omnia, quæ ad finē ordinantur, finē cōsequuntur; prouidentia ergo ordinē in finem respicit tantum; vnde per Dei prouidentiam omnes homines ad beatitudinē ordinantur, sed prædestinatio respicit etiam exitum, vel euentum ordinis, vnde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur. Sicut igitur se habet prouidētia ad ordinis impositionem, ita se habet prædestinatio ad ordinis exitum, vel euentum.*

Ex qua doctrina accipimus, quod voluntas efficax est, quæ ordinat in finē, seu respicit finē, non solùm volendo ordinē ad illū, sed intendendo exitum, seu euentū, & non ab ipso euentu secuto in re dicitur volūtas efficax, sed ex euētu intēto; quia in re sequi potest euentus casualiter, & per accidens, vt autē sequatur secundū modum prudentem operandi, oportet quod sit intērus, & per se volitus. Igitur voluntas intendens ordinare aliquid ad finem, & simul euentum, seu exitum talis ordinis ad finē, dicitur efficax voluntas, quæ etiam in Deo dicitur *Voluntas Consequens*. Et quia res exire non potest extra causas, nisi cū omnibus suis circunstantijs, & medijs requisitis, oportet quòd voluntas efficax attendat, & intendat res in singulari, & cum omnibus circunstantijs, & medijs ad exitum rei requisitis.

Quia verò efficacia in executione dependet à medijs, & media à fine, oportet quod efficacia vnius virtualiter cōtineatur in efficacia alterius, & quod quidquid in ipso exitu, seu euentu rei executo relucet, totum in actibus, qui versantur erga media, & in actibus qui versantur erga finem, contineatur, vt intentum, & volitum. Et inde est, quod semel volita re efficaciter exequenda, non potest superuenire illi ordo ad nouum finem, sed ordo ad finem debuit antecedere, quia ab illo descendit efficacia executionis, sicut à principijs deriuantur conclusiones. E contra verò efficacia intendens finem, & exitum, seu euentum illius, licèt non intuitu mediorum vt causæ mouentis intendat, non tamen intendit independenter ab illis, vt virtualiter contentis in se, & consequentibus ex se, non vt mouentibus.

Est tamen aduertendum latum discrimen inter efficaciam voluntatis diuinæ, & creatæ; quod diuina voluntas est causa vniuersalissima cōtinens in se omnes causas, & à cuius efficacia dependent omnia requisita, vt aliqua res habeat suum exitum, seu euentū; vnde non est efficax eius voluntas, si aliquo modo impediatur euentus, seu exitus rei. Voluntas autem creata non est causa vniuersalis, & completa respectu aliarum causarum, quin potius ad effectum sortiendum indigeat aliarum causarum adminiculo, quæ in manu eius non sunt, & ita solùm est causa quædam partialis, &

inadæquata,& in suo genere. Causa autem inadæquata,& dependens ab alijs benè potest esse efficax in suo genere, quia intendit exitum,seu euentum rei vt in suo genere,& tamen ex impedimento extrinseco frustrari;quia non pertinet ad eius efficaciam ponere euentum rei absolutè, sed in suo genere;sicut ignis est causa efficax calefaciendi, licèt calefactio ab imbre superueniente possit impediri, & omnes causæ naturales hoc modo sunt efficaces, scilicet efficacia impedibili,& subiecta contingentiæ.

Tertio Notandum est, Quòd sicut in omni re volita, quæ eligitur, assignatur ratio motiua eligendi, quæ est causa electionis huius in particulari, ita quando aliquis finis non est connaturaliter debitus statui rerum,sed potest poni, vel relinqui, assignatur ratio aliqua motiua, aut etiam impulsiua,quare intẽdatur. Et rursus si cum talibus circunstantijs, vel accidentibus intenditur, sine quibus posset intẽdi, de illis debet assignari ratio motiua propter quã sic intẽditur.

In Causis autem motiuis inuenimus diuersitatem, aut subordinationem, & connexionem; neque enim adæquatum motiuum faciendi aliquid est solùm aliquid simplex, sed aliquando ex multis componitur. Vnde dicit optimè *S. Thomas* 1.2. *Quæst.*12.*Artic.*3. Quòd *Homo potest sibi plura intendere non solùm vt subordinata, sicut quando appetit finem vltimum,& medium,sed etiam non subordinata, sicut plures vtilitates eiusdẽ rei; potest enim* (ait S.Thomas) *aliquid præeligi alteri, ex hoc quod ad plura valet; oportet tamen,quòd omnia illa præordinentur in ratione per modum vnius, vel sub vno communi contenta*; vt dicit ibidem *Doctor Sanctus* solutione ad 2.quia nõ potest dari vnus motus intentionis, nisi habeat vnum terminum formaliter loquẽdo, etsi materialiter,& partialiter sint plures.

Omnia autem motiua ad aliquid eligendum, vel habent rationem finis causæ, vel rationem finis effectus. Vocatur *Finis causa*,ille cuius gratia aliquid fit, siue finis proximus,siue vltimus. *Finis effectus*, ille qui consequitur, & ad quem vtilis est positio talis rei; & iste finis etiam motiuus esse potest,vt manifestè docet *S.Thomas* citato loco dicens: *Quòd inter alias conditiones,quibus vnum est melius altero, est quia ad plura valet.* Vnde potest aliquid præeligi alteri ex hoc quod ad plura valet: valere autem ad plura,est valere ad plures effectus. Quare ex eo quod effectus ipsi desiderantur, & mouent appetitum, eligitur res valens ad illa plura. Et finis cuius gratia, qui est causa, semper est nobilior eo, quod ordinatur ad illum: finis autem effectus non semper est nobilior, quia effectus potest esse nobilior sua causa.

In ipso ergo Incarnationis opere inuenimus substantiam, quæ est summa cõmunicatio diuinæ bonitatis,in quo excedit ordinem communicationis secundùm accidentia supernaturalia;& ordinem communicationis secũdùm esse naturale rerum: & cum sit illis excellentius,se habere potest vt illorum finis. Inuenimus etiam effectus ad quos valere potest, v.g. ad satisfaciendũ,ad glorificandum,ad consumandũ opera Vniuersi,&c.Inuenimus etiam omnes circunstantias,v.g.quod venerit Passibilis;venerit ex Matre;natus sit tali tempore,&c.Et hæc tria ita se habent, quod vnum se habet, vt determinabile per aliud,nam velle substantiam incarnationis, determinatur per hoc, quod est velle illam vt pro tali, vel tali effectu valentem: V.g. vt satisfieret Deo, & repararetur,quod perditum erat,vel vt honoraretur non perditum. Et ex hoc vlterius determinabitur in particulari circunstantia talis, vel talis, quæ congruebat illi effectui, pro quo veniebat; puta quod passibilis veniret,quod tali tempore,&c.

Et similiter Deus habet motiua faciendi hoc opus. *Primò* quidem motiuum primarium,& finem,cuius gratia,scilicet se ipsum,seu Ostensionem gloriæ suæ. Sed quia hic finis est valdè vniuersalis, & remotus, potestque variis vijs intendi, determinat Deus ostendere in talibus rebus suam bonitatem.V.g.in ordine rerum naturalium, & supernaturalium,& ordinis hypostatici, secundùm connexionem, seu subordinationem,quam vnus ordo habet respectu alterius. Sed quia ordo Hypostaticus potest ad diuersos effectus,in hoc Vniuerso exercendos, ordinari; sicut determinat Deus ad quos effectus ordinare vult res naturales,& supernaturales,ita determinat ad quos effectus vult Incarnationem,vt in illis determinatè ostendatur gloria sua in illo opere. Et denique ex illa determinatione determinat circunstantias secundùm congruentiam,& conuenientiam ad tales effectus,in quo ordine procedendi, & inuenitur prouidentia communis,& particularis. Ordo decretorum efficacium, & inefficacium. Impositio ordinis in rebus,& exitus, seu euentus rei ordinatæ. Et quia Multi assignant di-

diuersa Instantia secundùm omnia Decreta Dei efficacia, & inefficacia secundùm processum à re volita in vniuersali ad volitum in particulari, à substantia rei ad circunstantias eius, à dispositione ordinis in finem ad euentum ordinis, maxima confusione procedunt.

Nos ergo cum intendamus solùm in præsenti agere de Decreto efficaci Incarnationis, & prout de facto determinatũ est, plura ex his instantibus resecamus, quæ pertinent solùm ad decreta inefficacia, seu ad prouidentiam generalem imponẽtem ordinem, non verò attendentem ad exitum, seu euentum rei. Et ideò vt Difficultatis pũctum, in quo situm sit, aperiamus; in primis non est Quæstio, An Christus veniret Adã non peccante per aliud decretum, & secundùm aliam rerum mutationem? Constat enim potuisse Christum venire, etiam Adam non peccante, sicut potuit assumere naturam Angelicam, & nos non redimere, &c. An verò ita foret est planè diuinare, & ad abyssum Iudiciorum Dei spectat.

Secundò est certum, Quod si decretum præsens sumatur prout comprehendit, non solùm Incarnationem, sed etiam circu stãtias omnes, ex vi istius decreti sic circunstãtionati aduenirent tunc, quia oporteret alias circunstantias habere, & quo ad hoc esset aliud decretum, seu alia extentio decreti, pro ea parte, qua circunstantias tangit.

Tertiò noliumus hic disputare, quem ordinem seruauit Deus in decernendis omnibus ordinibus rerum, quæ inueniuntur in hoc mundo, scilicet ordine rerum naturalium, ordine supernaturalium, & ordine hypostatico; & An omnia vnius ordinis supponantur ad alium, eique subordinentur, vel non? Nec enim hæc latiùs disputanda sunt, sed solùm obiter tangenda, quantum necesse fuerit ad explicandum decretum efficax Incarnationis.

Difficultas ergo stat in hoc; An hoc decretum efficax, quo determinatũ est Christum de facto venire, & intenta est communicatio hypostatica quo ad euẽtum, & exitum rei, id est, efficaciter, habuerit dependentiam, seu respectum, aut connexionem cum redemptione à peccato, vel nõ habuerit? Et quia dupliciter potest habere connexionem; vno modo cum redemptione à peccato, vt prius præuiso, & prius volito remedio; deinde volendo Christum, qui remedium illud daret; alio modo cum redẽptione à peccato, vt subsequuta tanquã medium, vt veniret Christus prius intentus, vt finis ante præuisionem peccati; ideò vtroque modo inquirimus, Quam dependentiam, aut connexionem habuerit Incarnatio, vt efficaciter decretata, cum redemptione à peccato.

ARTICVLVS II.

Vtrùm ex vi præsentis Decreti ponere tur Incarnatio in re, si Adam non peccaret?

VT supra diximus in initio hujus Quæstionis in *Commentario Articuli* 3. Omnes rationes dubitandi in ista difficultate reducũtur ad duo capita. *Primum* ex parte prædestinationis Christi, qua prædestinatus est vt finis omnis creaturæ; & consequenter efficacia intentionis huius finis debuit antecedere efficaciam volendi totum vniuersum, quod ordinabatur ad ipsum, vt ad finem. Vnde vlterius fit, quod prius fuit efficaciter decretum de Christo, quam institutus esset ordo naturalis hominum, & reliquarum creaturarum; atque adeò prius quam Adam intelligeretur habere gratiam, & peccasse, quia semper intentio efficax finis præcedit volitionem eorum, quæ ordinantur ad ipsum.

Secundum est ex parte motiuorum, ex quibus Christus decernebatur venturus; quia fuerunt alia motiua sufficientia, quæ mouerunt Deum ad decretandum, quod Christus veniret, præter motiuum redemptionis à peccato, atque adeò etiam si hoc cessaret, etiam Christus veniret ex vi præsentis decreti, vt innititur alijs motiuis, quę ad ipsum de facto concurrerunt.

Ex his difficultatibus nata est duplex Sententia celebris in hac parte, quæ inde in varia diuiditur Capita, secundùm varias explicationes Authorum, qui has scholas sequuntur. Nam *D. Thomas* (vt vidimus in Artic. 3.) existimat ex vi præsentis decreti, & motiuorum ad illud, Christum venisse in remedium peccati; & quod non veniret nisi in remedium illius, quia sic authoritates multæ dicunt, de quibus solùm possumus certificari de motiuis Dei. *Scotus* autem *in 3. Distinct. 7. Quæst. 3.* existimat, ex vi præsentis decreti, eo modo quo factum est, Christum venturum,

& tamen asserit, sine præiudicio alterius Sententiæ, quæ in authoritatibus fundatur, quarum vim fugere voluit *Scotus*, & vt illas aliqualiter exponat dicit, Intelligendum esse, quòd Christus nõ veniret vt Redemptor, vel etiam vt passibilis, nisi homo peccaret. Quia ergo ista duo concurrerunt in Christo, scilicet, quod sit finis omnium creaturarum Dei, & quod sit Redemptor generis humani, ideòque in carne passibili veniret. Et *Scotus* considerans ipsum vt finem, dicit esse prædestinatum independenter à peccato hominis, licèt non vt Redemptorem. At verò *D. Thomas* considerans Christum non efficaciter fuisse intentum de facto, nisi vt Redemptorem, propter hoc etiam motiuum vult factam fuisse Incarnationem.

Diuisi sunt Authores in sequendo, & explicando mentem horum authorum. Nam Quidam absolutè sequuntur *Scotum* dicentes, quòd decretum, quo Deus voluit incarnationem Christi, ita fuit absolutum, quod omninò independenter fuit volitum à creatione hominum, & Angelorum, & totius Vniuersi tanquam finis absolutè intentus; deinde verò voluit Deus gloriam Angelorum, & hominum, & tandem creaturas in esse naturali, licèt ab istis in executione.

Secundò Alij voluerunt Incarnationem Verbi, & ipsum Christum determinatè fuisse primum prædestinatorum, & primo intentum efficaciter vt finis omnium, ita quod vt esset volitus in ratione finis, nulla præcesserit peccati præuisio, neque alterius creaturæ prædestinatio; tamen vt in executione fieret incarnatio dependisse à ratione redemptionis, vt à medio, sine quo non mandaretur executioni. Sicut vult Deus prædestinatum eligere ad gloriam per modum finis, cuius tamen assecutionem non vult fieri nisi per merita, & ita in ratione finis intenti non pendet à meritis; in executione tamen pendet ab illis: sicut quando intenditur quilibet alius finis efficacia intentionis in ratione intentionis explicitè non pendet à medijs; tamen assecutio eius sine medijs non est, quæ virtualiter includuntur in volitione finis, & implicitè. Ita *Lorca* hìc *Disput. 3. memb. 2.* licèt Alij ante etiam, sequerentur illam sententiam.

Tertiò inceperunt Alij vlterius assignare in volitione Dei, qua voluit Incarnationem, indeterminationem, seu indifferentiam ex parte obiecti voliti, intelligentes, quod Deus voluit primùm vnionem hypostaticam, vel incarnationem, abstrahendo à carne passibili, vel impassibili; deinde remedium peccati fuisse causam motiuã adæquatam, & totalem volendi mysterium Incarnationis, & quantum ad substantiam, & quantum ad rationem carnis passibilis, ita vt per illam solam veniret Christus. Addunt tamen non hanc solam fuisse causam adæquatam incarnationis, sed etiam bonitatem intrinsecam, & excellentiam ipsius Mysterij, quæ erat prior redemptione peccati, & hæc fuit vera, & principalis causa.

Nec existimat inconueniens hæc sententia posse dari duas causas totales, & adæquatas motiuas ad volendum aliquem finem, præsertim quando secunda causa totalis superueniens, addit maiorem firmitatem in adhærendo rei volitæ, & non solùm seruit vt causa motiua, sed vt impulsiua ad accelerandum, vel magis firmandum, & determinandum voluntatem. Dicitur enim *Motiua causa*, quæ mouet principaliter ad effectum. *Impulsiua* autem, quæ etiam mouet, magis tamen firmat, aut accelerat ad opus: & sic ex duabus causis Deus mouebatur ad incarnationem, & ad hoc vt veniret passibilis ex remedio peccati, quod etiam deseruiebat vt impellens, & non solùm vt mouens ad incarnandum. Vnde sequitur, quòd voluntas Incarnationis fuit prior absolutè voluntate permittendi peccatum; tamen Christus non fuit prædestinatus in carne passibili, nec vt redemptor, ante præuisionem peccati absolutam, & per scientiam Visionis. Ita *Suarez* sequens in omnibus *Scotum* hic *Disp. 5. Sect. 3.* & sequentibus, reijciens omninò, & conclusionem, & rationem *D. Thomæ*.

Quartò Astaricensis *Relectione de Gratia Christi à Pag. 683.* distinxit de Decreto vnionis hypostaticæ, absolutè præscindendo à persona determinata, quæ incarnaretur; & de natura, quæ sibi vniretur; & de decreto incarnationis, quo prædestinaretur venire filius Dei in natura humana. Et dicit, quod primò decreuit Deus se cõmunicare triplici ordini, scilicet hypostaticæ vnioni; supernaturali; & naturali, non determinando in qua persona, & in qua natura hypostaticè communicaretur. Et in hoc decreto non explicitè intendebatur subordinatio vnius ordinis ad alterum, licèt virtualiter continebatur, quod vterque ordo inferior esset propter vnionem hypostaticam.

Deinde

Deinde posito hoc decreto, incepit Deus ab infimo ordine rerum naturalium, statuendo creare Vniuersum; deinde ordinem supernaturalem determinauit pro creaturis rationalibus; videnſque in illis defectū, decreuit reparationem eius. Et tunc primò incepit determinare, quod Persona Filij vniretur naturæ humanæ, vt repararet ordinem perditum. Vnde concedit, quòd Filius Dei, vt talis Persona, solùm propter peccati remedium venit: si tamen non extaret peccatum Vnio hypostatica saluaretur in aliqua persona, & in aliqua intellectuali natura, licèt non esset infallibile, quod Filius Dei veniret.

Et licèt ita referatur sententia *Vincentij* ab alijs authoribus, scilicet *Cabrera*, & *Nazario*; tamen in ipso met *Vincentio* aliter inuenio; dicit enim Pag. 688. Quòd si ad illud primum decretum in Deo attendamus, Deus quidem non veniret in mundum, si homo non peccasset; non tamen veniret propter remedium peccati, si ly *Propter* sumatur in rigore; quia peccati remedium, cum solùm implicitè in illa prima intentione contineretur, habebat rationem medij accommodati ad manifestationem diuinæ gratiæ, non tamen rationem finis. Sentit ergo *Vincentius*, quod non solùm veniret determinata Persona Filij, sed nec etiam veniret Deus, absolutè loquendo, non existente peccato, quamuis non propter remedium illius, vt propter finem.

In explicanda autem sententia *D. Thomæ*, non minus diuersimodi multiplicati sunt, præsertim orti ex illa difficultate *Scoti*, quod Christus prædestinatus est vt primus prædestinatorum, & finis vniuersi, & ordinatè volens, prius vult finem, & quod est propinquius fini: prius ergo fuit volita Incarnatio, quæ est propinquior fini, quàm redemptio hominum. Vnde oritur Difficultas in explicando, Quomodo prius fuerit præuisum peccatum per scientiam visionis absolutam, quàm Christi prædestinatio tractaretur.

Et Primò Pater Vazquez, qui cum *D. Thoma* sentit Christum non venturum, nisi Adam peccasset; sentit etiam *Disp. 11. Cap. 6.* Incarnationem non esse finem respectu redemptionis humanæ, sed medium ordinatum ad redemptionem; & ita redemptio est finis cuius gratia, & homo lapsus finis, cui est volita redemptio: manifestatio autem bonitatis diuinæ est simpliciter finis ad quem omnia ista reducuntur. Et benè potuit Deus ad hunc finem taliter disponere cætera media, quod nobilius ordinaret ad minus nobile, scilicet Incarnationem ad Redemptionem.

Addit tamen, redemptionem nostram rursus ordinari ad gloriam Christi, vt ad finem; quia ex nostra iustificatione, & redemptione magna ei gloria redundauit; non tamen est ipsa gloria finis, vt causa motiua redemptionis; sed causa quasi impulsiua; quia ita voluit redemptionem nostram, vt finem incarnationis, quod etiam voluit id in gloriam Christi redundare. A qua sententia non longè recedit *Valencia*, quatenus ponit in proposito eundem esse ordinem intentionis, & executionis; & sic in intentione fuisse posteriorem præuisione peccati, sicut & in executione.

Secundò Alij posuerunt Christum, vt finem redemptionis nostræ, & totius scientiæ, & creaturæ: & *Caietanus* in hac parte viam aperuit optimè philosophandi, licèt in eo quod præsuppositi, nō ita ab omnibus approbetur. Præsupponit enim vnum *Caietanus*, & dicit aliud: supponit à Deo esse præuisos tres ordines rerum, quibus se cōmunicaret, scilicet ordinem naturæ, ordinem gratiæ, & ordinem hypostaticum; & primo ordinauit ordinem naturæ, & quia hic non pertingit ad fruitionem diuinam, ordinauit ordinem gratiæ; & quia hìc non pertingit summam vnionem cum Deo, ordinauit ordinem hypostaticum; atque adeō relictus est locus præuidendi peccata, quæ spectant partim ad ordinem naturæ, cum ex defectu illius sint; partim ad ordinē gratiæ, cum illi opponantur, antequam decernatur incarnatio. Asserit autem *Caietanus*, quòd licèt finis semper sit prius volitus ordine causalitatis ijs, quæ sunt ad finem, & quod ea, quæ sunt ad finem, possunt non esse volita posito fine; tamen quod de facto, ita sit volitus finis sine illis medijs, seu effectibus, aut occasionibus, quæ sunt ad finem, hoc non dependere nisi ex voluntate ordinantis finem; quia potuit illum ita dirigere, vt non nisi cum tali effectu, occasione, & medio vellet.

Hanc phylosophiam in re, ferè Omnes sequuntur, qui finalem causalitatem in Christi Incarnatione ponunt respectu redēptionis à peccato; licèt non Omnes conueniant in eo, quod præsuppositi *Caietanus*, scilicet, quod ordo gratiæ supponit

ordinem naturæ, & ordo hypostaticus vtrumque, cum multa peccata præsupponi non possint ante ordinem hypostaticū, vt sunt illa, quæ erga Personam Christi perpetrata sunt, in quorum tamen redemptionem venit. Et Multi quidem simpliciter senserunt Incarnationem esse finem, & redemptionem à peccatis esse medium, nō quidem ex natura rei, quia poterat sine tali medio velle illum finem; cum sit pluribus alijs medijs assequibilis; sed quia Deus alligauit voluntatem suam huic determinato medio. Finis autem licèt efficaciter intendatur ante explicitam volitionem mediorum, non tamen ante implicitam; quia ibi continentur, & per ordinem ad illa finis est volitus.

Et ab hac Sententia *Caietani* parum differt modus dicendi *Rua, Controu. 8. Zumel, & Albertini, & Capreoli*; quamuis *Capreolus* post visum hoc Vniuersum, & hominis casum, voluerit Christum apponere tanquam finem omnium prædestinatorū; & tandem ferè incidit in sententiam *Vazquez*, quod Christi prædestinatio est finis nostræ prædestinationis ex parte effectus temporalis, quatenus cedit in gloriā Christi; nostram verò prædestinationem esse finem prædestinationis Christi, quatenus prædestinata est Incarnatio in remedium peccati. Videantur plures sententiæ apud *Nazarium hic Con. Vnica.*

RESOLVTIO DIFFICVLtatis.

Prima Conclusio.

Nihilominus dico Primò. Repugnat intelligere in aliquo priori (quātumcumque præciso) Decretum efficax Incarnationis Christi vt efficax, & in genere, & ordine intentionis, non intelligendo illud in statu determinato talis personæ, & naturæ, & officij Redemptoris; & naturæ passibilis determinatæ, &c.

Fundamentum huius Conclusionis pendet ex duobus. *Primum est*, Quòd decretum efficax respicit rem in se ipsa, & in statu assequibilis. *secundum est*, Quòd si est perfectè efficax intentio, quantò est magis efficax, efficacius infertur electio, & facilitatem ad ipsam præbet; sicut principia quantò efficaciora sunt, facilius, & efficacius inferunt conclusionem. Et Primum patet ex doctrina præcedenti articulo explicata, *ex D. Thoma.* Et ratione sic. Quia in nullo priori potest considerari decretum vt efficax, nisi in quantum respicit exitum, seu euentum, rei; non autem solùm ordinationem, seu subordinationem inferioris, & superioris, medij, & finis, finis proximi, & vltimi: istæ enim subordinationes pertinent ad impositionem ordinis in rebus, non ad ipsum exitum, seu euentum rei à suis causis, vt supra ex *D. Thoma* diximus.

Quod verò Christus intendatur efficaciter vt finis, necessariò postulat, quod intēdatur vt terminus in re assequibilis per media, non solùm speculatiuè, sed practicè, & prudenter; sed impossibile est, quod quamdiu consideratur vnio hypostatica in communi, & vt abstrahens à passibili carne, vel impassibili; à natura humana, vel Angelica, consideretur vt practicè, & prudenter assequibilis in re; ergo neque vt terminus efficaciter intentus etiam per modum finis. *Consequentia patet*: Quia finis efficaciter intentus ordine intentionis debet esse consideratus vt terminus assequibilis per media in re, vt supra dicebamus ex *D. Thoma* 1.2. *Quæst.* 12. *Artic.* 1. *ad* 4. Ergo nequit ordine intentionis efficaciter appeti, nisi vt terminus in re assequibilis per media consideretur. *Minor probatur*: Nam impossibile est, quod practicè consideretur vt assequibilis in re aliquis terminus, & prudenter, nisi consideretur status assequibilitatis in re, stante dictamine in particulari de tali re in singulari, & determinatè; quia prudentia solum versatur circa singularia, & agibilia: nec enim de re aliqua in abstracto, & in communi potest formari practicum dictamen assequibilitatis eius, cum in statu illo abstracto assequibilis non sit; ergo vt practicè assequibilis judicetur, oportet quod determinatè consideretur in statu assequibilitatis; id est, vt singularis, & determinatè talis, scilicet passibilis, vel impassibilis, &c. Itaque licèt in illo priori intentionis, quo aliquid vt finis intenditur, non explicentur ibi media, quibus assequendus est, sed solùm virtualiter contineantur; tamen nec virtualiter contineri possent nisi finis, qui intenditur, in statu assequibilitatis consideretur: non consideratur autem vt assequibilis practicè, & in re, secundùm dictamen prudentiale, nisi determinetur in singulari secundùm modum determinatum, quo factibilis est. Ergo, &c.

Di-

Dices: Benè potest intendi aliquid efficaciter vt finis in singulari, & tamen non omnia eius accidentia determinatè intendi; alioquin non posset intendi Christus vt finis, nisi intenderetur vt albus, aut niger; vestitus, vel nudus; in tali, vel tali tempore; aut patria: quæ tamen accidentia in illo priori signo non oportet esse determinata, quia non pertinebant ad rationem finis. Ergo neque necesse erat, quod tunc decerneretur vt passibilis, vel impassibilis determinatè; vt Redemptor, vel non Redemptor; quia sine his poterat intelligi Christus in singulari. Et licèt sine aliquo istorum determinato non posset in executione venire; non tamen erat necesse in priori decreto efficaci, quod erat tantum decretum intentionis, & non executionis, determinatè contineri hæc accidentia, sed reseruantur determinanda pro secundo decreto executionis.

Et non Dico, Per Decretum executionis quantum ad ipsum imperium, quod sequitur electionem; quia imperium regulatur ab electione, ita quod non potest imperium ordinare aliquid, quod in electione non præsupponat determinatum: Sed Voco Decretum secundum, ipsam electionē, vt distinguitur ab intentione; quia in intentione solus finis est volitus; media autem relinquuntur electioni. Et certè si ordinem intentionis condistinguamus ab ordine executionis, secundùm quod intentio respicit rem vt volitam, executio vt faciendam; sic ordo intentionis non sistit in præciso actu erga finem, sed in electione erga media; & executio incipit ab imperio, & sic efficacia ponitur in particulari. Difficultas autem est inter actum intentionis, & electionis, quia ille finem tantum respicit, non media; vnde determinationem illarum circunstantiarum relinquere potest electioni mediorum.

Nihilominus licèt in nobis, ita possit accidere, propter imperfectum modum præhabendi, & deliberandi, non tamen in Deo; quia hoc est contra perfectam efficaciam intentionis: intentio enim quantò efficacior est, tantò efficacius infert electionem; ergo tantò magis debet facilitare, & expedire viam ad electionem mediorum, & ad viam assecutionis: in hoc enim consistit efficacia causæ, quod facilius effectum educit; ergo oportet quod ipsum finem, non ita in confuso intendat, sed tali determinatione, quo ad statum suum, & singularitatem, vt ex vi illius possint efficaciter determinari media. Si autem finem velit indeterminatè, & quasi in abstracto, aut inefficaciter vult, si indeterminatè, cum in manu eius sint omnia illa requisita ad determinatum statum rei volitæ: aut imperfectè vult, si in manu eius omnia non sunt, sed paulatim per inquisitionem, & consilium illa considerat.

Constat enim, Quòd intentio tantò est efficacior in electionem, quantò magis determinatè procedit, ita quod rem magis in singulari attingit; sic enim magis perfectus est motus practicus, quatenus minus in confuso, & magis determinatè rem attingit, non solùm in singulari, sed etiam secundùm statum suum determinatum, & in singulari, & ex magis determinatis, & certis motiuis proceditur.

Et ratio est, Quia si plura relinquat determinanda per electionem (quia rem ipsam intentio non ita determinatè attingit) redditur ipsa electio difficilior, & confusior; quia cùm res non debeat exire, & venire nisi in statu determinato, & cum determinatis accidentibus, ad statum suum spectantibus; si hoc relinquatur determinandum per electionem, in hoc fuit minor efficacia intentionis; & consequenter est in contingentia, vt si electio non ita determinatam viam inueniat, remittatur efficacia voluntatis circa exitum, & euentum rei. Quare cum efficacia Dei in intendendo sit summè perfecta, & procedat in eo, in cuius manu sunt omnia requisita ad determinationem, & statum rei singularis intentæ; oportet quòd hoc ipso, quod efficaciter aliquid intendit, intendat cum omni determinatione requisita ad statum assequibilitatis talis rei; ita quod ex determinato motiuo, & cum efficacia parante viam, ad determinatam electionem procedat.

Denique licèt verum sit, quòd redemptio hominum, prout passiuè in hominibus exercetur, sit effectus Incarnationis, & ad illam vt ad finem referatur; tamen ipsa circunstantia *Passibilitatis*, vel *Impassibilitatis*, & officium Redemptoris in Christo, etiam pertinet ad rationem finis: nec enim sola vnio hypostatica vt sic est finis, sed Christus *Passibilis*, & *Redemptor*, vt de facto est: sicut Christus impassibilis, & gloriosus modò est finis totius creaturæ, & fuisset in statu innocentiæ si tunc veniisset.

Cuius ratio est, Quia Christus vt Redemptor est Caput Ecclesiæ; vt Redemptor

tor enim influit in illam per merita sua, & si quid in Angelos influit, vtique illis meruit charismata, quæ influit; ergo Christus vt in statu merendi consideratus est caput totius Ecclesiæ in cœlis, & in terra; & consequenter finis omnis creaturæ rationalis; ac per consequens omnis creaturæ. Ergo cum fuerit prædestinatus vt finis omnium in singulari, oportuit quod in illo signo intentionis, in quo vt finis efficaciter fuit prædestinatus, intraret ibi status *Passibilitatis*, in quo meruit; quia etiam ille status pertinebat ad rationem finis, & capitis prout in Christo erat; non ergo pertinuit ad aliud instans, sed etiam ad signum efficacis intentionis. Sicut in primo signo, quo Deus elegit Petrum ad gloriam ante præparationem mediorum, elegit illum ad talem gradum gloriæ in singulari, quia etiam ille gradus est finis ad quem prædestinatur; sic etiam determinatio passibilis, vel impassibilis, & status merendi, pertinet ad finem in prædestinatione Christi, & sic intrat primum signum efficacis intentionis.

Secunda Conclusio.

Dico secundo. Remedium peccati habuit connexionem cum Decreto Incarnationis efficaci, vt de facto est volita, tanquã motiuum, *& ratio propter quam*, non tanquam *medium subsecutum*: & ita præuisio peccati antecessit Decretum Incarnationis, etiam in genere intentionis; non verò subsequuta est. Intelligimus autem non fuisse remedium peccati primariam rationem, & motiuum; quia primaria fuit manifestatio bonitatis diuinæ, seu gloria Dei, propter quam Incarnatio facta est. Et quãdo hic loquimur de motiuo, semper intelligimus de motiuo proximo, non de illo primario, & vniuersali, quod est Dei gloria. Et adhuc non definimus in hac Conclusione, An fuerit remedium peccati causa motiua proxima, taliter quod præcipuè fuerit intenta, & omnes aliæ causæ ad illam ordinatæ: An verò è contra aliæ causæ fuerint. V.g. exaltatio humanæ naturæ, & consummatio vniuersi, remedium verò peccati ad illas causas ordinatur? Hoc enim solùm est sub Opinione, etiam apud *D. Thom.* licèt probabilius senserit in hac 3. *Part.* remedium peccati fuisse causam præcipuam, ad quas aliæ reducuntur. Quòd ergo in hac conclusione dicimus est, Quòd remedium peccati; exaltatio naturæ; consummatio vniuersi, & si quæ aliæ causæ fuerunt; istæ non se habuerunt vt media, & præsupposita volitione incarnationis descendentia, sed ratione motiuæ vt ipsa Incarnatio esset intenta vt finis.

Fundamentum huius Conclusionis sumitur ex eo, Quod iste finis Incarnationis est omninò extrinsecus ipsi Vniuerso, & creaturæ rationali, atque omninò indebitus; vnde ex mera voluntate Dei est appositus vt finis; atque adeò ex aliquo motiuo extrinseco voluntas Dei se determinauit ad intendendum hunc finem. Non habemus autem in *Scriptura*, quod Deus ex motiuo diligendi Vnigenitum suum voluit hominibus ferre remedium, sed è contra, quod ex eo quod Deus dilexit homines, voluit illis dare filium suum; ergo remediũ peccati non fuit assumptum vt medium, vt veniret filius Dei, sed potius vt motiuum ad hoc vt veniret. *Consequentia patet.* Quia si esset medium deberet esse volitum ex volitione ipsius filij Dei, vtpotè finis, atque adeò verificari deberet, quod Deus sic dilexit Christum, vt voluerit homines redimere per ipsum; ex eo enim quod Christum dilexit, voluit medium hoc, quod est remedium peccati.

Nunquam autem hæc locutio in *Scriptura* inuenitur, sed oppositum, scilicet, quod sic dilexit homines vt filium suum daret; & quod propter nos homines incarnatus est, & quod commendat *Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Roman. 5. Et *Quod propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, conuiuificauit nos in Christo.* Ephes. 2. Si autem remedium peccati esset medium vt veniret Christus, verificari deberet oppositum; scilicet, quod propter charitatem suam, qua dilexit Christum, conuiuificauit nos in illo, & redemit nos; quia medium semper diligitur propter finem, & magis commẽdaretur charitas Dei erga Christum, quàm erga nos, quia remedium nostrum esset assumptum ad illum finem.

Et hoc genus arguendi *in sacra Scriptura* efficax visum est *Sanctis Patribus*: in simili enim conuincit *Augustinus, Pellagium*, quod gratia Dei non ex æquo cum libero arbitrio concurrit ad salutem, quia sic eodem modo, quo dicit *Paulus, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, dici posset, *Non est miserentis Dei, sed volen-*

tis

tis hominis, quia misericordia Dei non sufficit si homo non velit, vt patet in *Enchird. Cap.* 32. & ad *Simplic. Quæst.* 2. Quòd pro tam magno absurdo infert *Augustinus*, vt eo testimonio Pellagium conuincat. Similiter ergo hìc, si remedium hominum esset volitum vt remedium ad Incarnationem, & non vt ratio motiua volendi illam, verificaretur, quod sic Deus dilexit Christum vt nos vellet redimere; non autem quod sic dilexit nos vt daret Christum pro nobis; quod est magnum absurdum in *Scriptura*.

Præterea: Si Deus ante omnem præuisionem peccati voluit Christum, vt finem, deinde tanquam medium elegit ipsum venire in remedium peccati; Inquiro An ante electionem istius medij præuiderit peccatum; vel prius elegerit remedium peccati vt medium, quam præuiderit peccatum? Hoc secundùm dici non potest: si enim remedium peccati elegisset ante præuisionem eius ex vi talis volitionis obligaretur Deus permittere peccatum vt remedium illius daretur; quod est omninò præposterum ordini rationis velle morbos propter medicinam; sicut velle culpam propter pœnam infligendam, nisi fortè vellet remedium pro culpa, non quæ erat, sed si esset. Sicut Rex, qui mittit Medicum in exercitu propter vulnera si sint, non quæ iam sint. Sed hoc est impertinens, quia ex vi talis voluntatis, aut missionis medici, etiamsi de facto non fuissent vulnera, medicus venit; & etiamsi non sequerentur peccata, Christus veniret passibilis, vt Redemptor, quod negat illa sententia.

Si autem dicatur, Quòd inter præuisum Christum vt finem, & electionem talis medij, scilicet ipsum esse Redemptorem, præuisum est peccatum, & electum mediũ redimendi. Fit validum Argumentum. Quia sanè oportuit, quod intento Christo immediatè post videret creationem Angelorum, & hominum in ordine supernaturali, à quo homo per peccatum decideret; neque enim peccatum potuit videre antequam gratiam, seu hominẽ in gratia. Tunc Inquiro, Quando Deus vidit se creaturum hominem in gratia post intentum Christũ, vel homo ille præuisus in illa gratia, & in illo statu innocentiæ, referebatur ad Christum vt ad finem pro illo statu gratiæ, & innocentiæ; vel non? Si non referebatur; ergo Christus ante non erat præuisus vt finis omnium; siquidem immediatè post creabatur homo, & non referebatur ad Christum. Cur ergo non hoc ponemus ante intentum Christum? Si referebatur: ergo veniret Christus pro illo statu innocentiæ, etiamsi postea non videretur homo peccare, & remediari per Christum, quia iam Christus erat finis status innocentiæ, & homo de facto constitutus in illo, & executioni mandatus ille status cum dependentia à Christo fine illius; veniret ergo independenter à peccato, & consequenter tunc iam conciperetur venturus non vt Redemptor, sed conuenienter ad illum statum innocentiæ. Quomodo ergo postea viso peccato mutatum est decretum vt veniret Redemptor? Et saltem, qui asserunt Christum non venturum nisi existente peccato, quia remedium peccati erat medium ad illum finem, hinc conuincuntur euidenter.

Tertia Conclusio.

Dico Tertio. Simpliciter est probabilior, & conformior Scripturæ *S. Thomæ* sententia, Quòd Christus non veniret, non existente peccato: Opinio autem opposita habet probabilitatem, si eo modo defendatur, quo *S. Thomas* dicit in 3. *Sentent.*

Pro intelligentia Aduerte, Quòd *S. Thomas in* 3. *Dist.* 1. *Quæst.* 2. *Artic.* 3. dicit esse probabile, *Quòd Christus veniret non existente peccato; quia per incarnationem Filij Dei, non solùm liberatio à peccato, sed etiam humanæ naturæ exaltatio, & totius vniuersi consummatio facta est, etiam peccato non existente propter has causas incarnatio facta fuisset, & hoc probabiliter sustineri potest.* Et solutione ad vltimum explicans contrarias authoritates dicit, *Quòd loquuntur de aduentu in carne passibili ad redimendum, non de aduentu in carne simpliciter.* Sic D. Thomas, vt proinde videas non fuisse *Scotum* primum huius sententiæ Authorem. Et *D. Thomas* hic non pro indubitato asseruit Christum non venturum, si homo non peccasset, sed quod assertioni illi magis consentiendum videtur.

Et in summa probabilitas vtriusque sententiæ reducitur ad hoc, An exaltatio naturæ humanæ, vel consummatio Vniuersi, & similes causæ fuerint præcipuæ, ad illasque reducatur remedium peccati: An verò è contra remedium peccati fuerit præcipua causa; aliæ verò reducantur ad illam, vt *S. Doctor* dixit hic *Artic.* 3. *ad* 1?

Nam

Nam omnes aliæ rationes, quæ probant absolutè Christum, ita debuisse intendi, vt esset finis independenter à præuisione culpæ, nihil probant, vt ostendemus articulo sequenti, cum totum hoc factum pendeat ex mera voluntate Dei, sic, vel sic volentis illum finem ponere in hoc Vniuerso, & honorare illud, vel non.

Quare modus defendendi vnam, vel alteram sententiam, consistit in hoc, quod Deus de facto quidem propter multas causas intendit Christum venire, non totales, sed partiales; sicut aliquis potest intendere aliquid, aut eligere, quia valet ad plura, omnia tamen vult per modum vnius: & quia de facto Christus voluit redemptionem peccatorum de facto in actu intentionis, sic voluit vt veniret tanquam Redemptor; & quia voluit ad honorandum totum Vniuersum, & consummandum illud in summa perfectione, sic voluit vt veniret. Quia autem hæc ratio consummandi, & perficiendi Vniuersum fuit primaria, & per se, ad quam cæteræ reducuntur, dicit illa sententia, quod etiamsi de facto non voluisset Deus vt redimeret, nec daretur peccatum, propter rationem positam, veniret variato decreto, non quo ad primariam rationem, sed quo ad illam circunstantiam Redemptoris.

Alia verò sententia dicit, Quòd quia primaria ratio erat redemptio à peccato, aliæ verò secundariæ, non existente peccato non veniret Christus, nisi totaliter decretum variaretur, quia deficeret primaria ratio, cæterarum fundamentum. In vtraque tamen sententia debet dici, quòd antequam Deus hunc finem Incarnationis vellet, præsupponebat præuisum ordinem naturalem, & supernaturalem, non per modum efficacem, sed per modum prouidentiæ generalis (vt sequenti assertione dicemus) & post præuisum illum ordinem sub ratione prouidentiæ imponentis ordinem, non efficaciter decernentes exitum rei, tunc incepit ordo intentionis efficacis ex hoc fine indebito, & liberè volito pro creaturis; vel ex motiuo redimendi primariò, vt nos dicemus; vel ex motiuo exaltandi hominem, & secundariò redimendi, vt Alij dicunt.

Nostra ergo Sententia probatur vnico fundamento. Quia quod ista sit primaria ratio, vel illa, Incarnationis Christi solùm potest sumi ex reuelatione Dei in *Scripturis*, & explicatione *Sanctorum*: semper autem pro Incarnationis motiuo, etiam quoad substantiam Incarnationis, assignatur nostra salus, & remedium, & aliquid nostrum, scilicet dilectio nostra, & charitas, qua Deus amauit nos, & hæc tanquam particularis causa prædicatur: etenim dicitur, quod *Propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est*, vt habetur in Symbolo, & quod *Deus sic dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*. Vbi duo expendenda sunt pro efficacia huius rationis.

Primum, quod Symbolum non solùm loquitur de passione, & morte Christi, sed de ipsa substantia incarnationis: nam dicit *Propter nos homines* descendisse de cœlis, & *Incarnatus est*: deinde tanquam actiones distinctas commemorat, quod sit *Passus, Mortuus, & Sepultus*. Similiter dicit *Scriptura*, quod *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, non dicit Vt filium suum morti traderet, aut passibilem mitteret, sed absolutè traderet: loquitur ergo etiam de ipsa substantia incarnationis, & non solùm de passibilitate carnis, aut passione.

Secundum est ly *Propter*. Nam si alia causa veniendi daretur principalior, aut æquè principalis cum Redemptione, non posset ly *Propter* verificari absolutè, & simpliciter, sed secundùm quid. Quòd manifestè videtur conuinci: nam ly *Propter* essentialiter, & intrinsecè importat rationem causæ mouentis; ergo illa ratio, seu motiuum, quod non simpliciter, & absolutè exercet causalitatem, non potest dici simpliciter, & absolutè, quod propter ipsum fiat, sed solùm secundùm quid.

Rursus Illa causa simpliciter exercet causalitatem suam motiuam, à qua simpliciter pendet effectus in illo genere causæ; & illa secundùm quid, à qua non simpliciter pendet, sed sine illa potest subsistere; si ergo daretur alia ratio, seu causa principalior motiua propter quam veniret Christus, siue in peccati remedium, siue non, aut æquè totalis à qua penderet Incarnatio, ita quod sine ordine ad remedium peccati operaretur Incarnationem; ergo non potest verificari, quod simpliciter, & absolutè pendet Incarnatio à motiuo redemptionis, & consequenter non verificatur, quod motiuum redemptionis est simpliciter per quod incarnatio est facta, & Christus descendit de cœlis, cum tamen in *Symbolo*, & *Scriptura* absolutè dicatur, & simpliciter: & temerarium videtur explicare, quod ly *Propter* sumatur

matur secundùm quid, & non simpliciter vt sonat.

Et hæc ratio sic ponderata destruit omnem solutionem Aduersariorum, qui vel dicunt intelligendum esse ly *Propter*, quod venit propter nos vt passibilis, & secũdum alias circunstantias, non quo ad substãtiam incarnationis: vel quod intelligitur venisse propter nostram salutem in executione, non in intentione. Vel quod venit propter nostram salutem non particulariter, & ex primaria intentione, sed ex secundaria, aut concomitanti, non per se concurrente. Ad hæc Capita ferè reducuntur omnes solutiones, quæ ex dictis eneruatæ manent.

Contra primam solutionem constat authoritates inductas, & alias similes, non loqui tantum de circunstantijs; sed de ipsa Incarnationis substantia; & aliqui Patres sic etiam de ea loquuntur, vt Leo Papa *Serm.* 3. de Penthecoste, Si *homo in perfectione, & honore, quo creatus est permansisset, Creator creatura non fieret*: Et Athanas. Serm. 3. cõtra Arrianos, *Vt fieret homo numquam prædestinatum fuisset, nisi hominum necessitas huic rei causam præbuisset*. Aug. Tract. 4 in Ioann. *Si peccatores Deus non amaret, è cælo ad terram non descenderet*: Et Serm. 9. de Verbis Apostoli, *Nulla causa fuit Christo Domino veniendi, nisi peccatores saluos facere*: Et multi alij Patres similia loquuntur, præcisè de incarnationis substantia loquendo.

Nec quando Symbolum, & Scriptura dicunt, quod *Propter nos venit, &c.* excludunt substantiam incarnationis, sed planè includunt illam. *Et vrgetur Argumentum.* Nam si solùm passibilitas Incarnationis est propter nostram salutem, non verò substantia Incarnationis; ergo qui seorsum, & separando passibilitatem, loquendo de sola incarnationis substantia, diceret Filius Dei descendit de cœlis; aut incarnatus est propter nos; aut datus est mundo propter dilectionem hominum; falsum diceret; siquidem salus hominum, in hac solutione, non fuit motiuum substantiæ Incarnationis, sed solùm passibilitatis; cum tamen oppositum Scriptura dicat, & illa propositio secundùm se concedatur, *Propter nos homines descendit de cælis*, etiamsi non fiat mentio de passione, aut passibilitate.

Dicere autem, quod *Propter* nos descendit de cœlo, prout asseritur in Symbolo, scilicet copulando id cum alijs actionibus, natus, & passus, &c. id est, totum illud copulatim fuit propter nos, non quælibet actio seorsum. *Est falsa solutio.* Quia sic in re, & simpliciter esset falsum dicere Incarnationem, & descensum de cœlo seorsum à passione esse propter nos, quod communiter dicit Ecclesia.

Similiter alia solutio, Quòd venit propter nos via executionis, non intentionis; videtur implicare in dictis. Quia executio non fit propter aliquid, quod non sit intentum; nec enim ad executionem pertinet causam præstituere, propter quam aliquid fiat, sed præstitutam supponere, & exequi, quod est intentum, & propter quod intentũ est: ergo si in executione fit propter nos, illud *Propter* in intentione præcesit Quòd autem in executione detur gloria propter merita, & non in intentione; non obstat. Quia hoc ipsum, quod est gloriam esse dandam propter merita, & non sine meritis, fuit volitum in prima intentione gloriæ: nec enim fuit decretum vt daretur gloria absolutè, sed per merita, licèt ad hoc totum decernendum, non per merita motus fuerit Deus.

Denique. Tertia solutio euacuata est. Quia si ex secunda intentione, vel concomitanti, venit propter nos homines; ergo non simpliciter, & absolutè, sed secundùm quid venit propter nos; quia simpliciter non penderet ab hac secunda intentione ipsa Incarnatio. Cæterum vt hæc omnia hucusque dicta firmiùs, & radicaliùs intelligantur, & resolutio comprehendatur. Sit.

Quarta Conclusio.

Dico Vltimò. Ante decretum efficax prædestinationis Christi fuit decretum pertinens ad prouidentiam generalem, per quam determinatum est creaturam rationalem habere esse, & gratiam; visaque est humana natura cadere, & tunc incepit ordo prædestinationis, & decreti efficacis circa Christum; incepitque hic mundus habere Christum pro fine, secundùm efficacem voluntatem producendi illum, vt ordinatur efficaciter ad Christum.

Vt doctrina hæc intelligatur, præ oculis habenda est alia doctrina præcedenti articulo posita ex *D. Thoma in Quæst. 6. de Verit. Artic. 1.* Quòd *Aliud est prouidentia, quæ respicit impositionem ordinis, aliud efficax prædestinatio, quæ respicit exitum, seu euentum rei.* Et quidem prouidentia, quæ

quæ ordinem imponit in re, aliquid etiam exequitur, sed non vltimo perducit ad finem. Nam quando Deus dat sufficientia auxilia non benè vsuris, aut gratiam reprobo, etsi illa ordinentur ad bonum effectum, & ista ad beatitudinem, neutra consequitur finem suum, pertinetque exhibitio illa gratiæ, & donorum ad prouidentiam generalem, non ad efficacem prædestinationem.

Dicimus ergo, Quòd prius intelligitur prouidentia generalis circa ordinem naturæ, & gratiæ, quam intelligatur ordo prædestinationis, & efficacis decreti. Et quando decreuit Deus per prouidentiam generalem creare mundum, & ordinem gratiæ, non intendit finem aliquem supra omne debitum, & voluntariè rebus impositum, sed solùm finem connaturalem, & proprium illis. *Cuius ratio est*, Quia hæc prouidentia generalis, vt dicit *S. Thomas*, non respicit exitum, seu euentum rei, sed impositionem ordinis in rebus, vnde ad ipsam solùm spectat connaturales fines respicere, secundùm quos imponitur hic ordo: & ita cum primum Deus decreuit ordinem non duraturum, sed casurum à fine suo condere, ibi non respexit efficacem exitum rerum, sed impositionem ordinis, atque adeò solùm respexit proprium, & connaturalem cuiuscumque ordinis finem, sicque pro illo statu non erat aliquid subiectū Christo.

An verò etiam pro tunc, & sub formalitate illius status intelligerentur iam Angeli prædestinati ad gloriam efficaciter ante Christum, vel solùm ordinati per gratiam ad beatitudinem, & aliqui eorum peccantes, & homines in peccatum inducentes? postea disquiretur soluendo Argumentum, quomodo Christus sit primus prædestinatus.

Post Decretum autem istud generalis prouidentiæ, incepit efficax prædestinatio, & ibi incepit primo à fine, vt reparatiuo hominis, & sub statu reparationis ordinantis efficaciter ad illum reliquas creaturas, & totum Vniuersum, etiam secundùm esse naturale, non absolutè consideratum, sed vt pars status reparationis, & inducens illam rationem reparabilitatis. Vnde Christus Dominus efficaciter numquam est intentus vt finis omnium, nisi determinatè consideratus sub statu passibili; nec remedium peccati potuit esse medium volitum ad hoc, vt veniret Christus ex vi primæ efficacis intētionis, nisi præsupponeretur præuisum peccatum; atque adeò cogimur ponere remedium peccati, vt motiuum principale efficacis intentionis Christi.

Rationem verò ex supradictis conclusionibus hic recapitulantes, sic colligimus, & formamus hunc discursum. Intentio efficax in Deo circa aliquem finem in particulari, & singulari, debet ex vi primæ intētionis habere efficaciam infallibilem respectu suæ assequibilitatis; in quo distinguitur ab efficacia intentionis nostræ, quæ non potest esse efficacia infallibilis, sed contingens, & ideò pendens à consilio, & determinatione mediorum, sicut causæ creatæ, & naturales dependent ab extrinsecis requisitis, sine quibus non possunt operari. Ergo oportet quod ille finis intentus ex vi suæ primæ intentionis, ita determinatè sit volitus, quod non relinquat indifferentiam aliquam determinandam per electionem mediorum, sed ex vi sua habeat infallibilem connexionem cum requisitis ad assecutionem finis. *Consequentia patet*: Quia quantumcumque aliqua intentio sit efficax, si tamen ex se non habet determinationem circa statum rei intentæ, ita vt non possit inferre ex se sola determinatum medium ad assecutionem, sed adhuc indifferentiam habeat respectu huius medij, vel illius; vtique illa indifferentia determinanda est per consilium, & electionem determinati medij; ergo illa intentio efficax non habet infallibilem efficaciam cum assequibilitate finis, sed solùm habet efficaciam indifferentem, & dependentem à determinatione mediorum, nam sine determinato medio non potest consequi ille finis. Ergo si intentio non determinatè se habet, taliter quod ex vi sua infallibiliter est illatiua determinati medij, & requisitorum ad consecutionem finis, sed habet ad id indifferentiam, & determinationem per alium actum, consequenter in vi sua, & stando intra limites intentionis, non est efficax infallibiliter; siquidem efficacia sumitur ex ordine ad euētum, & exitum rei, cum quo non habet infallibilem connexionem per se ipsam, sed dependenter ab electione secutura, & determinatura eius indifferentiam.

Dedecet autem in aliquo actu Dei efficaciam ponere sine omnimoda infallibilitate, quia debet remoueri, & purificari ab omni contingentia. Remota autem omni contingentia manet infallibilitas, & ideò in nobis aliter ponenda est efficacia intentionis, quam in Deo, quia in nobis potest pendere ab electione determinati medij,

&

& à consilio, & inquisitione diuersorum mediorum. Est enim in nobis efficacia imperfecta, & contingentiæ subiecta, non omninò infallibilis; in Deo autem non potest poni electio nisi determinati medij, quod per se, & infallibiliter inferatur ex intentione finis; quia efficacia intentionis, etiam vt intētio est, infallibilis esse debet, atque adeò sine vlla contingentia connexionem habere cum determinata assequibilitate finis; quod non potest esse si indifferentiam aliquam retineat determinandam per consilium, & electionem mediorum.

Ex Quo Vrgetur amplius id, quod valdè præmit oppositæ sententiæ Authores, qui dicunt Incarnationem intentam quidem efficaciter vt finem, sed non exequendam nisi per medium redemptionis à peccato. Sicut electus ad gloriam efficaciter non nisi per determinata media, seu merita prædestinatur, & assequitur finem, & ita non veniret Christus nisi existente peccato; sicut electus non saluatur nisi existentibus meritis.

Sed Vrgetur valdè Argumentum contra hos Authores. Quia quando finis aliquis per diuersa media potest assequi, & non per vnicum tantum, si intentio efficax indifferens est circa illa, & non nisi in confuso vult tale medium determinatum, etiamsi talis voluntas efficax debeat adimpleri, non tamen est decretum, quod per tale determinatum medium impleatur; neque est efficax, & infallibilis, vt determinatè constituatur pro medio ipsa redemptio; posset enim aliud medium eligere, cum non sit tantum vnicum: ergo benè potest saluari illa intentio efficax sine hoc quod peccatum existeret, quantum est ex vi illius intentionis. Futilis ergo est illa Sententia, quæ vult saluare Christum non venturum, nisi propter remedium peccati, si ponit intentionem efficacem veniendi Christum ante præuisionem peccati, & ipsum remedium peccati tanquam medium, quod ex se non est connexum naturaliter cum illo fine, nec est medium vnicum.

Hoc Argumento Lorca conuincitur ad dicendum, quod in intentione Incarnationis non solum Christus intentus fuit vt finis, connotando media in confuso, sed hoc medium determinatè, scilicet *Remedium peccati*, atque adeò illo deficiente, ex vi illius intentionis non veniret.

Sed Quis non videt hanc Solutionem sustineri non posse, nisi ponendo antecedenter ad illam intentionem præuisionem peccati? Etenim vel Deus volebat Christum vt finem, connotando pro medio remedium peccati præuisi, vel non præuisi? Si præuisi: habemus intentum, quod præcesit actum intentionis præuisio peccati, vt posset connotare pro medio remedium illius; atque adeò cur etiam non potuit esse motiuum intendendi talem finem; siquidem circunstantia passibilitatis propriè non erat medium, sed status ipsiusmet rei, quæ pro fine intendebatur? Nec explicari potest, quid ex parte ipsius finis determinatè intēdebatur taliter, quod ex vi illius infallibiliter connotaretur medium redemptionis, potius quàm aliud medium; hoc enim vix potest explicari in hac Sententia, nisi ponamus determinatum motiuum volendi talem finem, quod fuit remedium peccati, & motiuum redimendi.

Si autem connotabat pro medio remedium peccati non præuisi, sequitur vt supra inferebamus, quod vel Deus determinabat remedium peccati si foret, sicut qui mitteret Medicum pro vulneribus si fuerint; & tunc ex vi illius intentionis veniret, etiamsi peccatum de facto non poneretur: vel si Deus ponebat pro medio remedium peccati futuri de facto, si non erat iam præuisum, ex vi illius volitionis efficaciter, & infallibiliter erat præuidendum, aut ponendum; & cum illa voluntas intentionis non esset permissio, sed positiuus actus, sequitur quod aliqua voluntas, quæ non est permissio, haberet connexionem infallibilem cum peccato futuro, quod est Deum velle peccatum secundùm se, saltem virtualiter.

Benè Video dici posse, Quòd illa voluntas non tenetur infallibiliter velle peccatum, sed permittere; nec haberet connexionem cum peccato, nisi mediante permissione: quia licèt non permissionem, sed peccatum ipsum remediare vellet, non tamen tenetur Deus ex vi voluntatis redimendi, velle ipsam materiam redimendam formaliter, & immediatè, sed mediatè, scilicet mediante permissione. Et propterea Dixi, quòd haberet connexionem cum peccato saltem virtualiter: quia hoc ipsum est magnum absurdum ponere in Deo voluntatem talem, quod ex vi illius teneretur velle permissionem peccati. Vnde actus illi, qui determinatè, & essentialiter versantur circa peccatum, tanquam circa materiam, vt Pœnitentia, & Redemptio, non

possunt esse directè intenti à Deo, ne ponamus in Deo voluntatem obligandi se ad permittenda peccata. A

Qui tamen hoc deuoraret, non Video posse apertè conuinci; quia ex hoc non sequitur Deum velle ipsum peccatum, quod est materia redimenda, sed solum velle permissionem materiæ redimendæ, quæ permissio infallibilem Connexionem habet cum peccato, licèt non Causalitatem. Est tamen hoc contra ipsum ordinem naturæ, velle remedium malorum antequam sint B mala, & vt sit remedium obligare ad permittēda mala. Et semper vrget illud, quod vix habet explicationem, vnde voluntas intendens Christum vt finem determinatè, potius hoc medium elegerit, quā aliud; supposito quod videbat Deus pluribus mediis posse hunc finem consequi, nisi aliquod motiuum habuerit volendi sic determinatè finem, quod tale determinaret medium?

Nisi Dicatur, quod pro sua voluntate C voluit tantum sic diligere finem, inclinando ad hoc medium redemptionis, quod non ad aliud. Sed Nos non inquirimus de hoc vniuersali motiuo, quod est voluntas Dei, sed de motiuo proximo, quod habuit hæc voluntas, explicato nobis in *Scriptura*, quod fuit *Propter nostram salutem*; ad hoc enim ipsum, quod est velle hunc finem tali determinatione, quod connotaret hoc medium potius quàm aliud, oportet assignare motiuum determinatum, & D consequenter aliqua ratio concernens ordinem à peccato, debet interuenire in intentione talis finis sub habitudine ad tale medium, quod est redemptio à peccato.

Velle autem remedium peccati ante peccatum, sicut velle pœnam ante culpam, est dicere, quòd pœna est ex primaria intētione, & tam efficaciter volita, quod ex vi illius voluntatis tenetur Deus permittere mala; quod est facere Deum summè Cru- E delem, intendendo pœnam vt pœnam ex primaria intentione, sicut medicinam, vt medicinam ante morbum. An verò Deus in illo ordine prouidentiæ generalis, antecedenter ad decretum prædestinationis, præuiderit omnia naturalia in individuo, & omnia peccata, quæ modo existunt, cum multa pendeant ab ipso Christo, & eius incarnatione? Disquirendum est in solutione Argumentorum.

ARTICVLVS III.

Soluuntur Argumenta.

PRIMO Arguitur Argumento *Scoti*, vt proponitur à *Vazquez Disp.* 11. *Cap. Vltimo.* Quicumque ordinatè volens, prius vult finem, deinde media; & inter ipsa media, prius vult id, quod est propinquius fini, quàm quod minus propinquum; sed Incarnatio Christi est propinquior fini vniuersali, quē Deus voluit, scilicet Gloriæ ipsius Dei, quàm Redemptio hominum; ergo prius voluit Incarnationem, quàm redemptionem.

Secundo Arguitur Argumento ipsius *Scoti*. Inter prædestinatos, quibus Deus vult gloriam ordinatè, prius vult gloriam illi, quem vult esse proximum fini; ergo prius vult gloriam animæ Christi, quàm alicuius alterius; sed alijs prius vult gratiam, & gloriam, quam præuideat oppositum gratiæ, & gloriæ, quod est peccatum, & damnatio; ergo de primò ad vltimum prius vult animæ Christi gloriam, quam præuideat Adam. *Confirmatur.* Quia non est verisimile tam summum bonum, sicut est Incarnatio, esse occasionatum propter minus bonum, & quod prius præordinasset Adam ad tam summum bonum, quàm Christum Dominum.

Tertio Arguitur. Christus est Primus omnium prædestinatorum, tam hominū, quàm Angelorum, iuxta illud *In Capite libri scriptum est de me*: & est Caput omnis Ecclesiæ, & finis omnis creaturæ; dicitur enim *Primogenitus omnis creaturæ, Et omnia sunt ei subiecta, Et quod ipse est propter quem omnia* ad Heb. 2. Et *quod est in omnibus primatum tenens*, ad Colosenses 1. Ergo nulla creatura est efficaciter decreta ante Christum, nec vllus Angelus prædestinatus ante Christum; siquidem finis ordinatio præcedit voluntatem omnium, quæ ordinantur ad finem; ergo neque est præuisus homo, vt in executione creatus, & peccans antequam in executione præuideretur Christus vt finis; sic enim Christus non esset *in omnibus Primatum tenens.*

Ex his Confirmatur. Quia peccatum hominis non est præuisum ante beatitudinem Angelorū, sed post; ergo si Christus est prædesti-

destinatus post præuisionem peccati hominis, etiam est prædestinatus post præuisionem beatitudinis Angelorum ; atque adeò non fuit Christus primus prædestinatus. *Antecedens Prob* Nam peccatum hominis fuit præuisum eo modo , quo fuit executum in re: fuit autē executum ex suggestione dæmonis; ergo præuidebatur dæmon suggerens. Sed diabolus, quando incitauit ad peccatum , iam supponebat alios Angelos beatos, siquidem in instanti, quo ipse peccauit, alij Angeli confirmati sunt in bono non peccantes, & consequenter finita est statim via illorum , ita quod quando diabolus est damnatus, Angeli fuerunt glorificati; si ergo quando diabolus incitauit ad peccatum ipsum hominem erat damnatus, alij Angeli erant iam glorificati. Fuit ergo in illo statu innocentiæ vera prædestinatio Angelorum ante peccatum hominis , & cōsequenter ante prædestinationem Christi, quod non est saluare ipsum esse primum prædestinatum.

Quartò Arguitur. Si præuisus est ante Incarnationem Christi homo lapsus, Consequenter viti sunt omnes homines in peccato originali , & consequenter visa sunt omnia peccata actualia. Tum, quia ex originali oriuntur. Tum, quia pertinent ad ordinem naturæ. Tum , quia propter illa redimenda Christus venit , & consequenter debuerat præcedere eius prædestinationem; aut si non præcesserunt, inefficax est argumentum, quod debuit præcedere peccatum originale : est enim eadem ratio de illo , ac de omnibus alijs , quæ Christus venit redimere; sed multi homines, & multa peccata ante Christum non potuerunt præuideri; ergo. *Min. Prob.* Nam multi homines non nascuntur nisi ex merito Christi, vtpotè per miraculum geniti; multa ergo peccata fuerunt erga Christum , vt peccatum blasphemantium, & crucifigentium Christum; ergo illi homines , & ista peccata non potuerunt præuideri ante Christum. Ergo non fuit necesse, quod omnia peccata redimenda præuiderentur ante redemptionem.

Confirmatur. Quia Deus nullum permittit malum , nisi propter maius bonum inde eliciendum ; ergo prius debet esse volitum tale bonum in genere causæ finalis , quam permissum tale malum: sed peccatum Adæ est permissum , vt ex illo eliceretur tam grande bonum , sicut est Incarnatio ; ergo oportuit quod Incarnatio præcederet permissionem peccati in genere causæ finalis; ergo antecesit etiam præuisionem ipsius, quia præuisio à promissione dependebat.

Quintò Arguitur. Quia gratia prout in statu innocentiæ respiciebat Christum tanquam Caput, & influentem illam gratiam; ergo etiam prout in statu innocentiæ erat Christus finis illius gratiæ, & consequenter in ordine intentionis prior fuit Christus, quàm status innocentiæ; ergo in eodem genere fuit prior , quàm præuisio peccati. *Ans Prob.* In eo statu Adam fuit iustificatus ex fide Christi cogniti ab ipso, vt Consummatoris gloriæ, iuxta doctrinam *Sanct. Thomæ.* Ergo fides Christi fuit influens in illam iustificationem ; ergo & Christus cuius erat fides ; & consequenter Christus solum quo ad substantiam fuit finis illius gratiæ pro illo statu.

Confirmatur. Deus non solum reuelauit motiuum Incarnationis fuisse redemptionem hominum; ergo ex vi reuelationis non potest colligi Deum propter istam solam causam venturum. *Consequentia patet.* Quia tota ratio propter quam dicit *S. Thomas* Christum non venturum , nisi homo peccasset, est quia non possumus scire voluntatem Dei , nisi ipse reuelet , quæ reuelatio vbique manifestat nobis Deū venisse propter salutem hominum ; ergo si alibi Deus reuelauit se venturum non ob istam causam, totum hoc fundamentum ruit. *Anteced. Prob.* In reuelatione facta Adam de Christo venturo. Nam ipse etiam in statu innocentiæ cognouit Christum , vt dicit *S. Thomas* 2. 2. *Quæst.* 1. *Artic.* 8. tanquam Consummatorem gloriæ ; ergo cognouit motiuum aliquod veniendi Christum ex vi illius reuelationis , & sic non vbique reuelata est tanquam causa redemptio peccati. Quòd si Adamo non omnia motiua reuelata sunt , similiter dicemus , nec nobis omnia motiua esse reuelata ; & sic nutat vndique fundamentum *Sanct. Thomæ.*

Sextò Arguitur ex Lorca. Nam si Christus non fuit prædestinatus , nisi ex motiuo peccati; ergo prius voluit Redemptionem hominum, quàm Incarnationem Christi ; siquidem propter illam voluit Christum; ergo illa voluntas prior redimendi hominem nō fuit per Christum, & ex meritis Christi, sed antecesit eius merita. Sed illa voluntas redimendi , & liberandi à peccato fuit voluntas iustificandi homines , & consequenter dandi illis gratiam , saltem quo ad sufficientiam; ergo iam nō omnis gratia quo ad

sufficiētiam, fuit hominibus data per Christum ; nam illa secunda voluntas volendi redimere homines, & liberandi à peccato, quæ fuit magna gratia, non fuit per Christum, siquidem antecesit illum.

Et Confirmatur Quia *Concil. Trid. Sess. 6. Canon. 7.* absolutè docet *Causam finalem nostræ Iustificationis esse gloriam Dei, & Christi.* Et loquitur de omni iustificatione in vniuersum ; ergo gloria Christi fuit prius volita nostra iustificatione, & consequenter nostra redemptione ; nam redemptio iustificatio est. Nec potest iustificatio esse propter gloriam Christi, & non redemptio. Si autē gloria Christi fuit prius volita, à fortiori incarnatio, sine qua non datur Christi gloria.

Vltimo Arguitur. Si nulla fuit prædestinatio ante præuisum peccatum Adæ ex vi decretorum, quæ nunc sunt ; ergo ex vi talium decretorum, si Adam non peccasset, nullus esset prædestinatus; quia prædestinatio facta est per Christum, & Christus venit peccante Adam ; & consequenter est concedendum, quod si non peccaret Adam, ex vi præsentis decreti nullus saluaretur ; aut saluaretur sine prædestinatione, & vtrumque satis est absurdum.

Confirm. Nam impossibile est, quod gratia illius status non fuerit effectus prædestinationis; ergo suppossuit prædestinationem ante peccatum. *Ans probatur* : Nam illi gratiæ numero habitæ in statu innocentiæ correspondet modo gloria in cœlo ; ergo fuit effectus prædestinationis. *Si dicatur* fuisse effectum prædestinationis vt reparata, non vt pertinens ad statum innocentiæ. *Contra*, Quia merita quando mortificantur, solum habent obstaculum peccati; manent autem in acceptatione diuina, & remoto obstaculo dicuntur reuiuiscere; quia ex illa acceptatione, in qua erant, perueniunt ad suum effectum obstaculo remoto : ergo si in illa acceptatione diuina, quando erant mortificata, non habebant efficaciam perducendi ad gloriam, per hoc solum quod peccatum tolleretur per Christum, non acceperunt efficaciam assequendi gloriam ; quia non acceperunt nisi illam, quam antea habebant ; ergo si ante non habebant ordinationem efficacem ad gloriam, neque remoto peccato habebunt.

Ad Primum, relicta solutione *Vazquez*, qui dicit redemptionem fuisse volitam vt finem Incarnationis; licèt enim incarnatio sit nobilior redemptione, non tamen semper est prius in volitione nobilius medium, sed vtilius, seu congruentius fini. Hac, inquam, solutione relicta : Quia redemptio, prout in nobis, est effectus Incarnationis, & consequenter non posset esse finis causa, seu finis cuius gratia, sed finis effectus, qui est posterior causa. *Resp.* Quòd licèt redemptio hominum non fuerit finis cuius gratia; fuit tamen effectus ipsius Incarnationis. Finis autem cuius gratia fuit gloria Dei manifestanda per viam misericordiæ, & iustitiæ; vnde quia Incarnatio valebat ad hunc effectum manifestandi misericordiam, & iustitiam in redemptione hominum motiuum volendi incarnationem fuit, non ipsa incarnationis dignitas absolutè, sed ipsa Incarnatio vt valens ad talem effectum.

Et ita quando dicimus redemptionem esse motiuum Incarnationis, non facimus sensum præcisiuum redemptionis ab incarnatione; sed sensus est, quòd incarnatio vt redemptiua, seu vt valens ad redimendum est motiuum volendi illam, & non ipsa substantia, seu dignitas incarnationis secundùm se. Sicut quando dicimus vnumquodque esse propter suam operationem, non est sensus præcisiuus, sed quod est propter se ipsam vt operantem. Et sic dixit *D. Thomas* 1.2 *Quæst.* 12. supra citata, *Quòd hoc ipsum, quod est aliquid valere ad plura, est ratio eligendi illud.* Cum ergo incarnatio in se ipsa absolutè plurimum valeat, & ad plures effectus, quorum vnus est redemptio, dicimus nos motiuum Incarnationis non fuisse redemptionem per se ipsam, & separatam ab incarnatione, sed incarnatio ipsa vt valens ad effectum redemptionis, & non absolutè.

Et ita ad Argumentum in forma : Ordinatè volens prius vult finem, quàm media, *Concedo.* Et inter ipsa media prius vult, quod est propinquius fini, *Distinguo.* Quòd est propinquius fini absolutè, & in essendo, *Nego.* Propinquius in mouendo, & attingendo finem, *Concedo.* Incarnatio est propinquiór fini, quàm redemptio, *Distinguo.* Incarnatio absolutè, & in substantia considerata, *Nego.* Incarnatio vt redemptiua, & vt inuoluēs istum effectum redemptionis, *Concedo.* Ergo prius est volita incarnatio, quàm redemptio, *Nego Consequentiam.* Quia motiuum volendi substantiam incarnationis fuit, quia valebat ad redemptionem.

Ad

Ad Secundum ex supradictis *Resp.* Inter prædestinatos prius Deum voluisse gloriam Christo, & eius incarnationem, quam alijs prædestinatis, secundùm rationem prædestinationis; quia hoc pertinebat ad ordinem decreti efficacis. *Et quando Dicitur*, Quòd alijs prius vult gratiam, & gloriam, quam eius oppositum, scilicet peccatum, & damnationem. *Respõdeo*, Prius velle gratiam quam peccatum in eo genere, & ordine, quo gratia, & peccatum considerantur, & non alio modo; ita quod si vult gratiam dare ex vi generalis prouidentiæ tantùm, prius intelligatur gratia, quam peccatum in ordine prouidentiæ generalis: non tamen est necesse, quod prius intelligatur gratia data ex vi prædestinationis, vt intelligatur peccatum; nec enim semper gratia datur ex vi prædestinationis, & decreti efficacis. Vnde non sequitur, quod velit Deus incarnationem, & gloriam Christi ante omnem gloriam, sed ante gratiam prædestinationis; non tamen ante gratiam datam per prouidentiam generalem, sed post illam, & similiter post peccatum illi oppositum in eodem genere.

Ad Confirmat. Resp. Non esse inconueniens, quod bonum incarnationis sit occasionatum ratione minus boni, quia vt docet *D Thomas in hoc Articulo* solutione ad 3. *Nihil prohibet ad aliquid maius humanam naturam perductam esse post peccatum, Deus enim permittit mala fieri; vt inde eliciat aliquid melius.* Sic ergo dicimus, quod ly *Esse occasionatum*, potest dupliciter intelligi: Vno modo quasi solum per accidens, & ex quadam occasione volitum; & sic est falsum; quia incarnatio fuit volita propter ostensionem diuinæ gloriæ in attributo iustitiæ, & misericordiæ, quod dicebat ordinem ad redemptionem peccati, tanquam ad materiam, in qua id erat exercendum; & sic non fuit per accidens, & occasionaliter solum volita incarnatio. Alio modo ly *Occasionatũ* potest intelligi, quod aliquo præsuppositio tanquam materiali incarnatio volita fuerit; & sic non est inconueniens esse volitam præsuppositio peccato; quia volita est vt redemptiua.

Et Præterea; licèt aliqua, quæ sunt volita præsuppositio peccato, vt pœna, seu punitio, sint solum occasionatè volita; tamen incarnatio non sic, sed præsuppositio peccato, vt materia redemptionis fuit volita vt finis totius creaturæ; quia incarnatio erat reparatiua, non punitiua. Nec Adam prius ordinatus est ad finem gloriæ, seu ad bonum gloriæ efficaciter, quam Christus; licèt prius acceperit gratiam secundùm prouidentiam generalem.

Ad Tertium Respond. Duplicem ibi insinuari difficultatem; Altera, Quomodo Christus sit finis omnis creaturæ? Altera Quomodo sit primus prædestinatus, etiam respectu Angelorum? De quo agi solet infra *Quæst 8. Artic. 4. & Quæst. 24.* Et quidem Christus est finis omnis creaturæ, etiam quo ad essentiale, non absolutè, sed cum ordine ad reparationem; sicut omnes creaturæ ordinantur ad prædestinatos, & omnes prædestinati ad Christum; vnde est finis reparans creaturam, non finis absolutè. Et sic distinguuntur dona gratiæ, vt Reparatoris, & vt Creatoris; & dona Creatoris vt esse, intelligere, &c. non sunt per Christum; sed dona, quæ sanant naturam; & sub ista habitudine res creatæ referuntur ad Christum vt finem, & ideò non est necesse, quòd Christus vt finis præcesserit in intentione omne esse naturale creaturarum absolutè, & vt pertinet ad ordinem prouidentiæ generalis, sed solùm vt ordinabilis ad reparationem.

Quod Attinet autem ad prædestinationem Christi comparatiuè ad prædestinationem Angelorum, duplex est Sententia. Aliqui enim dicunt Angelos, non solùm gloriam accidentalem, sed etiam essentialem habuisse per Christum, & consequenter fuisse absolutè primum prædestinatum, tam respectu hominum, quàm Angelorum, sed quo ad essentialem gloriam. Alij dicunt gloriam essentialem non habuisse Angelos per Christum; benè tamen accidentalem; & ita fuisse Caput ipsorum, non solum quo ad authoritatem, sed etiam quo ad influxum in ipsos respectu aliquorum charismatum, & gloriæ accidentalis. Quia tamen non fuit influens in gloriam essentialem absolutè, & quo ad substãtiam, non requiritur quod etiam in genere causæ finalis fuerit primus prædestinatus respectu Angelorum, quo ad substantiam gloriæ absolutè consideratam; licèt ad Christum referatur eo modo, quo res naturales: sed fuit primus prædestinatus authoritatiuè; quia habuit supremam gloriam supra omnes Angelos.

Hæc Sententia videtur conformior *D. Thomæ*, præsertim *in Q. 29 de Verit. Art 4. ad 5.* vbi inquit *Humanitatem Christi ordinari ad influentias in homines, sicut ad finem*

intentum; influxus autem in Angelos non est influxus, vt finis incarnationis, sed incarnationem consequens: Et Artic.7.ad 5. *Quòd Angelis quantum ad præmium essentiale nihil meruit, valet tamen quantum ad præmium accidentale.* Et sic in hac Sententia facilis est responsio; quod Angelus non solùm accepit gratiam ex prouidentia generali, sed efficaciter prædestinatus est ante præuisionem Christi, quantum ad substantiam prædestinationis: quantum ad aliqua tamen accidentia, nempè aliquas reuelationes, & charismata gratiarum, Angeli nō fuerunt efficaciter ordinati ante ipsum Christum, sed ab illo vt à fine id habuerunt. Et ideò dicit *D. Thomas*, quod quantum ad has reuelationes, & accidentalia præmia se habebant Angeli, vt Viatores respectu Christi, in loco citato, ex *Quæst.* 19. *Artic.*7.

Est etiam consequenter, iuxta hanc sententiam dicendum; præuisum fuisse peccatum ex suggestione diaboli iam damnati, sicut & Angeli præuidebantur glorificati, quantum ad substantiam. Et quando *D. Thomas* dicit super Caput 1. Ioan. Lect. 10. *Quòd de plenitudine Christi acceperunt omnes Apostoli, & Patriarchæ, & Prophetæ, & iusti, & etiam omnes Angeli*; non cogit quod ly *Omnes Angeli* intelligantur accepisse essentiale præmiū; sufficit enim quod accidentale. Et in hac Sententia, quæ est *D. Thomæ* Respondetur etiam conformitèr ad sententiam ipsius, quod Christus non veniſſet, nisi ex præuisione peccati.

In alia autem Sententia, quod Angeli, quo ad essentiale præmium sunt prædestinati per Christum, & consequentèr non præuidebatur Angelus prædestinatus, nec reprobatus ante peccatum hominis; & tamen homo præuidebatur peccans ex suggestione diaboli: non Video quomodo sustineri possit sententia hæc *D. Thomæ*; sed tenetur dicere, quod prædestinatio Christi fuit ante præuisionem peccati Adam; quia peccatum illius fuit ex suggestione diaboli, & consequenter ante prædestinationem Christi visum est peccatum diaboli, sicut & hominis, iuxta nostram sententiam. Si est præuisum peccatum diaboli, vel iam reprobati, vel nondum reprobati? Si reprobati, habemus intentum, quod reprobatio diaboli præcesserit prædestinationem Christi, & consequenter etiam bonorum Angelorum prædestinatio, quæ anterior est ad reprobationem diaboli. Si autem diabolus nondum præuidebatur reprobatus, & tamen videbatur peccator: ergo quando in secundo instanti post Christum facta est prædestinatio Angelorum, & reprobatio diaboli, iam illa reprobatio habuit causam, nempè peccatum præuisum in diabolo, cum tamen omnes *Thomistæ* negent in Angelis dari causam reprobationis, quo ad primum effectum, & quod Christus fuerit finis beatitudinis Angelorum, & exemplar filiationis adoptiuæ, in nobis simpliciter, & de facto, in Angelis quantum ad aliquam accidentalem perfectionem; non vero est exemplar necessarium, sed liberum; quia sine illo potest esse filiatio adoptiua. Alia ergo solutio, & sententia tenenda est.

Ad Quartum Resp. Illo ferè Argumento solere impugnari Sententiam *Caietani*, circa tres ordines rerum, quos connecti, & subordinari dicit. Respondetur ergo, quod viso peccato primi hominis, visa sunt omnia peccata actualia, & omnes homines in indiuiduo; non explicitè secundùm omnes circunstantias, sed implicitè, & in virtute, & quantum est ex parte peccati originalis, in cuius virtute continentur omnia alia peccata, quæ ex effrænata natura sequuntur.

Et quando Caietanus dicit, quòd ordo naturæ antecedit ordinem gratiæ, & hypostaticum, loquitur in sensu formali, quod ordo naturæ sub præcisa ratione naturali: vt enim induit aliquem respectum ad ordinem hypostaticum, sub illo non antecedit talem ordinem. *Vnde quādo instatur*, Quòd omnia peccata actualia ex originali deducuntur, ac pertinent ad ordinem naturæ. Solum infertur, quod in virtute, & implicitè, & sub ea præcisa ratione, qua pertinent ad ordinem naturæ, & ab ea originantur, præuidentur; quod est implicitè præuideri.

Et quando adhuc instatur, quod Christus propter peccata actualia redimenda venit, & consequenter debuit præuisio eorum antecedere; aut argumentum factum de præuisione peccati inefficax est. *Resp.* Quòd præuisio eorum debuit antecedere, vel virtualiter, vel formaliter; & hoc conuincit Argumentum: non tamen est necesse, quod omnia peccata actualia explicitè, & formalitèr secundùm omnes circunstātias sint ante decretum incarnationis præuisa, sed sit præuisum vniuersale, & generale peccatum, in cuius virtute omnia illa cōtinentur, & ad redimenda omnia illa decre-

tuit

uit Deus mittere Redemptorem; ex quo decreto deinceps multa peccata, & multi homines, qui non sine relatione ad Christum futuri erant, inceperunt formaliter, & explicitè videri; sicut illi homines, qui ex meritis Christi nati sunt, & peccata, quæ versantur erga Christum, &c.

Atque ita vniuersaliter obseruandum est in distinctione horum Ordinum, & Instantium in Deo; quod non oportet in quolibet instanti, aut ordine videri aliquid cõpletè, & explicitè, quo ad omnia ad ipsum pertinentia; quia cum adinuicem sint connexi, saltem ex determinatione voluntatis Dei, quantum ad aliquid; vel aliquas circũstantias depẽdent ab vno ordine, & quo ad alias ab alio, & ita non potest in vno ordine, aut signo perfectè, quo ad omnia aliquid præuideri. Sicut quia causæ adinuicem sunt causæ, & effectus pendet ab omnibus illis, non potest in vna prioritate naturæ, qua aliquid consideratur, vt pendens tantum ab vna causa adæquatè, & completè considerari, donec in alia posterioritate consideretur, quæ adinuicem respectu alterius, prioritas quædam est.

Ad Confirm. Resp. Quòd quando Deus permittit malum, vt eliciat bonum ex illo, illud malum se habet vt materia, & illud bonum vt finis talis materiæ ex qua illud elicitur, vt ex materiali præsupposito. Vnde in genere causę materialis præcedit prę-uisio mali, & peccati; in genere autem finis efficaciter intenti præcedit incarnatio. Et quia isti ordines prouidentiæ generalis, & prædestinationis; decreti inefficacis, & efficacis, habent inter se connexionem; sicut causæ adinuicem sunt causæ, & ex vno vt ex materiali præsupposito fit transitus ad aliud; ideò post institutum ordinem naturæ, & gratiæ sub prouidentia generali, permissio, & præuisio peccati, per quod fuit factus transitus in genere causæ materialis ad ordinem efficacem prædestinationis, habuit duas considerationes; alteram quatenus præcisè erat lapsus à gratia status innocentiæ; alteram quatenus duraturum illud peccatum contra statum innocentiæ præuidebatur, & secundùm primam considerationem adhuc pertinebat ad ordinem prouidentiæ generalis, iuxta secundam ex Christo, vt ex bono eliciendo à tali peccato, dependebat vt à fine intento efficaciter, in quem ordinem intrabat peccatum originale, vt de facto duraturum.

Ad Quintum negatur Gratiam pro illo statu, & sub illo præciso conceptu fuisse ex influxu Christi. *Et ad probationem Resp.* Quòd Adam est iustificatus ex fide Christi venturi tanquam obiecti cogniti per fidem, non tanquam causæ illius gratiæ, & iustificationis. Sicut probabile est Angelos in via cognouisse per fidem mysterium Incarnationis, & non fuisse iustificatos ex meritis Christi; quia cognouerunt illud sub ratione obiecti cogniti, non sub ratione causæ propriæ gratiæ. Licèt enim Christus Dominus sit causa gratiæ, potest tamen attingi ipsa Incarnatio, & eius dignitas, & consummata gloria, quin intelligatur Ipsum esse causam talis gratiæ, vel talis status gratiæ; quia esse causam gratiæ fuit liberè annexum ipsi incarnationi, potuitque vel absolutè esse mysterium incarnationis, sine hoc quod causaret gratiam; vel potuit causare vnam, & non aliam. Et *D. Thomas* non dicit Adam cognouisse Christum, vt Consummatorem gloriæ, sed prout ordinabatur ad consummationem gloriæ: potest autem ordinari ad consummationem gloriæ, & non cognosci vt causator gloriæ, & gratiæ. Sicut Angeli cognoscunt Christum ordinari ad consummationem gloriæ authoritatiuè, & quo ad dignitatem, nec tamen causare gloriam eorum absolutè.

Etsi instes: Nam in statu innocentiæ fuit Ecclesia; ergo dicebat ordinem ad Christum; aliàs Ecclesia Christi non fuisset ab initio. *Resp.* Sub illo statu fuisse Ecclesiam Christi quasi materialiter, & in potentia, quia personæ illæ futuræ erant membra Christi non formalitèr: ille enim status formalitèr non pendebat à Christo venturo pro illo statu. *Ad Confirm.* Respondimus supra in *Comment. Artic.* 3. Et reddimus rationem, cur Adam non fuerint pro illo statu reuelata motiua, & causæ veniendi Christum absolutè, & quo ad omnes circunstantias, sicut nobis.

Ad sextum Resp. Si aliquid vrget illud argumẽtum, vrgere sententiam *Vazquez*, qui docet Redemptionem esse finem cuius gratia, & Incarnationem esse medium; sic enim volita esset redemptio vt res, seu obiectum volitum antequam Christus. Nec tamen adhuc multum vrget, quia illa voluntas redimendi hominem, diceret *Vazquez*, quod licèt non esset per Christum, tanquam per finem, sed tanquam per medium, & hoc modo salus hominis est per Christum, tam quoad sufficientiam, quàm

quo

quo ad efficaciam; quia illa voluntas redimendi semper dependet à Christo vt à medio, nec amplius requiritur ad saluandum, quod sit per Christum. Sed quia tanquam inconueniens reputauimus redemptionem hominis esse finem cuius gratia, cum sit finis effectus, & Incarnatio sit causa illius principalis, & superior, ad incarnationemque tanquam ad finem referatur omnis ordo gratiæ & consequenter etiam redemptio, seu iustificatio à peccato, quæ est quid supernaturale, & ordinis gratiæ, quod vtique à plenitudine Christi vt à principali causa, & fine dimanare debet.

Ideò omissa Sententia Vazquez facilius dicimus ad Argumentum in forma: Christus fuit prædestinatus solum ex motiuo peccati, *Concedo anteced.* Ergo Deus prius voluit redemptionem hominum, quam incarnationem Christi, *Distinguo.* Prius vt motiuum, & rationem volendi Christum, *Concedo.* Vt rem volitam, *Nego.* Ergo illa voluntas redimēdi non fuit per Christum, *Nego Conseq.* Quando enim effectus alicuius causæ est motiuum volendi ipsam, quia scilicet valet ad talem effectum, vel ad plures, non sequitur quòd voluntas illius effectus, vt mouens ad eligendam talem causam, non sit per illam causam tanquam per causam finalem, imò oppositum sequitur, cum ideò eligatur aliquid, seu intendatur, quia est causa talis effectus, & talis effectus est per illam: vnde voluntas talis effectus vt motiui volendi causam, non est independens ab illa causa, nec à meritis eius, vt causa talis effectus, sed potius dependens.

Etsi instes: Quia *D. Thomas in hoc Art. solut. ad 4.* Comparat remedium peccati ad voluntatem incarnationis, sicut Orationes aliquorum ad salutem hominis, quem prædestinat; sed Orationes se habent vt medium respectu prædestinationis ad gloriam alicuius: ergo & remedium peccati ad voluntatem incarnationis.

Resp. Hanc authoritatem nihil iuuare Sententiam *Lorca*: quia *D. Thomas* non affert hoc exemplum, quantum ad resoluendum, quod in prædestinatione se habeat vt medium, vel finis; sed quantum ad hoc quod prædestinatio supponere potest præscientiam futurorum. Et loquitur *D. Thomas* de præscientia futurorum absolutè, non conditionatè, vt malè *Lorca* putat: nam si peccatum solùm erat præuisum sub conditione, quando decretum est Christum venire, non poterat *D. Thomas* absolutè pronunciare, quod non veniret Christus peccato non existente; quia nondum constabat illam conditionem esse purificandam, & consequenter, vel non nisi conditionatè decernetur Christum venturum, vel debere venire etiam conditione peccati non posita. Militantque contra huiusmodi modum decernendi, ita imperfectè, omnia supra allata.

Ergo D. Thomas solum vult, quòd Orationes præsciuntur ante prædestinationem salutis, & gloriæ non absolutè, & vt primò est intenta per modum finis, sed salutis vt implendæ, vt expresè dicit esse quo ad effectum executionis. Et ita exemplo hoc declarat, quod sicut vnus effectus prædestinationis, scilicet salus vt implenda, supponit præscientiam alicuius futuri, v. g. Orationum, per quas implenda est, ita in prædestinatione Incarnationis non est inconueniens aliquid supponi vt futurum, scilicet peccatum antecedenter ad ipsam Incarnationem, in cuius remedium prædestinatur; nihil autem in hac comparatione refert, an se habeat vt medium, vel vt motiuum.

Ad Confirmat. Respond. Probare, quòd Redemptio nostra sit effectus Incarnationis, & propter illam tanquam propter finem, & causam, in quo valdè deficit *Vazquez*, qui vult nostram iustificationem esse propter gloriam Christi, id est, Exaltationem nominis eius, non tamen per ipsam Incarnationem, cum ipsa Incarnatio sit principium gloriæ Christi, & summa eius gloria. Non tamen sequitur quòd Incarnatio sit volita ante Redemptionem nostram vt motiuum; iam enim ostendimus effectum alicuius causæ posse esse motiuum, vt intendatur, & ita Incarnatio est volita vt *Res*, redemptio vt *Motiuum*.

Ad Vltimum Resp. Quòd ex vi præsentium decretorum, vt causantium efficaciter prædestinationem, nullus prædestinaretur in statu innocentiæ; esset enim tunc necessaria alia prædestinatio, & decretum; neque hoc est vllum inconueniens. Ex vi etiam præsentis decreti, status innocentiæ, vt prouidentiæ generalis est, nullus prædestinaretur; quia prædestinatio, specialis prouidentia est: ex motiuo autem instituēdi illum statum daretur tunc prædestinatio; non ista, quæ modo data est per Christum, sed alia illi statui accommodata. Et hoc sufficit, vt saluetur in illo statu dandam fuisse prædestinationem ex vi, non præsentis

tis decreti, sed motiui eius, quod erat ostensio gloriæ Dei in ordine gratiæ perfectè.

Ad Confirmat Resp. solutione ibi data. Ad impugnationem dicitur merita mortificata manere in acceptatione Dei quantum ad ius, quod habent de se ad gloriam; & hoc ius ex sua natura habent etiam in statu innocentiæ; non tamen necesse est, quod sint in acceptatione Dei efficaciter transmittente ad gloriam, sed sufficit quod hæc efficacia superueniat ipsis ex gratia reparante, & viuificante illa, tollendo peccatum, cui gratiæ merita illa vniuntur, & sufficit in acceptatione Dei solum habuisse ius ad gloriam.

QVAESTIO SECVNDA.

DE MODO VNIONIS VERBI INCARNATI.

ORDO ARTICVLORVM.

INCIPIT *in hac* Quæstione tractare *D. Thomas* de Incarnatione quo ad *Quid est*: & cum quidditas, seu definitio Incarnationis sit *Duarum naturarum vnio in vna persona*, explicat *D. Thomas* hanc quidditatem quantum ad tria. *Primò* explicat quasi obiectum Vnionis, seu materiam circa quam, à quo species materiæ desumitur. *Secundò*, quantum ad ipsam vnionem in se, eiusque perfectionem. *Tertiò*, quantum ad causas, quibus facta est, tam physicam, quàm moralem, quæ consistit in meritis, & gratia eam præcedentibus. Et quantum ad primum Sex prioribus articulis explicat *S. Doctor* Materiam, circa quam versatur hæc vnio. Quantum ad secundùm explicat 3. *Art.* Quid sit ipsa vnio in se. Quantum ad tertium 3. *alijs Artic.* ostendit Per quam causam est facta hæc vnio.

Igitur in Sex prioribus *Art.* (vt aperiatur modus, & ordo doctrinæ, quem seruat *S. Thomas*) aduertendum est id, quod docet *Art. 6.* Quòd diuersi Errores fuerunt circa Vnionem Incarnationis, in quo verò facta fuerit, & illos remouendo, astruendaque veritate catholica circa hanc vnionem, oportuit primò Sex Articulos facere. Quia enim ad catholicam veritatem, & definitionem quidditatiuam Incarnationis oportet statuere pluralitatem naturarum in vnitate personæ, ita quod naturæ ipsæ inconfusæ, & integræ permaneant, & ipsa persona substantialiter sit vna, & substan-

ſubſtantialiter vniat in ſe illas naturas ; multi non valentes hæc omnia coniungere, & intelligere in varios Errores lapſi ſunt. Nam quidam vt *Eutyches*, fatebantur duas naturas fuiſſe ante Vnionem, humanitatem, & diuinitatem; poſt vnionem autem non manſiſſe duas ; & ita concedebat vnionem hanc factam eſſe ex duabus naturis, quaſi antecedentibus ; non tamen eſſe in duabus naturis, quaſi manentibus diſtinctis poſt vnionem. Et contra hunc errorem *Articulus* 1. poſitus eſt, in quo inquiritur, An facta fuerit Vnio Verbi in natura? Et non inquiritur, An ex naturis facta ſit?

Alij verò, vt Neſtorius per aliud extremum, ita aduerſati ſunt *Eutychetis* errorem, vt non ſolum duas naturas, ſed etiam duas perſonas poſuerint, hominem, & Deum ; vnde conſequenter excludebant vnionem in perſona, & ſolum ponebant factam eſſe in affectu, vel dignitate, aut extrinſeca aliqua denominatione. Et contra hunc errorem poſitus eſt *Articulus* 2.

Deinde verò Alij, volentes declinare hæreſim *Neſtorij*, inciderunt ſecundùm rem in illam; nam cum viderent ex compoſitione corporis, & animæ reſultare compoſitum, & conſequenter quoddam totum ex illis partibus, non diſtinguebant à ſuppoſito compoſitum, ſeu ſubſtantiam completam hypoſtaticè; & aliunde viderent eſſe hæreſim *Neſtorij* ponere duas perſonas, primò diſtinxerunt ſuppoſitum, ſeu hypoſtaſim à perſona ; dixeruntquè eſſe in Chriſto vnam perſonam ſecundùm dignitatem, ſed plura ſuppoſita ſecundùm ſubſtantiam reſultantia ex vnione corporis, & animæ. Et contra hos formatur 3. *Artic.* vbi oſtenditur, non ſolum factam fuiſſe vnionem duarum naturarum in vna perſona, ſed etiam in vna hypoſtaſi, ſeu ſuppoſito.

Et vt melius explicetur, quomodo hoc Suppoſitum, ſeu perſona hypoſtaticè vniatur illi naturę, ſupplendo quidquid ſuppoſitum creatum faceret, conſequenter explicat in *Artic.* 4. *D. Thomas*, Perſonam Chriſti poſt Incarnationem eſſe compoſitam, non in ſe, id eſt, entitatiuè, quaſi aliqua entitas conſtans, & compoſita ex partibus ; ſed ſecundùm officium ſubſiſtendi, id eſt, in homine duplicem rationem ſubſiſtendi ſubſtantialiter, in quantum eſt perſona Dei, & perſona hominis.

Alij verò conuenientes in eodem principio, quod ex vnione animæ, & corporis reſultat totum, ſeu ſuppoſitum, & aliunde refugientes concedere in Chriſto duas hypoſtaſes, quod in re eſt hæreſis *Neſtorij*, in alium Errorem inciderunt, dicentes animam, & corpus non eſſe vnita inter ſe in Chriſto, ſed ſeparata, & vnita Verbo accidentaliter, vt ſic non creſceret numerus perſonarum. Et ad hoc factus eſt *Artic.* 5. Oſtendendo in Chriſto vnitam eſſe animam, & corpus per modum formæ, vt ſit vera natura humana ; nec tamen reſultare ex hac vnione perſonam, quia perſo-

nalitas

nalitas Verbi ſupplet vicem perſonæ, quæ reſultare deberet vniendo ſibi naturam.

Vnde Vltimo in 6. Art. quaſi epilogando hæc omnia, oſtendit *S. Thomas*, Vnionem hanc humanæ naturæ ad Verbum non eſſe accidentalem, ſed ſubſtantialem; quia humana natura tracta eſt ad ſubſiſtendum in perſona Verbi, & non vt accidentali coniunctione ei vniatur.

Et ex inde ab Art. 7. ad 9. diſputat *D. Thomas* de ipſa Vnione in ſe, Quid ſit? Vnire autem poteſt ſumi actiuè, pro ipſa vnitione, aut etiam aſſumptione; vel paſsiuè pro ipſa relatione reſultante in extremis vnitis, & de his inquirit tria. *Primò*, Quomodo ſit aliquid creatum ex parte ipſius naturæ humanæ vnitæ? *Secundò*, Quomodo differat ab aſſumptione, quæ dicit actionem vniendi, non vnionem paſsiuam? *Tertiò*, Quomodo ſit maxima vnionum ex parte eius, in quo coniunguntur, ſcilicet in perſona, quæ eſt maximè vna.

Vltimo ab Art. 10. vſque ad 12. Tractat de cauſa huius vnionis. *Primò* Inquirendo An ſit facta per gratiam Dei, quæ eſt cauſa efficiens phyſicè incarnationis? *Secundò* ex parte cauſæ meritoriæ, quæ eſt efficiens moralis, An Incarnatio ex meritis Patrum? & vltimò An iſta gratia vnionis ſit facta ex proprijs naturæ, & ſic ſit Chriſto naturalis? Igitur circa hos Articulos, vt ſolum ea, quæ difficultatem habent exponamus, nec enim immorari poſſumus, niſi circa grauiores difficultates; ideò breuiter circa doctrinam horum Articulorū duas Diſputationes inſtituemus; Alteram circa quidditatem Incarnationis; alteram circa cauſam incarnationis, præſertim meritoriam.

DIS-

DISPVTATIO QVARTA
DE QVIDDITATE INCARNATIONIS.

ARTICVLVS I.

Quid sit Vniri aliqua in natura, & in Hypostasi, vel Persona; & Quomodo in hac parte loquendum sit?

TERMINI, *quibus* vti solent *Thomistæ* in hac Vnione explicanda, necessariò supponendi sunt, ne ex ignorantia vocum labi contingat. Est ergo aduertendum, quòd in substantijs hæc tria inueniuntur, scilicet, *Natura, Subsistentia,* & *Existentia*, quæ diuersis nominibus nuncupantur: etenim ad Naturam, spectat *Natura, Essentia, Quidditas, Substantia, Vsia.* Ad Subsistentiam pertinet *Hypostasis, Persona; Suppositum; Prima Substantia, Res naturæ.* Existentia verò significatur per *Existentiam*, & per *Esse.* Quæ pertinent ad naturam significant rationem constitutiuam rei; quæ ad subsistentiam, & existentiam, important rationem termini, seu complemēti naturæ; aliter tamen, & aliter. Nam *Subsistentia* complet, & terminat in ratione incommunicabilitatis ad vlteriorem terminum: *Existentia* verò importat terminum in ratione actualitatis, quatenus ponit rem in actu secundò, & extra causas, & extra nihil; ibi enim terminatur omnis actualitas, quæ in facto esse habetur, & non restat aliquid faciendum in ipsa re.

Circa significationem ergo *Naturæ*, qui voluerit videat *D. Thomam in* 3. *Distinct.* 5. *Quæst.* 1. *Artic.* 2. Vbi optimè explicat vnde sumpta sit significatio huius nominis *Natura*, & translata ad alias significationes. In præsenti verò sumitur *Natura* pro eo, quod significat *Quod quid*, seu *Quidditatem*, atque adeò id præcisè, quod intrat diffinitionem rei. Sicut *Natura hominis* significat id, quo homo est homo; seu pertinentia, & intrantia definitionem hominis. Et quia hoc est formalissimum, quod est essentiale, & A constitutiuum intrinsecè alicuius, inde est quod *Natura* significatur vt forma totalis: sicut *Humanitas*, v.g. quæ significat id, quo homo est homo: id autem, quo aliquid est tale significatur per modum formæ. At verò ea, quæ pertinent ad rationem *Subsistentiæ*, non significantur vt forma, & vt quo, sed vt totum, & quod, & quia subsistens non inuenitur nisi in aliquo singulari, seu indiuiduo substantiæ (dicitur enim Persona *Rationalis naturæ indiuidua substantia*) B idcò distinguit *S. Doctor in* 3. *Dist.* 6. *Quæst.* 1. *Artic.* 2. Ea quæ pertinent ad singularitatem, & indiuiduationem, vel suppositalitatem, & subsistentiam, hoc modo: *Quædam istorum significant communiter particulare in quolibet genere, sicut* Particulare, Indiuiduum, Singulare; *quædam verò particulare tantum in genere substantiæ, sicut* Res naturæ, Suppositum, Hypostasis, & Persona.

C *Quia verò ratio substantiæ est, quod per se subsistat, inde est, quod nullum istorum dicitur, nisi de re completa per se subsistente; vnde non dicuntur, neque de parte, neque de accidenti, de quibus alia dici possent, quæ in omnibus generibus inueniuntur. Quamuis enim hæc albedo, vel hæc manus dicatur* Indiuiduum, *vel* Singulare, *non tamen dici potest* Hypostasis, Suppositum, vel Res naturæ. Sic D. Thomas.

D *Ex quibus* Verbis constat illa nomina, quæ solum inueniuntur in genere substantiæ in quantum subsistens est, præter indiuiduationem, & singularitatem, quæ inuenitur tam in accidentibus, quàm in substantijs, in partibus, & in toto, importare complementum, & terminationem tollentem omnem communicabilitatem, siue dependentiam ab altero, cui vniatur vt sit; hoc enim modo accidens, quod habet esse dependenter à substantia, licèt sit singulare, non subsistit; & pars substantialis, quæ communicatur alteri parti, & toti vt in eo existat, non habet subsistentiam, nec suppositaliratem; & ipsa natura constans ex omnibus suis prædicatis, & partibus, quia tamen termi-

minabilis est, vel vnibilis termino, vt in eo habeat esse, ideò etiam non est subsistens, & suppositum in se.

Et in hoc fundatur, quod naturæ, quæ non sunt ipsum esse, sicut Deus, si habent esse, debent habere illud mediante subsistẽtia, vel suppositò; quia quamdiu aliquid est depẽdens ab vlteriori termino, in quo existat, non prius debet supponi in se existens, & deinde dependens ab altero, & quærens aliud, cui innitatur; sed mediante eo à quo dependet, debet illi venire esse; & quia pars naturæ, vel natura dependet à termino incommunicabilitatis, seu subsistentiæ vt sit, ideò mediante subsistentia habet esse, & existentiam, non verò prius existentiam, deinde subsistentiam. Et similiter accidens mediante inhærentia habet esse, non prius esse, deinde inhærentiam: est enim contra ipsum modum concipiendi, quod aliquid dependens ab altero prius in se habeat illud, deinde dependeat; sed potius quod mediante dependentia illud habeat. Deus autem, quia ex natura sua omninò independens est, non per subsistentiam habet existentiam, sed ipsa existentia per se subsistens est.

Quomodo autem differant inter se *Natura, Subsistentia, & Existentia*, & quid subsistentia, & existentia addant supra naturam, An modum aliquem, vel realitatem plusquam modalem? Operosiorem Disputationem requirebat, solentque istæ quæstiones partim in Metaphysica tractari; partim *in* 1. *Part. Quæst.* 3. Et fortasse si tempus dederit, aliquid tractabimus infra *Quæst.* 3. Nunc breuiter Dico *Subsistentiam* distingui à *Natura* distinctione à parte rei, tanquam aliquid positiuum, non negatiuum (vt *Scotus* putauit de Persona) Est tamen distinctio modalis, & habere se vt terminum naturæ in ratione incommunicabilitatis, & independentiæ vlterioris, & probabile est, quod distinguantur realiter. *Existentia* etiã distinguitur ab ipsa *Natura*, tanquam terminus quidam in genere actualitatis, ex vi productionis conueniens rei productæ cõtingenter; ac probabile est, quod sit realitas distincta à re existente.

Rationem Distinctionis Suppositi, seu Subsistentiæ à natura ex duobus principijs venamur, altero naturali, altero supernaturali. Ex naturali. Quia omnis substantia creata potest aliquid includere præter ea, quæ pertinent ad naturam, & quidditatem suam: nam si sit substantia corporea indiuiduatur per aliquid extrinsecum ipsi naturæ, & diffinitioni rei; nam *Hic homo*, v. gr. aliquid includit in ratione indiuidui, quod non includit diffinitio hominis, aliàs in omni homine deberet inueniri indiuiduatio huius hominis; siquidem in omni homine inuenitur diffinitio hominis. Cum ergo ratio indiuiduans in substantijs corporeis sit extra naturam; quia est extra diffinitionem, & quidditatem; subsistentia autem sit terminus, seu complementum naturæ, quatenus indiuidua, quia persona, vt dicit definitio, est *Rationalis naturæ indiuidua substantia*, & quia terminatio, seu incommunicabilitas non potest inueniri nisi in singularibus, natura enim communis communicabilis est, ideò manifestè sequitur, quod cum subsistentia sit terminus naturæ, vt indiuiduæ, in illis substantijs in quibus indiuiduatio est extra naturam, consequenter & substantia, quæ est terminus indiuiduationis, & vltima incommunicabilitas eius, erit extra rationem naturæ, & distingui debet à natura à parte rei, quia à parte rei est extra definitionem, & naturam.

Nec obstat, Quod vnitas numerica à parte rei non distinguitur ab vnitate formali, nec indiuiduum à specie, aut genus à differentia, licèt vnum sit extra cõceptum, & definitionem alterius. Aliud est enim, quod in re non distinguatur vnus gradus superior, & inferior, & ea, quæ concurrunt ad constitutionem Metaphysicam, quia gradus superior hoc ipso, quod contrahitur, superior non manet, sed contractus in isto indiuiduo. Vnitas enim formalis hoc ipso, quod contrahitur per numericam, non manet in ratione vnitatis, sed conuenientiæ; diuiditur enim per plura indiuidua contrahentia vnitatem naturæ communis, & ita natura communis non manet in omnibus vna, sed diuisa, seu distincta, & similis inter se, atque adeò non est vnitas formalis à parte rei distincta ab vnitate numerica.

Gradus autem metaphysici superiores, Vt genus, & differẽtia, vsque ad vltimã speciem athomam, in qua natura est cõpleta, omnes illi vniũtur in vna diffinitione naturæ specificæ, & ita in eadẽ natura non possunt distingui à parte rei plures illi gradus: nec enim vniuntur sicut materia, & forma ad componendũ physicè, sed tanquã superius, & inferius, & tanquam diuersi gradus vnius, & eiusdem formæ. Vnde sicut in re

non distinguuntur in forma rationali gradus vegetatiui, sensitiui, & rationalis, quasi à diuersis formis prouenientes, ita neque illa prædicata, quæ diuersos gradus metaphysicos explicant, & intelliguntur constituere, & intrare eandem definitionem, seu quidditatem, non distinguuntur à parte rei, licet inferior gradus non sit de conceptu superioris, & de definitione eius, est tamen superior de ratione inferioris, aut continet illum in potentia, & virtute, sicut genus differentiam.

At verò Indiuiduatio, & terminus indiuiduationis, qui est *Subsistentia*, non comparatur ad naturam vt gradus, aut prædicatum constitutiuum naturæ, sed vt omninò extra naturam completè constitutam, licèt non completè terminatam; nec ipsa indiuiduatio, vel subsistentia est de cõceptu naturæ, neque natura de conceptu subsistentiæ, cũ sit in se omninò completa in ratione naturæ cõstitutæ; vnde oportet quod in re distinguatur subsistentia, & natura. At verò in substãtijs spiritualibus, in quibus indiuiduatio nõ fit per aliquid extra ipsam naturam, sed ipsa forma separata per se est indiuidua, & incõmunicabilis, non potest sumi distinctio subsistẽtiæ, seu suppositi à natura ex ipsa ratione indiuiduationis, quæ à natura distincta non est, sed debet sumi per ordinem ad aliquid extrinsecũ, vt dicit *D. Thomas Quotlib. 2. Art. 4. ad 1.* & *hìc Quæst. 2. Art. 2.* & *Caiet. 1. Part. Quæst. 3. Art. 3.* & hìc *Art. 2.* Scilicet per ordinẽ ad accidentia, quæ recipiuntur in subsstantia immateriali; quia enim illa substantia recipit accidentia, quæ sunt extra naturã, & non manent vnita, & coniuncta naturæ in ratione naturæ (sic enim manerent intra definitionẽ, & quidditatẽ eius) oportet quod sit aliquid habens naturam, & simul habens ipsa accidentia, ita quod vtrumque maneat incõfusum, & hoc habens dicitur suppositũ.

Vnde ait S. Thomas in *Quodlib. 2. Art. 4. ad 1.* Quod aliquid est accidens præter rationẽ speciei, seu quidditatis dupliciter. Vno modo vt determinatiuum alicuius essentialium principiorũ, sicut rationale accidit animali, quod tamen est essentiale homini. Alio modo accidit aliquid alicui, quia nõ est de essentia eius, nec determinatiuum essentialiũ principiorum, sicut albedo homini. Sic ergo dicimus, quod quæ hoc secũdo modo accidunt, distinguuntur à parte rei, non quæ primo; & ita subsistentia, & existẽtia distinguuntur, quia sunt præter naturam completè, & determinatè cõstitutam; & hæc est radix distinguendi existentiam ab essentia. Ex hoc ergo quod substantia aliqua includat, & habeat aliquid præter rationẽ, & quidditatẽ, infert *S. Thomas hìc Art. 2.* & *dicto Quodlib.* Quod ipsum suppositum, quod est habens talia accidentia, quæ sunt præter rationem naturæ, sit etiam aliquid præter ipsam naturam. Et intelligitur semper præter naturam cõpletè, & adæquatè constitutam, & definitam: quidquid enim vltra naturam constitutam habetur, oportet, quod non vniatur ipsi naturæ secundùm significationem naturæ, atque adeò supponi debet aliquid sustentans, & suscipiens, quod sit habens ipsam naturam, tanquam formam quidditatiuam, & hæc accidentia vt formam accidentalem.

Et inde sumitur alia radix, Cur existentia non aduenit substantiæ, nisi post subsistentiam, neque est actus naturæ, sed suppositi; quia scilicet esse, seu existere est prædicatum præter naturam completè constitutam in sua definitione, nec determinatiuum alicuius essentialium principiorum; vnde aduenit non ipsi naturæ sub conceptu naturæ, sed habenti naturam, & hoc est suppositum. *Nec obstat*, quod ipsis accidentibus adueniat, etiam aliquid præter naturam suam, vt modi, & perfectiones aliquæ. Istæ enim non inhærent ipsis accidentibus, nec sustentantur ab eis, nisi in virtute suppositi, in quo inhærent, & à quo habentur vt à toto per se subsistenti.

Ex Ratione autem supernaturali probatur distingui suppositum à natura; quia in Christo fatetur fides dari naturam humanam, & non suppositum humanum; ergo à parte rei debent distingui suppositum, & natura; aliàs non possent inueniri vnum sine alio. Et vlterius probabiliter infertur, quod distinguitur plusquam modaliter; quia si solum esset modus secundùm suam realitatem, non differret à natura, atque adeò natura humana in Christo realiter esset suppositum humanum, & quantum ad realitatem in Christo esset persona creata, quod non benè sonat.

Ex his ergo apparet, Quomodo intelligendum sit in tribus primis Articulis *D. Thom.*, quid sit aliquid vniri in natura, quid in persona, vel hypostasi. Intelligendum est enim *Vniri in natura*, id quod intrat quidditatem, seu definitionem alicuius cum aliquo, vel tanquam pars

Phy-

Physica, aut Metaphysica, vel tanquam A prædicatum pertinens ad constitutionem rei. *Vniri autem in Persona*, & non in natura est vniri in habente naturam, tanquam non pertinens ad constitutionem naturæ, sed extra eam, & consequenter vniri Deo non in natura, erit vniri in subsistentia Dei. Quo supposito solum restat rationes *D. Thomæ* declarare, & modum loquendi in hac parte explicare.

B

CONCLVSIO.

Igitur non esse factam hanc Vnionem in Natura diuina, ita quod post incarnationem maneant duæ naturæ inconfusæ, ratio *D. Thomæ* ostendit. Quia quæcumque vniuntur in aliqua natura, seu coniunguntur ad constituendam naturam, solum coniungi possunt, aut vniri vno ex tribus modis. Vel quia illa extrema sunt entia completa, & perfecta, & manente sua integritate C componunt vnam tertiam naturam, nō quidem substantialem, sed accidentalem; vniuntur enim in vno ordine, vel figura, vel compositione. Aut quia illa extrema sunt entia completa, & perfecta; vniuntur tamen sublata integritate vniuscuiusque, sicut fit in mixtione. Vel denique, quia extrema sunt incompleta, vt forma, & materia, & partes integrales. Solum his tribus modis vniuntur aliqua physicè ad constituendum naturam, physicè (inquam) nam D hìc non loquitur *D. Thomas* de vnione Metaphysica, quæ est per prædicationem, seu abstractionem, & contractionem; sed de Physica.

Primo modo fieri vnionem non est ad propositum, quia talis vnio nō est in aliqua natura substantiali, sed in aliquo accidentali. *Secundo modo* non potest vnio fieri; cum mixtio requirat corruptionem, seu mutationem miscibilium. *Tertio modo* fieri non E potest; quia Deus non potest esse forma, neque pars, cum vtrumque sit imperfectum; ergo non potest vniri ad constituendam naturam: præter quam quod natura diuina, & humana non sunt partes, sed naturæ compositæ.

Hæc Ratio patitur duas instantias. *Prima* est in eo, quod in secundo modo vnionis non valet illa cōsequentia. Quia natura diuina est ingenerabilis non potest aliquid cōuerti in ipsam: instatur enim in Corpore Christi glorioso, quod est ingenerabile, & tamen aliquid conuertitur in ipsum per transsubstantiationem, scilicet panis.

Secundo Instatur contra tertium modū Vnionis, quod natura diuina nullo modo potest esse forma; cōstat enim quod est forma intelligibilis vnita intellectui Beatorum; ergo ratio formæ non repugnat diuinitati.

Ad 1. Instan. Resp. quod *D. Thomas* ex primaria intentione, solum intēdit probare contra Hæreticos, quod nō fiat vna tertia essentia ex diuina, & humana, hoc enim præcipuè dicebant Hæretici: nec enim ponebant conuerti humanam in diuinam, aut è contra; sed quandam vnionem ponebāt, quam vix Ipsi explicant, vt benè notat *Lorca hìc*, & *Vazquez Disp.* 14. Quamuis non approbem id, quod *Hic Author* dicit *Cap.* 2. Eutychem concessisse naturam humanā, & diuinam integram mansisse, sic tamē vnitam, quadam (nescio) vnione, quòd humana natura non mereretur nomen naturæ. Vnde reducere videtur Errorem Eutychetis solum ad quæstionem de nomine, scilicet, An vocāda esset humanitas *Natura*, nec ne? Cum tamen *Patres* communiter, & *Cōcilia* definiant naturam diuinam, & humanam mansisse inconfusam, quod est signum Eutychetem posuisse aliquam naturam per confusionem, seu mixtionem.

Itaque cōtra hos Hæreticos sufficiebat *D. Thomam* ostendere, quod nō intercedit talis conuersio inter naturam humanam, & diuinam, quæ faciat mixtionem aliquam, seu confusionem. Ex consequenti tamen etiam ostendit eadem ratione, neque transubstantiatiuè fieri conuersionem, quia diuina natura non solum est ingenerabilis, vt corpus glorioſum, sed secundùm omnem modum immutabilitatis; atque adeò etiam per transsubstantiationem est inconuertibilis, quia hoc aliquā mutationem exigit, vt probabilius Multi cēsent. In Opinione autē quod in Deum potest aliquid transubstātiari, quia existimant ad id non requiri mutationē ex parte termini ad quē, sufficit rationi *D. Thomæ* conuincere cōtra Hæreticos, qui non de transubstantialitate, sed de conuersione in vnam tertiam essentiam loquebantur.

Ad 2. Instantiam Resp. Quòd Deum esse formam intelligibilem non obstat huic rationi *S. Thomæ*, Quia vt Ipse dicit 3. *cont. Gent. Cap.* 51. *Species intelligibilis vnita intellectui nō constituit aliquā naturā, sed perficit ipsum ad intelligendū, quod perfectioni diuinæ essentiæ nō repugnat.* Ita S. Thomas.

Et huius ratio est, Quia species, & habet aliquid, quod materialiter ad ipsam pertinet, sicut quod sit substantia, vel qualitas; & sic vel inhæret intellectui si sit qualitas, & recipitur in illo vt in subiecto materialiter recipiente; vel intellectus inhæret illi, si sit substantia, vt Angelus respectu suæ propriæ cognitionis. Aliud est, quod formaliter se habet in specie intelligibili, scilicet, quod sit ipsummet obiectum, non entitatiue, sed intentionaliter; & sic informat intellectum modo obiectiuo, seu intelligibili; non quia in eo recipitur vt in materia, sed quia eius immaterialitatem terminat, quæ est formatio quasi terminatiua, non constitutiua. Neque enim species hoc modo vnitur intellectui, vt ex intellectu, & obiecto fiat, seu cõstituatur vna tertia natura, seu aliquid tertium operans, & intelligens, vt benè ostendit *Caiet. 1. Part. Quæst. 14. Art. 1.* Nec vt ipsum obiectum influat etiam intellectionem partialem cum intellectu: nec enim obiectum partialem influẽtiam habere potest in actum vitalem, sed potius vt ipse intellectus fiat ipsum met obiectum in esse intelligibili; & hæc non est informatio constitutiua, quæ est imperfecta, sed quasi terminatiua, quę imperfecta non est, quatenus intellectus est immaterialitas quædã actuabilis, seu terminabilis per obiecta; non quia obiecta recipiat, sic enim potius esset materialitas ad recipiendum, sed quia intellectus non solum est suamet entitas, sed ratione suæ immaterialitatis fit aliud à se, & est intentionaliter, mediante specie, ipsum met obiectum. Vnde hæc informatio non fit ad constituendum, vt dicit *D. Thomas*, sed ad perficiendum; sola autem informatio constitutiua repugnat Deo, quia hæc habet imperfectionem, quatenus ordinatur ad totũ constituendum, & omne totum est melius, & perfectius sua parte; & omnis pars imperfectionem habet. Informatio autem purè perfectiua, quæ non respicit subiectum, vt materiam in qua recipiatur, sed vt immaterialitatem, quæ ipso obiecto perficiatur, & terminetur, non importat rationem partis, nec ordinatur ad totum, vt ad perfectius, & sic non repugnat Deo.

Adhuc tamen circa rationem *D. Thomæ* habet difficultatem illa obiectio, quam in *Art. 1. S. Thomas* ponit *Arg. 1.* Quòd *S. Cyrillus Alex.* relatus in Concilio Calcedonensi (vt citat *S. Thomas*) in 1. Lib. de Fide ad Reginas ex Athanasio dicit: *Non oportere in Christo intelligere duas naturas, vna, quæ adoratur; altera, quæ non adoratur, sed vnam naturam Verbi Dei incarnatam, & adorabilem cum carne sua.* Ex hoc enim testimonio Eutyches suum volebat confirmare errorem in Concilio.

Respondet autem S. Thomas hæc verba Cyrilli fuisse exposita in V. Synodo Generali, vbi Patres Collat. 8. Can. 8. dixerunt, *Si quis vnam naturam Verbi incarnatam dicens, non sic accipiat, sicut Patres docuerunt, quæ ex diuina natura, & humana, vnione secundũ subsistentiã facta, sed ex talibus vnionibus naturã vnam, siue substantiã diuinitatis, & carnis Christi, introducere conetur, anathema sit.* Vnde colligit *S. Thomas* sensum illius propositionis, *Natura Verbi est incarnata*, esse, non quod ex duabus naturis sit constituta vna natura, sed quod natura Verbi Dei carnem vniret sibi in persona.

Hanc Responsionẽ Vazquez hic Disp. 14. Cap. 3. fastidiuit, dicens, Quòd Concilium non explicat, quo sensu illi Patres dixerunt vnam naturã Verbi incarnatam, sed solum damnat errorẽ, quem aliquis occasione talium Verborũ posset in Ecclesia introducere. Vnde ipse longa eruditione multa cõgerit ad exponendũ Cyrillum, quæ nobis etiam tædio est referre. Mirabile tamen est, ita festinanter Concilij verba transcurrisse *Vazquez*; nec enim solum damnat errorẽ, quem occasione illorum verborũ aliquis posset introducere, sed etiã expresè sensum Cyrilli exponit in prioribus verbis: *Si quis naturam Verbi Dei incarnatam dicens, non sic accipiat sicut Patres docuerunt, quod ex diuina natura, & humana, vnione secundum subsistentiam facta, &c.* Vbi manifestè est sensus illius propositionis, *Natura Verbi incarnata est*, scilicet *Ratione vnionis secundũ subsistentiã facta, incarnata est natura*, quod *D. Thomas* vnico verbo dixit, Natura Verbi Dei carnem vniuit in persona; natura enim vnita est carni, sed nõ taliter quod vniretur in natura, sed vtraque natura in persona.

Hic est catholicus sensus à tota Synodo datus Cyrillo, & à *D. Thoma* recognitus, ab alijsque Patribus, etiã à *Damasceno Lib. 3. de Fide Cap. 11.* Qui hanc propositionẽ cõcedit, *Natura Verbi incarnata est*, licèt neget hanc, *Diuinitas incarnata est*, dicendo enim *Natura Verbi*, denotatur magis determinatio personæ, in qua facta est vnio, licèt etiã admittatur, quòd diuinitas est incarnata, id est, *Carni vnita in persona*, ex cõmuni sensu intelligentium. Quòd autem Cyrillus dixerit illam negatiuam, *Non duas naturas*

oportet

oportet intelligere, &c. sensus est, contra Nestorium, de duabus naturis habentibus duas personalitates, seu suppositа, ita quod vna adoretur, scilicet Diuina; altera non adoretur, quia diuinæ personæ vnita non esset, sed proprio supposito; sic enim non sunt duæ naturæ cum duplici supposito in Christo.

Proponitur Secunda Ratio pro Conclusione.

Denique vt in hoc Art. explicemus rationem *D. Thomæ in Art. 2 & 3.* Quomodo scilicet facta sit vnio humanæ naturæ in persona, expendenda est illa consequentia *S. Thomæ* quid valeat: Omne quod inest alicui personæ, siue pertineat ad naturam, siue non, vnitur ei in persona; si ergo humana natura Verbo Dei non vnitur in persona, nullo modo vnitur; quia ergo Verbum habet naturam humanam sibi vnitam, non autem ad suam naturam diuinam pertinentem, consequens est quod vnio sit facta in Verbi persona, non in natura. Hæc est tota vis Consequentiæ.

Vbi aduerte Nestorium posuisse vnionem in persona secundùm quãdam denominationem moralem, scilicet quantum ad quandam dignitatem; non autem secũdùm vnionem physicam, & realem, quam *D. Thomas* probat in illa consequentia *Si non vnitur in persona, nullo modo vnitur*, id est, nullo modo reali, & physico. Et ita S. Cyrillus in Conc. Ephesi. Tom. 5. Can. 1. Anathe. 3. *Si quis post naturarum vnionem dixerit ea tantum copula connecti, quæ est secundùm dignitatem, vel authoritatem, non autem ea communicatione, quæ fit secundùm physicam vnionem, Anathema sit.* Opposuerunt autem Cyrillo Orientales Nestoriani in eodem Concilio, vt habetur in Appendice IIII. Tom. 5. Cap. 1. circa 3. anathem. illud verbum *Physicam*, seu *Naturalem vnitionem*, malè ab ipso esse dictam, *Quis*, inquiunt, *Vnquam ostendet naturalem diuinã vnitionem, sacramenti dispositiones, si enim naturalis vnitio Verbi gratia, vbi diuinum sacrum? Naturæ enim, vt edocti sumus semel ab ordinante Deo ordinatæ necessarijs consequentijs seruiunt: Num etiam, & iterum erit secundùm reuolutionem, & materiæ contrariam, dispositionis opus, &c.* Ecce quomodo Nestoriani scandalizabantur in doctrina catholica Cyrilli, quia nomine *Physicæ Vnionis* vteretur; existimantes ly *Physicum* dicere quid naturale, & opponi gratiæ, ac necessitatem secum importare, ibi *Necessarijs Consequentijs seruiunt.*

Respondet autem Cyrillus: *Si naturalem vnionem dixerimus habet Scriptura hunc morem, hac distinctione vti, eramus natura filij iræ sicut & cæteri, & neutiquam dixerit quisquam subsistere secundùm naturam diuinam iram. Vnde ibi natura idem est quod verè* Ecce quomodo Cyrillus ipso approbante Concilio vtus est hac voce *Physica*, seu naturali vnione, quia idem sit quod vera. Ac proinde non miremur quando in auxilijs diuinis physicam, seu naturalem dicimus prædeterminationem, vocem illam ab antiquo vsurpatam esse in Ecclesia, vt sit idem ac *Vera*, seu *Realis*, nec importare naturalem, id est, necessariam connexionem, & determinationem. Nec miremur si dicendo *Physicam*, nobis opponunt adimere libertatem, & necessitatem inducere, hæc enim eadem voce opponebant Orientales Nestoriani Cyrillo.

Hoc ergo supposito circa consequentiam *S. Thomæ* obijcitur non esse formalem. Quia non sequitur si aliquid vnitur Deo, & non in natura, ergo vnitur in persona, possit enim vniri in hoc Deo tribus personis communi, in quo inuenitur subsistẽtia absoluta, & communis omnibus tribus personis: ergo non probat *S. Thomas* formali consequentia vnionem factam esse in persona.

Ad Hanc Instantiam Resp. Admittendo dari subsistentiam absolutam communem omnibus tribus personis, quia diuina natura illis communis est, non solum diuinitas vt quo, sed vt quod, seu concretum habens diuinitatem, & habens esse; siquidem est ipsum esse perfectum, & integrum, neque inexistens alteri, neque ab altero tanquam à toto dependens, sed in se existens, & consequenter subsistens antecedentèr ad relationes. Quod tamen non inuenimus in Spiratore: quia ly *Spirator* duo importat; alterũ pertinens ad essentiã, seu virtutem spirandi; & hæc est subsistens sicut esse Dei: alterum notionale, scilicet ipsa relatio spirationis actiuæ, quæ relatiuè opponitur Spiritui sancto; & hæc relatio in ratione relationis nõ est subsistẽs, nisi in Paternitate, & Filiatione. Si enim per se, & antecedentèr ad illas esset subsistens vt relatio deberet esse illis opposita, & distincta ab ipsis, quia in relationibus, vt relationes sunt, subsistẽtia importat

oppositionem, & incommunicabilitatem; nam quantum ad esse relatio non habet aliud esse ab essentia; & consequenter propria ratio subsistentiæ in relationibus est ab incommunicabilitate; & cum ly *Spirator* non habeat illum respectum Patris, & Filij, non est subsistens per se seorsum ab illis, quod tamen habet Deitas, seu esse diuinum antecedenter ad relationes. De quo latè 2. *Tom.* 1. *Part. in Materia de Trinit.*

Admittendo ergo hoc, Dicimus consequentiam *S. Thomæ* dupliciter esse formalem. *Vno modo* loquendo de vnione naturæ humanæ ad Deum quomodocumque, & sic non probat immediatè factam esse in tali persona, vel in persona relatiua, sed in subsistente Deo, quicumque ille sit, siue absolutè, siue relatiuè; siue sit persona, siue nō: & sic idem est inferre, Nō est vnita in natura, ergo in persona; ac dicere, Ergo in subsistentia, seu in habente Deitatem.

Alio modo potest intelligi consequentia *S. Thomæ* de vnione naturæ humanæ ad Deum personaliter, & prout de facto fuit; & sic *D. Thomas* non fecit hanc consequētiam; Vnitur natura humana Deo, & nō in natura; ergo in persona: hoc enim non inuenietur scriptum in *D. Thoma*, sed dixit sic: Si natura humana, Verbo Dei non vnitur in persona, nullo modo ei vnitur, & sic perit fides Incarnationis; quia ergo Verbum habet naturam humanam, & non in natura diuina vnitam; ergo in persona Verbi. Vbi *S. Doctor* non loquitur de vnione naturæ ad Deum vt sic, sed ad Verbum Dei, vt fides docet, & suppositā fide, quod vnitur Verbo Dei, consequentia est formalis; Vnitur Verbo Dei; & non in natura; ergo in Persona Verbi.

ARTICVLVS II.

Quis sit formalis Terminus Incarnationis?

NON *agimus modo* de ipsa Vnione, seu vnionis modo, An sit aliquid de nouo productum per actionem Incarnationis; de hoc enim sequenti Art. agemus: sed sicut in generatione hominis, licèt anima vniatur corpori, terminus tamen formalis specificans actionem; non est ipsa vnio, seu depēdentia de nouo facta, sed aliquid substantiale, scilicet *Humanitas*: ita Inquirimus in præsenti, præter ipsam vnionem, seu dependentiam, aut quidquid sit de nouo productum, quis sit formalis terminus specificans actionem Incarnandi? Et ex consequenti inquirimus, Quid sit terminus à quo? Quia semper correspondent inter se terminus à quo, & ad quem.

Et est supponendum ex Philosophia duplicem esse terminum actionis, scilicet *Totalem*, & *Formalem*: sicut enim in vnaquaque substantia dicitur quo, & quod, scilicet ipsum totum constitutum, & ipsa forma formaliter constituens; sic actio, quæ tendit ad substantiam, respicit ipsum totum vt terminum totalem, seu quod; ipsam formam vt terminum formalem. Sicut dealbatio habet pro termino formali *Albedinem*, pro totali *Album*. Aliquando verò coincidunt terminus totalis, & formalis, sicut in Creatione, de cuius ratione est quod sit productio totius entis ex non ente, & in Trāssubstantiatione, in qua non datur formalis conuersio, sed totalis.

Secundo est Aduertendum Non esse necesse, quod terminus formalis sit productus per actionem, sed sufficit quod sit vnitus; sicut patet in Generatione hominis, quæ animam non producit, sed vnit: & in Resurrectione, in qua præexistens anima rursus vnitur corpori. Nec enim formalis terminus amplius requirit, quam quod sit formaliter constituens terminum totalem; vnde si ex vi actionis taliter attingatur terminus formalis, quod ex vi illius constituat, & informet totum, habet quod requiritur vt sit terminus formalis; informat autem, & constituit vt vnitus, & consequenter sufficit vniri ex vi actionis, vt sit terminus eius formalis.

His Suppositis cum in hac actione inueniantur tria, scilicet Verbum, humana natura, & vnio de nouo inter ipsa extrema facta; communiter conueniunt Authores in assignando totali termino huius actionis, scilicet quod sit ipse Christus, seu persona vt subsistens in duabus naturis; hoc enim totum resultauit per hanc nouam vnionem, scilicet Deus homo, seu Verbum caro.

Circa terminum verò formalem diuisi sunt: Nam quidam considerantes hanc actionem vt assumptiua, & personatiua est humanitatis, dixerunt formalem terminum eius esse personalitatem Verbi, vt vnitam humanitati, quam Sententiam *Suarez* tribuit *Capreolo in* 3. *Dist.* 5. *Quæst.* 1. Et in ter-

terminis loquendo de actione vt assumptiua traditur à *Caiet.* hic *Art* 8. in fine. Et de ipsa actione Incarnationis absolutè loquēdo asseritur à *M. Aluarez Disp.* 13. Quamuis etiam admittat humanitatem esse terminum formalem secundùm quid, & minus principalem, quatenus ab humanitate Verbum diuinum habet, quod sit homo. Subsistentia autem vniuersaliter est terminus actuans, & complens humanitatem, & consequenter est terminus vnionis hypostaticæ, & præterea esse communicatum humanitati, est esse creatum in Sententia *S. Thomæ*. Ergo habet pro termino aliquid increatum, quia esse est terminus actionis. Vide loca *D. Thomæ* in *Nazario*, & *Lorca*.

Et hinc ortum habuit Secunda Sententia Aliorum, Quòd absolutè humanitas est terminus formalis Incarnationis, attendētes, quod per hanc actionem formaliter Verbum factum est caro, & homo; sicut per dealbationem paries fit albus. Sicut ergo parietem dealbari habet pro formali termino passionis albedinem; sic Verbum incarnari habet pro formali termino passionis carnem, seu humanitatem; & consequenter actio incarnandi habet pro formali termino actionis ipsam met humanitatem, quam vnit Verbo. Vnde si Verbum assumeret naturam leoninam, illa esset formalis terminus illius actionis; & si lapideam lapis, sicque consequenter differrent specie istæ actiones secundùm differentiam naturarum, quæ assumūtur. Ita sequuntur communiter *Thomistæ*, & legi potest *Vazquez* hic *Disp.* 19. *Cap.* 2. *Lorca Disp.* 16. *Suarez Disp.* 8 *Sect.* 2.

Tertia Sententia affirmat formalem terminum esse vnionem ipsam, quam *Suarez* tribuit *Scoto*, & *Durando*, ipsamque simpliciter vt probabiliorem approbat. *Et fundatur* in hoc. Quòd terminus formalis actionis debet esse posterior actione, & nō præsupponi ad actionem: humanitas autem, & Verbum actioni Incarnationis præsupponuntur, solumque id, quod fit per ipsam actionem est vnio; hoc autem quod fit per actionem debet esse formalis terminus illius, quia actio est quoddam fieri rei, seu tēdentia ad aliquem terminum; ergo ille erit terminus propriè, & formaliter ad quem tendit actio, & in quem terminatur ipsum fieri: hoc autem est id quod fit, seu producitur, quod solum est ipsa vnio.

Denique Alij volentes hæc omnia conciliari dicunt, huic actioni secundùm diuersas considerationes assignari diuersos terminos formales. Nam ista actio vt est *Assumptio* habet pro termino ad quem Personam, quia ad ipsam terminatur assumptio: est enim assumptio quasi *Ad se sumptio*, & ly *Ad se* est ad personam. Si autem actio consideretur vt *Incarnatio*, sic terminus formalis est humanitas, quia per incarnationem Verbum factus est homo; & sic humanitas est formalis terminus. Si autem consideretur vt *Vnitiua*, sic vnio est formalis terminus, quia per vnitionem Verbum fuit coniunctum carni; & sic vnio est forma ad quam terminatur. Ita *Lorca* hic, & *Suarez* citati. Quod & antea dixit *Caietanus* loco citato, inquiens, Quòd secundùm varias considerationes variè potest assignari terminus.

Nihilominus resolutoriè Dico. Formalis terminus, simpliciter loquendo illius actionis, est humanitas; Vnio autem, & Persona non sunt termini formales simpliciter, sed quasi connotati, & in obliquo attacti. Sumo hanc Conclusionem ex D. Thoma hic Art. 8. ad 5. vbi inquit, *Quòd assumptio determinat cui facta est copulatio ex parte assumentis, in quantum assumptio dicitur quasi ad se sumptio: sed incarnatio, & humanatio ex parte assumpti, quod est caro humana, vel natura. Et ideò assumptio differt ratione, & ab vnione, & ab incarnatione, seu humanatione.* Non ergo secundùm *D. Thomam* est hic duplex actio ly *Assumptio*, & ly *Incarnatio*, sed vna, & eadem. Quare cum assumptio, & incarnatio, seu Vnitio solum ratione differant, inquit *Caietan.* ibidem, quod est eadem actio, & idem terminus, diuersimodè solum explicatus. Restat ergo discernere in hac actione habente istos respectus, quis sit formalis terminus simpliciter? Quid in connotato, & secūdùm quid?

Dico ergo Terminum formalem esse humanitatem, connotare verò vt conditionem requisitam Vnionem; vt extremū, cui fit vnio, & ratione cuius dicitur assumptio, personam. *Ratio efficax est*: Quia constitutum totale resultans ex ista actione est Deus homo; ergo ille erit terminus formalis, qui fuerit forma constituens hoc totale constitutum: hoc autem solum est humanitas, non vnio, nec persona; ergo. *Primum antecedens est certum.* Tum, Quia sic explicat *Scriptura* hunc terminum, & sic loquitur; non enim dicitur quòd caro facta est Verbū, vel homo factus est Deus, sed quod *Verbum caro factum est*; & filius Dei factus

est

est homo. *Tum*, Quia totum resultans ex hac actione est Christus, seu illud, quod de nouo factum est in rerum natura per hanc actionem; est autem factum Verbum caro; ergo Deus homo, seu Verbum caro est totale constitutum resultans ex illa actione.

Secundum Antecedens Probatur. Quia in hac vnione Persona diuina se habet vt subiectum, seu vt suppositum, cui de nouo aduenit humana natura, vt in eo subsistat: sicut si homini aduenirent pedes, aut manus, quas ante non haberet. Sic enim comparat *D. Thomas* hanc vnionē infra *Quæst. 17. Art. 2.* Non autem humanitas se habet vt subiectum, cui aduenit diuinitas: & ita dixit S. Thomas, Opusc. 30. Cap 6. contra Græcos, & Armenos, *Quòd in vnione Dei ad animam non trahitur Deitas ad humanam naturam, sed humana natura à Deo assumitur*. Ergo respectu huius constituti resultantis, quod est Deus homo, persona non se potest habere vt forma, seu terminus formalis.

Similiter neque vnio. Quia vnio non constituit aliquod totum, nisi ratione formæ vnitæ, non autem ratione sui, quia ipsa non est forma, sed applicatio formæ ad subiectum; ergo repugnat dicere, quòd vnio sit terminus formalis, cum nullo modo sit forma constituens, sed applicatio formæ constituentis ad subiectum, vt resultet totum constitutum.

Et Exemplo res explicatur; in dealbatione enim paries, qui est subiectum, non potest esse terminus formalis illius actionis; nec vnio, seu inhærentia albedinis ad parietem, quia non est forma constituens album, sed conditio, seu applicatio albedinis ad subiectum; & licèt albedo adquirat esse in subiecto, reddaturque inexistens in ipso subiecto, & subiectum illi vnitum, non tamen ipsum subiectum dicitur formalis terminus dealbationis, quia albedinem fieri inexistentem, & communicari sibi esse à subiecto, non est id, quo formaliter constituitur album, sed est esse consequens vnionem albedinis ad subiectum. Esse autem quod ipsi formæ prouenit ex vnione ad subiectum, non est id quo aliquid est tale, nec ipsa forma cōstituens, sed esse est actualitas vltima terminans; atque ita id, quod adquirit forma ex subiecto non est terminus formalis, sed ipsa forma.

Et similiter si homini aduenirent pedes, vel manus, vel materiæ forma substantialis, non est ibi formalis terminus subiectum ipsum, aut esse, quod adquirit de illis partibus, sed ipsæ partes de nouo aduenientes, vel forma est terminus formalis. Et tamen in actione dealbandi inuenimus, quod de nouo producitur vnio, & non per se requiritur produci albedinem, sed etiamsi præexisteret albedo, & de nouo vniretur subiecto fieret æquè benè dealbatio. Sicut in resurrectione hominis præexistens anima vnitur corpori; & in generatione anima, quæ creatur vnitur ab homine. Et similiter inuenimus, quod albedo trahitur, & quasi assumitur ad esse subiecti, vt scilicet inhæreat ei.

Quo loquendi modo vtitur S. Thomas Opusc. 2. Cap. 211. dicens: Quod *Subiectum in vnione accidentis non se habet vt pars, sed vt integrum quoddam, quod est persona, hypostasis, & suppositum, accidens autem trahitur ad personalitatem subiecti, vt sit persona eadem hominis, & albi*. Et tamen ratione huius tractionis, seu assumptionis nullus dicet, quòd subiectum est terminus formalis actionis illius, sed solum forma vnita, licèt connotare debeat necessariò ista actio, & vnionem, & applicationem, & subiectum vt terminum, cui fit vnio accidentis, & ad quod assumitur. Ergo similiter in præsenti debet dici, quod simpliciter terminus formalis actionis incarnandi est humanitas, qua Verbum est homo, licèt connotare debeat vnionem, & applicationem humanitatis ad Verbum, & personam, vt terminum, cui fit vnio.

Ex dictis infero duo. Primum est Terminum à quo in hac actione non esse humanitatem, neque personalitatem propriam humanitatis, sed non esse hominem in Verbo, quod per modum negationis, non priuationis explicandum est. Etenim, qui ponunt principalem rationem termini formalis in persona Verbi, quatenus actio est assumptiua, dicunt cum *Caietano* humanitatem esse terminum à quo, & personam diuinam terminum ad quem fit assumptio. Alij verò volunt terminum à quo positiuum assignare, scilicet illum, qui per actionem assumptiuam tollitur, id est, personalitatem creatam. Quòd melius appareret in casu, quo Verbum assumeret naturam hominis in proprio supposito existentem, destruendo suppositalitatem propriam, & trahendo illam naturam ad suam: tunc enim manifestè terminus à quo esset personalitas creata; ergo licèt modo positiuè non destruantur, tamen quia illa actio apta

nata

nata est destruere illam, dicetur personalitas creata esse terminus à quo, non vt positiuè destructa, sed quæ destruenda esset, si daretur, & impedita est ne resultaret.

Nihilominus, quia in omni generatione, formalis terminus à quo est priuatio formæ, seu negatio illius à qua tenditur ad ponendam formam, siue destruatur positiua aliqua forma ex parte termini à quo, siue non; hoc enim per accidens se habet ad rationem termini à quo; sicut dici solet in 1. *Physicorum*, quod sunt tria principia rei naturalis, *Materia*, *Forma*, & *Priuatio*, ipsaque priuatio tenet se ex parte termini à quo formaliter loquendo: per se enim, & formaliter in generatione ignis est, quod fiat ex non igne; quod autem fiat ex stuppa, vel ex ligno, per accidens est. Sic dicimus hic, quòd Verbum fieri hominem habet formaliter fieri ex non homine, non quod in ipso Verbo esset priuatio, aliqua carentia naturæ humanæ, sed pura negatio. Quòd autem tollatur, seu destruatur personalitas humana, vel non tollatur, per accidens est: nam modo non est destructa personalitas, quia numquam fuit; si verò Deus assumeret naturam hominis antea existentis, destrueret personalitatem creatam eius.

Qui autem dicunt posse assignari terminum à quo positiuum, non quod aliquãdo fuerit, sed quia debitum erat in esse; sicut si crearetur aqua calida, dici potest fieri ex frigida, quia frigus illi erat debitum; nimis violenter loquuntur; non enim relinquitur terminus à quo propriè, si nunquam fuit. Quare formalis terminus à quo est ex non homine fieri hominem; non quidem ex non homine essentialiter, sed ex non homine personaliter, quia Verbum non erat personaliter homo, & fit personaliter homo; non tamen natura hominis fit ex Verbo, sicut in generatione hominis ex non homine fit homo. Aliud est in transubstantiatione, quæ quia est totalis conuersio termini à quo in terminum ad quẽ, oportet ex parte termini à quo explicari semper aliquid positiuum: dicimus enim quòd ex pane fit corpus Christi, non verò ex non corpore fit corpus Christi.

Secundum quod infero est: Esse diuersas actiones specie illas, quæ terminantur ad diuersas naturas assumptas; si enim modo Verbum assumeret naturam lapidis, vel leonis, esset diuersa actio specie ab Incarnatione, qua factus est homo, quia esset diuersus terminus formalis. Sicut in pariete dealbatio, & calefactio, quæ terminantur ad diuersas specie qualitates, diuersæ actiones sunt; & sicut fieri album, & fieri calidum, differũt specie, sic Verbum fieri hominem, aut fieri lapidem, specie differunt. Maior difficultas est, An si Pater, vel Spiritus sanctus fieret homo, essent diuersæ actiones specie, quia terminatio fieret ad distinctas personas?

Videtur tamen ex dictis etiam concludi, quod in nostra Sententia subsantialiter illæ actiones essent eiusdem speciei; sicut dealbatio in lapide, vel in homine sunt actiones eiusdem speciei, licèt subiecta sint distincta specie; quia licèt entitatiuè specie differant, in ratione tamen subiecti albedinis vniuocantur. Ita Pater, & Filius, licèt sint distinctæ Personæ relatiuæ, tamen in ratione personandi alias naturas creatas omninò vniuocantur, & eadem ratione terminant: cùm ergo ex parte assumentium sit eadem virtus, & ratio terminandi alias naturas, solum sumenda est distinctio specifica ex parte naturarum, quas assumunt; & cum sint eiusdem speciei humanitas assumpta à Patre, & à Filio, erunt actiones eiusdem speciei.

Ad Fundamenta Contraria Respondetur.

Ad Primum Fundamentum primæ Sententiæ, ita asserens: Forma, seu id quod habet rationem actus est terminus formalis; sed personalitas Verbi habet rationem actus terminantis humanitatem, & eam complentis; ergo habet rationem termini formalis. *Resp. Disting. Minorem.* Personalitas Verbi habet rationem actus terminãtis, suppositaliter, & personaliter, *Concedo.* Rationem actus terminantis formalis, seu constituentis per modum formæ ipsum totum, quod resultat, *Nego.* Iam autem ostendimus, quòd in actione non habet rationẽ termini formalis illa actualitas, quæ ex subiecto sustentante, aut suppositante resultat in forma, seu natura, sed illa actualitas, quæ informat, & constituit per modum actus primi in esse talis, vt hominem natura humana, album ipsa albedo, &c. Sic autem non ipsa personalitas Verbi, sed natura humana constituit Verbum hominem, & cõsequenter est formalis terminus actionis Incarnatiuæ.

Ad id quod additur, Quòd esse commu-

municatum humanitati est esse increatum; Fatemur: Cæterum non est hoc esse, quod est terminus formalis alicuius actionis; non enim esse existentiæ, sed esse essentiæ, seu naturæ est terminus formalis specificans actionem: existentia enim non specificat, sed vltimò terminat, nec enim dealbatio, v.g. ab existentia, sed ab albedine specificatur, & distinguitur à calefactione, vel alia actione inductiua alterius termini. Et generaliter esse specificans non est esse existentiæ, sed forma, seu natura, & actus primus, non vltimus in essendo.

Sed adhuc obijcit Nazarius supra *Art. 8. Controu. 2. & Lorca* ibidem, Authoritatem *D. Thomæ, Nazarius* quidem, Quia D. Thomas hic Artic. 6. ad 2. inquit, *Humanam naturam ex tempore aduenire Verbo, non quasi assumptam ad vnum esse prout est naturæ, sed ad vnum esse prout est suppositi* (idque comparat resurrectioni) *sicut corpus tunc aduenit animæ præexistenti.* Ergo sentit S. Doctor esse personale Verbi se habere vt terminum huius actionis, quatenus per illam communicatur humanitati. Similiter in *Art. 8* dicit, quod assumptio determinat terminum à quo, & ad quem; dicitur enim *Assumptio* quasi *Ab alio ad se sumptio*; & terminus à quo denotat humanitatem à qua fit assumptio.

Resp. Quòd in vtroque loco loquitur *S. Thomas* de termino ad quem in obliquo, & in connotato, non simpliciter, & directè; eo quod illa actio directè non est *Assumptio*, sed directè est *Incarnatio*, seu Verbum fieri hominem; quod stare non potest sine assumptione. Quia ergo assumptio, vt assumptio respicit per modum termini ad quem, id ad quod res assumitur, & pro termino à quo non rem assumptam, sed quasi locum inferiorem vnde assumitur; inde est quod terminus assumptionis, vt sic consideratæ, est Persona.

Sed hæc Assumptio potest dupliciter conuenire alicui actioni: vno modo primariò, & directè; sicut qui è loco superiori trahit rem aliquam ad se, primo, & per se assumit, seu ascendere facit. Alio modo secundariò, seu ex consequenti, seu connotato; sicut subiectum, ex eo quod dealbatur trahit albedinem ad suum esse, non tamen primò, & per se assumit, sed primò, & per se facit album; connotat tamen assumptionem. Sic in præsenti *Incarnatio* primò, & per se facit Verbum hominem, & ex consequenti assumit naturam ad esse Verbi.

Quare cum sit eadem actio *Assumptio*, & *Incarnatio* sola ratione differens, vt ipse *S. Thomas* se explicat *Artic. 8. solut. ad 3.* Oportet quod non assignemus illi duos terminos primarios, & directos, sed vnum; & cum non supponatur humanitas, vt ei adueniat diuinitas, sed Verbum vt fiat homo, sicut explicat *Scriptura*, Dicimus terminum formalem esse humanam naturã, & sic illam actionem esse *Incarnationem*, & in connotato Assumptionem.

Ad Fundamentum Sententiæ *Suarez. Resp.* Terminum actionis esse posteriorem actione: humanitatem autem, & Verbum præsupponi ad actionem, *Distinguo.* Humanitatem vt entitatiuè, *Transeat.* Potest enim tempore præcedere humanitas, & postea assumi: Informatiuè, *Nego.* Hoc enim fit per incarnationem, vt humanitas informet Christum, & constituat illud totum; quod resultat. *Et quãdo dicitur*, Quòd id quod fit per actionem solum est vnio, *Distinguo.* Id quod fit vt forma vnita, seu vt informans, *Nego.* Id quod fit vt applicatio formæ, *Concedo.* Et rursus, Hoc quod fit per actionem est terminus formalis, *Distinguo.* Quod fit vt applicatio formæ, *Nego.* Quod fit vt forma constituens, seu informans, *Concedo.* Vnio autem non fit, nec producitur vt forma constituens, sed vt applicatio formæ.

Et licèt Incarnatio ex se loquendo non faciat humanitatem quasi entitatiuè, facit tamen illam vt informantem hominem tantum, & hoc Suppositum. Sicut in Resurrectione non fit anima entitatiuè, sed fit vt forma constituens. Et si albedo existens poneretur in subiecto, dealbatio non produceret albedinem vt ens, sed vt formam; id est, sub officio informandi; & sic ipsa forma est terminus formalis in istis actionibus, non autem vnio, quæ non fit vt forma, sed vt applicatio formæ.

***

ARTICVLVS III.

Vtrùm Vnio sit aliquis Modus de nouo productus ex parte Humanitatis; An sola Relatio?

FERÈ *inter omnes* Authores conuenit Vnionem Verbi, & humanitatis esse aliquid reale, ita quod per realem aliquam dependentiam, & immutationem humanitatis respectu Verbi, dicatur ei vnita. Sic asseruit *S. Thomas* supra *Quæst.* 1. *Artic.* 1. *ad* 1. dum dixit, *Deum per hanc vnionem non fuisse mutatum, sed creaturam mutatam fuisse vniendo eam sibi.* Idque confirmat in hac *Quæst.* 2. *Art.* 7. Et Censeo esse dignum Censura, qui simpliciter, & vt iacet, negaret hanc propositionem, *Vnio Incarnationis non est realis.* Ratio est, quam supra diximus *Art. Præcedenti.* Quia in Anathematismis Cyrilli, Anathem. 3. in V. Tomo Concilij Ephesini expressè dicitur, *Anathema is, qui non dixerint Vnionem illam esse Physicam*, quod Cyrillus explicauit *Realem, seu Veram*; ergo vnio Verbi incarnati aliquid reale est; & qui oppositum huius dixerit, vt iacet, censura esset dignus, vt à Concilio Ephesino, & Cyrillo censuratur. Et constat, de nouo, & in tempore Deum esse hominem factum, & Verbum esse factum carnem, quod vtique aliquid reale est, vtpotè factum à Deo; vnio ergo Dei, & hominis realis est, siquidem vnitum esse realis effectus est.

Secundo Constat aliquam relationem realem interuenire inter hæc extrema vnita, quia in vnitate, seu vnione, & conuenientia fundatur vera relatio realis; ergo cum hæc extrema vnita sint, relationem realem fundant; sicut & omnia alia extrema vnita habent relationem realem; & cum hæc relatio non possit esse realis ex parte Dei, quia non est capax illius in tempore, fit vt solùm ex parte naturæ humanæ sit realis; siquidem realiter dependet à Verbo, vt à subsistentia terminante: ex parte autem Dei est rationis.

Dificultas reducitur ad intelligendum Fundamentum huius relationis, & An illa relatio prædicamentalis sit, & secundùm esse? Si verò non sit prædicamentalis, & secundùm esse, sed secundùm dici, siue relatio transcendentalis, quid sit? An aliquis modus, vel aliqua realitas; aliquid substantiale, vel accidentale? Cum enim humanitas inueniatur realiter immutata, per hoc quod trahatur ad esse suppositale Verbi, & realiter fiat dependens ab illo (& hoc non est ipsa sola substantia humanitatis, quæ sine tali immutatione, & dependentia inueniri potest) difficile est explicare, quid sit illud vltra substantiam humanitatis, aut ei superadditum, quo immutata, & dependens redditur à Verbo? Sola enim relatio esse non potest; quia hæc consequitur ipsam vnionem factam, & est posterior ipsis extremis vnitis; quare non potest esse ratio vniendi, nec primo immutans, & dependere faciens humanitatem a Verbo.

Propter hoc valdè diuisi sunt Authores in explicanda hac vnione, quæ relationem ipsam præcedat, & sit quasi fundamentum eius, & ratio, constituatque humanitatem dependentem, & immutatam respectu personalitatis Verbi. Et omissa Opinione Eorum, qui dixerunt esse qualitatem quamdam, supernaturalem additam humanitati, qua formaliter humanitas dicitur vnita Verbo. Quod benè impugnat *Suarez* hic *Disp.* 8. *Sect.* 2. Quia sic vnio illa formaliter non esset substantialis, sed accidentalis; nec est dabilis qualitas de se exclusiua substantialis suppositi creati, & incompatibilis cum illo; cum qualitas non opponatur formaliter substantiæ, illa autem vnio ad hypostasim Verbi non deberet esse compatibilis cum supposito creato humanitatis, quia loco illius introducit substantiale suppositum Verbi. Hac inquam Opinione omissa, Tres inuenio celebriores Sententias.

Prima est Scoti in 3. *Dist.* 11. *Quæst.* 1. Quem refert, & refutat *Caietanus* hic *Art.* 8. *Dub.* 5. Qui dicit nihil nouum absolutum poni in natura, neque in persona, sed tantùm relatiuum. Illum autem respectum non esse de genere eorum, qui necessariò consequuntur ad fundamentum, sed esse respectus extrinsecus aduenientes, quos *Scotus* ponit, & ad illos, dicit, terminari posse actum. Sicut si anima, & corpus præexisterent, & vnirentur, aut quantitas, & panis in sacramento, nihil absolutum in huiusmodi vnionibus adquireretur, fundans vnionis relationem, sed ad ipsam vnionem terminaretur actio vnitiua.

Secunda Sententia est Caiet. hìc *Art.* 7.

§. *In*

§.*In hoc Articulo cautissimè*,& *Art.*10.§. *In Responsione ad* 1. Qui dicit solum tria inueniri in hac vnione, scilicet vnitas,seu indiuisio in esse personali Verbi; vtraque enim natura habet esse indiuisum idem personæ Verbi.Secundum est mutatio,seu passio humanitatis,qua trahitur ad esse personale Verbi antea in se subsistens, & temporaliter in humana natura etiam subsistens. Tertium est relatio vnionis super hanc coniunctionem,seu vnitatem fundata, quæ vnitas dicit ipsum esse increatum personale, vt est vnum esse naturæ humanæ,& diuinæ mediante illa tractione, seu immutatione naturæ ad tale esse.

Ponit Exemplum:Si Deus creasset animam ab æterno extra corpus,& modo in tempore vniret eam corpori, clarum est, quod esse illud communicatum corpori non incepisset in tempore,nec vnitas corporis,& animæ in illo esse æterno animæ, in quo vniuntur, quantum ad illud esse æternum, non incepisset in tempore, sed quantum ad tractionem, qua traheretur corpus ad esse animæ incepisset in tempore,& in illa vnitate, seu coniunctione, aut indiuisione in esse,quæ constat ex esse antiquo animæ, & tractione noua corporis ad illud esse, fundaretur relatio vnionis inter animam,& corpus, quæ non esset medians inter extrema, sed consequens illorum coniunctionem.

Tertia Sententia est P. Suarez Disput. 8. *Sect.*2.& ferè sequitur *Vazquez Disput.* 18.*Cap.*3. In humanitate esse ponendam tanquam rationem,& medium vniendi,& immutandi humanitatem,non qualitatem, nec relationem, sed quēdam modum substantialem creatum supernaturalem, quo dicatur humana natura immutata, & tracta substantialiter ad esse personale Verbi, & quasi inexistens illi,non vt subiecto, sed vt Supposito.

Hunc Modum Vazquez appellat *Modum relatum*, dicens non distingui à relatione,quia existimat transcendentaliter dicere ordinem ad Verbum, vt terminum naturæ;sicut creatura dicit transcendentalem ordinem ad Creatorem; atque adeò non loquitur de relatione prędicamentali/ & secundùm esse,sed secundum dici; quod non extrahit illum à ratione absoluti, neque trahit ad prædicamentum relationis. Et sic non differt à Sententia *Suarez*, videturque hanc sententiam prius docuisse *Durandus in* 3. *Distinct.*5. *Quæst.*2. Vbi dicit terminum huius actionis esse modum quēdam realem, sicut inhærere est modus quidam realis consequens naturam accidentis. Varijs Argumentis solet probari hæc Sententia; sicut etiam varijs modis explicari,quod munus, & effectum præbeat ille modus substantialis,& quomodo excludat subsistentiam creatam, vel disponat, aut præparet naturam ad subsistendum in Verbo; vel sit actus deriuatus à terminatione Verbi? Nam his omnibus modis explicari solet à suis Authoribus.

Præcipua tamen Fundamenta, quæ ad hunc modum ponendum Eos mouet,sunt tria.*Primum*, Quia est necessarius ad fundādam relationem realem vnionis. *Secundū*, Quia est necessarius vt natura sit realiter,& substantialiter immutata, & dependens à subsistentia Verbi. *Tertium*, Quia est necessarius ad terminandum nouam actionem, quæ versatur circa humanitatem, non vt producendam,sed vt vniendam Verbo.

Et Primum patet, Quia illa relatio vnionis est realis ex parte naturæ humanæ, & fundatur in aliquo reali; ergo in aliquo, quod intrinsecè sit in natura humana: sed non in ipsa substantia, aut quidditatiuo prædicato nude considerato, quia totum, quod est in humanitate,saluari potest sine hac vnione;siquidem dimitti potest à Verbo;ergo oportet quod sit aliquid superadditum humanitati. Vel ergo illud superadditum est aliquid creatum, vel increatum? Increatum esse nō potest.*Tum*, Quia quidquid est increatum in Christo est terminus relationis,& alterum extremum;ergo non fundamentum.*Tum*, Quia ratio fundandi, tunc esset ex parte humanitatis eadem,quæ ex parte personæ: quando autem ratio fundandi est eadem in vtroque extremo, relatio resultans est rationis;vt de Æqualitate, & Similitudine inter diuinas Personas. Sic docet *S.Thomas* 1.*Part.Quæst.*42. *Art.*1. Si autem est aliquid creatum, non potest esse aliquid accidentale; quia sic vnio accidentalis esset;ergo aliquid substantiale, nō per modum formæ,aut materiæ, quia hoc totum est entitas humanitatis; ergo per modum modi.

Secundum verò probatur,Tum Exemplis,Tum Ratione.Exemplis quidem,nam in Resurrectione, cum anima vnitur corpori,necesse est,vt in ipsa anima, aut corpore, vel in vtroque fiat aliqua mutatio; nam ex eisdem omninò immutatis non potest resultare homo;ergo oportet adde-

re aliquid supra entitates vtriusque partis, vt totum resultet, quod non potest esse aliud, quam modus substantialis. Similiter in Vnione accidentis ad corpus, præter entitatem accidentis, requiritur aliquis modus inhærentiæ, quo ipsi subiecto vniatur, eique inexistat; ergo similiter, & in humanitate oportet fieri aliquem modum, quo reddatur inexistens, & dependens à Verbo, non inhæsiuè, & accidentaliter, sed substantialiter, ideoque substantialis modus est.

Ratione etiam probat *Suarez*. Quia subsistentia creata intelligitur esse aliquis modus absolutus substantialis in natura creata, omninò in se terminatus, vel potius terminans naturam creatam: sed hic modus est exclusus per vnionem ad Verbum in humanitate Christi; ergo rectè intelligitur per hanc vnionem fieri aliquem modum substantialem primò in cõposibilem, non vltimò terminantem naturam, sed constituentem illam in Verbo, vt ibi vltimò terminetur.

Confirm. ex *Vazquez*. Nam vt humanitas subsistat, & terminetur per Verbum, necesse est aliquid constituere in humanitate, præter essentiam illius; implicat enim contradictoria enunciari de aliquo verè, nisi facta aliqua mutatione circa illud intrinseca, vel extrinseca; ergo vt humanitas dicatur modo vnita Verbo, & ante non vnita, necesse est, quod in ipsa fiat aliqua mutatio, & non sola negatio, seu ablatio propriæ personalitatis, quia nuda, & mera negatio propriæ personalitatis, non habet connexionem cum Persona diuina; nec magis cum persona Verbi, quàm cum persona Patris, aut Spiritus Sancti: nec modus propriæ personalitatis destrui posset, nisi mediante alio modo formaliter corrumpente propriam personalitatem, mediante quo terminetur ab aliena. Debet ergo aliqua positiua mutatio poni in humanitate; & non sola productio humanitatis; quia hæc de se non attingit vnionem ad Verbum, sed eductionem humanitatis extra causas. Neque aliquam qualitatem, aut relationem, quia non vnitur medio aliquo accidentali; ergo aliquem modum substantialem; non quidem absolutum in se, quia non reddit illam naturam in se terminatam à Verbo; ergo modum relatè se habentem ad Verbum.

Tertium Denique Prob. Quia omnis actio postulat terminum de nouo fieri in rerum natura, vel saltem nouo modo; sed Incarnatio non habet pro termino nouo humanitatem, neque Verbum; ergo aliquem humanitatis modum, quo vniatur Verbo. Et est simile in Transubstantiatione, quæ est actio substantialis attingens Corpus Christi, non in se, quia supponitur productum, sed quantum ad aliquem modum de nouo productum, aliàs nihil esset, quod de nouo terminaret hanc actionem. Ergo similiter in humanitate Christi, necesse est, quod producatur aliquis modus substantialis, ratione cuius illa actio habeat terminum de nouo productum.

STATVITVR
Conclusio.

Nihilominus His non obstantibus, Dicendum est, non dari talem modum substantialem, qui sit quasi medium, & vinculum vniendi naturam humanam diuinæ, sed vnionem formaliter esse relationem consequentem; non causantem coniunctionem naturarum in Verbo. Fundamentum autem eius non est aliquid medium inter naturam assumptam, & Personam, sed mutatio, qua tracta est humanitas ad esse Personæ; quæ in ipsa natura nihil aliud est, quam passio ex actione vnitiua proueniens, qua dependens facta est à persona.

Hanc Resolutionem colligo ex *D. Thoma*, Qui expressis Verbis eam tenet. Nam in 3. *Distinct.* 2. *Quæst.* 2. *Artic.* 2. *Quæst.* 1. sic dicit: *Sciendum est, quod in humanæ naturæ vnione ad diuinam, nihil potest cadere medium formaliter vnionem causans, cui per prius humana natura coniungatur, quam diuinæ Personæ. Sicut enim inter materiam, & formam nihil cadit medium in esse, quod per prius sit in materia, quam forma substantialis; aliàs esse accidentale esset prius substantiali, quod est impossibile: ita etiam inter naturam, & suppositum non potest aliquid dicto modo cadere medium.*

Et Quæst. 2. loquens in terminis de Vnione dicit, Quòd *Inter humanam naturam, & diuinam necesse est cadere vnionem*

mediam, non sicut causam, sed sicut effectum coniunctionem naturarum consequentem. Est enim natura relationis, vt in alijs generibus rerum causam habeat, quia minimum habet entitatis. Vnde quamuis relatio per se non terminet motum, quia ad Aliquid non est motus, tamen ex hoc quod motus terminatur ad aliquod ens, consequitur de necessitate relatio aliqua. Sicut ex hoc quod motus alterationis terminatur ad albedinem, consequitur relatio similitudinis. Similiter etiam ex hoc quod motus generationis terminatur ad formam, consequitur hæc relatio secundùm quam sub forma esse dicitur materia. Ita ex hoc quod motus assumptionis humanæ naturæ terminetur ad personam, consequitur hæc relatio, quæ dicitur Vnio, vnde vnio est medium non sicut assumptionem causans, sed potius sicut esse consequens.

Explicans etiam Fundamentum à quo causatur ista Vnio in 3. *Distinct.* 5. *Quæst.* 1. *Artic.* 1. dicit Quòd *Vnitio est quædam actio, vel passio, qua ex multis efficitur vnum, & hanc actionem sequitur hæc relatio, quæ est Vnio.* Et in hac Quæst. 2. Artic. 8. dicit, *Quòd Vnio importat relationem quamdam; omnis autem relatio, quæ incipit esse in tempore, causatur ex aliqua mutatione; mutatio autem consistit in actione, & passione.* Quid sit autem Vnio pro passione, declarat Sanct. Thomas in 3. ad Annibaldum Distinct. 5. Artic. 3. *Quòd sit dependentia naturæ assumptæ ad assumentem.* Igitur secundùm *D. Thomam* omnis modus, qui sit medium causans formaliter vnionem relegandus est ab hoc Mysterio, & solum ponendum est pro fundamẽto ipsa mutatio naturæ assumptæ, qua passiuè trahitur, & fit dependens à Persona Verbi, in qua adquirit vnum, & idem esse cum Verbo.

Fundamentum Huius Sententiæ sumitur ex duobus. *Primo* ex impossibilitate talis modi absolutè. *Secundo* ex superfluitate eius, quia explicari non potest, quem effectum formalem faciat in natura. Et primum, scilicet eius impossibilitatem deduco. Tum generaliter, Quia ad vnionem formæ in materia, vel eius quod se habet vt forma, impossibile est quod informatio fiat mediante aliquo modo superaddito formæ, vel materiæ; ergo & Vnio. *Consequentia patet.* Quia per informationem forma est materiæ, & materia formæ, & quidquid informationem antecedit, non supponit hanc esse illius, nec dependentem materiam à forma: per solam autem informationem fit dependens; quia per solam informationem fit causata formaliter; ergo & dependens formaliter; ergo non datur Vnio nisi per informationem, sicut nec dependentia, nec causalitas.

Antecedens verò Probatur. Quia informatio est immediata communicatio formæ; & effectus formalis est passiua communicatio formæ: sed ad effectum formalem in subiecto non requiritur modus superadditus, aut medians inter formam, & materiam; siquidem forma per se ipsam est forma, & non per modum; ergo per se informatiua, & non per modum, & per se ipsam immediatè proportionata materiæ, seu subiecto; aliàs intrinsecè in se forma non esset. Ergo vt det effectum formalem subiecto, nihil medium requiritur inter ipsam, & materiam, sed facta applicatione à causa efficienti, ipsa forma per se ipsam informat, quia per se ipsam forma est, & non per modum additum. Sicut causa efficiens per suam virtutem causat, non per superadditum modum, & effectus formalis est ipsamet forma, vt subiectum informans. Ergo posita hac informatione nullus alius modus requiritur, qui sit medium ad informandum; aliàs effectus formalis non esset ipsa formæ communicatio, sed alicuius alterius præter formam. Verbum autem Diuinum licèt non sit forma informans respectu humanitatis, est tamen terminus, & esse Personale humanitatis; ergo per se ipsum dat suum effectum formalem terminandi, & personandi, & non per aliud medium; aliàs per se ipsum non esset Persona, & terminus humanitatis, nec diceretur humana natura formaliter personata, & terminata Verbo.

Specialiter autem hoc vrget. Quia modus iste supernaturalis est, & facit humanitatem transcendentaliter relatam ad Verbum, & non accidentaliter: in hoc est repugnantia. Licèt enim verum sit, quod possit entitati naturali addi terminus, seu modus supernaturalis accidentaliter ei conueniens, sicut modus sacramentalis præsentiæ Corporis Christi; & sicut virtus supernaturalis, v. gr. Charitas imperat naturali, eique imprimere potest ali-

aliquem modum supernaturalem; tamen quod aliquis modus supernaturalis imprimatur, qui relinquat entitatem naturalem, non accidentaliter, sed transcendentaliter, & substantialiter relatam ad Deum, videtur impossibile. Quia substantialis illa, & transcendentalis relatio, quæ est secundùm dici, debet esse intimè imbibita, & non accidentaliter aduenies rei, quæ relata est: in hoc enim distinguitur relatio prædicamentalis à transcendentali, quod transcendentalis intimè imbibitur in quidditate rei, seu est ipsa entitas, vt dependens, vel ordinata ad alterum; & consequenter si humanitas per illum modum transcendentaliter, & substantialiter sit relata ad Verbum, non autem accidentaliter, ille modus non potest esse supernaturalis, quia supernaturalitas accidentalis debet esse, & non transcendentaliter conueniens ipsi humanitati. Itaque substantialiter conuenire, & supernaturaliter relatio transcendentalis repugnat, ita quod humanitatem ipsam transcendentaliter, & substantialiter relatam reddat, sed relatio omnis illi conueniens, prædicamentalis esse debet.

Ex alia autem parte difficile valdè explicatur, Ad quid seruit ille modus substantialis, & quid habet pro effectu formali. Nam vel facit vnitum formaliter: Et hoc non, Quia vnio formaliter est relatio: & hic non inquirimus de effectu formali vnionis, vt relatio, sed de fundamento relationis huius, & quid ponat ille modus tanquam fundamentum. Vel secundo (vt dicit *Suarez*) ille modus excludit formaliter subsistentiam creatam, quæ impossibilis illi est: vel (vt dicit *Vazquez*) ipse modus est actus Suppositi terminantis, & sustentantis naturam, quatenus facit eam inexistere, & à se dependere. Vel denique modus ille aliquid præuium est in humanitate præparans naturam illam, vt coniungatur, & vniatur Verbo.

Primum esse non potest, Quia subsistentia creata expelli non potest formaliter, nisi per aliam subsistentiam. Etenim per illam excluditur formaliter subsistentia creata, per quam suppletur, & quæ intrat loco ipsius. Vnio autem non supplet subsistentiam creatam formaliter, neque loco illius intrat, nec sustentat naturam; sed id facit Suppositum, seu subsistentia aliena, seu increata; ergo formaliter non excludit subsistentiam creatam, nisi ipsa Subsistentia Increata, non autem Vnio.

Et Confirmatur. Quia quando vna forma intrat loco alterius, vnio illius formaliter non excludit alteram formam, sed forma vnita; ergo neque vnio illa supernaturalis excludit subsistentiam, sed ipsa increata subsistentia, vt vnita. Nec potest ipsa vnio formaliter excludere subsistentiam creatam, nisi se habeat, vt forma habens eamdem conditionem, & officium, quod facit subsistentia creata; siquidem forma excludens aliam debet excludere ea officia, & conditiones, seu effectus formales, quos facit alia forma; ergo cum vnio ipsa, vt forma quædam est distincta à Subsistentia increata, non sit formaliter supplens sustentationem, & terminationem subsistentiæ, quia non est subsistentia; consequenter, neque aliam subsistentiam formaliter excludit.

Restat ergo videre, An iste modus faciat illos effectus, quos dicit *Pater Vazquez*? Et quidem si iste modus est actus proueniens ex ipsa subsistentia in humanitatem; vel prouenit ex ipsa subsistentia, vt vnita, & coniuncta naturæ, vel antecedenter ad vnionem? Si vt vnita; ergo iam præcesserit modus vnionis, & consequenter iste modus resultans non est vnio, nec aliquod medium inter naturam, & personam consequens formaliter vnionem, sed consequitur ad ipsam personam vnitam. *Item* actus ille proueniens à Supposito terminante est quasi terminatio passiua, & effectus formalis illius; ergo est consequens ipsam vnionem, & quasi informationem personæ; non autem vnionem causans. *Denique* hic actus terminationis suppositi est quasi causalitas ipsius personæ, non quidem informantis, aut efficientis, sed terminantis; ergo præter illam non est necessarius alius modus. Et hæc est Sententia nostra, quod forma vnitur materiæ informando, & materia recipiendo, & non exigitur alius modus superadditus, nec alia dependentia.

Si autem ille modus est præuius in natura, vt vniatur Verbo, quasi per illū destinetur, & præparetur ad terminationem Verbi; nō apparet quid ponat in illa natura talis modus substantialis. Neque enim addit maiorē habilitatem, aut capacitatē naturæ,

vt assumatur; siquidem omnis natura de se assumptibilis est secũdùm suam entitatem, non ratione supernaturalis modi. Sicut enim per se ipsam terminabilis est à propria subsistentia, sic etiam ab aliena supplente vicem eius. Nec etiam addit aliquid pertinens ad esse substantiale, quia existentia, aut subsistentia in natura substantiali supernaturalis non est, sed vel habet propriam naturalem existentiam, vel ipsius Verbi. Nec denique est dependentia aliqua, aut terminatio à Persona Verbi, quia dicitur præparare, & destinare naturam, vt vniatur Verbo, atque adeò antecedit ipsam terminationem, & quasi informationem Verbi, atque adeò dependentiam ab illo; & vt *Ipse Vazquez* notat, si præter illum modum requiritur alius, quo ipsa natura terminata sit à Verbo, ab eoque dependens, talis modus præparans necessarius non est.

Quare Dicendum est Vnionem Verbi fieri, non per aliquid medium inter naturam, & Verbum, sed se ipso Verbum terminare, & supplere subsistentiam creatam terminatione sua, non medio modo vnionis, sicut forma vnitur materiæ media in formatione sua. Et sic informatio, seu terminatio, & communicatio in vno, & eodem indiuiso esse Verbi, fundat hanc relationem vnionis, quatenus humanitas ipsa trahitur passiuè realiter ad esse Verbi, & in hac mutatione, quæ constat ex actione, & passione, quatenus fit Communicatio ex parte Verbi, & tractio, seu dependentia naturæ humanæ ad ipsum fundatur relatio vnionis, vt dicit Sententia *Caietani*, quæ etiam est communis inter Thomistas. Eam tenent *Nazarius Controuersia* 3. *Conclusione* 2. *Aluarez hìc Disput.* 3. *Magister Medina* ibidem *Quæst.* 2. Et generaliter Omnes Sectatores moderni D. Thomæ. Vno, vel altero excepto; & *Valencia* etiam hìc *Disp.* 1. *Quæst.* 2. *Punct.* 5. Et ex Antiquis *Gregorius in* 1. *Distinct.* 28. *Quæst.* 2. *Bacconius in* 2. *Distinct.* 1. *Quæst.* 1. *Artic.* 1. Et in *Distinct.* 2. *Quæst.* 2. *Artic.* 2. *& Maior in* 3. *Distinct.* 1. *Quæst.* 1.

Quæ Denique probari potest ab inconuenienti, quia si Pater, & Spiritus Sanctus vnirentur eidem humanitati, cui de facto vnitus est Filius, producerentur alij modi substantiales, quod patet. *Tum*, Quia esset noua, & distincta actio vnitiua cuiuscumque personæ, vt supponitur. Ergo sicut vnio Verbi producit modum, quia est actio, propter eandem rationem actiones vnientes alias Personas diuisim producent suos modos, quia non est maior ratio. *Tum*, Quia natura est nouiter realiter, & substantialiter vnita, & terminata, & dependens ab alijs Personis: quæ sunt Fundamenta alterius Sententiæ. Ergo etiam illi alij modi essent etiam fundamentum relationis vnionis, sicut ponitur modus de facto in vnione Verbi; ergo essent in ista hypotesi tres relationes. *Patet Consequentia*, Quia vbi est distinctum fundamentum est distincta relatio, & sicut modus, qui de facto ponitur fundat vnam relationem, quilibet modus fundabit aliam relationem.

Suarez Concedit, quod multiplicarentur modi, & relationes in isto casu. Sed cõtra est difficilis Authoritas *D. Thom. in* 3. *ad Anibaldum Distinct.* 1. *Art.* 5. *ad* 3. vbi inquit, Quod in hoc casu *Vnio secundùm rem, prout relatio est, esset vna ex parte humanæ naturæ, quia accidentia eiusdem speciei impossibile est in eodem multiplicari secundùm naturam; sed secundùm rationem intelligentem tres personas hac relatione referri, secundùm pluralitatem personarum essent plures ex parte ipsarum personarum.* Vbi clarè constat contra mentem *S. Thomæ, Suarez*, & eos qui cum illo relationes multiplicant, tenere; sed sicut vnum album eadem relatione ad plura alba refertur; & vnus Pater vnica relatione plures filios respicit: sic in hoc casu humanitas eadem relatione referretur ad tres personas, sicut diximus supra *Quæst.* 3. *Disp.* 7. de Persona assumente *Artic.* 3.

Si Dicatur, Quod est vna relatio: restat quomodo in triplici fundamento fundetur: hoc est in triplici modo vnionis entitatiuè distincto; quia implicat vnũ esse vnius relationis in triplici vnitate realiter distincta fundari, maximè quando quælibet est adæquatum fundamentum, & relatio est intrinseca illi; & sic erit intrinseca distinctis entitatibus.

Etsi Dicatur, Quod in vno solo modo fundatur; significetur ille, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio. *Si verò Dicatur*, Quod illæ relationes differunt specie, & etiam modo contra D. Thomam. *Impugnatur sic*, Vel illæ perfectiones specificæ in modis, & in relationibus distinctæ, sunt æquales, vel inæquales: si sunt æquales, est contra rationem distinctionis specificæ in creaturis, quia species sunt sicuti numeri. Præterea, Quælibet erit summa,

& maxima, quia quæ de facto est, est summa, & maxima vnio; ergo in ordine hypostatico erunt tres perfectiones summæ, & maximæ, & vltimæ; quod totum implicat increatis.

Tum, Quia est reducere Mysterium Trinitatis, vbi tres æquales reperiũtur ad creaturas. Et tandem, quia si hoc ponitur ad similitudinem personarum vnitarum, sequitur, quod sicut vna persona æquiualet tribus, & duæ personæ non sunt perfectiores, quàm vna; ita in his modis, & relationibus summis, & æqualibus, vnus erit æqualis duobus, & duo non erunt maiores vno; imò eadem perfectio numero, quæ est in vno erit in alijs, & sic ponent id quod ineffabile est in Mysterio Trinitatis, in rebus creatis.

Si verò sint inæquales in perfectione, inæqualitas ista non potest sumi à natura, sicut nec multiplicitas, sed à Personis. Cum ergo Personæ sint æquales, quomodo possunt inæquales modos, seu perfectiones causare, seu specificare, maximè cum æqualiter vniantur, & hæc ratio est efficax, siue dicatur, quod vnio fit per perfectiones relatiuas, vel absolutam Personis applicatam, vel quomodolibet ponantur vniri Personæ, iuxta varios modos discurrendi in Materia de Trinitate, & supra *Quæst.* 3. de Vnione ex parte Personæ assumentis. Hoc inconueniens non reperitur in nostra Sẽtentia, quæ solum ponit pro fundamento relationis entitatem naturæ terminatæ per actionem vnitiuam, sine eo, quod addatur noua entitas, sed solum connotatio, & sic quamuis multiplicentur actiones, quia non multiplicatur entitas, non debet multiplicari relatio, sicut generans plures filios, vnica relatione refertur ad illos.

Soluuntur Argumenta, seu Fundamenta Oppositarum Sententiarum.

Ad Primum Fundamentum Respondetur, Illam relationẽ fundari in aliquo reali, nempè in ipsa humanitate, vt realiter immutata, & passiuè tracta ad communicationem cum Persona Verbi; & sic illa relatio non fundatur in aliquo increato, nec in sola natura humanitatis; neque in prædicatis eius quidditatiuis, vel in potentia obediẽtiali nudè sumpta, neque in aliqua entitate modali superaddita, vt per modum formæ vniat: sed in actione supernaturali vnitiua, quæ relinquit modum passionis in humanitate, quæ nihil aliud est, quam naturam illam passiuè fieri dependentem à subsistẽtia Verbi, & in eodem esse communicantem, & sic agnoscimus modum superadditum, per modum passionis, vel actionis, non per modum formæ vnientis.

Neque ista relatio est rationis ex parte humanitatis, sicut æqualitas, aut similitudo in Diuinis, quia non est omni modo entitas inter vtrumque extremum, tametsi communicẽt in eadem subsistentia, & esse, quia ista communicatio non est per omnimodam identitatem, sicut in diuinis, sed per communicationem participatam, quæ supponit immutationem in vno extremo, & sic aliquid est distinctum in illo ad fundandam istam relationem, tanquam actio, vel passio immutans humanitatem ad communicandum in esse personali Verbi, non per modum formæ vnientis.

Etsi Instes: Quia fundamentum debet esse permanens cum relatione illa: at mutatio transiuit transacta actione; ergo si non relinquit modum illum vnionis cum humanitate, nihil manet, quod relationem illam fundet.

Respondetur, Quod relationes, quæ fundantur in actione, & passione, habent pro fundamento, quando resultant, ipsum fieri, & agere, quod transit. Et relatio permanens manet fundata in ipso termino actionis, & passionis in facto esse, non absolutè, sed vt connotat actionem, & passionem vnde emanauit. Terminus autem Incarnationis in facto esse non est modus aliquis formaliter vnitiuus, sed Deum esse hominem, siue illam humanitatem esse dependentem ab esse personali Verbi, & communicantem cum illo in eodem esse; & hoc semper manet cum connotatione ad actionem, per quam factum est, & sic manet fundamentum relationis.

Ad Secundum Respondetur, In illis exemplis nihil probari, quia in Re vnione animæ ad corpus, & in vnione accidentis, non fit aliquis modus formaliter vnitiuus, sed ipsa forma per se immediatè actuat materiam, vel subiectum, solum, suppositа applicatione, quæ est actio vnitiua. Quod autẽ in accidente detur modus inhærentiæ, non est modus, de quo loquimur, sed est modus accidentis correspondens modo subsistentiæ in substantijs; ita quod sicut per subsistentiam redditur substantia existens

per se, ita per inhærentiam redditur accidens in alio, & differt *Inhærentia* ab *Vnione*, quia *Vnio* est relatio æquiparantiæ, id est, quæ æquali modo denominat vtrumque extremum. Sicut enim accidens dicitur vnitum subiecto, ita subiectum dicitur vnitum accidenti. *Inhærentia* autem non sic, sed accidens denominatur inhærens subiecto, non autem subiectum inhærens accidenti; mutatio autem, & applicatio istorum extremorum, non fit per modum formaliter vnitiuum, sed per ipsam actionem, & passionem, vt dictum est.

Ad Rationem autē Respondetur, Quod Vnio non excludit formaliter subsistentiam creatam, sed subsistentia diuina, vt communicata, & coniuncta naturæ, quæ formaliter reddit subsistentem naturam, formaliter etiam excludit subsistentiam creatam. Vnio autem formaliter est relatio inter ista extrema, & fundamentaliter est actio, & passio illa applicans in eodem esse personali, & vtrumque significatur nomine *Vnionis*.

Ad Confirmationem Respondetur, Verum esse quod requiritur aliqua mutatio in humanitate, vt dicatur vnita, quæ ante vnita non dicebatur: non tamen est necesse, quod ista mutatio sit modus vnionis per modum formæ, præter actionem, & passionem, & extrema vnita; sed sufficit, quod in fieri sit actio, & passio, qua trahitur humanitas ad esse personale Verbi, & in facto esse, sit ipsa humanitas, vt tracta, & dependens in facto esse à Verbo. Sicut ex *Diuo Thoma* supra Diximus, quod Vnio, vt passio est dependentia naturæ assumptæ ad assumentem, quod non importat modum formaliter communicantem vnionem, sed ipsam informationem formæ in facto esse, aut terminatione personæ.

Ad Tertium Respondetur Omnē actionem habere terminum de nouo, sed non simpliciter productum; sufficit enim quod sit de nouo immutatus, vel communicatus. Sicut non requiritur, quod ad quamlibet actionem terminus simpliciter incipiat esse, sed sufficit, quod secundum quid, & cum addito, sicut Verbum per incarnationem non incipit esse simpliciter, sed incipit esse homo. Itaque terminus, quem producit actio vnitiua, non est, quod aliquid fit simpliciter, sed quod sit sub alio, seu terminatum ab alio, & sic per Incarnationem humanitas fit nouo modo, non quantum ad modum substantialem de nouo productum, sed quantum ad nouam communicationem, & vnitatem in eodem esse cum Verbo: quæ communicatio importat nouam actionem, & passionem in humanitate, quæ assumitur, & trahitur ad Verbū; & nouam dependentiam in facto esse in humanitate sic tracta, & assumpta. Vnde actio vnitiua non est necesse, quod directè sit productiua alicuius rei, vel modi tanquam formæ vnientis, sed quod sit communicatiua vnius extremi cum alio in eodem esse, cum nouo modo passionis, & dependentiæ.

Ad id verò, quod dicitur de Corpore Christi in Sacramento, *Dicimus*, Terminum eius non esse aliquem modum de nouo productum, quia actio illa est substantialis, & sic habet pro termino substantiam, non modum: sed eius terminus est Corpus Christi non absolutè in se, sed prout ex pane; sic enim est distinctus terminus formaliter à Corpore Christi, vt ex sanguine, vel ex alia materia per formalem conuersionem genitus, etsi vtrobique sit eadem entitas, & substantia Corporis Christi tamen sub diuerso modo, & respectu attracta. Et hoc sufficit vt sit diuersus terminus formaliter in esse termini, licèt sit eadem substantia entitatiuè. Sicut Locus ratione distantiæ fundat diuersam rationem termini, prout, acquilibilis per ascensum, vel descensum, aut circulariter, licet non addatur nouus modus productus in ipso loco: sic attingitur Corpus Christi de nouo, non absolutè, sed prout sic, id est, vt ex pane, sic enim diuersa via attingitur idem terminus substantialis.

ARTICVLVS IIII.

Quomodo Dicendus sit Christus Persona Composita?

DVO *Breuiter* in hac Difficultate attingenda sunt. Alterum de ipsa re, alterum de modo loquendi. De ipsa re difficultas est, Quo modo intelligenda sit ista compositio, nam compositio intrinsecè importat imperfectionem, & solum conuenit creaturæ; non enim compositio solum importat multiplicationem, aut numerum rerum, vel vnionem illarum; aliàs in Trinitate Personarum daretur compositio, quia ibi plures personæ numerantur, nec solum habent vnionem, sed etiam sunt vnum in natura.

Re-

Requiritur ergo ad compositionem aliqua dependentia, seu imperfectio quatenus cõponentia se habent, vt partes; ipsum autem compositum, vt resultans ex illis & vt dependens ab illis. Persona autem Verbi non est dependens ab humanitate, neque vt pars cum illa, neque vllam habet imperfectionem; ergo nullo modo est composita.

Deinde Non est Minor Difficultas in assignandis extremis huius compositionis. Nam quatuor modis solet in ea fieri combinatio. *Primò*, Quòd extrema non sint ipsæ naturæ, vel persona, sed alia, & alia ratio subsistendi in diuersis naturis, tanquam diuersæ habitudines subsistendi terminatæ ad diuersas naturas. *Secũdò*, Quòd ista compositio fiat ex natura Diuina, & Humana, tanquam ex extremis vnitis in eadem subsistẽtia: sic enim redditur illa persona composita, id est, subsistens in duplici natura, non in vna tantum. *Tertiò*, Quòd fiat compositio ex natura humana, & Personalitate Diuina, vt resultet suppositum Dei hominis. *Quartò*, Quòd ferè in idẽ reddit, quod ista compositio fiat ex supposito, & natura, vt ex quo, & quod.

Est ergo Dubium, Quomodo ista extrema concurrant ad compositionem personæ, loquendo, de compositione propria, secundum quod resultat vnum tertium ex duobus extremis componentibus, quæ vocatur compositio *Ex his*? Nam de compositione alia minus propria, quæ vocatur compositio *Cum his*, seu compositio *Huic*, non est tanta difficultas, quia ista compositio nihil aliud est, quàm ipsa vnio, qua vnũ coniungitur alteri, & sic dicitur componere, quasi *Simul cum altero ponere*: sicut subiectum componit cum accidenti, id est, illi adiungit suum esse.

Est autem aduertendum, Quod Sancti Patres, vt Catholicam veritatem contra *Eutychetem*, & *Nestorium* explicarent, nec ponentes vnam tantum naturam cum *Eutychete*, neque duas Personas cum *Nestorio*: dixerunt personam Christi esse compositam ex duabus naturis, quia cum persona importet officium subsistendi, si persona diceretur simplex, quantum ad formalitatem personæ videretur solum concedi vnum, & simplex officium personandi, seu subsistendi in vna natura diuina. Vnde fit, quod si etiam post Incarnationem, Persona non diceretur composita, sed simplex, quo ad officium, & formalitatem personæ, oporteret, quod etiam post Incarnationem maneret tantum vna natura. Et iste est error *Eutychetis*; vel quod natura humana haberet suam personam creatam, & natura diuina suam increatam; ita quod quælibet seorsum esset simplex, in subsistendo tamen inter se illæ personæ vnirentur accidentaliter, & hic erat error *Nestorij*.

Ad Explicandam ergo Catholicam veritatem, necesse fuit dicere, Personam diuinam post Incarnationem non mansisse simplicem in officio, & formalitate personæ, & consequenter esse compositam, quatenus eadem Persona realiter subsistit in duplici natura, & vices habet duplicis Personæ: & ita sumitur ex *V. Conc. Generali Collatione* 8. *Canon.* 4. *& in VI. Synodo Actio.* 4. *&* 11. *&* 13. *Canon.* 6. *& in Conc. Lateranensi Canon.* 8. *& ex Damasceno Lib.* 3. *Fidei Orthodoxæ, Cap.* 3. *&* 4. *&* 5. Et adducitur hìc à *Diuo Thoma* in Argumento *Sed Contra*.

Ex his ergo Deducimus Personam Christi esse compositam compositione *Ex his*, excludente imperfectionem, & non solum compositione *Cum his*. Extrema autem huius compositionis possunt duplici modo designari. *Primò*, Quòd sint duæ naturæ, humana, & diuina ordinatæ ad subsistendum in eadem Persona. *Secundò*, Quòd natura humana, & Personalitas diuina, seu Suppositum, & natura humana, vt quo, & quod. Assignare autem pro extremis huius compositionis duplicem rationem subsistendi, non est propria compositio, quia illa duplex ratio subsistendi non est ipsa extrema, sed se habent, vt habitudines ipsius personalitatis Verbi, quatenus subsistit in diuersis naturis; quæ relationes ex parte Verbi non sunt reales, sed rationis, & sic non possunt se habere, vt extrema huius compositionis.

Prima Pars huius Conclusionis sumitur ex *Diuo Thoma* in 3. *Dist.* 6. *Quæst.* 2. *Art.* 3. Et ex 4. *Contra Gentes Cap.* 49. Et ex *Quæst. Vnica de Vnione Verbi Incarnati, Artic.* 1. *ad* 3. Et ex eius doctrina explicatur id, quod docet hìc Artic. 4. de Compositione Personæ Christi post Incarnationẽ. Supponit enim *Diuus Thomas*, quod compositio duas habet conditiones, quarum vna non importat imperfectionem, altera verò importat; & prima inuenitur in hac compositione Personæ Christi, non secũda. Prima cõditio compositionis est, quòd esse alicuius communicetur, & pertineat

ad

ad omnes partes, siue ad illa extrema, quæ sub illo toto constituuntur, quia partes nō debent habere proprium esse (inquit Diuus Thomas) sed esse sub esse totius.

Altera Conditio est, quod causetur esse totius ex adunatione, & coniunctione partium: & hæc conditio importat imperfectionem, quia importat esse causatum, & dependens à partibus. Dicit ergo *D. Thomas*, quod secundùm primam conditionem saluatur compositio in Persona Christi, non quantum ad identitatem: neque est dicendum, quod sit solum *Composita*, quasi *Cum altero posita*, quia hoc modo Hæretici etiam concederent Personam Christi esse compositam, quia cum altera persona creata est posita.

Igitur secundum Diuum Thomam non solum datur in Persona Christi compositio *Cum his* (vt dicebamus) etenim Hæretici admittunt, qui duas personas ponunt in Christo, ex quibus vna persona componitur, id est, cum alia ponitur, & coniungitur; cum ergo vna tantum maneat persona, etiam in duplici natura, oportet, quod non solum sit composita cum naturis, sed etiam ex illis, &c.

Fundamentum est, Quia licèt illud esse personale in se entitatiuè non sit compositum, tamen in ratione se communicandi, & extendendi ad plura, seu subsistendi in pluribus naturis, resultat ex illis pluribus, quibus tale esse communicatur, tanquam ex susceptiuis illius esse. Et sic saluatur prima conditio compositionis *Ex his*, scilicet, quod esse totius communicetur extremis. Et sic in ratione communicati dicetur suppositum compositum.

Nec simili modo potest dici, quod esse diuinum communicatum Personis, possit hac ratione dici Compositum. *Respondetur enim*, Quod illud Esse diuinum non communicatur alicui personæ, vel extremo per vnionem, vel per participationem sui, sed per omnimodam identitatem Essentiæ cū Personis, & ideò excludit omnem compositionem essentiæ cum illis. In Mysterio autem Incarnationis communicatur esse personale naturæ humanæ per vnionem, non per identitatem. Et sic saluatur compositio, non solum *Cum his*, sed etiam *Ex his*: non quidem *Ex his* causantibus ipsum esse personale entitatiuè, sed *Ex his* concurrentibus ad illud esse totius communicandum; & consequenter ex quibus consurgit non esse causatum, sed esse communicatum, & in ratione communicandi compositum.

Quod si Dicas hoc non sufficere ad veram compositionem *Ex his*. Nam etiam accidens concurrit cum subiecto ad communicandum esse totius, & tamen ex accidenti, & subiecto non fit compositio *Ex his*. *Respondetur*, Quod accidens non cōcurrit ad communicandum in esse totius personaliter, & subsistenter, sed solum inhæsiuè, & consequenter ex hoc concursu, non resultat persona composita in ratione personæ, & in communicatione esse substantialis, sicut communicatur naturæ humanæ, quæ trahitur ad subsistendum personaliter in Verbo, non ad inhærendum.

Quod si Vrgeas: Nam illud esse communicatum, & pertinens ad plures partes, etiam in quantum communicatum, non causatur ab illis; ergo neque ex illis componitur tanquam ex extremis, & sic non datur compositio *Ex his*. *Respondetur Distinguendo Antecedens*. Non causatur illud esse simpliciter, & in se, *Concedo*. Non causatur, vt de nouo communicatum, & quātum ad illam nouam extensionem, *Nego*. Hoc enim non fuit ab æterno, sed in tempore factum est, & consequenter causatum est.

Secunda Pars Conclusionis de extremis huius compositionis declaratur, in primis excludendo à ratione extremorum illam secundam rationem subsistendi. Quia licèt detur in Christo alia, & alia ratio subsistendi in diuersis naturis, tamen ista diuersa ratio est diuersa habitudo, & relatio personæ ad illas naturas: extrema autem huius compositionis non possunt esse relationes, præsertim rationis, sed debent esse extrema realia substantialia, quia illa compositio est realis, & substantialis in officio personæ.

Deinde Explicatur, Quomodo extrema huius compositionis possint esse ipsæ naturæ, vna vt habens terminationē æternam in Persona, alia vt temporalem; & quomodo possit esse personalitas, & natura extrema in quibus exercetur duplicata terminatio, seu composita terminatio cum ipsa persona, & hoc est esse personam compositam non in se, & entitatiuè, sic enim est simplicissima illa persona, sed est composita in ratione personæ, vt ait *Diuus Thomas* Artic. 2. id est, in officio, & exercitio personæ, id enim significat ly *In ratione*, & ly *In se*. Quod Aliqui putant obscurè dictū, quia ratio personæ est ipsa quidditas personæ,

& ipsa met persona; sed tamen ly *Ratio* non sumitur ibi pro quidditate, seu essentia, sed pro officio, seu ministerio personæ in terminando.

Et si dicas: Quomodo naturæ faciunt hanc terminationem, & compositionem, tanquam extrema, siquidem non faciunt resultare ipsam personalitatem, sed à personalitate terminantur, neque ipsæ personæ immediatè inter se vniuntur, vt inde resultet persona. Si autem essent extrema huius compositionis, prius deberent vniri inter se, quàm resultare illud tertium?

Respondetur Naturam vniri posse, & componi ex suis extremis, vel in esse naturæ, vel in esse personæ, vt colligitur ex *Diuo Thoma* hic *Artic.* 5. Constat enim, quod ex vnione animæ, & corporis, non solum fit vna natura humanitatis; sed etiam vna persona hominis. Quo sensu accipitur illud Symboli Athanasij, *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo,* (id est vna persona hominis) *ità Deus, & homo vnus est Christus.* Quia sicut natura humana, & diuina iunguntur ad vnam personam, non vnica, & simplici terminatione, sed duplici, & ita faciunt personam compositam, & non simplicem in terminatione, & in officio personæ; corpus autem & anima componunt vnam naturam, quæ vnica, & simplici terminatione subsistit in persona; ideò non oportet, quod natura humana, & diuina prius vniantur inter se in ratione naturæ, vt resultet persona composita; sic enim potius resultaret vna tantum terminatio personæ, sicut resultat ex anima, & corpore; sed sufficit quod illæ naturæ immediatè terminentur, vt ex illis, tanquam ex extremis, in quibus illa duplex terminatio exercetur, resultet persona composita, id est, duplicatum officium, & ministeriū personæ.

Denique quantum ad modum loquendi in hac parte dicēdum est cum *D. Thoma*, Personam Christi non posse appellari cōpositam simpliciter, si ly *Simpliciter* idem sit, quod *Omnibus modis*; cum ista compositio non seruet omnes modos, & conditiones compositionis, vt dictum est, quia aliqua compositio imperfectionē importat. An verò possit dici simpliciter, id est, *Absolutè*, & sine addito persona composita? *Respondetur* affirmatiuè, vt etiam concedit *Cabrera hic Disp. 7. & Molina*, & Alij. Licèt hæc propositio neganda sit, sine addito, *Filius Dei est compositus; Verbum est Persona composita*, nisi addatur *In quantum homo*, propter appellationem, quam dicit *Compositum* supra illum terminum *Filius Dei*, aut *Verbum*.

Ratio est, Quia ita loquuntur absolutè Patres, & Concilia dicentes personā Christi esse compositam ex duabus naturis; nec Theologi dicunt, illam propositionem esse exponendam in bono sensu, sed absolutè illam concedunt, quia ita loquuti sunt Sancti ad extinguendam hæresim *Eutychetis*, & *Nestorij*. Ergo locuti sunt in sensu proprio, & sic sine vlla expositione, vel addito concedenda est illa propositio, sicut absolutè conceditur, quòd Christus est compositus ex duabus naturis, Christus autem persona est. Nec Compositio absolutè affert imperfectionem in suo conceptu, nisi quando seruatur vtraque conditio supra à Nobis relata ex *Diuo Thoma*; non quando solum altera saluatur cum vera, & propria compositione, quæ est adunatio multorum in aliquo vno communicanti esse extremis.

DISPVTATIO QVINTA
DE CAVSA MORALI, ET PHYSICA INCARNATIONIS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm S. Patres Meruerint decongruo Incarnationis Substantiam?

Supponimus de condigno non meruisse Incarnationem, vt manifestè ostendit *Diuus Thomas*, *Artic.* 11. *huius Quæstionis*. Præcipuè, quia vnio hypostatica, cum sit vnio in esse personali, & diuino, transcendit beatitudinem, quæ est vnio solum in esse intelligibili, & per modum speciei. Cum autem in pura creatura non detur altius principium merendi, quã gratia, & vnio hypostatica, ita transcendat gratiam adoptionis, vt sit alterius ordinis, sicut esse personam diuinam, respectu huius, quod est participatiuè, & accidentaliter tantum esse Deum, sicut est per gratiam adoptionis, manifestum relinquitur, quod Incarnatio quantum ad substantiam non potest cadere sub merito decondigno puræ creaturæ, hoc est creaturæ merẽtis per gratiam adoptionis, siquidem meritum decõdigno adæquari debet cum præmio in valore, & virtute, & contineri in gratia tanquam in semine : gratia autem est semen gloriæ, non vnionis hypostaticæ.

Tota ergo Difficultas est de Merito congrui; An possit gratia collata Patribus, cum sit per Christum, mereri Incarnationem eius, quantum ad substantiam? Et vt intelligatur Punctus Difficultatis. Aduertendum est, Congruitatem dupliciter accipi posse. Vno modo pro congruitate fundata in pura misericordia Dei, sine aliquo iure, siue debito ex parte operis. Alio modo pro congruitate fundata in proportione amicitiæ, & in opere gratiæ facto ab amico; amicitia autem est pars potentialis Iustitiæ, & sic fundat aliquod debitum, etsi non strictum, & riguroſum, sicut meritum decondigno.

Et hinc est, Quod *Diuus Thomas* agnoscit Meritum decongruo non semper idem, sed diuersimodè se habere, vt patet in 2. *Dist.* 27. *Quæst.* 1. *Artic.* 6. & 1. 2. *Quæst.* 114. *Artic.* 6. Dum in prioribus verbis Articuli loquitur de actu, secundùm quod procedit à libero arbitrio, vt distinguitur à motione diuina, & tribuit illi meritum decongruo respectu diuinæ misericordiæ, & superexcellentis virtutis eius : in fine autem *Corporis Artic.* loquens de alio genere meriti de congruo, fundat illud in ipsa gratia, & amicitia erga Deum; quia congruum est secundùm amicitiæ proportionem, vt Deus impleat hominis voluntatem in salute alterius.

Hic ergo Loquimur de merito congrui hoc secundo modo, quia hoc habet veram rationem meriti, & fundat aliquod ius, etsi non riguroſum, saltim amicabile, & morale; supponitque amicitiam tãquam principium talis meriti, in cuius proportione fundatur, ideòque sine gratia nullum datur meritum, etiam de congruo respectu præmij supernaturalis. Et ideò communiter supponunt Theologi, quod qui haberet gratiam, seu amicitiam Dei, & non per Christum, posset eius Incarnationem mereri decongruo; quia difficultas non est in proportione amicabili actus procedentis à gratia cum ipsa Incarnatione, sed in hoc, quod illa gratia est habita per Christum.

Neque est Simile de operibus ordinis naturalis ad promerendum de congruo rem supernaturalem, & de operibus gratiæ ad merendum decongruo ordinẽ hypostaticum : quia ordo naturalis non constituit hominem in vera amicitia Dei, sicut gratia, & ideò non potest fundari meritum de

de congruo, sine gratia, quia hoc meritum fundatur in proportione amicitiæ.

Hoc ergo supposito, Tota Difficultas reducitur ad illud commune Argumentū, Quia principium meriti, non potest cadere sub meritum: constat autem Incarnationem secundùm substantiam esse principiū omnis meriti, quia est principium omnis gratiæ; siquidem vt dicitur Ioann. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus, Et gratiam pro gratia.* Ergo gratia Patrum non potuit mereri Incarnationem Christi, quia erat data per Christum, & Incarnatio erat principium illius, etiam de facto, & in executione; quia Christus positus in executione merebatur illam, & sic erat principium illius. In intentione autem multò magis erat principium talis meriti, quia erat finis cuius gratia dabatur.

Confirmatur ex doctrina Diui Thomæ 1.2. Quæst. 98. Artic. 4 Vbi inquit, *Quòd ex sola gratuita electione Patres promissionem acceperunt, & Populus ex eis progenitus legem accepit, &c. Si autem rursus quæratur, quare hunc populum elegit, vt ex eo Christus nasceretur, & non alium? Conuenienter responsio Augustini, quam dicit super Ioannem, Quare hunc trahat; & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare.* Ex quo deducitur Argumentum. Patres non potuerunt mereri, vt ex ipsis Christus nasceretur, siquidem tam gratuitum fuit respectu illorum, sicut Deum efficaciter trahere istum, & non illum; quod vtique ita gratis fit, quod nec sub merito de congruo cadere possit. Ergo neque potuerunt Patres mereri de congruo ipsam Incarnationem: plus enim est mereri incarnationem absolutè, quàm mereri, quod fiat ex isto populo: hoc enim pertinet quasi ad circunstantiam Incarnationis; ergo si hoc non potuerunt mereri de congruo, neque illam.

Confirmatur Secundo ex his, quæ docet *Diuus Thomas in 3. Dist. 4. Quæst. 3. Artic. 1. ad 6. Quòd Beata Virgo non meruit Incarnationem, sed suppositâ incarnatione, quod per eam fieret, merito congrui.* Ergo ipsa substantia Incarnationis secundùm *Diuum Thomam*, sub merito congrui non cadebat; siquidem suppositâ illa meruit Beata Virgo, quod per eam fieret Incarnatio: si autem supponitur Incarnatio; ergo non cadit sub merito.

Denique vrgeri potest; Quia si Sancti Patres de congruo meruerunt Incarnationem, quæ est principium gratiæ; ergo etiã meruerunt de congruo suam gratiam: quia incarnatio erat principium, & causa illius; ergo qui merebatur illam de cõgruo, etiam propriam gratiam merebatur.

Nihilominus Sententia Diui Thomæ est, Sanctos Patres meruisse de congruo Incarnationem. Ita loquitur hic *Art. 10. in Calce corporis.* Et expressius in 3. *ad Anibal Dist. 4. Quæst. 5. Art. 4.* Et loquitur *D. Thom.* de merito congruo fundato in iure amicabili, quia dicit, *Quòd Sancti Patres meruerunt incarnationem desiderando, & petendo; quia congruum erat, vt Deus exaudiret eos, qui sibi obediebant.* Ergo supponit, quod erant amici Dei. Et infra. *Siquidem erant obedientes voluntati eius.* Et cũ Diuus Thomas dicat, quod meruerunt petendo, & desiderãdo, manifestum est, quod loquitur de substantia Incarnationis, & nõ solum de circunstantijs, quia Antiqui Patres, non solum petebant, & desiderabant accelerationem, vel alias circunstantias, sed etiam ipsam Incarnationis substantiam, seu ipsius Christi aduentum. Vnde in 3. *Sententiar.* citato dicit Diuus Thomas, *Accelerationem Incarnationis potuisse cadere sub merito de condigno; incarnationem autem sub merito congruo.* Ergo manifestè loquitur de substantia Incarnationis, quia hæc distinguitur contra accelerationem, & alias circunstantias.

Fundamentum huius Sententiæ sumetur ex eo: Quia gratia, si non daretur per Christum haberet sufficientem vim ad merendum Incarnationem, sed ex eo quod sit per Christum non amittit hanc efficaciam. Ergo neque obstat quod incarnatio sit principium meriti, vt possit quo ad executionem cadere sub meritum gratiæ; ergo non est cur negetur hoc meritum gratiæ Patribus. *Consequentia est bona*: Et *Maior certa*, & admissa ab Opposita Sententia. *Min. Probatur.* Quia Incarnatio non est principium meriti intrinsecum, id est, existens in ipsis Sanctis Patribus, dansque valorem operibus Ipsorum, sed solum est principium extrinsecum, & per modum causæ finalis se habens, non efficientis; vt docet *Diuus Thomas* infra *Quæst. 62. Art. 6.* Tale autem principium meriti extrinsecum, & solum per modum finis se habens, non repugnat, quod quantum ad sui executionem cadat sub merito. Vt patet, tum exemplo, tum ratione.

Exemplo quidem, Quia Gloria vt intenta à Deo pro prædestinato se habet, vt causa

causa finalis gratiæ, & meritorum, quæ se habent, vt medium ad consequendam gloriam. Et sic licèt ipsa Gloria, vt intenta non cadat sub merito, tamen vt assequenda in executione, cadit sub merito. Sic Incarnatio, vt intenta tanquam finis, & Fons totius gratiæ non potuit cadere sub merito; ipsa tamen executio Incarnationis fuit dependens à pluribus medijs, & causis physicis. Ergo etiam potuit esse dependens à causis moralibus, qualis est meritum congrui per Orationes, & Desideria Sanctorum Patrum, iuxta illud Psalmi 11. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus, ponam in salutari, &c.*

Et Ratione id etiam constat. Quia licèt media dependeant à causa finali, vt à principio intento, tamen etiam finis dependet, & procedit à medijs in sui executione; ergo licèt gratia Antiquorum Patrum dependeat ab Incarnatione, vt à principio meriti in genere causæ finalis, tamen ipsa Incarnatio in executione dependere potest à meritis Patrum, vt à medijs moralibus; quia talis gratia, & merita præcesserunt tempore executionem Incarnationis, quod non habuit nostra gratia, & merita, quæ sunt post Christum. Ergo Antiqui Patres potuerunt mereri Incarnationis substantiam.

Soluuntur Argumenta.

Ad Fundamentum Oppositum (omissis varijs Solutionibus) Dicimus: Quod principium meriti, quod non est intrinsecum, neque dans valorem operi, sed solum extrinsecum, & in genere causæ finalis, benè potest cadere sub merito, quantum ad executionem sui in re, quia in hac parte non est principium meriti, sed terminus assequutus. Solum autem prout in intentione est principium meriti per modum finis. Et ita dicit *Diuus Thomas* vbi supra *Beatam Virginem non meruisse incarnationem, nisi præsupposita incarnatione*, quia videlicet præsuppositâ Incarnatione, quantum ad intentionem, & in genere causæ finalis meruit ipsam Incarnationis executionem. Et quando fuit præuisa Incarnatio, vt finis intentus, fuit etiam præuisa executio eius virtualiter, vt facienda per talia media, inter quæ vnum est dispositio moralis per merita congrua Sanctorum Patrum.

Cæterum Contra Hanc Doctrinam insurgunt *Lorca* hic *Disput.* 22. Et *Vazquez Disp.* 22. *Lorca* quidem, Quia impossibile est dari gratiam Antiquis Patribus per Christum præuisum, nisi etiam detur propter eius merita, vt in tempore executa, quibus de facto meruit illam gratiam Patribus: si enim ista merita non ponerentur in re, nunquam intuitu illorum daretur gratia Patribus; ergo etiam Incarnatio, vt executa in re fuit principium illius gratiæ; ergo non potuit gratia Patrum in eodem ordine, & linea mereri Incarnationem, scilicet in executione.

Et sic Fortius instat Argumentum. Quia gratia data fuit Patribus, non solum per Christum, vt causam finalem, sed etiam vt causam meritoriam, siquidem Christus verè, & proprie meruit gratiam Patribus, sed causa meritoria non operatur, nisi in executione, non in intentione; quia causa meritoria non est finalis, quæ in intentione operatur, sed dispositiua, quæ in executione; ergo falsò Dicimus, quod gratia Patrum data propter Christum in intentione, est causa illius in executione, cum re vera Christus etiam in executione sit causa talis gratiæ. Vnde etiam ex consequenti etiam erit causa sui, quia est causa gratiæ Patrum, & gratia Patrum est causa Incarnationis; ergo est causa sui.

Vazquez autem instat: Quia Christus vt præuisus in re per scientiam Visionis fuit causa gratiæ Patrum; ergo vt executus, & non solum, vt intentus, quia scientia Visionis non tendit ad rem, nisi vt existentem, & executam. *Item.* Quia hæc est differentia inter causam physicam, & meritoriam; quod physica sua efficacia attingit effectum; & ponit illum extra causas; causa autem meritoria non attingit effectum in se, sed mouet voluntatem alterius, vt operetur illum; ergo si merita Patrum fuerunt causa moralis Incarnationis, sequitur, quod fuerunt causa mouens voluntatem Dei ad ponendam Incarnationem. Ergo præcesserunt intentionem Incarnationis, & sic etiam Christus in intentione esset posterior meritis Patrum. *Denique.* Nihil obesset, quo minus Incarnatio posset cadere sub merito de condigno, si aliàs daretur æqualis proportio inter opera Patrum, & Incarnationem, siquidem non obest, quod principium meriti posset cadere sub merito; quod tamen negat *Diuus Thomas, Artic.* 11. Secunda ratione dicens: *Incarnationem*

nem non posse cadere sub merito, quia est principium meriti.

Solutio Istarum Difficultatum consistit in hoc, Quod merita Christi, non solum se habuerunt, vt causa dispositiua mouens diuinam voluntatē ad retributionem præmij, sed etiam se habuerūt vt causa finalis respectu nostræ gratiæ, & antiquorum Patrum, in quo valdè differunt a meritis nostris respectu præmij, ad quod tendunt. *Et huius ratio est*, Quia merita Christi superant in excellentia, & valore nostram gratiam, & sic possunt habere rationem finis erga illam. Vnde Christus non solum ratione substantiæ Incarnationis, sed etiam secundùm officium Redemptoris, se habet vt finis totius gratiæ nostræ, quia prout sic est Caput Ecclesiæ, & id, ad quod omnis gratia ordinatur. Fuit autem Redemptor per opera meritoria; ergo Christus vt exercēs opera meritoria, & munus Redemptoris, se habebat vt finis illius gratiæ, quā merebatur nobis.

Ex Quo fit, quod distinctio data de Incarnatione vt intenta, & exequuta, etiam habet locum in ipsis meritis Christi, & in eius redemptione: potestque considerari illa redemptio, & illud meritum, quod in re futurum est, per modum finis gratiæ Patrū, in quantum est excellentissima operatio, vnde deriuata est omnis gratia, & sic fuit intenta, & in tali intentione mouit Deum, vt daret gratiam Patribus, quæ gratia in re executa mouit voluntatem diuinam per modum meriti congrui, seu causæ dispositiuæ moralis, vt in ipsa executione poneretur Incarnatio, & ipsa merita Christi, per quæ in executione soluit, & meruit gratiam datam Patribus.

Ad Argumentum ergo ex Lorca Respōdetur, Quod Christus meruit in tempore gratiam Patrum in genere causæ efficiētis, & meritoriæ, & prout sic sub ista consideratione non fuit gratia Patribus per anticipationem data, ex vi illorum meritorū. Cæterum sub alia consideratione quatenus illa Incarnatio, & illa merita Christi se habebant vt finis gratiæ Patrum, sic intuitu talium meritorum, prout in intentione, postea meruit vt in re, & vt in executione poneretur Incarnatio, & merita Christi. Sicut quilibet finis intentus est causa mediorum, quæ media ponunt ipsum finem in executione; & sic eodem modo quo Incarnatio Christi potuit esse intenta per modum finis, & intuitu illius dari gratia, etiam merita Christi sic se habuerunt; & sicut Incarnatio Christi in executione fuit propter merita Patrum; ita merita Christi fuerunt executa per merita Patrum; & Christus in executione meruit ipsam gratiam Patribus, & sic fuit præuisus à Deo; non vero anticipatio gratiæ Patribus data est intuitu meritorum Christi, prout consideratur in executione, sed prout consideratur in genere causæ finalis, & per modum vnius cū ipsa Incarnatione, & quatenus constituunt Christum in officio Redemptoris.

Nec Sequitur, Quod Christus meruerit suam Incarnationem, quia meruit gratiam Patribus, quæ est causa Incarnationis. Non inquam sequitur, quia hæc se habent in diuerso genere causæ, scilicet Incarnatio in genere causæ finalis; gratia autem Patrum in genere causæ dispositiuæ, seu meritoriæ. Sicut ob eamdem rationem non sequitur, quod finis sit causa sui, etiamsi sit causa meritorum, quæ causant ipsum, quia procedit in diuerso genere causæ.

Ad Instantias autem Vazquez Respondetur ad Primum. Quod quando dicitur, Patres ideò meruerunt, quia Christus erat futurus, & præuisus scientia Visionis; *Distinguendum est*. Quia erat futurus futuritione intenta, *Concedo*. Futuritione non executa pro illo priori, *Nego*. Hæc enim executio erat dependens à medijs, quorum vnum erat merita Patrum, & sic ista executio pertinet ad aliud signum posterius: & in illo statu, & prioritate futuritionis intentæ, iam non intelligitur Christus in statu puræ possibilitatis, sed neque adhuc in statu cōpletæ executionis, sed in inchoatione illius, quatenus prius intenditur, quod aliquid sit futurum, & deinde quæruntur media, & apponuntur, vt in re fiat executio; & sic prius intenditur Incarnatio, & merita illius, seu Redemptio, vt finis efficaciter intentus, & consequenter futurus, quantum est ex vi intentionis; & intuitu talis finis sic intenti, & futuri, in intentione deriuantur media, & datur gratia ipsis Patribus, vt se præparent, & mereantur de congruo executionem Incarnationis, & meritorum eius. Christus autem exequendo merita sua soluit pro tali gratia anticipatè data, non tamen prout in executione est causa illius anticipationis, sed illa anticipatio fuit facta intuitu Christi, vt intenti, non exequuti.

Ad Secundam Instantiam Admittimus illam differentiā inter causam physicam, & meritoriā, & Addimus, Quod voluntas Dei, non fuit mota ex merito Patrū ad volendū Christū in intentione, & prædestinatione:

fuit tamē motus ad ponendū ipsum in executione. Sicut non mouetur Deus ad eligēdū prædestinatos ad Regnū ex motiuo meritorū, & tamē mouetur ex meritis, tanquā ex medijs, ad ponendum in executione ipsam gloriam. Et sic cum volūtas diuina dupliciter moueatur, primò, ad intēdendum; secundò, ad exequendum: prius supponitur mota voluntas ad intendendū, non ex meritis, sed ex alijs motiuis, scilicet propter gloriam Dei, & nostrā salutem; deinde mouetur ad exequendum propter merita, & tamen non supponitur mota voluntas quo ad executionem; quia solum in isto ordine, & linea executionis merita mouent.

Ad Tertiam Instantiam ex D. Thoma Respondetur, Incarnationē potuisse cadere sub merito de condigno, sicut de congruo, si daretur principiū æqualis dignitatis. Sed ratio *D. Thomæ* destruit suppositum huius conditionalis, scilicet, non posse dari tale meritū de condigno, supponendo, quod nō datur alia Incarnatio, quæ sola potest esse principiū æquiualens: & ita cum solum detur Incarnatio Christi, & illa est principium omnis meriti; benè sequitur, quod non potest cadere sub merito respectu sui ipsius. An verò possit cadere sub merito de congruo, mediante alio principio, quod est gratia Patrum, non negat *Diuus Thomas*.

Ex His patet ad Dubitationes propositas ab initio. Nam quando dicitur principiū meriti non posse cadere sub merito, etiā de congruo, constat debere intelligi de principio meriti intrinseco, & dante valorē ipsi actui meritorio: nō verò intelligitur, quod sunt plura principia, & vnū extrinsecum, & concurrens in genere causæ finalis, aliud verò intrinsecum, & concurrens in genere causæ efficientis, vt est gratia Patrum.

Ad Primam Confirmationem Respond. D. Thomam, non negare, quod Patres, supposita Incarnatione vt intenta, meruerint, quod in executione poneretur, sed negare electionē, vt ex isto populo Christus nasceretur, & promissionem de Christo ipsis factam processisse ex meritis, sed merè gratis, quia illa electio fuit non solum, vt Christus in executione veniret, sed electi sunt ad accipiendam ipsam gratiam, qua meruerunt, vt veniret: collatio autem gratiæ, & electio ad illam in Patribus fuit ex meritis.

Ad Secundam Confirmationem Patet ex dictis, Quod supposita Incarnatione in genere causæ finalis, Beata Virgo meruit, vt per eam fieret in executione; non tamen præsupposita Incarnatione in executione Beata Virgo meruit, vt fieret; id enim esset implicatorium.

Ad Vltimam dicitur, nō sequi, quod Patres meruerūt suā gratiam, ex eo quod merebantur Incarnationē, quæ erat causa gratiæ; quia proceditur in diuerso genere causæ; merebātur enim Incarnationem, vt in executione; erat autē data ipsis gratia anticipatè ex vi Incarnationis in intentione; non merebantur autē illam prout in intentione, & consequenter, neque suam gratiā, quæ ex illa intentione dependebat prout anticipata. Quæ dicta sunt de Incarnatione, proportionaliter intelligēda sunt de Maternitate Beatæ Virginis: hæc enim, cū essentialiter sit connexa cum Filio suo, qui est Christus, non potuit cadere sub merito de cōdigno, sed de cōgruo, sicut ipse Christus.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus Potuerit Mereri suam Incarnationem?

Controuerti solet hæc Difficultas in duplici sensu. *Primò*, de ipsa Persona Christi. *Secundò*, de Humanitate eius. Loquendo de Persona, nō potest intelligi Difficultas, nisi respectu operū subsequētium, quia opera procedentia ab ipsa Persona Christi, nō potuerunt antecedere ipsammet Personam, & Vnionē eius ad naturā. Loquendo autē de Humanitate Christi, potest esse Difficultas, An Opera aliqua possint procedere ab humanitate antecedenter ad vnionē ad naturā, præsertim in Opinione Eorum, qui sentiunt humanitatē habere propriam existētiam, & prius natura existere, quam vniatur Verbo. Tunc in illo priori potest intelligi natura cum gratia, & cum operatione procedente à gratia; ergo erit meritoria saltim de congruo ipsius Incarnationis, pro alio posteriori exequendæ.

Circa Primum Sensum P. Suarez hic *Disput.* 10. *Sect.* 4. Tenet, nō repugnare, quod per opera subsequentia Incarnationē Christus meruerit ipsam executionem Incarnationis, quæ anticipata solutione ipsi data est: Deus enim præuidens Christum, & eius merita, prout in executione, voluit Christo gratiā vnionis depēdenter ab operibus suis futuris. *Et Confirmat* hoc secundo Exemplo allato de Gratia Sanctorum Patrū, quæ data est illis ex meritis Christi præuisis multò antequam Incarnatio poneretur; & tamen de-

dependenter à meritis Christi data est, quibus ipsammet gratiam Patribus meruit.

Si Dicatur Incarnationem esse principium meriti in ipso Christo, non autē gratiam Patrum. *Contra est*, Quia Incarnatio non vt exhibita, sed vt præuisa tantum est principiū meriti præuisi; ergo licèt incarnatio, vt prædestinata non potuerit cadere sub merito, benè tamen, vt executa. *Aliud Exemplum est* de Rege dante militi equum, & arma in stipendium futuri laboris, quo meriturus est ipsamet arma. Quod exemplū inquit *Suarez*, licèt multis vijs vitetur à cōtrarijs nunquā tamen plenè satisfaciunt.

Confirmare possumus duplici Argumento, Quia Angeli in primo instanti receperunt gratiā per dispositionē ab ipsamet gratia procedentē, eique coniunctam, vt sumitur ex *D. Thoma* 1. P. Q. 62 *Art.* 2. & 3. Ergo similiter nō repugnat, quod simul tēpore habeat Christus gratiam Vnionis, & operibus ab illa procedentibus se disponat ad illam: in illo autem priori, quo se disponit, potest etiam mereri saltem de congruo id, ad quod se disponit; neque enim illa dispositio est ab operante inimico, sed iustificato; ergo potest esse meritoria.

CONCLVSIO.

Repugnat Christum Dominum mereri per opera subsequentia suam Incarnationē, siue de condigno, siue de congruo; neque circunstantias eius; neque cō. inuationem. *Fundamentum* huius Conclusionis docet D. Thomas Q. 29. *de Verit. Art* 6. his verbis, *Quamuis quidā dicant, quod aliquis potest mereri id, quod iam habet, sicut dicunt de Angelis, quod beatitudinem, quā simul cum gratia acceperūt, meruerunt per opera sequētia, quæ circa nos faciunt; sed hoc nō videtur verū esse propter duo. Primo, quia contrariatur probationi Augustini, per quam contra Pelagianos probat gratiā sub merito cadere non posse, quia ante gratiā nulla sunt merita, nisi mala, cum ante gratiā homo sit impius, & meritis impij, non gratia, sed pœna debetur. Non ergo posset dici, quod gratiā quis meretur per opera, quæ quis post acceptā gratiam facit. Secundo, Quia est contra rationē meriti. Nam meritum est causa præmij, non quidē per modū causæ finalis; sic enim præmiū est magis causa meriti, sed magis secundū reductionē ad causam efficientem, in quantū meritum facit dignū præmio, & per hoc ad præmium disponit. Id autē, quod est causa per modū efficientis, nullo modo potest esse posterius tēpore eo, cuius est causa; vnde non potest esse, quod aliquis mereatur id, quod iam habet. Quod autem in humanis aliquis pro accepto beneficio Domino suo seruit, magis habet rationem gratiarum actionis, quàm meriti.* Sic Sanctus Thomas.

Ex quibus elicimus hanc rationem. Quia habere, seu possidere aliquid stat dupliciter. *Vno modo* propriè, & perfectè, quando quis habet aliquid tanquā suum, & tanquā proprium. *Alio modo* impropriè, & secundùm quid, quando habet aliquid, quasi cōmodatum, & ad vsum, nōdum tamen habet illud simpliciter, & propriè. Si primo modo habetur aliquid implicat, quod per opera sequentia mereatur illud, quia meritum dat titulum possessionis, & proprietatis, faciendo dignum præmio. Ergo præmiū nō possidetur, neque habetur simpliciter ante meritum, nisi fortè proponatur alicui in præmium, non res ipsa, quā habet, sed nouus titulus habendi illam, & tunc ille nouus titulus non possidebatur ante meritum, res vero ipsa possidebatur antea, sed alio titulo.

Vnde Suarez percipiens vim huius rationis, Dixit potuisse Incarnationē dari Christo non absolutè; sed sub conditione, & dependenter ab operibus faciendis, quod est dicere, Potuisse dari Incarnationem, quasi cōmodatam, & mutuo quousque solueretur, quod pertinet ad secundū modū supra positum habendi aliquid, non vt suum, sed vt cōmodatum. Et sic verum est, quod ante meritū potest quis habere præmium, quasi mutuo, & cōmodato, quousque mereatur illud, & tunc incipiet habere illud, tāquam propriū & suum. Sed tunc necesse est, quod ex alio principio insiuat valorem in actus, quibus meretur, quia si meritum accipit valorem ex ipsa re, quæ datur in præmium, manifestum est, quod non offertur pretium distinctū à tali præmio: ergo nō faciet illud debitū sibi. De ratione autem meriti est, vt faciat præmiū sibi debitū, & vtatur cōmutatione quadā inter meritū, & præmiū; cōmutatio autem nō est nisi inter res diuersas.

Et hinc elicitur secunda Ratio specialis pro hac Materia. Quia licèt gratia sit distinctū principium merēdi ab ipsa Incarnatione, & videri posset, quod actus vt correspōdens gratiæ in Christo sit meritorius de cōgruo ipsius Incarnationis, tamē in hoc subiecto, scilicet in Christo, habet dependentiā ille actus in suo esse, & productione ab ipso Supposito, vt à principio Quod: ergo ipsa

operatio,vt exiſtens, inuoluit ſecum, & includit ipſam Perſonam, vt principium à quo dependet in ſuo eſſe; quia meritum eſt cauſa moralis, & per modum pretij ad habendum ipſum præmium. Ergo ſi eſſentialiter procedit ab illo, & ſupponit ipſum, iam non eſt cauſa habendi illud, ſed ſupponit habitum. *Niſi Dicatur*, quod præſupponit habitum gratis, & incipit habere illud, vt debitum; & tunc neceſſe eſt, quod non includat ipſum, vt principium à quo procedit, & vnde habet eſſe, & valorem.

Ex Quibus Colligitur, Quod neque potuit Chriſtus mereri circunſtantias, quibus facta eſt Incarnatio, neque continuationem illius. *Non Circunſtantias*, quia licèt ab illis meritum non accipiat valorem; tamen quia ſupponit factam Incarnationem, operatio ab illa procedens etiam ſupponit circunſtantias, ſine quibus facta non eſt. Ergo illas circunſtantias, quibus in re facta eſt nō poteſt per ſubſequētem operationem mereri. *Non Continuationem*, Quia cōtinuatio Incarnationis eſt eadem indiuiſibilis actio, qua inchoata eſt; licèt enim continuatio in rebus ſucceſsiuis, & diuiſibilibus fiat per ſucceſsionem diuerſarū partium, & in talibus non repugnet per vnam partem operationis mereri aliam ſucceſsiuam, tanquam partem diſtinctam durationis. Tamen hoc locum non habet in Duratione Incarnationis, quæ non fit per actionem ſucceſsiuam, ſed per indiuiſibilem; & eius duratio ſimplicior eſt, & permanentior, quam duratio rei indiuiſibilis, vt Angeli, vel Beatitudinis, quia eſt altioris ordinis, vt colligitur ex *Diuo Thoma* infra *Quæſtion.* 50. *Artic.* 2. Sicut ergo non poteſt cadere ſub meritum ipſa actio Incarnationis, vt primo facta eſt, ita neque vt continuata, quia eadem indiuiſibilis actio eſt, non ſucceſsiua. Sicut Beatitudo eadem actione indiuiſibili continuatur, quia ex ſua natura eſt vita æterna. Vnde qui ſemel meretur beatitudinem, totàm eius continuationem meretur, quia eadem eſt indiuiſibilis inceptio, & continuatio beatitudinis, quia ſucceſsione caret. Et idem potiori iure dicendum eſt de Incarnatione.

Dices: Poterat mereri Chriſtus, ne humanitas dimitteretur à Verbo, aut ne anihilaretur. *Secundò*, Poterat mereri Reuniōnem factam humanitati in Reſurrectione. *Tertiò*, Potuit mereri Vnionē ad illas partes materiæ, quibus de nouo augmentabatur, & nutriebatur ſanctiſsimū Corpus eius.

Reſpondetur Illud primum non poſſe cadere ſub merito, quatenus eſt actio diuina tenens ſe ex parte Dei; ſed omne meritum reſpicit aliquem effectum productum per actionem diuinam. Vnde homo etiā iuſtus merens de congruo conſeruationem gratiæ, meretur aliquid nouum, ſcilicet auxilia Dei, ne deficiat à gratia. Conſeruatio autem Incarnationis, & Beatitudinis in ſua duratione non depēdet ab aliquibus auxilijs, ne deficiant, ſed ex ſua natura indefectibiles ſunt. Mereri autem, quod Deus non ſuſpēdat concurſum, & anihilet humanitatem, vel etiam ne dimittat illam non importat aliquem effectum, præter ipſam continuationē Incarnationis in duratione, & actionem ſuſtentant ē illam, & ſic non addit aliquid nouū, quod cadere poſsit ſub merito.

Ad Secundum, & Tertium Dicitur, illas Vniones nō eſſe ipſam Vnionem Incarnationis ſimpliciter, ſed aliquid nouum aſſequutum ex priori vnione; nec repugnabat cadere ſub merito, ſicut ipſa Reſurrectio: ex eo enim quod Verbum aſſumpſit naturam humanam in ſtatu paſsibili, ex conſequenti voluit, partes aſſumere nutrimentales, ſecūdùm quas humanum corpus eſt in cōtinua ſuſtentatione, & fluxu. Et ex eo, quod Diuinitas in morte non eſt ſeparata à partibus, conſequens erat, quod ſi iterum vnirentur inter ſe, maneret vnio facta humanitati, & ſic mereri talem vnionem non eſt mereri ipſam Incarnationem, ſed aliquid conſequutum ad ipſam vnionem.

Ad Argumenta Suarij à principio poſita. *Reſp.* Ad Primum Exemplum, conſtat ex ibi dictis, quod Incarnatio erat principium dans valorem ipſis meritis Chriſti, & præſuppoſita tanquam principium operatiuum illorū; gratia autem collata Patribus ex meritis Chriſti erat principium omninò diſtinctum, & nullo modo dans valorē ipſis meritis Chriſti; & quia talia merita erant excellentiora, quam gratia Patrum, poterant, vt præuiſa in genere cauſæ finalis, eſſe motiuum dandi gratiam Patribus, & deinde ipſa gratia mereri de congruo executionem meritorum Chriſti, à quibus non habebant valorem intrinſecum, ſed ſolum extrinſecum motiuum, vt darentur.

Ad Aliud Exemplum de Rege dante Militi equum, & arma. *Reſp.* Hoc Exemplū in terminis adduci à *Diuo Thoma* 1. *Part.* Q. 23. *Art.* 5. & ex eius Doctrina Reſpōdetur, Quod ſi tota ratio merēdi eſſet in Milite, ex armis, & equo, nō poſſet per opera ſequen-

quentia promereri illa. Cæterum ratio, & valor merendi est ipsa virtus, & industria Militis; equus autem, & arma sunt instrumenta, quibus vtitur; & ita per opera procedentia à sua virtute, potest mereri pretiũ equi, & armorum. At verò in operationibus gratiæ, vel Incarnationis totus valor merẽdi est ex principio supernaturali, quia valor ille supernaturalis est. Vnde repugnat quod talia opera mereantur pro præmio ipsum principium à quo habent valorem.

Ad Vltimum Respondetur Angelos esse iustificatos per propriam dispositionem, quæ potest mereri de congruo ipsam gratiam, quæ in eodem instanti infunditur, nõ quatenus à gratia procedit, sed quatenus ab auxilio; hoc enim sufficit ad meritum de congruo. Cæterum ad Incarnationem non præcedunt dispositiones aliquæ, vel auxilia, vt operetur ipsum subiectum, quia Incarnatio constituit primum esse subiecti, id est, ipsam Personam; vnde non potest intelligi in Christo aliquâ operatio, quæ non habeat ipsam Incarnationẽ pro principio, & consequenter non potest mereri illam.

Ad Secundum sensum Difficultatis Respondetur, Quod admissa illa Sententia de existentia propria humanitatis, quæ tamen non est *Diui Thomæ*, vt videri potest infra *Quæst.* 17. *Artic.* 2. adhuc humanitas non potest in illo priori mereri, neque operari, quia etiam dato, quod haberet propriam existentiam, non haberet illam nisi vt principium *Quo*, seu forma; non vt principium *Quod*. Principium autem *Quo*, sine subsistentia non potest operari, quia *Operationes sunt Suppositorum*, vt supra latiùs Diximus. Cum ergo pro illo priori humanitas proprium suppositum non habuerit, & quia Fides docet nunquam fuisse sine Supposito Diuino, ideò pro illo priori non potuit operari, & consequenter nec mereri.

Vazquez autem Disp. 21. Negat illud principium *Actiones sunt Suppositorum*, sed dicit solùm esse singularium, & existentiũ; quod etiam totum habere poterat humanitas pro illo priori; & ideò tradit aliam rationem in *Cap.* 6. Cur non potuerit humanitas mereri de congruo Incarnationem, quæ tamen nihil probat; quia non ostendit gratiam habitualem Christi, non potuisse dari illi humanitati intuitu Vnionis pro alio priori naturæ subsequuto. Sicut gratia data est Patribus intuitu Incarnationis, & sic nõ repugnabit dari Christo intuitu eiusdem Vnionis. Nec tamen propterea illa gratia, etiam pro illo priori constitueret Filium adoptiuum, quia filiatio non est naturæ, sed suppositi, seu personæ, vt dicitur infra *Quæst.* 23. Pro illo autem priori nondum intelligebatur Persona, sed sola natura, & ita gratia in natura nondum dabat effectum proprium personæ, qualis est filiatio adoptiua.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Detur Causa Instrumentalis Physica Incarnationis?

Inter Eos, qui sentiunt non posse dari causalitatem physicam instrumentalem in Sacramentis, cõsequenter existimant, neque etiam dari talem causalitatem pro Incarnatione, vt *Vazquez Disp.* 25. *Cap.* 1. Qui verò tenent causalitatem istam esse possibilem, diuiduntur: nam *Pater Suarez* hic *Disp.* 10. *Sect.* 1. Existimat posse dari instrumentum physicum Incarnationis, quod etiam probabile reputat *Cabrera Quæst.* 2. *Artic.* 10. *Disputat.* 1. Imò quod probabile est de facto hoc fuisse communicatum Beatæ Virgini Mariæ. Alij sentiunt oppositum, vt *Medina* 3. *Part. Quæst.* 3. *Artic.* 4. *Aluarez Quæst.* 3. *Art.* 2. *Disp.* 12.

Nos verò Supponimus, & admittimus, posse dari causam instrumentalem physicam circa immutationes supernaturales, excepta immutatione anichilationis, & creationis, vt tradit *Diuus Thomas* infra *Quæstione* 13. *Artic.* 2. Atque ita non debet negari instrumentalis causalitas propter excellentiam, & perfectionem rei productæ per illam, etiamsi requirat infinitam virtutem, sicut est productio gratiæ. Sed tota Ratio ad negandum causam physicam instrumentalem pro alicuius termini productione, debet sumi ex ipso modo. Si enim aliquid produceretur ex nihilo, & cum carentia subiecti, non potest concurrere ad illud causa instrumentalis creata; quia hæc non operatur nisi ex subiecto; quia operatur per actionem, quæ accidens est, & ipsa operatio instrumentalis est per modum applicationis virtutis principalis agentis ad aliquem effectum; & omnis applicatio circa subiectum est, non circa nihil.

Si verò Id, quod producitur sit ex aliquo subiecto, bene potest admittere causalitatem instrumentalem creatam, vt latiùs solet tractari infra *Quæst.62. de Sacramentis*. Et nos diximus *Tomo 2. 1. Part.* circa *Quæst.45.* Ostendendo non posse dari instrumentum creationis. Quare hoc solum restat videndum hic. Vtrùm Incarnatio sit talis effectus, quod supponat aliquod subiectum existens, circa quod possit operari instrumentalis causalitas, vel non supponat illud; vnde discernendum est, an sit possibilis talis causalitas, vel non?

CONCLVSIO.

Dico ergo Quod in Sententia, quæ tenet humanitatem existere propria existentia, non potest assignari implicatio quare non possit dari instrumentalis causalitas Incarnationis: In Sententia tamen opposita, quæ est *Diui Thomæ* infra *Quæst. 17. Art. 2.* quod humanitas non habet existẽtiam propriam, sed diuinam, potest assignari hæc implicatio.

Prima Pars Probatur. Quia si humanitas habet existentiam, capax est vt circa illam versetur actio creaturæ; ergo poterit Deus vti tali actione ad immutandum humanitatem, & producendum in illa vnionem ad Verbum: sicut potest vti instrumẽto ad vniendum intellectui Beati suam essentiam loco speciei; quia licèt actio creata non habeat vim supra essentiam, habet tamen super intellectum creatum, vt participet Vnionem illam cum Deo.

Ratio verò Secundæ Partis est. Quia illa Assumptio Incarnationis nullũ esse supponit in humanitate, sed totum tribuit; ergo in hoc æquiparatur creationi, vnde ipsamet assumptione potest creatio angeli, vel animæ perfici, vel consumari si assumatur à Verbo, quatenus ipsa creatio, quæ de se tendit ad producendum Angelum, vel animam in esse impeditur per assumptionem, ne resultet proprium esse, sed loco illius communicetur ipsum esse Personæ Diuinæ. Qua ratione dixit Sanctus Leo Papa Epist.11. *Nostra natura ita assumpta est, non vt prius creata assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur.* Quod non est sic intelligendum, quasi creatio, & assumptio sint eadem actio, sed quia esse, quod deberet dare creatio, impediuit, & supplevit assumptio. Habet ergo assumptio vim creationis quantum ad hoc, quod est præbere totum esse, & nihil supponere existens in natura; ac proinde eadem difficultas est ponendi actionem instrumentalem in Incarnatione, & in Creatione.

Vnde Falsum est, quod dicit *Suarez* Incarnationem fieri ex præsuppositio subiecto, scilicet humanitate, vel secundùm esse existentiæ, vel secundùm esse essentiæ; vel etiamsi humanitas præexisteret in proprio supposito, & assumeretur a Verbo, tunc haberet subiectum circa quod versaretur actio instrumentalis. *Sed Respondetur* Humanitatem non præsupponi, vt subiectum existens, quia totum esse habet per assumptionem, siquidem esse proprium non manet, sed esse Personæ Diuinæ, per cuius cõmunicationem existit humanitas. Operatio autem creata non versatur, nisi circa aliquid existens, in quo subiectetur. Si autem humanitas præexisteret, cum illa assumptio non fieret producendo aliquod accidens in humanitate, vel conuertendo, aut transmutando ipsam, sed totum esse illi vniendo, per quod destrueretur proprium, & acciperet esse diuinum, tunc non apparet quomodo id posset fieri per actionem instrumentalem, quæ nunquam potest præbere totum esse, sed solum ex aliquo præsuppositio educere, vel conuertere.

Denique pro Hac Sententia videri potest Diuus Thomas in 4. Dist. 8. Quæst. 2. Art. 3. ad 3. vbi docet *Dari actionem instrumentalem ad transsubstantiationem, & similiter potuisse dari ad formationem Corporis Christi, & Conceptionem.* Addit tamen, *Quòd si in Conceptione includatur vnio, maior difficultas est in Conceptione Christi, quàm in Trãssubstantiatione.* Illa autem maior Difficultas, de qua ibi loquebatur, est quo ad actionem instrumentalem, de qua ibi erat Sermo. Ergo illam negat *Diuus Thomas* pro Vnione, licèt concedat pro Transsubstantiatione.

QVAESTIO TERTIA.

DE MODO VNIONIS EX PARTE PERSONÆ ASSVMENTIS.

DVO *Disputat* Diuus Thomas in hac Quæstione. Alterum de Principio, seu *Persona Assumente*: Alterum de modo assumendi. Et in primis quinque Articulis ostendit, quod Personæ Diuinæ conuenit assumere, non autem naturæ secundùm formalitatem, & officium naturæ. Potest tamen conuenire Subsistentiæ absolutæ, quæ maneret in Deo remotis personalitatibus relatiuis ; & quod potest vna Persona assumere naturam sine alia, vt modo factum est ; & quod quælibet Persona potest assumere. In reliquis autem Articulis agit de modo assumendi naturam, & etiam ostendendo, quod plures Personæ diuinæ possunt assumere eandem numero naturam ; & etiam è conuerso, vna Persona plures naturas. Denique in Articulo Vltimo ostendit Conuenientias, vt potiùs secunda Persona, quæ est Filius assumeret naturam humanam, quam Aliæ.

DISPVTATIO SEXTA
DE PERSONA ASSVMENTE.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Implicet Personalitatẽ Creatam terminare alienam naturam?

Duus Thomas Art.1. ad 2. affirmat proprium esse *Diuinæ Personæ propter eius infinitatem terminare alienam naturam.* Vbi reddit rationem, quare Persona creata terminare non possit, scilicet, quia non est infinita in ratione Personæ. In quo tamen est magna Difficultas, Quare requiratur infinitas in Persona ad talem terminationem? Et in primis Obiectio *Scoti*, Quia Personalitas vt distincta à Patre, & secundùm id, quod terminat naturam, non dicit infinitam perfectionem; imò nec perfectionem explicat in illo formali conceptu relationis.

Deinde, Quia non est inconueniens, quod forma superior eminenter contineat infinitas formas inferiores, & tamen in se finita sit. Sicut Sol eminenter continet in sua virtute infinitos effectus inferiores, quos producere potest, & tamen formaliter est aliquid finitum in se. Ergo similiter non repugnabit dari aliquam personalitatem superioris, & eminentioris ordinis, quæ contineat virtutem personalitatum inferiorum, & sic possit terminare inferiores naturas, licèt in se finita, & creata sit.

Tertio, Non implicat contradictionem, quod ea, quæ naturaliter sunt determinata ad vnum effectum, vel terminum, possint de potentia absoluta terminari, & extendi ad plura. Sicut idem corpus, quod adæquatè terminatur vno loco, potest de potentia absoluta esse in diuersis. Et idem accidens poni in diuersis subiectis, & eadem forma in diuersis materijs; quia hæc omnia licèt terminent naturaliter aliquam naturam, vel terminum, tamen secundùm potentiam obedientialem possunt extendi ad plura, quia hoc ipsum postulat eorum essentia. Et saltim dato, quod sit implicatio terminare simul duas naturas, non tamen successiuè, ita quod priùs terminet vnam, & postea aliam, destructo priori termino, seu natura.

Denique, Cum terminare naturam non sit aliquod genus causalitatis effectiuæ, aut alterius actualitatis, quæ fundetur in aliqua virtute, seu perfectione, sed sit pura terminatio subsistentiæ, non apparet quam maiorem perfectionem debeat habere personalitas ad terminandam propriam naturam, quam alienam.

Propter hoc, difficile visum est propriam implicationem huius rei adducere. Et in illa tradenda diuisi sunt Authores. Nam *Suarez* hic *Disput.13. Sect.4.* dicit, Quod Personalitas Diuina propter infinitatem suam, non est modus, sed res quædam perfectissima; personalitates autẽ creatæ sunt modi. De ratione autem modi est, vt non possit separari à re cum qua identificatur. Si autem personalitas creata distingueretur à natura tanquam res, & non tanquam modus, fatetur se non inuenire implicationem in eo, quod terminet alienam naturam. Sed præter quam quod est certum subsistẽtiam creatam esse modum, & non rem, adhuc restabat *Patri Suarez*, reddere rationẽ, Cur non possit fieri aliqua personalitas creata ita perfecta, quod sit res, & non modus; & sic possit communicari alienæ naturæ; hoc enim est, quod inquirimus.

Alij, vt Lorca hic Disp.23. Existimant, nullam rem ordinatam ad componẽdum, & vniendum se cum alia, posse terminare, seu informare alienam naturam, vel materiam; & ita negat posse formam informare aliam materiam, quã propriam; quod certè difficile est. Cur enim non potuerit Deus meam animam alteri corpori infundere, sicut per alimentum successiuè nouas partes actuat?

Vt

Vt autem Saluet, quod subsistentia diuina possit alienam naturam terminare, dicit id esse, quia continet eminēter omnem subsistentiam creatam, propter infinitatem suam, quod non habet creata subsistentia. Et hæc ratio à Plerisque traditur; sed non soluit instantias allatas: de hoc enim Inquirimus rationem, Cur non poterit dari aliqua subsistentia creata; quæ licèt non contineat omnes subsistentias creatas, quia infinita non est, contineat tamen aliquas sibi inferiores, & pro illis possit subrogari, terminando alias naturas?

Quod verò Alij dicunt non posse subsistentiam creatam, per modum causæ principalis, terminare aliam naturam, quia hoc excedit facultatem creatam; terminare autem per modum causæ instrumentalis, non habet locum: Hoc enim manifestè petit principium, de hoc enim dubitamus; Cur non possit dari aliqua personalitas creata, ita perfecta, quod per suam virtutem possit terminare alienam naturam, siue simul, siue successiuè; & sic manet diminuta implicatio *Vazquez Disp. 25. Cap. 3.* Et *Aluarez Disp. 18.* quos Alij sequuntur.

Resolutio Difficultatis.

Dico Implicationem sumendam esse ex ratione *Diui Thomæ*, Quia subsistētia creata infinita non est. Supponendo tamen naturam ipsius subsistentiæ, quæ propriè non est forma actuans, sed terminus, & complementum naturæ: de ratione autem huius termini creati, & finiti est, quod limitetur ab illa natura, cuius terminus est, & à qua resultat, ita quod extra illam naturam non possit terminare. Sicut implicat aliquod totum inueniri, & communicari extra suas partes, quia ab illis resultat, & specificatur, ac limitatur ab ipsis. Subsistentia autem se habet tanquam terminus constituens ipsum totum incommunicabiliter. Et sicut existentia hominis ita limitatur ab homine, quod non potest esse causa equi, vel lapidis; sic subsistentia vnius naturæ non potest esse terminus alterius, quia limitatur, & specificatur ex illa natura, cuius terminus est. Quod vt possit clarius penetrari.

Aduertendum est, Quod subsistentia, & existentia cum de se sint generales modi substantiæ, vel entis, non accipiunt speciē, & limitationem nisi à natura, quam terminant, & actuant, neque enim se habent, vt formæ per modum actus primi, cuius officium est dare speciem rei; existētia autem, & subsistentia, non dant speciem, sed supponunt naturam constitutam, & illam terminant, seu actuant. Vnde totam limitationem, & specificationem habent à natura, quam terminant, & ita existentia hominis non aliter limitatur, & specificè distinguitur ab existentia equi, nisi quia illa est existentia hominis, ista vero equi.

Quare sicut nulla natura creata, quantumcumque perfecta, potest habere nisi vnam speciem, & essentiam, nec potest eminenter continere species aliarum naturarum, quia hoc est proprium Dei, qui est causa plena, & perfecta aliarum rerum, & ita continet illas; ita neque aliqua subsistentia creata potest perfectionem, & speciem aliarum subsistentiarum continere, quia nō dicitur vna subsistentia perfectior altera, nisi in quantum est subsistentia perfectioris naturę. Sicut ergo natura creata, quantumcumque perfectior, non potest continere totam perfectionem alterius naturæ; ita neque subsistentia, & existentia illius poterit perfectiones aliarum continere, neque vices illarum potest supplere terminando alienam naturam, quod magis ex solutione Argumentorum patebit.

Soluuntur Argumenta.

Ad Primum ex *Scoto* Dicitur formam superiorem continere ea, quæ sunt in inferioribus dispersa sub altiori ratione: sed hoc aliter se habet in forma creata; forma enim creata nunquam potest esse ita eminentior alijs, quod cōtineat omnem perfectionem inferiorem, nec eorum speciem, & naturam, neque in ratione entitatis, seu actualitatis, nec in ratione causæ. Implicat enim rem creatam in sua entitate, non limitari per genus, & differentiam, tanquam per terminos, quos non excedit; & si sit singularis, per differentiam indiuidualem. Vnde in ratione entitatis nihil habet, nisi intra illos terminos.

Similiter in ratione causæ non potest eminenter continere totum, quod pertinet ad naturam, & entitatem rei inferioris; quia nihil est causa totius entis, quantumcumque minimi, nisi Primum Ens, à quo solum res aliqua potest anihilari, & consequenter ab illo dependet quoad totum suum esse. Ergo cum subsistentia sit termi-

nus

nus naturæ creatæ non potest maiorem perfectionem habere, quàm natura, cuius est subsistentia, quia ab illa habet determinatam speciem, & perfectionem. Ergo non potest habere perfectionem alterius subsistentiæ, & loco illius subrogari, quia eamdem habet limitationem, quam natura, cuius est subsistentia; nec potest ad alteram speciem, vel indiuiduationem extendi; sicut nec natura cuius est subsistentia alteram naturam continet. *Subsistentia autem Diuina* terminat naturam diuinam, quæ continet omnium naturarum perfectionem, & sic subsistentia eius eminenter terminare potest omnem naturam, quia terminando naturam diuinam in ea omnium, & quarumcumque naturarum perfectiones terminat, quia ibi omnes continentur, & ex hoc redditur apta ad terminandum naturã creatam in proprio genere. Quare eo modo quo natura, quæ terminatur à subsistentia, perfecta est, & continet aliarum naturarum perfectiones, vel non continet, sic subsistentia illius potest terminare, vel non potest alias naturas. Et oportet, quod contineantur quo ad totam perfectionem in illa natura, vt à subsistentia terminari possit, quia subsistentia totam naturam terminat, non partem. Et per hæc patet ad Secundum Argumentum.

Ad Tertium Respondetur, Quod admissis omnibus illis exemplis, est dispar ratio de subsistentia, & existentia, quia isti sunt essentialiter termini naturæ; neque habent aliam determinationem, & specificationẽ, quam à natura, cuius sunt termini, vt dictũ est. Vnde si ad aliam naturam extenderentur amitterent suam specificationem. Ea verò quæ afferuntur in Argumento, sunt formæ, vel naturæ habẽtes suam speciem, & determinationem ex se ipsis, quia tales formæ sunt. Vnde ex eo quod extendantur ad alia, à quibus specificationem non habent, sed materialem extensionem, non amittunt determinationem, seu speciem, sed solum variantur termini materiales, qui naturaliter sibi præfixi sunt, non essentialiter.

Subsistentia autem, quia est terminus naturæ, nec habet aliud à quo specificetur, & determinetur, quam ipsa natura, cuius est terminus, si illam excederet, & terminaret aliam naturam, excederet suam limitationem, seu specificationem. Subsistentia autem Diuina non excedit, quia terminando naturam diuinam, eminenter terminat ibi omnem naturam, quia tota perfectio naturarum in Diuina Natura terminatur.

Ad Vltimum Respondetur, Quod licèt *Terminare*, non importet causalitatem in subsistentia, neque efficientiam circa naturam, importat tamen dependentiam essentialem à natura, quam terminat, quia ab illa specificatur, & limitatur; & ideò non potest pluribus communicari, ne excedat limitationem suam, & specificationem. Nec potest subsistentia, aut existentia creata separari à natura, quia non est forma illi inhærens, sed actu terminans; & in hoc cõsistit eius essentia, solum in exercitio terminandi; quia subsistentia datur vt aliquid in exercitio reddatur incommunicabile vlteriori termino; vnde non possunt separari à suis naturis, quia separarentur à suo exercitio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Natura Humana sit terminata immediatè per aliquid Relatiuum, vel per aliquid Absolutum?

EX *his, quæ Diximus* in Materia de Trinitate 2. *Tom. Prim. Part.* supponimus, præter diuinam naturam, & existentiam eius, quæ est de conceptu intrinsecto talis essentiæ, dari in Deo tres subsistentias relatiuas; quia dãtur tres personæ, vt fides docet; nec possunt illæ constitui nisi tribus personalitatibus relatiuis. Personalitates autem nihil aliud sunt, quàm subsistentiæ in natura intellectuali. Et præter istas subsistentias relatiuas incommunicabiles, datur etiam in ipsa essentia subsistentia absoluta communicabilis tribus relatiuis; & ideò quia communicabilis non est Persona; dicitur tamen subsistentia, quia constituit essentiam per se existentem, licèt non incommunicabilem, quæ omnia ibi latè probata sunt; & ideò hic supponenda.

His Suppositis, fuit Sententia Durandi Vnionem humanitatis per se, & immediatè factam esse ad subsistentiam absolutam Dei; mediatè autem, & secundariò ad proprietatem relatiuam Filij. In quam Sententiam inductus fuit, quia existimauit proprietates relatiuas non esse subsistentiam; sed rationem subsistentiæ in Deo esse vnicam,

cam, & absolutam. Proprietates vero relatiuas solum dare incommunicabilitatem, quæ est proprietas personalis; subsistere enim dicit in Deo perfectionem, quia importat modum existendi per se, & supponit in humanitate duas vniones, primam ad subsistentiam, quia primò humanitas reddita est subsistens; licèt ex vi huius vnionis nulla persona determinatè dicitur homo, sed ex secunda, qua vnita est humanitas proprietati Filij potius quam Patris.

Hanc Sententiam omnes Theologi reijciunt, & ad minus improbabilitatis nota inurunt, præsertim propter verba Conc. Toletani 6. & 11. in Confessione Fidei, vbi inquiunt, *Solus filius formam serui accepit in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ, in id quod proprium est Filio, non quod commune Trinitati.* Et videri etiam possunt verba VI. Synodi Actione 8. Vbi ex S. Dionisio II. de Diuinis Nominibus refertur, *Quòd Pater, & Spiritus nihil in incarnatione habent cõmune, nisi benignissimam voluntatem.* Sic ergo constat ex Cõcilijs vnionem non esse factam in aliquo communi toti Trinitati, qualis est illa subsistentia absoluta, sed in sola proprietate filij.

Et Ratione, Quia si fieret vnio in aliquo communi, illud quod est commune toti Trinitati, esset homo; quia nihil aliud est Deum esse hominem, quàm habere sibi vnitam humanitatem. Ergo si id quod est commune Personis est homo, non solum Filius est homo, sed etiam Hic Deus communis Patri, & Spiritui Sancto, quod apertè negant Concilia.

Cum Hac Sententia Durandi confundunt *Vazquez* hic *Disp.* 20. *Cap.* 2. Et *Suarez Disp.* 12. *Sect.* 2. Sententiam *Capreoli, Victoriæ, Soto*, imò & omnium Thomistarum (inquit Suarez) qui dicunt vnum tãtum esse existentiæ absolutum dari in Deo, & humanitatem Christi dicunt habere existentiam increatam, non propriam. Vnde inquit solum possunt differre à Durando, vel quia mutant ordinem vnionis, quia *Thomistæ* dicunt vnionem primò esse factam ad proprietatem relatiuam Verbi, & secundò ad existentiam; vel quia differunt in nominibus: quod enim *Durandus* dixit dependere in subsistendo, *Thomistæ* dicunt in existendo.

Sed immeritò, & irrationabiliter probabilissimam *Thomistarum* Sententiam, cũ improbabili illo sensu *Durandi*, confundunt hi Authores. Neque enim *Thomistæ* duas vniones ponunt in humanitate, alteram ad personalitatem Verbi, alteram ad existentiam, vt communis est toti Trinitati, sed solum vt modificatur ad Personam Verbi, ad quam vnica vnio facta est, quæ ex consequenti tangit existentiam diuinam, vt in Verbo, non vt communiter se habet ad totam Trinitatem.

Et Sic Sanctus Thomas hic *Art.* 2. expressè dicit, *Quòd secundariò potest dici, quod etiam natura assumpsit naturam ad sui personam, & secundùm hunc modum dicitur natura incarnata, quæ est locutio Damasceni* Lib. 3. Fidei Cap. 6. Et expressè dicit Concil. Trident. Sess. 13. Cap. 3. *In Eucharistia diuinitatem, propter admirabilem eius cum corpore, & anima vnionem hypostaticam, per concomitantiam poni.* Si ergo vnitur diuinitas mediante Persona Verbi; quid mirum, quod etiam mediatè vniatur existentia?

Sed Inquies, Vniri diuinitatem, & existẽtiam materialiter, & identicè. Thomistæ autem dicunt existentiam, ita formaliter vniri humanitati, quod terminet existentia eius ipsam naturam; siquidem dicunt existere formaliter per existentiam increatã; ergo non solum vnitur identicè, & materialiter, sicut diuinitas, & attributa, sed formaliter per terminationem illius. Cæterũ tota hæc terminatio existentiæ, quam non negamus, non fit per distinctam vnionem, neque ad ipsam immediatè existentiam, vt communis est toti Trinitati, sed fit immediatè, & per vnicam vnionem ad Personam Verbi, & mediante ipso Verbo ad existentiam, vt est proprius actus Personæ.

Vnde Dicit Diuus Thomas infra Quæst. 17. Art. 2. ad 2. *Quòd illud esse æternum Filij Dei, quod est diuina natura sit esse hominis, in quantum humana natura assumitur à Filio Dei in vnitatem personæ.* Notentur illa verba, *Illud esse quod est diuina natura*; vbi non reputat inconueniens *Diuus Thomas* fieri vnionem ad esse naturæ diuinæ, non immediatè, sed mediatè solum, in quãtum assumitur in vnitatem personæ, & sic existentia nõ terminat immediatè aliquam vnionem; neque etiam solum identicè, & materialiter vnitur humanitati, sicut attributa, & diuinitas, sed formaliter mediatè, non immediatè, quatenus eadem vnio, quæ immediatè est ad personam, ex consequenti, & mediatè est ad ipsum esse personæ, eo quod in Sententia *Diui Thomæ*,

exi-

existentia est proprius actus personæ, per quam ipsum suppositum, & natura eius redditur existens. Hoc autem longè distat à Sententia *Durandi*, quæ posuit vnionem immediatè fieri ad subsistentiam absolutã; aliam vero dari ad relatiuam Filij. Nos autem dicimus vnicam dari vnionem ad personam Filij, quæ mediatè, & ex consequenti terminatur ad existentiam, non absolutè, sed vt modificatam, & contentam in relatione Filij.

Concludimus Ergo, Nullam vnionem dari immediatè terminatam ad aliquid absolutum, vt absolutum est; sed solum ad personam relatiuam Filij, vbi est tota ratio terminandi illam vnionem. Solum enim id, quod est proprium Filij, non verò aliquid commune toti Trinitati, assumpsit naturam humanam. Et sic tales vniones ad aliquid absolutum, ita quod illud assumpserit naturam humanam, omni fundamento carent, quia semper saluanda est illa propositio, *Solus filius assumpsit naturam humanam*. Existentia vero, quæ mediante personalitate vnitur etiam naturæ, non dicitur assumpsisse naturam, sed assumptam à Persona reddere existentem.

Soluuntur Argumenta.

Ad Obiectionem Durandi patet ex dictis, Quod in Deo non solum est subsistentia absoluta, sed etiam tres relatiuæ, quæ sunt tres Personalitates, & sic subsistentia filij relatiua terminat humanitatem.

Et Cum dicitur Subsistentiam dicere perfectionem; non autem datur triplex perfectio; ergo neque triplex subsistentia. Respõdetur, *Nego Consequentiam*. Quia mutatur *Quid in aliquid*, & est defectus appellationis. Sicut non valet, *Sunt tres personæ diuinæ, & persona dicit esse increatum, & diuinum. Ergo sunt tria, vel tres diuinitates.* Dicimus enim, quod relatio diuina includit perfectionem in ratione personæ, & multiplicatur relatio, & non perfectio, quia solum multiplicatur relatio vt opponitur suo correlatiuo, non vt perficitur in se; quia in ratione perfectionis non opponitur, & tota multiplicatio solum sit sub conceptu oppositionis, non sub conceptu positionis, seu perfectionis; & mutatio istarum formalitatum, seu conceptuum mutat appellationem, & sub vna ratione multiplicatur, non sub alia.

Instabis: Nam etiamsi Essentia diuina sit communis, tamen prout in Patre est ratio generandi, non prout in Filio. Ergo similiter non repugnabit, quod subsistentia absoluta, non vt communis, sed prout in Filio, sit ratio terminandi humanitatem, non personalitas relatiua; aliàs Christus vt homo diceretur relatus ad Patrem, & analogicè esset persona cum alijs hominibus.

Respondetur Negando Sequelam, Quia generare est actus notionalis, cuius principium *Quod* est Persona; principium autem *Quo* est natura, seu forma, quæ est ratio agendi, & producendi sibi simile. At vero terminare personam ipsam humanitatem non est actio in humanitatem, sed purus terminus, & ideò id, quo fit talis terminatio, non est ipsa natura, seu forma, sed personalitas ipsa relatiua, quæ est subsistẽtia Filij; hæc enim formaliter terminat. Neque ex hoc facit humanitatem relatiuã ad Patrem, sed solum persona opponitur Patri, non ipsa natura. Sicut nec ipsa natura diuina redditur relata, & opposita Patri, quia terminatur intimè subsistentia relatiua. Quod vero analogicè sit persona cũ alijs hominibus, etiam sequitur si immediatè vniatur subsistentiæ absolutæ, quia hæc etiam diuina est.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Plures Personæ Diuinæ possint terminare eamdem numero Humanitatem; aut plures Humanitates ab eadem Persona assumi?

In Vtroque Casu Resolutio Diui Thomæ est affirmatiua, hìc *Artic. 6. & 7.* Sed in primo casu ferè tota est difficultas, Quia quælibet persona diuina est terminus adæquatus naturæ, quam assumit, siquidem relinquit illam plenè saciatam, ita quod non appetit propriam personalitatem; ergo non poterit ab alia personalitate diuina assumi, quia non potest idem simul terminari duobus terminis totalibus adæquatis, nec dependere à duobus causis totalibus adæquatis.

Et Vrgetur Paritas illa de subsistentia creata, quæ non magis implet capacitatem naturæ, quàm subsistentia diuina; & tamen posita

posita subsistentia creata nõ manet assumptibilis illa natura à subsistentia diuina, vt dicemus *Disput. Sequenti Art.* 3. Ergo neque posita vna subsistentia diuina, poterit natura assumi ab alia.

Pro Secundo vero Casu est difficultas, scilicet in casu, quo tres Personæ assumerent vnam naturam humanam, An essent simpliciter tres homines, vel vnus homo?

In Hac re Scotus tenet non posse eamdem numero naturam terminari à pluribus personis immediatè. Et pro eadem Sententia citari solet *D. Anselmus Lib. 2. Cur Deus homo Cap. 9. & Lib. de Incarnatione Cap. 4.* Neque admittit *Lorca* hìc *Disput. 25.* aliquam explicationem *Anselmi* quamuis communiter dicatur, Illum solùm dixisse non posse tres Personas vnum, eumdemque hominem assumere in vnitate personæ, quod verissimum est: si enim tres Personæ assumerent, non in vnitatem personæ, sed in triplicem personalitatem acciperent. Et verba *Anselmi* nihil aliud significant, præsertim in illo loco *Cur Deus homo.*

At Vero S. Tho. Oppositam Sententiam tenet in hac *Quæstione Artic. 6.* Et sequuntur omnes Thomistæ, & communiter omnes Theologi, præsertim huius temporis. *Lorca* verò vtramque Sententiam existimat probabilem. Et licèt præcipuum Fundamentum *D. Thomæ* consistat in Solutione Argumentorum, quia cum sit Opinio negans implicationem, sufficit soluere contradictiones oppositas, quæ offeruntur: tamen etiam ratio *D. Tho.* id non leuiter ostendit, si attentè consideretur. Ex eo enim vna personalitas diuina potest terminare creatam naturam, quia est infinita, & terminat naturam infinitam, quam terminando, virtualiter terminat omnem naturam creatam, quæ continetur in diuina, & ab illa deriuari potest: sed hoc ipso, quod tres diuinæ Personæ possunt simul terminare naturam infinitam non debent se excludere à terminando quamcumque naturam finitam, & creatam. Ergo possunt illam terminare. *Minor Probatur.* Quia quælibet Persona diuina terminando naturam infinitam, hoc ipso terminat omnem creatam ibi contentam, & ab illa deriuatam. Ergo si plures personæ simul terminant eamdem naturam infinitam, etiam simul terminare possunt eamdem finitam, quæ ibi continetur.

Nec Video, qua probabilitate possit negare *Lorca*, quod hoc fiat pluribus vnionibus, aut possit fieri successiuè; quia quælibet persona est distinctum vnibile, quia potest vniri, non vnita alia, sicut de facto modo est. Ergo illæ tres Personæ distinctis vnionibus vnientur tanquam distinctæ, & non secundum aliquid commune, in quo conueniunt.

Tum Etiam, Quia tres Personæ in illo casu causarent in natura assumpta tres terminationes physicas, siquidem communicarent tres effectus formales terminandi; ergo perinde esset ac si vnirentur pluribus vnionibus, quia incompossibilitas, si daretur, non teneret se ex parte vnionis, quod sit vna vel plures, sed ex parte terminorum, quod sint termini adæquati, & totales, vel non.

Denique, Quia ratio quare possint vniri tres personæ eidem naturæ, est illa æqualis, & infinita continentia, quam habent tres personæ simul, sicut quælibet seorsum. Sed licèt prima vnio fiat vnius personæ ad naturam, non amittitur continentia infinita alterius personæ, neque potentia obedientialis, & capacitas naturæ assumptæ ad aliam personam continentem illam. Nulla ergo est ratio cur non possit fieri successiuè per plures vniones assumptio illa ad diuersas personas, sicut poterat fieri simul.

SOLVVNTVR *Argumenta.*

Ad Rationem dubitandi de duobus Terminis adæquatè totalibus, sicut de duabus causis totalibus, variè ab Authoribus Responderi solet, & prolixè ab Aliquibus, præsertim à *Vazquez*. Sed modo non est in animo disputare Quæstionem illam Philosophicam de dependentia effectus à duabus causis totalibus. Sed dato, quod non potest idem effectus dependere à duplici causa totali, quando omnimodo totalis, & adæquata est solùm quoad rem, & quoad modum, extensiuè, & intensiuè, ita vt nihil amplius faciat vna causa, quàm alia, neque nouum modum, neque nouam extensionem, sed omninò idem quod altera; tamen si eundem effectum alio modo, vel alia

extensione attingat, tunc benè potest dari duplex causa adæquata effectus, quia non est omnibus modis adæquata, & totalis, sed solum quo ad aliquid, videlicet, quo ad substantiam effectus, non quo ad modum, vel extensionem.

Exemplum est in albo, quod terminat similitudinem alterius albi totaliter intensiuè, ita quod ad quidditatem, & essentiam albi nihil restat non terminatum, nec specificatum per illud album, & tamen si aliud album ponatur etiam potest ad illud terminari eadem similitudo, tanquam ad terminum adæquatum similitudinis, quia extensiuè non erat exhausta terminatio illius similitudinis, licèt specificatiuè tota esset terminata. Et idem est in relatione Paternitatis ad plures filios.

Igitur Quælibet personalitas diuina terminat adæquatè quasi intensiuè, & specificatiuè naturam creatam, non tamen intensiuè; quia ita continet virtutem terminandi alienam naturam, quod etiam alia Persona habet eamdem virtutem respectu eiusdem naturæ, vt simul cum alia terminet eam, sicut simul cum alia terminat naturam infinitam, in qua illa finita continetur.

Hæc Autem doctrina *Caietani* difficilis visa est *Patri Suarez*, & *Lorca* vbi supra. Sed nihil contra illam obijciunt, quod sit alicuius momenti, nisi quod fortasse plus repugnat vnam relationem pendere à pluribus terminis, quam vnum effectum à pluribus causis, quia magis intrinseci sunt termini. Vnde *Suarez* dicit non esse hic plures causas totales adæquatas, quia licèt vniantur humanitati plures personæ, per plures tamen vniones vnientur, non per eamdem; vnde causant quodam modo plures effectus secundum rationem vnionis, non eundem.

E contra vero Lorca censet personalitates solum vniri per modum vnius termini, non plurium; & ideò vnum ex vnione; ridetque illam distinctionem de terminatione totali intensiua, quia non potest explicari quomodo sit humanitas terminabilis extensiuè, postquam est terminata vna personalitate diuina.

Sed ad Suarez Respondetur, Quod in Exemplo adducto à *Caietano* sufficit probabilitas illius ad explicandam suam sententiam; neque enim ad amplius deseruit exemplum. Et *Suarez* diuertit ad vnionem, quæ non est effectus formalis personæ terminantis, sed applicatio eius vt effectum formalem præbeat, reddendo subsistentem humanitatem. Inquirimus enim, quomodo possit passiuè esse terminata à pluribus terminis æquè totaliter terminantibus, non quomodo possit esse vnita: constat enim plures esse vniones, siue vnio sit relatio, siue modus; non tamen iste est effectus formalis personæ, vt terminantis, sed est effectus formalis vnionis, qui non est vnus, sed plures, &c.

Ad Lorca Dicimus, Quod multò minus potest Ipse explicare, quomodo tres Personæ æquè primò terminantes humanitatem, habeant rationem vnius termini. Nos vero *Caietani* sensum sic explicamus. Quod vna Persona Diuina contineat eminenter effectum, quem præstare potest personalitas creata, non tamen vna sola persona continet eminenter omnimoda Eminentia extensiuè, & intensiuè; quia sicut Persona Diuina terminat naturam diuinam, ita habet eminenter posse terminare naturam creatam contentam in Diuina. Ita autem terminat vna persona naturam diuinam, quod relinquat locum alteri Personæ diuinæ, vt simul possit terminare eamdem naturam infinitam; non quia prima persona non terminet omnimoda perfectione naturam diuinam, sed non omni extensione, quia etiam alia persona potest terminare. Sic enim illa persona trahens ad se naturam creatam ratione illius eminentialis terminationis, ita trahit quod etiam si perfectissimè suppleat quidquid personalitas propria terminare posset, non tamen sola communicat omnem modum eminentiæ, quo suppleri potest. Et ideò relinquit locum alteri personæ, quæ eamdem naturam continet eminenter, neque exhaurit totam terminabilitatem naturæ ab alieno supposito eminentiali, quia non affert omnem modum eminentialem continendi, qui est in alia Persona.

Et ad Exemplum de Loco dicitur. Quod duplex locus circumscriptiuus, est omninò adæquatus terminus non eminẽtialiter, sed formaliter adæquatus plenè, & totaliter, Cuius signum est, quia duplex circumscriptio non stat sine diuisione quantitatis, quia si quantitas corporis est hic circumscripta, & in spatio medio interponitur aliud corpus, & in alio loco circumscriptiuè ponitur eadem quãtitas, hoc ipsum est esse diuisam quantitatem, quia inter hanc circumscriptam

tam

tam quantitatem, & illam, mediat aliud corpus. Ergo hæc quantitas est separata, & diuisa ab illa, & consequenter vna circumscriptio non potest simul cum alia circumscriptione continere eminenter, aut formaliter terminationem eiusdem numero quantitatis, & corporis, quia hoc ipso, quod est duplex circumscriptio est diuisio, atque adeò quælibet circumscriptio est totaliter, & omnimodo adæquatus terminus, respectu eiusdem quantitatis. A

Ad Secundum Fundamentum Dicemus Disputatione sequenti. Sufficiat nunc dicere ex *Caietano* hic *Artic* 6. Quod personalitas propria non solum reddit naturam subsistentem, sed etiam subsistentem ex proprijs principijs; id enim est subsistere per propriam subsistentiam, scilicet, quæ oritur ex proprijs principijs: esse autem terminatam ex proprijs repugnat huic, quod est terminari alieno suppositi, vt magis *Disputatione Sequenti* ponderabitur. Non tamen repugnat, quod natura subsistens non ex proprijs, sed à suppositi alieno, ab alio etiam alieno terminetur; si æquè eminentialiter contineat terminationem talis naturæ; sicut sunt duæ personę diuinæ, quæ eamdem habent virtutem & eminentiam. B C

Ad Vltimam Difficultatem secundo loco positam, An in tali casu esset vnus homo, vel plures? *Respondetur*. In vtroque casu videri difficilem resolutionē *D. Tho.* quæ expositione indiget. Ait enim Art. 6. ad 1. Quòd *Si tres Personæ assumerent vnam naturam, esset vnus homo propter vnitatem naturæ, sicut sunt vnus Deus propter eamdem rationem.* Subdit vero postea, *Quòd non posset argui ex hoc, quod tres Personæ sunt vnus homo, quia essent vnus simpliciter; nihil enim prohibet dicere, quod homines, qui sunt plures simpliciter, sint vnus quantum ad aliquid, puta vnus populus.* Quibus verbis videtur prioribus contradicere; quia si sunt homo vnus, sicut vnus Deus, & Deus est vnus simpliciter, oportet dicere, quod sunt vnus homo simpliciter; quod tamen postea negat. D E

Caietanus Interpretatur D. Tho. Quod voluit ponere aliquam differentiam inter Deum, & hominem in illo casu; videlicet, quod tres Personæ sunt vnus numero Deus, etiam in concreto, qui est communis tribus personis. Si autem assumerent vnam naturam humanam, non essent vnus homo, quia in concreto esset communis tribus personis, sed solum haberent vnam naturam communem. Cæterum licèt hæc differentia vera sit, non tamen sufficit ad negandum, quod in illo casu essent vnus homo simpliciter; quia regula generalis est, quod nomina substantiua non multiplicantur, nisi multiplicata forma, quæ significatur per modum substantiæ. Vnde si est vna numero natura, quamuis sint plures habentes ex parte suppositorum, dicitur tamen vnum simpliciter ab vnitate formæ, seu naturæ substantialis.

Nec Refert, Quod Deus in communi non solum sit vna natura, sed etiam vnum subsistens in concreto. *Tum*, Quia etiam in Opinione, quod non detur vna subsistentia communis, est veritas Fidei, quod est vnus Deus. *Tum*, Quia Pater, & Filius sunt vnus Spirator simpliciter, licèt ly *Spirator* non habeat subsistentiam communem Patri, & Filio; ergo etiam dicentur tres Personæ vnus homo, licèt humana natura non habeat subsistentiam communem. Et ita tenet *Cabrera* hic super *Artic. 6. Disput. 2. Suarez* vbi supra, citatque pro se *Ferrariensem*, *Capreolum*, & Alios.

Quid Ergo Dicemus ad Verba *D. Tho.* relata? *Respondetur* cum *Nazario* in fine *Artic. 6.* Quod *Diuus Thomas* non dixit, quod in illo casu non essent vnus homo simpliciter, sed dixit, quod non essent vnus simpliciter. Et in hoc parificantur omninò, quod tres Personæ sint vnus Deus, & vnus homo, quia vt docet Diuus Thomas 1. Part. Quæst. 31. Artic. 2. ad 4. *Licèt tres Personæ dicantur vnum in genere neutro, non tamen dicuntur vnus masculinè simpliciter, sed solum cum addito, sicut quod sit vnus Deus, & sic simpliciter vnus Deus dicuntur, licèt non dicantur vnus remoto ly Deus.* Eodem modo voluit Diuus Thomas dicere hic, quod tres Personæ, assumpta vna natura, non dicuntur vnus simpliciter; & ad hoc adducit exemplum, quando plures homines sunt vnus Populus, & non vnus simpliciter: non tamen negat, quod non sint vnus homo, & in ratione hominis simpliciter vnus, non plures homines.

In Art. autem 7. Solutione *ad 2.* ait D. Thomas, *Quod è conuerso si vna persona assumeret tres humanitates, non essent tres homines, sed vnus homo habens tres naturas: sicut habens duas vestes, non est duo vestiti, sed vnus vestitus cum duobus indumen-*

tis. Et rationem reddit, *Quia nunquam nomen ab aliqua forma impositum pluraliter dicitur, nisi propter pluralitatem suppositorum.* Cum quo tamen non videtur stare, quod communiter dicitur, quod nomen substantiuum pluraliter dictum, debet multiplicare formas, non autem multiplicatione suppositorum multiplicatur, alioquin tres Personæ possent dici Tres Dij.

Respondetur Tamen in substantiuis multiplicationem sumi à multiplicatione formarum, non tamen nude, sed vt afferunt secum suppositа, & multiplicant illa, ita quod in substantiuis multiplicatio formarum sit per se, multiplicatio vero suppositorum vt conditio; quia formæ substantiuæ afferunt secum suppositum. Quod si non afferant, nec multiplicent suppositа, non multiplicantur substantiuè ex defectu conditionis requisitæ. Vnde tres Personæ in diuinis non dicuntur tres Dij ex defectu multiplicationis naturæ, quæ est forma substantialis, cuius multiplicatio per se requiritur in substantiuis. Si autem vna persona assumeret tres naturas, non esset multiplicatio hominum ex defectu conditionis requisitæ, quæ est multiplicatio suppositorum. Et ex hac parte reddit *Diuus Thomas* rationem, quare in illo casu non multiplicarentur substantiua, scilicet ex defectu conditionis requisitæ ad talem multiplicationem ex parte suppositorum.

QVÆ-

QVAESTIO QVARTA.

DE MODO VNIONIS EX PARTE NATVRÆ ASSVMPTÆ.

IN *Hac Quæstione* Considerat *D. Thomas* ea, quæ sunt à Verbo assumpta, & coassumpta, quæ sunt perfectiones, & defectus. Et circa primum resoluit in *Articulo* 1. Humanam Naturam fuisse magis assumptibilem à Verbo, quàm quælibet alia: Quia Assumptibile dicitur, quod est aptum assumi à Persona Diuina, & in cuius assumptione aliqua congruentia reperitur. In Humana autem Natura, & est dignitas rationalitatis, & intellectualitatis, ratione cuius nata est per suam operationem, cognoscendo scilicet, & amando, contingere aliqualiter ipsum Verbum: & est necessitas reparationis, quia subiacebat Originali peccato; ergo in sola humana natura inuenitur congruitas dignitatis (quæ non conuenit creaturæ Irrationali) & congruitas necessitatis (quæ non conuenit naturæ Angelicæ) ergo sola illa est assumptibilis.

In Art. 2. Docet Verbum non assumpsisse humanam personam. *In* 3. Non assumpsisse hominem; neque humanitatem abstractam ab omnibus indiuiduis. *In* 4. Nec in omnibus suis indiuiduis, aut suppositis existentibus. *In* 5. Benè tamen humanam naturam de stirpe, & genere Adæ, vt ille satisfaciat, qui peccauit, & ex eodem genere Victor diaboli erumpat, quod per diabolum fuerat dissipatum.

QVAESTIO QVINTA.

DE ASSVMPTIONE PARTIVM HVMANÆ NATVRÆ.

RESOLVIT *in ea S. Doctor* Verbum assumpsisse Corpus verum, non imaginatum, seu phantasticum, quia aliter nec veram mortem substinuisset, nec se Discipulis palpandum tribuisset. Docet etiam assumpsisse Corpus terrenum, non cœleste: Quia & veram passionem, & mortem substinuit, & sitim, & famen passus est. Assumpsit etiam Animam contra Arrium, & alios ponentes Verbum fuisse carnem loco Animæ. Ex quo euidenter infert etiam intellectum assumpsisse cum Anima, & multis authoritatibus id probat.

QVAESTIO SEXTA.

DE ORDINE ASSVMPTIONIS.

DOCET *in ea* Verbum Carnem sumpsisse mediante Anima, & Animam mediante Spiritu, siue mente: nec priùs animam assumpsisse, quàm Carnem, sed omnia simul tempore, cum præcedentia, seu prioritatibus naturæ, & causalitatis, vt in recta Phylosophia designantur. Quæ omnia latiùs in Articulis probat, quos breuitatis causa omittimus, vt ad Difficultates præcipuas Disputatione Sequenti procedamus.

DISPVTATIO SEPTIMA

DE TERMINO ASSVMPTO IN INCARNATIONE.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Repugnet de Potentia Absoluta assumi Naturam terminatam Propria Subsistentia?

Communis Resolutio Doctorũ est, non posse assũmi huiusmodi naturam sic terminatam. Est tamen difficultas non modica in reddenda eius ratione. Vrget in primis. Quia natura assumpta ab vna Persona Diuina potest terminari, & assũmi ab alia, non assumpta ipsa personalitate diuina (vt Diximus *Disp. Præced. Art.* 1.) Ergo etiam natura terminata propria subsistentia, poterit assũmi à subsistentia diuina non assumpta personalitate propria.

Secundo, Quia personalitas propria non tollit potentiam obedientialem naturæ, vt terminari possit à Personalitate diuina, quia licèt à propria subsistentia terminetur, tamen adhuc extensiuè terminabilis est à Persona diuina, vt eminenter continente talem terminationem.

Tertiò, Quia posita vna natura in diuersis locis, sicut nunc Humanitas Christi in Cœlo est, & in Sacramento, non apparet, Cur non possit humanitas in Sacramento ad propriam personalitatem terminari, retenta humanitate in Cœlo in Personalitate Verbi.

Caietanus Quæstione Præced. 3. *Art.* 6. Rationem huius repugnantiæ constituit in diuerso modo terminandi, quo terminat propria personalitas, & quo terminat alie-

A na; quia sunt modi repugnantes terminari in se, & in alio. Quam repugnantiam explicat *Caietanus*; primò, quia propria personalitas oritur ex proprijs principijs naturæ, ex quibus resultat, & cum ista natura non possit se extendere ex proprijs, nisi ad constituendam vnam personam, & repugnat ipsam personalitatem assumi; ideò hæc humanitas sic terminatur propria personalitate, quod neque etiam extensiuè potest per aliam terminari.

B *Cæterum* hoc solum probat, quod non potest naturaliter ex ijs principijs terminari alia personalitate. An verò supernaturaliter possit, præsens Quæstio est, quam non videtur expedire hæc *Caietani* philosophia; & ideò addit secundum modum repugnantiæ, Quod cum natura terminetur propria personalitate constituendo personam, quia resultat persona ex ipsa natura; assumptio vero fit ad personam iam constitutam, & præsuppositam, ideò

C propria personalitas reddit naturam inassumptibilem, quia non posset talis natura assumi, nisi assumatur personalitas, siquidem constituitur persona ex principijs talis naturæ: ipsam autem personalitatem assumi omninò repugnat, quia non est natura assumptibilis, sed terminus; terminus autem non est terminabilis, idem autem est assumi, quod terminari.

Tertio Denique, Quia Persona diuina terminat naturam alienam ratione infinitatis; personalitas autem propria ex naturali adæquatione cum natura, & naturæ cum illa: vnde posita tali subsistentia, adæquatè repugnat à quacumque alia assumi. Neque in his implicationibus, quiescit intellectus, quia licèt natura adæquetur cum

pro-

propria personalitate connaturaliter, nondum tamen ostenditur, quod etiam obedientialiter, & etiam secundum ordinem supernaturalem adæquetur.

Pater Suarez Aliam addit implicationem, Quia modus essendi *Per se* & *In alio*, sunt modi repugnantes, sicut in accidente repugnat, quod simul sit *In alio* inhærendo, & *Per se* sine subiecto; & quod eadem virga simul sit recta, & curua quia sunt modi, quorum vnus affert intrinsecè negationem alterius. Quod non currit respectu plurium Personarum Diuinarum, quia in omnibus illis natura est eodem modo, scilicet in alio; sicut è contra natura diuina est in omnibus tribus personis per se, tãquam in proprijs, & connaturalibus terminis. Sed quia in Verbo natura humana non est in alio, quasi inhærens, sed vt verè subsistens, addit *Suarez* modum vnionis, & propriam subsistentiam repugnare in hoc, quod vt subsistens in se non sustentatur ab alio; vt autem vnita alteri sustentatur ab illo, etsi subsistenter.

Sed Possumus Obijcere Suario id, quod Ipse *Caietano*. Cur repugnat sustentari naturam in se naturaliter, & à Verbo supernaturaliter? De hoc enim est Quæstio. Nam quod Ipse reprehendit in *Caietano*, quod terminari in se adæquatè, & terminari ab alio supernaturaliter, excellentiori modo non repugnat; idem Dicemus de sustentari in se adæquatè naturaliter, & ab alio supernaturaliter; sustentari enim, & terminari idem sunt. Quare tam diminuta est ratio *Suarez*, quam *Caietani*.

Quare Omissis Alijs Explicationibus, amplius Sententiam *Caietani* (ad quam etiam reduci potest Sententia *Suarez*) explicamus: Quod subsistentia propria importet intrinsecè rationem totius completi ex proprijs principijs oritur. Si autem assumitur ab alia persona, hoc ipso nõ manet in se totum, & completum ex propria natura, quia manet assumptum, & tractum ad terminum personalem, qui habet rationem totius completi respectu naturæ assumptæ, & sic erit totum, & non totum: totum in se, quia terminatum propria subsistentia; non totum, quia coniunctum alteri, quod est totum respectu illius substantialiter, & subsistẽter. Sicut repugnat manum vniri homini tanquam supposito, nisi sit pars illius, nec potest esse pars si in se sit suppositata, & completa. Et quia ipsa personalitas non est assumptibilis, quia non est res terminabilis, sed terminus; ideò rectè dicit *Caietanus*, quod natura, quæ subest propriæ personalitati, non potest assumi, nisi vel ipsa personalitas assumatur (quod repugnat) vel destruatur, vt sola natura assumatur. Si verò natura manet cũ propria personalitate, hoc ipso manet ex proprijs principijs completa tanquã quoddam totum, & sic redditur inassumptibilis ab alio toto. Quomodo autem hoc non currat respectu trium diuinarum Personarum? in Solutione Argumentorum Dicemus, vbi tota implicatio magis explicabitur.

Soluuntur Obiecta.

Ad Primam Difficultatem Respondetur, Naturam semel vnitam vni Personæ diuinæ, posse vniri alteri Personæ diuinæ, non tamen si subsistat in propria personalitate; & *Disparitas est*. Quia natura vnita Personæ diuinæ, non est in se quoddam totum ex proprijs, & intrinsecis principijs, sed communicatur illi terminatio, & subsistentia ab extrinseco. Vnde ex parte ipsius naturæ non est impedimentum, vt ab alia extrinseca terminatione terminetur, nisi ipsi termini, & subsistentiæ se excludãt ab eadem natura. Non autem se excludunt Personæ Diuinæ. *Tum*, Quia sunt subsistentiæ correlatiuæ; quæ simul esse possunt, & non solum successiuè; si aliàs habent eundem modum terminandi eamdem naturam. Cæterum si natura simul constituitur subsistens ex proprijs, manet ab intrinseco terminata, & quoddam totum. Vnde remanet inhabilis, & repugnans, vt assumatur ab altero, tanquam à completiuo illius in ratione totius.

Exemplum est, Si duo homines vterentur vna manu, vel vno pede, illa manus cẽseretur esse pars duplicis suppositi, seu totius, & in vtroque communicaret: si tamen manus, vel pes esset separata, & in se suppositata, repugnaret intelligere, quod vniretur alteri supposito. Nec posset natura semel subsistens assumi, nisi ipsa personalitas propria assumeretur. Quia licet distinguatur subsistentia à natura, repugnat tamen, quod natura eadem simul sit pars, & totũ; completa, & incompleta in genere subsistendi, quia isti duo status sunt inter se repugnantes. Esse enim subsistens ex proprijs, seu terminatum, inuoluit negationem de-

pen-

pendendi ab alio vt à terminante: assumi autem ab alia persona dicit, quod sit dependens ab illa vt a termino, ad quem assumitur vt terminetur, quia sunt duo effectus repugnantes, & sic non possunt eidem conuenire, etiam ex diuersis principijs.

Ad Secundum Respondetur, Non manere potentiam obedientialem in natura, vt quando est terminata, & completa ex se, adhuc sit terminabilis, & complebilis ab alia; quia sic esset completa, & incompleta; independens ab alio termino, & dependens. *Et quando additur*, Quod natura terminata in se adhuc est terminabilis altiori modo, & extensiuè. *Respondetur*, Non esse, quia hoc ipso, quod natura est terminata in se, tanquam quoddam totum, habet conditionem repugnantem, vt possit trahi, & assumi ad communicationem alterius, tanquam ad totum: quando autem trahitur ad vnam Personam diuinam ab intrinseco non est terminata, & completa, sed tanquã pars; & ideò manet communicabilis pluribus personis extrinsecis, si tales personæ non se excludant mutuo à tali natura.

Ad Tertiam Difficultatem Respondet *Pater Suarez* concedendo humanitatem positam in duobus locis posse in vno terminari à propria personalitate, & in alio à diuina, quia tunc habet vim duplicis subiecti; sicut eadem virga posita in duobus locis potest esse in vno curua, & in alio recta; & accidens potest in vno loco inhærere, & in alio non.

Sed Immerito hoc concedit *Suarez*: Nam terminatio propria, & aliena in subsistẽtia, esse totum, & partem; completum, & incompletum, sunt effectus abstrahentes à dependentia loci, non sicut curuum, & rectum, quod in se includit diuersum situm, & locationem. Quare eamdem repugnantiam inuenio, siue natura sit in eodem loco, siue in diuersis, quia isti effectus (vt Diximus) sequuntur naturas rerum secundum se, cum sint effectus substantiales, non per ordinem ad locum; prius est enim esse naturam in se subsistentem, vel in alio, quam habere ordinem ad locum, & existere in vno, vel in pluribus locis.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Natura in Verbo appetat propriam Personalitatem; ita vt si dimitteretur à Verbo naturaliter resultaret?

Occasionem præbet huic Difficultati, Tum *D. Thomas* hic *Quæst. 4. Art. 2. ad 3.* Tum ex proximè dictis *Præcedenti Articulo*. Quia si natura assumpta in se manet vt pars, & incõpleta, videretur semper inclinari in suum terminum, & proprium complementum, cum quo habet naturalem proportionem, & connexionem. Et hanc Sententiam sequitur *Vazquez Disput. 34. Cabrera Quæst. 4. Art. 1. Disput. 8.* Et Fundamentum sumitur ex duobus. Primum ex ratione; secundum ab exemplis.

Ratione Quidem, Quia naturalis appetitus non est aliquis actus, vel effectus dimanans à potentia, sed præcisè ab ipsa natura vt habens proportionem, & conuenientiam cum altero; quia ipsa proportio naturalis inclinatio quædam est, & propensio ad rem, quæ naturaliter appetitur: ergo quamdiu manet priuata suo termino, vel perfectione connaturali, habet appetitum, & naturale desiderium, seu inclinationem ad illam: sicut enim habet priuationem, ita & appetitum. Ex eo autem quod humanitas est in Verbo, licèt altior, & perfectior persona sit, non tollitur quin propria subsistentia sit illi connaturalis, & proportionata, & habeat veram illius priuationem; ergo & appetitum.

Ab Exemplis Confirmatur. Quia natura rationalis est perfectissima forma, quam potest habere materia sublunaris, & tamen habita illa adhuc appetit alias formas. Et Intellectus videns Deum adhuc appetit ex effectibus cognoscere illum connaturali modo. Similiter accidens perfectiori modo existit separatum, quam inhærens; & tamen appetit inhærentiam quando separatum est: ergo similiter humanitas in Verbo appetit propriam subsistentiam.

Denique Confirmat Cabrera. Quia in illud aliquid inclinatur naturaliter, quod ex sola subtractione impedientis sine noua

actione

actione profluit ex ipso: vt patet in Grauibus, & Leuibus, quæ naturaliter inclinantur in motus suos, ad quos tendunt subtracto impedimento, sed ex humanitate, si dimitteretur à Verbo, naturaliter profluere proprià existentia, & subsistentia; ergo naturaliter inclinatur ad illam.

Oppositam defendunt *Caietanus* hic *Quæst.* 4. *Art.* 2. *Medina* ibidem *Dubio* 2. *Aluarez Disp.* 27. *Lorca Disp* 30. *Suarez Disp.* 8. *Sect.* 3. Et communiter Thomistæ. Et eius ratio consistit in eo, quod dicit *Caietanus*, quod quando aliquid perficitur per aliquam perfectionem continentem quidquid est in illo, ad quod naturaliter inclinatur, ibi quiescit naturalis appetitus, eodem modo, atque in eo, quod naturaliter appetit: vnde non amplius mouetur appetendo, & desiderando.

Et Vis huius considerationis est in illo verbo *Continentem quidquid est in illo, &c.* Quando enim aliqua perfectio non solum est melior illa, ad quam naturaliter inclinatur aliquid, sed continet quidquid in illa est, necessariò debet quiescere appetitus in ea, sicut in propria perfectione: quia ideò in propria perfectione quiescit, quia est conueniens, & proportionata suæ inclinationi; ergo si totum hoc est in altero, etiam ibi quiescit. V. gr. si esset aliqua forma, quæ contineret omnes perfectiones omnium formarum corruptibilium, tunc materia informata tali forma plenè satiaretur, nec aliud appeteret etsi esset aliquid continens quidquid est in centro respectu lapidis, lapis in illo existens quiesceret, sicut in centro. Personalitas ergo Diuina non solum terminat naturam humanã, tanquam perfectior subsistentia succedens propriæ, (sicut anima rationalis succedit in materia alteri formæ) sed tanquam continens totam perfectionem propriæ subsistentiæ, quia infinita est; ergo satiatur ibi appetitus, quia ibi inuenitur totum, quod in propria subsistentia.

Denique Authores Contrarij vix possunt se expedire à duobus inconuenientibus *Primum est*, Quia si humanitas naturaliter appeteret propriam subsistentiam; etiam naturaliter appeteret dimitti à Verbo; quia consecutio propriæ subsistentiæ essentialiter dependet à dimissione Verbi: sicut si lapis naturaliter appetit locũ Centri, necessariò etiam, & naturaliter appetit recedere à loco sursum. *Secũdum est*, Quod humanitas pateretur violentiam in Verbo, quia priuaretur illo; quod naturaliter appetit; appetitus autem naturalis frustratus violentiam patitur.

Nec Obstat, quod dicunt *Vazquez*, & *Cabrera*, violentum solum esse illud, quod est contra naturalem inclinationem actiuam, vel formalem, non passiuam, & requirit resistentiam in contrario: alioquin separatio animæ rationalis esset violenta, cum tamen naturaliter desinat esse in corpore, quia naturaliter homo moritur. Humanitas autem solum actiuè, non passiuè se habet ad subsistentiam.

Sed Hæc solutio ex duplici capite est omninò incerta. *Primò*, Quia non constat humanitatem solum passiuè se habere ad subsistentiam; quia naturaliter dimanaret subsistentia ab humanitate, si dimitteretur à Verbo: sufficit autem ad violentum impedire naturalem dimanationem alicuius. *Secundò*, Quia sufficit passiua inclinatio, & appetitus ad aliquid, vt patiatur violẽtiam si frustretur; vt ostendimus *Quæstione* 9. 1. Physicorum.

Sed Inquires: Quomodo naturalis appetitus potest quiescere in aliquo supernaturali, circa quod non potest naturaliter tẽdere; ergo neque quiescere; humanitas autem est in Verbo tanquam in aliquo supernaturali? *Respondetur*, Quod quando illud supernaturale est perfectè satiatiuum naturæ, & continens eius perfectionem, licèt non possit tendere in illud per motum, benè potest in illo iam adepto requiescere. *Ratio*, quia quando mouetur, nondum afficitur ab illo supernaturali, & cum non sit sibi debitum, sed excedens, non potest naturaliter ferri in ipsum. Postquam autẽ est adeptum perficitur, & actuatur ab ipso, & quia supplet naturalem perfectionem, potest in illo quiescere, supposita acquisitione illius.

Soluuntur Argumenta.

Ad Primum à principio *Respond.* ex dictis, Quod licèt appetitus naturalis habeat pro obiecto id, quod est sibi proportionatum, & conueniens, tamen si loco illius habeat aliquid eminentius continens quidquid est in tali termino, non mouetur in illud, sed quiescit. Vnde non valet illa consequentia: *Est priuatus naturali perfectione; ergo appetit illam naturali appetitu, & motu.* Quia ad hoc requiritur, quod

quod non solum illa perfectio, qua priuatur sit ei proportionata, & connaturalis; sed etiam, quod non sit habita, & possessa, neque in se, neque in alio eminentiori, in quo plenè contineatur; sed tunc quiescit in illo, & non mouetur non minus, quam si propriam haberet perfectionem. Vnde licèt maneat in natura principium appetendi, & mouendi se ad illam perfectionē, hoc erit si amoueatur id, per quod supplетur.

Ad 2. Respond. Exemplum de anima rationali non esse ad rem; quia licèt sit perfectissima forma, non tamen continet omnem perfectionem aliarum; ita, vt suppleat quidquid est in alijs formis, quia non habet infinitatē, sicut Persona Diuina. Multo minus est ad rem exemplum de Visione Diuina, quia illa non est incompatibilis cum cognitione in proprio genere, & ex effectibus, & sic supponit priuationem talis cognitionis, neque excludit illam, vnde non tollit appetitum circa illam. Similiter accidens separatum non accipit aliquā formam continentem perfectionem inhærentiæ, sed solum suspendit Deus inhærentiam ad subiectum, supplendo concursum subiecti. Vnde per hoc non tollitur quin appetat inhærentiam, sicut anima separata appetit coniunctionem ad corpus, neque ipsa separatione satiatur.

Ad Vltimam Confirmationem dicitur, Quod pro vtraque parte est dubium, An subsistentia, & existētia dimanent à natura, sicut & aliæ propriæ passiones, loquendo de Emanatione propriè dicta. *Tum*, Quia existentia non est propria passio naturæ, cum non conueniat illi necessariò, sed contingenter; subsistentia etiam non est proprietas, sed terminus, & complementum naturæ. *Tum*, Quia ad huiusmodi emanationem supponitur res existens, & producta, quia illa emanatio habet se ad modum efficientis: ad efficiendum autem præsupponitur existentia, & a fortiori subsistentia, quæ ante existentiam est, seu intelligitur; non enim emanat aliquid ab eo, quod non est principium *Quod* emanationis, sed tantum *Quo*.

Ex Alia verò parte videtur, Quod humanitas ex vi suæ productionis acquisiuit debitum existendi, & terminandi productionem, quia licèt naturæ, vt sic, non debeatur existentia necessariò, nec subsistentia sit proprietas eius; tamen ipsi productioni naturæ debetur terminus vt *Quod*, & existentia in facto esse, ad omne enim fieri, sequitur factum esse. Humanitas autem subiecta fuit productioni, & fieri, sed interueniente assumptione fuit impedita illa productio ne haberet terminum propriū, sed illum præstitit assumptio. Ergo si modo dimittatur à Verbo, sequeretur naturaliter propria existentia, & subsistentia, non per naturalem connexionem cum natura, sed ex vi primæ productionis, quæ ad illam tendebat; sicut de facto produceretur posita tali actione, si non impediretur per assumptionem.

Quod Si Dicas, Si datur proprium fieri humanitatis; ergo etiam datur proprium existere, & subsistere in fieri, & sic modò habet humanitas Christi realiter existentiam propriam, & subsistentiam; quia existentia in fieri realis est, non rationis. *Resp.* Dari quidem fieri proprium, sed impeditum ne terminetur, & consequenter non datur existentia, & subsistentia propria realiter; quia hæc non est fieri ipsum, sed terminus eius, & talis terminus non datur, sed tendentia ad illum.

Quare ad Argumentum Vltimum Confirmationis. *Resp.* Quod licèt ea, quæ dimanant ab aliqua natura, sublato impedimento, supponant naturalem inclinationem, saltim ratione actionis, quæ de se tendebat in illum terminum; tamen hæc naturalis inclinatio, & tendentia non mouetur, nec appetit in actu secundum illum terminum, quamdiu impeditur per alium terminum supplentem, & continentem in se quidquid per priorem terminum dari poterat; habet tamen in se sufficiens principium, vt moueatur ad propriam subsistentiam, si dimittatur à Verbo; modo tamen de facto ad illam non mouetur, sed quiescit in Diuina omninò.

AR-

ARTICVLVS III.

Quid de facto fuerit assumptum à Persona Diuina in Humanitate; & quid non sit Assumptibile?

Dico Primò. Omnia, quæ informãtur anima rationali in humanitate de facto sunt assumpta à Verbo. Hæc Conclusio manifestè sequitur ex Fide, quæ docet, quod *Christus est perfectus homo, & perfectus Deus.* Ergo habet omnia, quæ requiruntur, & concurrunt ad perfectionem hominis; omnes autem partes informatæ anima rationali pertinent ad integritatem, & perfectionem hominis; ergo sunt assumptæ in humanitate.

Dico Secundò. Inter ea de quibus est Opinio, An informentur anima rationali, vel non; certum est (ita vt contrarium sit error in Fide) sanguinem esse vnitum Verbo Diuino.

Pro Quo Aduertendum est. Quod inter Philosophos, & Medicos est Controuersia de forma sanguinis, An informetur forma vitali totius; An distincta forma, quæ vitalis non sit? De qua Quæstione egimus in *Lib. de Generatione Quæst. 8. Art. 3.* Et ibi tanquam probabilius sumus secuti Sententiam *D. Thomæ.* Quod sanguis informatur forma vitali totius, quia viuit, & crescit, & augmentatur, licèt non informetur secundum omnem gradum, & perfectionem animæ, sed secũdum gradum vegetatiuum, & est in potentia, vt ex illo fiant partes solidiores, vt carnes, nerui, & ossa, & sic est nutrimentum illarum.

Cæterum, siue sanguis animetur anima totius, siue non; tamen de Fide certum est, sanguinem fuisse vnitum Verbo Diuino; quia ita determinatur in *Extrauaganti Vnigenitus de Pœnitentia, & Remissionibus,* vbi dicitur, *Guttam sanguinis Christi, propter vnionem ad Verbum, habuisse valorem infinitum.* Idem etiam constat ex Sacramento Eucharistiæ, in quo sub speciebus vini ponitur sanguis, & per naturalem concomitantiam anima, & Diuinitas, vt diffinit *Trident. Sessione 4. Cap. 3.* Etsi in triduo mortis Christi consecraretur species sanguinis, nõ poneretur ibi anima, vel corpus, & tamen ille sanguis esset vnitus Verbo; alioquin non verificaretur, quod esset sanguis Christi, nec ille calix posset dici *Calix sanguinis mei,* si sanguis non esset vnitus Verbo.

Denique: Id communiter docent Patres, & Concilia, assumpsisse Verbum carnem, & sanguinem. Et est optimus locus ad Hebræos 2. *Quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem* Vbi æqualiter loquitur *Paulus* de participatione carnis, & de participatione sanguinis; ergo sanguis fuit vnitus Verbo. Videri possunt Authores apud *Suarez* hic *Disput. 15. Sect. 6. & Vazquez Disp. 36.*

Ex Quibus Infero, Quod à fortiori illi humores, qui perfectum sanguinem includunt, fuerunt assumpti à Verbo, vt sunt spiritus vitales, & animales, qui sunt purissimæ partes sanguinis decoctæ in Corde, & in Cerebro, & quidquid aliud perfectionem sanguinis habet, assumptum est à Verbo.

Infertur Secundo, Etiam alios tres humores, qui pertinent ad temperiem, & compositionem corporis animalis, assumptos esse à Verbo; quia sine illis non viuit corpus, & se habent vt partes eius. Aliud est de humoribus excrementitijs, qui dimittuntur à corpore tanquam superflui.

Tertio Infertur, etiam Vngues, & Capillos assumptos esse à Verbo, quia certius est habere vitam, quia crescunt, & augmentãtur, nec se habent, vt superfluitates emittẽdæ, sed ipsi Corpori vnitæ; non tamen est de Fide de istis, sicut de sanguine. Certum tamen est, quod si aliquid istorum, scilicet capilli, vel vngues præscinderentur à corpore, hoc ipso amittebant vnionem ad Verbum; tamen sanguis effusus vnitus mãsit Verbo, sicut corpus mortuum propter specialem rationem, quia deseruit redemptioni nostræ illa effusio sanguinis.

Circa ea, quæ non sunt assumptibilia immediatè à Verbo, suppono omnem naturam capacem subsistentiæ immediatè in se esse assumptibilem à Verbo, quia talis natura non minus continetur intra perfectionem, & continentiam Personæ Diuinæ, quàm natura humana. Est verò Difficultas, de quibusdam naturis incompletis, quæ non existunt per se, sed in alio; & quædam habent esse incompletum, solũ prout vnita ipsi composito; si enim diuiduntur, redduntur subsistentia, vt partes integrales, & anima: aliæ habent inhærentiam, vt Accidentia;

cidentia; possunt tamen conseruari per se sine subiecto; & de istis est difficultas, An possint assumi ab existentia, vel subsistentia Diuina?

Dico Tertio ex Naturis imperfectis illæ solum, quæ sunt in se capaces propriæ subsistentiæ, & pro illo statu, quo sunt capaces, possunt assumi ad vnitatem subsistentiæ, vel existentiæ Diuinæ: si verò non sunt capaces propriæ subsistentiæ, vel existentiæ, assumptibiles non sunt immediatè *Probatur*. Quia Diuina Personalitas, vel existentia solum assumunt aliquam naturam terminando illam in ratione puri termini; ergo supponunt terminabilitatem in ipsa re assumpta, & loco proprij termini intrant, & subrogantur; ergo res illæ, quæ non fuerint capaces propriæ subsistentiæ, & existentiæ immediatè, sed solum medio alio, neque etiam erunt capaces, vt subrogetur in illis immediatè subsistentia, vel existentia Diuina loco propriæ, sed solum mediante illo, in quo existunt.

Ex Quo sequitur Primo Materiam primam in Sententia *D Thomæ*, si denudetur omni forma, non posse immediatè assumi ab existentia, vel subsistentia Diuina, sed solum mediante aliqua forma. *Ratio est*. Quia entitas materiæ licèt non sit nihil, sed ens reale, est tamen pura potentia incapax existentiæ, quæ est actus vltimus entitatiuus, nisi mediante forma, quæ est actus primus, & specificus, & formalis, vt latè *Quæstione 3. & 4. Physic.* tractauimus, & 1. *Tom. Primæ Part. Disput. 4.* Ergo si essentialiter non est capax habendi propriam existentiam, vel subsistentiam immediatè sine forma; etiam est incapax, vt per existentiam, vel subsistentiam Diuinam, subrogatam loco propriæ materiæ reddatur existens, vel subsistens immediatè, sed semper indiget forma. Subsistentia autem, & existentia Diuina non se habent vt forma, quæ est actus primus, sed vt terminus, neque informat constituendo naturam, sed terminando.

Sequitur Secundo formam accidentalem, etiam separatam à subiecto, non esse assumptibilem à Personalitate Diuina; benè tamen ab existentia, quamdiu separatum esse habet. In hac Conclusione conuenio cum *Aluarez* hic *Disputat. 22.* & *Cabrera Quæst. 4. Artic. 1. Disputat. 6.* & Alijs. *Et ratio primæ partis est*. Quia accidens etiam, vt separatum, non est capax subsistentiæ, nec aliquem modum accipit subsistentiæ. Vt ostendimus in *Libris de Generatione Quæstione 9.* & dato, quod acciperet aliquem modum subsistendi, ille non esset subsistentia, quia accidens extra subiectum, non est per se terminatiuè, sicut substantia, sed est per se effectiuè, quia scilicet Deus efficientia sua conseruat idem esse, quod habebat in subiecto, & dependenter ab illo sine tali subiecto, vt docet *D. Thom.* infra *Quæstione 77. Artic. 1.* Vnde non potest sustentari à Deo per modum subsistentiæ, quasi in se terminetur, & per se existat, sed per effectiuam sustentationem, seu continuatum concursum influentem esse ipsi accidenti sine subiecto, sicut antea influebat cum subiecto; quia concursus est actio Diuina continuans esse, etiam remoto subiecto; actio autem suppleri non potest per subsistentiam Diuinam, quia hæc non terminat causando, sed purè terminando naturam, & supplendo eius propriam subsistentiam. Vnde cum accidens subsistentiæ propriæ non sit capax, sed solum sustentationis effectiuæ à Deo, neque etiam est capax subsistentiæ Diuinæ subrogatæ loco propriæ.

Ratio Secundæ Partis, quæ est contra *Suarez Disput. 14. Sect. 4.* Ex eo sumitur, Quia accidentia quando separantur à subiecto retinent propriam existentiam, in qua conseruantur à Deo; ergo sunt capaces existentiæ subrogatæ loco propriæ. Diuina autem existentia est communicabilis naturæ creatæ, illamque supplet in humanitate Christi, vt nunc suppono ex Sententia Diui Thomæ infra *Quæst. 17. Art. 2.* Sed illa existentia Diuina continet eminenter quamcumque existentiã creatam remotis imperfectionibus; ergo potest loco illius subrogari, dummodo non sequatur imperfectio, sicut sequeretur si accidens non esset separatum, sed inhærens, quia tunc existentia illa diceretur existentia in alio, quod imperfectionem sapit. Vnde si Deus tale accidens separatum assumeret, diceretur Sustentans, vel supplens existentiam accidentis, non tamen diceretur accidens. V. g. non diceretur albedo, neque albũ: nõ albedo, quia natura in abstracto nõ prædicatur de Deo assumẽte; sicut nũc non dicitur Deus humanitas: nõ diceretur albũ, quia hoc nomen importat albe sinẽ inhærentem, & tunc albedo non inhæret Deo.

Sequitur Tertio formam substantialem (præter animam rationalem, de

qua non est Quæstio) si separetur à Deo, & conseruetur sine materia, si haberet modũ subsistentiæ propriæ per talem separationem, vt Aliqui sentiunt; posse assumi à Deo in vniratem suæ subsistentiæ, quia tunc est capax subrogationis alienæ, cum sit capax subsistentiæ propriæ ex vi separationis. Si autem talis forma separata non accipiat modum aliquem subsistentiæ ex vi separationis, vt Alij sentiunt, sed conseruetur à Deo sine materia, sicut accidens sine subiecto per solam effectiuam influentiam existentiæ, poterit per existentiam Diuinam suppleri, & ab illo assumi, non tamen à subsistentia Diuina; sicut de accidente separato dictum est.

ARTICVLVS IIII.

Quis fuerit Ordo Vnionis inter totam Naturam assumptam, & Partes eius?

AD inueniendum ordinem, quo vnita fuit humanitas, & partes eius ipsi cum Verbo in vno fere conueniunt omnes Authores, & in alio est difficultas. Conueniunt Omnes, quod secundum ordinem intẽtionis prius fuit vnitum totum, id est, tota humanitas, quàm partes eius, vt docet *S. Thomas* in hac *Quæst. 6. Artic. 5.* Idque, & non amplius probant Argumenta *Scoti in 3. Dist. 2. Quæst. 2.* Vocamus autem ordinem intentionis, id quod vltimatè intendit ipsum agens. Constat autem Verbum Diuinum intendisse totam, & integram naturam humanam assumere, nec in aliqua tantum parte sistere, quia intendebat Verbum fieri homo; ergo prius immediatè cadebat in intentione totum, quàm pars.

Similiter ferè Omnes conueniunt, vnionem totius naturæ, & partium actu esse vnam, licèt in potentia sint plures, vt perspicuè docet *D. Thomas in 3. Distinct. 21. Quæst. 1. Artic. 1. Quæstiunc. 2. ad 5. Ex parte* (inquit) *assumptorum, quæ diuina sunt, sunt duæ vniones in actu post mortem, antea autem erat vna in actu, & multæ in potentia. Vnde non oportet, quod aliqua vnio fiat ibi de nouo; sicut nec in diuisione continui fit aliquid de nouo, quantum ad id, quod prius erat multa in potentia, vnum autem in actu, fit actu plura.* Ita D. Thomas. Vnde & ipse *Suarez Disp. 17. Sect. 5.* posuit præter partiales vniones partium ad Verbum specialem vnionem naturæ completæ ad personam, pressus difficultate illa, quod per vnionem totius naturæ manent partes assumptæ, & sic superfluunt vniones partiales: additque illam vnionem totalem, seu totius naturæ, non esse omninò distinctam à partialibus, sed solum se habere tanquam includens, & inclusum, quia illa vnio totalis includit illas partiales, & ex illis componitur; atque ita fatetur vnionem illam esse vnam, ex pluribus tamen compositam, sicut humanitas componitur ex suis partibus.

Nos Tamen negamus plures subsistentias partiales in partibus substantiæ, & solum ponimus vnam vltimam; quia subsistentia est terminus, & sic solum debet poni vna pro omnibus partibus; sicut punctum terminat omnes partes lineæ, vt latè tractauimus 1. *Tom. 1. Part. Disputat. 4. & Quæst. 1. Physicorum.* Ita negamus vniones partiales ad subsistentiam, loco partialis subsistentiæ subrogatam; & solum ponimus vnicam vnionem ad vnicam subsistentiam, quæ immediatè terminat totam naturam, & mediatè ipsas partes.

Difficultas verò est. Vtrum in ipsa executione assumptio, & vnio ad subsistentiam Diuinam inceperit ab aliqua parte; & terminata fuerit in ipso toto? Oritur enim difficultas in primis ex parte animæ rationalis, quæ in hoc eleuatur super alias formas, quod non solum est id, quo aliquid existit, & subsistit tanquam principium *Quo*; sed etiam in se recipit prius subsistentiam, & verè in se subsistit; inde vero communicatur ipsi toti (vt affirmat Diuus Thomas 1. *Part. Quæst. 76. Artic. 1. ad 5. & in 1. Distinct. 8. Quæst. 5. Artic. 2. ad 2.*) Nec solum habet esse subsistens vt *Quod*, quando est separata, vt existimauit *Caietanus* hic *Quæst. 6. Artic. 3.* sed etiam quando est coniuncta, quia id intrinsecum est ipsi animæ, nec aduenit illi per separationem, vt etiam asserit *D. Tho. Quæst de Spiritualibus Creaturis Art. 2. ad 3.* dum inquit, *Quòd anima rationalis trahit Corpus ad communicationem sui esse.*

Quare Videtur, quod subsistentia Verbi, quæ fuit assumpta loco propriæ, prius fuit cõmunicata animę, tanquã rei assumptæ,

tæ,& terminatæ per subsistentiam, deinde deriuata ad totum, vt rationi assumendi, & medio se habenti vt *Quo* ad assumptionem naturæ, videatur *S.Tho. Quæst.6. hic Art.* 5.& infra *Quæst.*50. *Art.*2. *ad* 2.

Secundo nascitur Difficultas ex parte ipsius corporis, quod videtur ita esse vnitum Verbo, vt fuerit res assumpta priusquam humanitas, & non solum medium assumendi : nam in morte Christi mansit corpus vnitum Verbo, tãquam res assumpta ex vi prioris vnionis, & non per nouum miraculum: ergo ipsum corpus supponebatur vnitum tanquam res,& non solum vt medium *Quo* assumendi ipsam humanitatem.

Resolutio Nostra est. Quod anima fuit prius assumpta à Verbo, non solum vt medium *Quo* assumendi humanitatem, sed vt res in se subsistens, & ipsa subsistentia terminata; deinde ex vnione animæ ad corpus ex quo resultauit tota humanitas, deriuata est subsistentia animæ ad humanitatem, & corpus. Videatur de hoc *Aluarez hic Disput.*30.

Fundamentum est, Quia eodem modo subrogatur subsistentia Verbi in assumptione, quo resultaret propria,& naturalis subsistentia, si daretur. Constat autem ex locis *D.Tho.* citatis,& ex ipsa ratione, quod anima humana quando creatur in carne, prius in se habet subsistentiam ex ipsa creatione; deinde ex anima communicatur carni, & humanitati; siquidem anima est forma per se subsistens; ergo cum subsistentia Verbi intret loco propriæ eadem ratione prius vnietur animæ, vt rei assumptæ, & per vnionem animæ ad corpus, communicatur corpori,& humanitati. At verò corpori non vnitur immediatè Verbum ordine executionis tanquam rei vnitæ vt *Quod*, quia corpus non prius subsistit vt *Quod*, sicut anima, sed solum mediante composito; ergo nõ est quod prius communicetur illi subsistentia, quam toti naturæ. Et licèt *D.Tho.* in hac *Quæst.6. Art.* 5. æqualiter dicat de vtraque parte humanitatis, quod prius fuit assumpta, quam totum, non tamẽ determinat, quod quælibet prius fuit vnita vt *Quod*, vel vt *Quo*, sed id relinquit determinãdum, iuxta naturam cuiusque partis.

At Verò, quod dicitur Corpus mansisse vnitum Verbo post mortem tanquam res vnita. *Respondetur.* Quod vt docet *D. Tho.* in hac *Quæst.6. Artic* 1. *ad* 3. Licèt corpus fuerit assumptum dependenter ab anima in ipso fieri Vnionis, non tamen dependebat ab illa, vt maneret vnitum in facto esse, quia illa vnio virtualiter erat multiplex,& in potentia, ita quod facta diuisione inter animam, & corpus maneret separatim in vtraque parte vnio ad Verbum, vt *D.Tho.* docet *in* 3. *Dist.*21. citata. Præsertim, quia in illo corpore semper manebat ordo ad animam rationalem, quæ erat illi reunienda, & propter illam habitudinem manebat vnio corporis ad Verbum, licèt actu non informaretur ab anima.

Sed Obijcit Suarez vbi supra. Quia vnio corporis ad Verbum debet esse Corporea, & vnio animæ spiritualis, quia in illis subiectatur talis vnio; ergo non potest esse vna, sed duplex, licèt partialis.

Respondetur. Quod sicut propria subsistentia animæ, imò & ipsa animæ entitas spiritualis est in se, communicabilis tamen corpori modo corporeo ex parte corporis, quia anima eminenter continet gradus corporeos, licèt in se spiritualis sit; ita subsistentia Diuina subrogata loco subsistentiæ animæ, ita vnitur animæ spiritualiter in se, quod eminenter habet ex vi talis vnionis comunicari corpori : quia totum, quod facit subsistentia propria animæ supplet, & facit subsistentia Diuina,& sic vnica vnione totum facit; quæ vnio spiritualis est formaliter, vt subiectatur in anima, sed eminenter corporea in, quantum est communicabilis corpori eadem prorsus ratione, quia ipsa subsistentia animæ, si daretur, quæ spiritualis est in se, vt est in anima, communicabilis tamen corpori propter eminentiam suam quatenus anima est forma corporis. Nec est maior difficultas, quod subsistentia, & existentia animæ, quæ spirituales sunt communicentur corpori, quam quod ipsa entitas animæ, quæ spiritualis est informet corpus.

QVAESTIO SEPTIMA.

DE GRATIA CHRISTI.

ACTVRVS *Sanctus Thomas* de Perfectionibus in Humanitate Christi assumptis, primò incipit ab eius *Gratia*; in hac quidem *Quæst.* 7. agendo de ipsa secundùm se, & in ordine ad se. In *Sequenti* verò, de Ipsa quatenus est *Gratia Capitis*, & influxiua in alios. De ipsa secundùm se tractat duo, *Primum* de ipsa *Gratia*, *Virtutibus*, *Donis*, *& Gratijs gratis datis*, quæ fuerunt in Christo. *Secundum* de Perfectione, Plenitudine, & Infinitate ipsius Gratiæ, & distinctione eius à *Gratia Vnionis* In primo ordine ponit in Christo *Gratiam*, & *Virtutes*, excludendo illas, quas imperfectionem important repugnantem Visioni Beatæ, vt sunt *Fides*, & *Spes*: ponit etiam *Dona Spiritus Sancti* in Christo, & specialiter *Donum Timoris*, de quo poterat esse Difficultas. Similiter *Gratias gratis datas*, & Specialiter *Prophetiam*, quia etiam de illa poterat esse Specialis Difficultas, quod non inueniatur in Christo. Et hæc tractat vsque ad Art. 8.

In Secundo Ordine ostendit fuisse in Christo Plenitudinem gratiæ, ita quod potuit augeri in infinitum moraliter, etsi non physicè, & hoc ab Art. 9. vsque ad 13.

DIS-

DISPVTATIO OCTAVA

DE GRATIA HABITVALI, ET ALIIS DONIS ANIMÆ CHRISTI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Anima formaliter, & intrinsecè sanctificetur per Vnionem Personalem Verbi?

HVius *Difficultatis Occasionem* præbuit Sanctus Thomas in *Art.* 1. huius *Quæst. Solut. ad* 1. Vbi ad explicandum necessitatem gratiæ habitualis in Christo, dixit: *Quod quia in Christo remanet distinctio naturarum in Vnitate Personæ, Anima Christi non est per suam essentiam diuina, & ita oportet, quod fiat diuina per participationem, quæ est secundum gratiam.* Hinc ergo sumitur Occasio Difficultatis, An videlicet vnio Personæ diuinæ ad Animam Christi reddat illam sanctificatam, etiamsi non poneretur gratia habitualis, & quomodo possit personalis vnio hunc effectum formalem præbere Animæ?

Vt Autem Punctus Difficultatis attingatur, duo suppono tanquam certa, & in alijs duobus est magna Difficultas. *Primum est certum*, Sanctitatem diuinam attributalem non minus prædicari de Christo per communicationem Idiomatum, quàm alia attributa: sicut enim Christus dicitur Omnipotens, Immēsus, Infinitus, &c. ita etiam loquendo de illo homine in concreto ratione Personæ, dicitur sanctus sanctitate diuina eadem ratione. *Secundum certum est* solam Vnionem Hypostaticam sufficere ad effectū negatiuum Sanctitatis, quod est esse Impeccabilem illum hominem, quia vt infra *Quæst.* 15. Latius dici solet, illi homini ratione Personæ, quæ est principium *Quod* illius naturæ, & operationum eius, repugnat, quod influat in peccatum, & non solum ex aliqua extrinseca prouidentia, & protectione Dei.

Difficultas Consistit in duobus. Primum, An ista vnio Personalis solum radicaliter præbeat Sanctitatem animæ Christi, quatenus est radix, & principiū, cui debetur gratia habitualis. An verò per se ipsam formaliter constituat animam Christi intrinsecè Sanctam? *Secundò est Difficultas*, Dato quod formaliter possit reddere animam Sanctā, An talis effectus formalis proueniat à Deitate, seu à Personalitate ipsa relatiua: An verò ab ipsa Vnione, qua humanitas redditur formaliter vnita Personæ.

In Primo Puncto Controuersiæ, Variæ sunt Sententiæ, quæ tamen ad duos modos dicendi præcipuè reduci possunt. *Primus est*, Quod gratia Vnionis licet reddat Personā diuinam formaliter vnitam humanitati in ratione subsistentis, non tamen reddere illam formaliter Sanctam, & gratam, sed solum causaliter, seu radicaliter, quatenus est causa, & principium dādi gratiam habitualem, quæ est forma intrinsecè sanctificans, siue intelligatur quod Vnio Hypostatica sit radix quasi physicè, & effectiuè gratiæ habitualis, eo modo, quo essentia est radix passionum; siue intelligatur, quod sit radix quasi moraliter, quatenus præbet aliquod Ius siue conuenientiam, vt detur gratia habitualis Animæ Christi. Vnde qui hanc Sētentiam sequuntur, negant quod Gratia Vnionis actualiter, & formaliter exerceat officium sanctificandi animam immediatè per se, sed mediante gratia habituali. Ita *Asturicensis Relectione de Gratia Christi Pag.* 96. Et sequitur *Aluarez* hic *Disp.* 31. *in Prima Conclusione*. Et præsertim in *Solut. ad* 1. & 2. & 3. Nec multum recedit iste modus dicendi à Sententia *Paludani in* 3. *Distinct.* 13. *Quæstion.* 2. *Conclus.* 1. Et *Durandi eadem Dist. Quæst.* 1. *Num.* 8. Qui existimat gratiam habitualem simpliciter fuisse necessariam Animæ Christi ad suam sanctificationem.

Alius Modus Dicendi est, Quod gratia Vnionis immediatè, & formaliter per se ipsam sanctificat animam Christi sanctitate Personali, & quasi substantiali, seu subsistēti. An verò det omnes effectus sanctitatis ipsi Animæ Christi, ita quod suppleat tanquam forma eminens id quod Gratia formaliter accidentaliter facit, non ita conuenit inter Authores: nam *P. Suarez Disp.* 18. *Sect.* 1. §. *Dico Secundo*, & Alij, existimāt Gratiam Vnionis per se ipsam formaliter non conferre naturæ humanæ omnem iustitiæ, & sanctitatis perfectionem, quasi extrinsecam, quæ in homine iusto, & Sancto necessaria est, vt sit ex omni parte benè affectus, & dispositus ad operationes rectas; id enim necessariò debet fieri per virtutes, seu habitus supradictos: idemque necesse est ponere, vt actus ipsi supernaturales sint. Alij indistinctè loquuntur, & sanctificationem supernaturalem attribuunt ipsi Gratiæ Vnionis, & similiter omnem rationem meritoriam præmij supernaturalis. Ita absolutè docet *Lorca* hic *Disput.* 36. *Medina super Artic.* 1. *huius Quæst.* Et *Vazquez Disp.* 41. *Cap.* 4. *in fine*. Qui in hoc contradicit *Suario*.

In Secundo Puncto, Quidam dicunt humanitatem sanctificari per ipsam Deitatem vnitam illi mediante Hypostasi, vt *Vazquez* hic *Disput.* 41. citata *Cap.* 4. Quatenus humanitas Christi dicitur vnita, & delibuta ipsa Deitate. Addit tamen Deitatem non esse formam intrinsecam sanctitatis, sed extrinsecam, ideòque non tribuere effectum physicum sanctitatis animæ Christi, sed solum moraliter per quemdam respectum. Alij existimant formam sanctificantem non esse ipsam naturam Deitatis, quæ solum mediatè vnitur humanitati, sed esse ipsam Personam Verbi, quæ immediatè illi vnitur. Ita *Suarez*, vbi supra citat. *Lorca*, *Nazarius* hic *Art.* 1. *Controuers.* 2. *Conclus.* 4. & Multi Alij Communiter. Licèt valdè difficile sit in hac sententia explicare, Quomodo personalitas relatiua immediatè sanctificet, cum sanctitas in Deo sit attributum absolutum, & omne absolutum solum mediatè vniatur humanitati.

Denique Alij existimant ipsam vnionem immediatè sanctificare humanitatem, loquendo de forma sanctificante physicè; moraliter enim ipsa Persona Verbi est, quæ sanctificat, & dignificat humanitatem. Ita *Pater Suarez*, infra *Disput.* 53. *Sect.* 3. §. *Vnde ad alteram partem*. Vbi docet formam intrinsecè sanctificantem esse Vnionem, quia hæc est intrinsecè in humanitate. Verbum autem non sanctificare intrinsecè, sed sicut formam extrinsecam, seu terminum vnionis: tandemque resoluit sanctificationem Christi, si consideretur tanquam aliquid physicum, esse proximè ab vnione, si consideretur quantum ad dignitatem moralem esse à Persona Verbi. At verò hic *Disp.* 18. *Sect.* 1. dixerat absolutè Verbum esse quasi formam sanctificātem; Vnionem verò quasi viam, siue conditionem requisitam. Sicut gratia (inquit) est forma sanctificans Animam, inhæsio vero est conditio necessaria, siue via in suo genere ad illam.

Resolutio Difficultatis.

Nihilominus Dico Primo. Certum est secundum doctrinam Patrum, humanitatem Christi ex Vnione Hypostatica ad Verbum, sanctificatam, & deificatam esse. Hanc Conclusionem benè probant Testimonia, quæ eruditè adducit *Asturicensis*, vbi supra *Pag.* 94. *Suarez*, & *Vazquez* loc. citat. Quamuis *Lorca* existimet non omninò cōuincere Testimonia Sanctorum. Existimo tamen hoc negari non posse, quia Patres ponunt differentiam inter nostram sanctificationem, & Christi; quod Christus ipsa diuinitate, & Vnione Personæ sit sanctus; nos autem participatione gratiæ Ipsius. Quod stare non potest, si ista sanctificatio Christi exponitur de sanctificatione per gratiam, qua etiam nos sancti sumus. Sic dixit Concilium Francofordiense in Epistola ad Episcopos Hispaniæ: *Quia Christus natura vnctus; nos per gratiam, quia in illo plenè fuit diuinitas*. Et Nazianzenus Orat. 36. Numero 7. *Quorum causa* (inquit) *diuinitate delibutus est; hæc enim humanitatis Vnctio est*. Et subiungit Num. 93. & sequentibus: *Christus verò propter diuinitatem. Ea enim humanitatis Vnctio est, non operatione vt in alys, Christum sanctificans, sed totius Vnguenti præsentia, cuius hic effectus est, vt id quod vngit Homo vocetur, & quod vngitur Deus fiat*. Et Cyrillus Lib. 4. in Ioann. Cap. 29. dicit: *Christum vnctum non sicut alios Sanctos, & Reges, sed quia Verbum Caro*. Et similia inueniuntur in Athanasio, & Damasceno, quæ testimonia, Ipse *Lorca* negare non potuit, sed excepit istos quatuor Patres.

Nec

Nec Etiam rectè explicantur ista, & alia Testimonia de Vnctione, & sanctificatione per Verbum, sicut nos dicimur sanctificari Spiritu sancto, non excludendo donum creatum, quo formaliter sumus sancti. Sic enim nulla esset differentia inter sanctificationem Christi, & nostram, nisi penes maiorem, vel minorem gratiam; quia tam Christus, quàm nos sanctificaremur per donum creatum gratiæ: Persona autem diuina in Christo, & Spiritus Sanctus in nobis, solum sanctificaret causaliter, & tanquam principium vt sanctitas dimanaret, non tanquam ratio sanctificandi, & sic non haberet diuersum genus sanctificationis. Dicit autem *Hilarius 7. de Humanitate* (quem refert Sanctus Thomas in *Catena Ioann. 10. ad illa verba*, Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum) *Præcedit* (inquit) *cæteros per id, quod sanctificatus in filium est, Beato Paulo dicente, quod prædestinatus est Filius Dei in Virtute, secundum spiritum sanctificationis.* In hoc ergo Sancti ponunt præcellentiam sanctificationis Christi, quia accepit sanctificationem filiationis naturalis, & non adoptiuæ; quod vtique factum est per gratiam vnionis. De quo etiam videri potest *Sanctus Thomas*, super *Ioann. Cap. 1. Lect. 8.* ad illa verba, *Plenum gratiæ, & veritatis*, & Ioann. 10. ad illa verba: *Quem Pater sanctificauit, &c.* & ad Hebræos 1. exponens illa verba: *Propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ, &c.*

Ratio Conclusionis desumitur ex eadem doctrina Sancti Thomæ. Quia esse Filium Dei naturalem est maxima sanctitas, & coniunctio suprema Animæ ad Deum, & suprema communicatio supernaturalis, quæ ipsi animæ fieri potest, & ex vi huius doni communicati animæ Christi ipsa supernaturaliter manet diligibilis, & grata Deo, & consequenter sancta; nam Deus amore suo communicat bonitatem creaturæ, quam amat, & consequenter, cui tantum bonum, & donum communicat, vtique summè diligit, & amat: & cum donum supernaturale sit, imò excedat omne donum supernaturale creatum, consequenter supernaturaliter diligit, cui illud communicat. Sicut ex eo animam supernaturaliter diligit, cui gratiam habitualem communicat, quia illi donum supernaturale præbet, & anima quatenus subest illi dono est supernaturaliter dilecta.

Dico Secundo. Non solum radicaliter, & mediatè; sed formaliter, & immediatè, & proximè Anima Christi redditur sanctificata per ipsam Vnionem Verbi; licèt non ea formalitate, qua gratia creata, scilicet, accidentaliter. Hanc Conclusionem deduco ex doctrina Sancti Thomæ Opusc. 2. Cap. 214. Vbi sic inquit: *Ille per acceptum donum gratuitum efficitur Deo gratus, qui vsque ad hoc perducitur, quod per charitatis amorem vnus spiritus fiat cum Deo, quod ipse in Deo sit, & Deus in eo: hæc autem gratia est omnium sanctorum cõmunis. Alia verò coniunctio est hominis ad Deum, non solum per affectum, aut inhabitationem, sed etiam per Vnitatem Hypostasis, seu Personæ, vt scilicet vna, & eadem Hypostasis, seu Persona sit Deus, & homo. Et hæc quidem coniunctio hominis ad Deum est propria Iesu Christi, hæc etiam est hominis Christi gratia singularis, quod est Deo Vnitus in vnitate Personæ, & ideò gratis datum est, quia & naturæ facultatem excedit, & hoc donum merita nulla præcedunt, sed & gratissimum Deo facit, ita quod de ipso singulariter dicatur, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et subdit, *Quod gratia per quã homo vnitur Deo per affectum aliquod habituale existit in anima, esse autem Personale, vel Hypostaticum non est per aliquem habitum, sed per naturas quarum sunt Hypostases, vel Personæ.* Ergo in Sententia Sancti Thomæ, humanitas Christi, seu Christus vt homo, redditur singulariter gratus Deo, eique coniunctus, scilicet aliquo habitu, & consequenter non solum radicaliter, ac remotè, sed proximè, & formaliter gratia Vnionis sanctificat animam reddendo illam Deo gratam, & dilectam supernaturaliter, & consortem diuinitatis superiori modo, quam gratia habitualis, scilicet ipsa Filiatione naturali Dei.

Et Deducitur euidèter ex præcedèti Cõclusione. Nam cõmunicatio diuinæ filiationis naturalis implicat, quod fiat formaliter per gratiam habitualem, quæ solum adoptionem, & sanctitatem secundum affectum inducit: ergo ista communicatio filiationis naturalis debet formaliter fieri per gratiam vnionis. Sed hæc est sufficiens, vt ille homo, in quantum homo, & ratione humanitatis, sic vnitæ, sit formaliter Deo gratus; & prædestinatus supernaturaliter: ergo vt sit formaliter sanctificatus supernaturaliter ex formalitate eminentioris formæ, ita tamen quod immediatè, & proximè conferat hunc effectum, & non mediante gratia habituali, à qua nullo modo tales effectus possunt

possunt procedere. *Minor Probatur.* Quia ex eo quod Christus sit Filius Dei naturalis complacet Deo supernaturaliter, iuxta illud Matth. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo, &c.* Ergo est gratus Deo supernaturaliter; idem enim est esse Deo gratum supernaturaliter, & complacere Deo. A

Item. Ratione filiationis naturalis, vt communicatæ, terminat verè, & propriè actum prædestinationis diuinæ, dicente Paulo ad Rom. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute.* De quo infra omnes Theologi cum Sancto Thoma *Quæst.* 24. Sed prædestinatio est prouidentia efficax supernaturalis; ergo terminat formaliter actum prouidentiæ supernaturalis, ex vi solius gratiæ Vnionis: ergo & habet sanctitatem, quia prædestinatio non versatur nisi circa sanctitatem, & gratiam. B

Ac Denique Confirmatur. Quia vt aliqua forma radicaliter solum tribuat aliquē effectum, & mediatè, oportet quod ille effectus proximè, & formaliter fiat ab alia forma. Risibilitas enim formaliter facit risibile, non rationalitas; sed gratia habitualis non potest formaliter facere sanctum sanctitate filiationis naturalis, sed solum participatiuè, & secundum speciem Vnionis affectiuæ; ergo illa sanctitas filiationis naturalis non radicaliter, sed formaliter debet præstari à gratia Vnionis per se immediatè; illa autem est vera, & propria sanctitas, quia reddit animam magis vnitam Deo, quàm gratia habitualis, & magis gratam, & dilectam. Ergo, &c. C D

Sed Obijcies Locum ex 3. *Dist.* 3. *Quæst.* 1. *Art.* 1. Vbi inquit, *Quòd Deitas, non est formaliter, sed effectiuè perficiens animam ipsi. Vnde oportet aliam formam creatam ponere in ipso, qua formaliter perficiatur, & hæc est gratia.* Ergo secundum Sanctum Thomam, quidquid non est forma creata, sed ad diuinitatem pertinens, non formaliter sanctificat, sed ad summum radicaliter. E

Respondetur, Quod Sanctus Thomas loquitur de sanctificatione accidentali, & participatiua, non de Personali, & Hypostatica; illa enim effectiuè fit à Deitate, vt à forma deriuante ex se talem participationem: vt quando dicit *Deitas non formaliter, sed effectiuè tantum perficiens*, manifestum est, quod ly *Formaliter*, ibi non opponitur huic, quod est *Radicaliter*, sed solum huic, quod est *Effectiuè*; atque ita respectu sanctificationis, quæ est effectus proce-

cedens à Deo, Deitas formaliter non concurrit. Respectu verò sanctificationis, quæ fit secundum filiationem naturalem, non radicaliter solum, sed formaliter concurrit, vt ibidem *Sanctus Thomas ad* 5. fatetur; Quod Christus, etsi gratiam habitualem non habuisset, ex sola Vnione ad Verbum, & quia Deus erat, peccare non potuisset, & sibi gloria debebatur; adhuc tamen indiguit gratia ad perfectionem, & ad actus gloriæ, & ita debuit habere gratiam consummatam, quæ est lumen gloriæ, & gloriam perficientem ad actus viæ.

Dico Tertio Sanctificatio ista formalis, Personalis, aut Hypostatica, non fit in ipsa anima Christi per diuinitatem vt natura est, quatenus distinguitur à Persona; sed fit formaliter per ipsam relatiuam Personam Vnitam Hypostaticè, quatenus habet præbere effectum communem omnibus Personis, scilicet, quatenus Persona Diuina assumēdo naturam humanam est ratio coniungendi duas naturas, scilicet diuinam humanæ in eadem Persona. Hæc Conclusio continet partem negatiuam, scilicet, Non fieri hāc sanctificationem per Diuinitatem vt natura est, quatenus distinguitur à Persona, & partem affirmatiuam, scilicet Formaliter per ipsam Hypostasim sub illa ratione explicata. Et prima pars est contra *Vazquez* vbi supra, Qui deficienter attingit hunc modum sanctificationis, existimans Deitatem ipsam esse formam sanctificantem Animam Christi mediante Vnione, tanquam conditione requisita; & cum videret Deitatem, vt distinguitur à Supposito, non posse vniri tanquam formam alicui creaturæ, & supplere effectum formalem aliquem in ipsa, declinauit in aliud extremum, & dixit hunc modum sanctificationis deriuatum à Deitate in animā Christi mediante vnione, non esse physicum aliquem effectum, sed moralem, qui in extrinseco respectu consistit.

Sed Hæc Philosophia Vazquez longè ableganda est à Theologia, quia in re non solum destruit formalem sanctificationem in anima Christi; sed etiam veram. Neque enim potest dici in re Sancta illa anima, si in se non est Sancta per aliquam mutationem interiorem sibi superuenientem, intrinsecè receptam mediante Vnione Hypostatica: sicut enim non posset dici verè subsistens humanitas nisi verè, & intrinsecè mutaretur per subsistentiam Verbi sibi Vnitam, à qua terminatur intrinsecè; sic

nec

nec posset dici verè Sancta, nisi verè, & intrinsecè mutaretur per sanctificationem realem, & intrinsecam. Si enim Suppositum sufficit immutare naturam intrinsecè in ratione subsistendi, cur non in ratione sanctificandi?

Et Optimè hæc Sententia impugnatur à *Lorca* vbi supra, cuiusque falsitas ex duobus constat. *Primo* ex peccati expulsione. Nam si Verbum assumeret naturam maculatam peccato per veram, & intrinsecam maculam, impossibile erat tollere hanc maculam nisi per intrinsecam mutationẽ; priuatio enim intrinsecè conueniens alicui subiecto, non potest tolli ipso subiecto manente intrinsecè immutato; manet enim intrinseca priuatio, quamdiu subiectum intrinsecè non mutatur, sed est intrinsecè sicut prius: sed per Vnionem Hypostaticam ille homo non maneret verè, & intrinsecè peccator, nec maculatus, aut auersus à Deo, vt Dicebamus ex *Sancto Thoma*, & infra communiter docetur à Theologis *Quæst.* 15. nec Ipse *Vazquez* diffitetur; ergo sanctificatio Hypostatica intrinsecam mutationem, & effectum debet ponere, qualis est exclusio peccati intrinsecè maculantis animam. Nec potest tolli per extrinsecum, & moralem respectum, sicut tenebræ tolli non possunt per respectum extrinsecum, sine informatione lucis.

Secundo Excluditur ista Sententia. Quia sanctificatio vera, quando non fit à propria forma, sed à forma superiori eminenti, debet supplere effectum, quem dat propria, & connaturalis forma; alioquin si illum nõ supplet, non potest dici subiectum verè informatum tali forma; & consequenter, neque illa forma verè informare, & præbere effectum suum. Si ergo Deitas solum per denominationem extrinsecam sanctificat, anima non dicetur verè sanctificata; ergo neque Deitas verè sanctificat. *Sequela Probatur.* Quia per gratiam habitualem dicitur anima verè, & physicè sanctificata intrinsecè; ergo illa forma, quæ solum extrinsecè, & moraliter sanctificat, non supplet in anima illum effectum realis sanctificationis; & consequenter per illam formã non dicitur realiter sanctificata anima, nec realiter eleuatur ad ordinem supernaturalem, nec realiter habere filiationem diuinam, sed solum per denominationem extrinsecam. Atque adeò sanctificatio per Vnionem Hypostaticam esset longe inferior ad sanctificationem gratiæ habitualis, A quia non daret effectum realem, & intrinsecum sanctificationis, sed solum per denominationem extrinsecam, quod est non dare illum. Quando enim effectus aliquis de se intrinsecus est, sicut esse album, esse lucidum, &c. Si solum extrinsecè præbeatur ab aliqua forma, verè non præbetur. Sicut non esset verè subsistens humanitas per Verbum, si intrinsecè non subsisteret; ly autem *Sanctum* importat realem, & intrinsecum effectum in anima; ergo si præbetur B solum extrinsece à Deitate, vere non præbetur, sed manet anima illa æquiuoce Sancta, scilicet sanctitate denominationis rationis, & extrinsecè; non vere, & proprie.

Secunda Autem pars Conclusionis, affirmatiua est, ad explicandum quomodo ista sanctificatio à Personalitate Verbi sit; sine hoc quod ponamus plures sanctitates relatiuas, sed solum vnam absolutam in Deo (qui est totus punctus Difficultatis) & sine hoc quod ponamus Diuinitatem, aut C aliquod attributum absolutum formaliter communicari. Igitur dicimus, quod Persona Diuina Relatiua sanctificat realiter, & intrinsece humanitatem, quatenus est intrinseca, & formalis ratio coniungendi Deum ipsi humanitati multò eminentiori modo, quam gratia coniungens Animam Deo. Explico hoc ex doctrina *Sancti Thomæ* supra cit. *Opusc.* 2. Vbi explicans Quomodo sanctificetur anima Christi per hanc Hypostaticam Vnionem, & fiat Deo grata, inquit, *Hoc interesse videtur inter vtrãque gratiam, quod gratia quidem per quam vnitur homo per affectum, aliquid habituale existit in anima, quia cum per actum amoris sit coniunctio ista, actus autem perfecti procedunt ab habitu, consequens est, vt ad istum perfectissimum actum, quo anima Deo coniungitur per amorem, aliqua habitualis gratia animæ infundatur. Esse autem Personale, vel Hypostaticum non est per aliquem habitum, sed per naturas, quarum* E *sunt Hypostases, vel Personæ. Vnio igitur naturæ humanæ ad Deum in vnitate Personæ non fit per aliquam habitualem gratiam, sed per ipsarum naturarum coniunctionem in Persona vna.* Idem vide in Sanct. Thom. Lect. 8. super Cap. 1. Ioann. ad illa verba, *Plenum gratiæ.*

Ecce Quomodo Sanctus Thomas explicat modum; quo gratia habitualis sanctificat, scilicet coniungendo nos Deo. Similiter docet Diuinam Personam sanctificare, quatenus coniungit naturam humanam

Deo

Deo in Vnitate Personæ, & fit naturarum coniunctio in Persona Vna.

Itaque sicut gratia habitualis non sanctificat nos præcisè, quia entitas inhærens est, sed quatenus coniungit nos Deo, & facit consortes diuinæ naturæ, ita quod illa entitas gratiæ, si à Deo poneretur inhæsiuè in lapide non redderet illum Sanctum, quia non redderet coniunctum Deo per modum affectiuum; ita Personalitas Diuina relatiua, non quatenus facit præcisè subsistere naturam humanam, sed quatenus facit eam coniunctam Deo substantialiter (non sicut faceret subsistere lapidem si illi vniretur) sed coniunctam Deo in ordine ad operādum rectè operationes humanas reddit illam humanitatem Sanctam. Et sicut gratia cōiungens nos Deo formaliter reddit nos Sanctos, non autem Deus cui nos coniungit, ita Personalitas coniungens naturam humanam diuinæ, formaliter reddit Sanctam humanitatem, non autem diuinitas cui coniungit. Et sic verificamus verba Sancti Thomæ, Quod per coniunctionem duarum naturarum fit hæc vnio, seu coniunctio, & consequenter sanctificatio.

Fundamentum huius est ex ipsa intima, & quidditatiua ratione sanctificandi, quæ consistit in coniunctione naturæ rationalis ad Deum, ordinata ad operandum rectè, sic enim conuenienter explicant Theologi modum sanctificationis gratiæ habitualis, & sic elicitur ex illo 2. Petri 1. *Vt efficiamini diuinæ Consortes naturæ.* Per Consortium enim diuinæ naturæ, seu coniunctionem, & participationem diuinæ naturæ formaliter sanctificatur homo; ergo in tantum Persona Diuina dicitur sanctificare hominem, quatenus reddit, illum coniunctum, & Consortem diuinæ naturæ, nō quidem participatiuè, sed substantialiter faciens concursum vtrique naturæ in eodem suppositō, & Vnitate Personæ. Constat autem, quod coniunctio humanæ naturæ ad diuinam, seu humanitatis ad Deum, fit mediante suppositō, tanquam eo in quo fit vnio duarum naturarum. Sicut docet *Sanctus Thomas*, supra *Quæst. 2. Art. 9.* Vbi inquirens, An vnio duarum naturarum in Christo sit maxima? Dicit esse maximam, ratione eius in quo vniuntur, scilicet ratione suppositi, in quo vtraque natura coniungitur. Cum ergo Persona sit id, in quo natura diuina vnitur humanitati, & talis Persona realiter vniatur naturæ, & intrinsecè, non informando, sed terminando, consequenter realiter, & intrinsecè vnitur humanitati id quod est ratio, & medium coniungendi, & communicandi naturam diuinam animæ, quod est exercere officium formæ sanctificantis. Neque enim aliter gratia sanctificat, quam quia coniungit nos Deo, & facit in nobis participationem diuinitatis accidentaliter. Persona autem diuina substantialiter facit animam coniunctam ipsi diuinitati, & sic non diuinitas, sed Personalitas sanctificat tanquam ratio coniungens diuinitatem termino.

Soluuntur Argumenta.

Ex Qua Doctrina facile soluuntur Argumenta, & Difficultates, quæ contra hanc resolutionem fieri possunt. Nam Primo Arguit *Asturicensis*; Quod gratitudo formalis est effectus formalis, & primus habitualis gratiæ, ergo ex vi solius Hypostaticæ Vnionis non potest Christus esse gratus gratitudine formali. *Consequentia Pater.* Quia effectus formalis alicuius formæ non est ab ea separabilis; & idem est habere effectum formalem alicuius formæ, & habere ipsam formam: ergo si gratitudo formalis est primus effectus formalis gratiæ non potest separari a gratia.

Nec Dici Potest, Suppleri hunc effectum formalem gratiæ per formam altiorem, quæ eminenter illam continet, scilicet per gratiā Vnionis. Quia sic sequeretur, Quod per eamdem Vnionis gratiam sine lumine gloriæ à Visione Beatifica posset dici homo formaliter beatus, sicut formaliter dicitur Sanctus, supplente gratia Vnionis illum effectum formalem sanctitatis creatæ, quod est falsissimum.

Etsi Dicatur, Quod sanctitas non consistit in actu vitali, sicut beatitudo formalis, sed in habituali informatione, ac proinde ista suppleri potest per illam altiorem formam, non verò Beatitudo. *Contra adhuc est*, Quia sequeretur, quod si Verbum assumeret naturam leonis, leo formaliter, & simpliciter esset Deo gratus, quia Vnio Hypostatica in leone esset eiusdem rationis cum Vnione in natura hominis; & eidem esse diuinum acciperet vtraque natura, eamdemque informationem, seu terminationem; ergo seclusis actibus, & habitibus per præcisam Hypostaticam Vnionē, tam sancta diceretur natura leonis, sicut nunc humanitas.

Et Adhuc Confirmatur. Quia Verbum Diuinum habet puram rationem termini facientis subsistere humanitatem, nec aliquo modo rationem formæ immutantis intrinsecè animam, aut principia effectiua in ipsa supplet; ergo nullo modo potest illam reddere formaliter Sanctam. *Antecedens Patet.* Quia Verbum nullo modo habet rationem principij *Quo* in anima respectu actionum eius, sed tantum principij *Quod*; ergo nullo modo immutat illam per modum formæ, sed per modum termini subsistentis. *Consequentia Patet.* Quia sanctificatio est dispositio habitualis animæ, & potentiarum eius in ordine ad rectè operandum; alioquin si non daret Sanctitas principium recte operandi, non erit ratio cur natura Irrationalis non diceretur Sancta ex Vnione ad Verbum: sed Verbum nullo modo immutare potest animam, aut potentias eius in ratione dispositionis habitualis; aut intrinsecè informantis, ergo non potest suppiere effectum formalem sanctificationis gratiæ.

Ad Hoc Argumentum est ferè eadem Responsio. Fatemur enim, quod effectus formalis primarius formæ suppleri non potest per aliam formam, eo modo, quo à tali forma procedit; & sic effectus formalis gratiæ est gratitudo formalis, non quomodocumque, sed formalis accidentalis. Gratitudo autem formalis substantialis, seu Personalis ab alia forma prouenire potest, & est distinctus effectus formalis, quia eminentior gratitudo est, sicut vegetatiuum hominis, & plantæ distincti effectus formales sunt.

Ad Replicam Primam contra hanc Solutionem benè responsum est, Quod Beatitudo consistit in actione; Sanctificatio autem in Coniunctione ad Deum; actio autem non potest communicari alicui nisi ab illo procedat, vt à principio eliciente, præsertim si sit actio vitalis, ideòque per gratiam Vnionis suppleri non potest actio visionis Beatæ. At verò coniunctio ad Deum non est necesse, quod fiat formaliter per habitum, sed multò melius fieri potest per Personam.

Ad Secundam Replicam Nazarius concedit naturā Leonis, si assumeretur à Verbo, dicendam esse simpliciter Sanctam, & gratam sanctitate Personali. Existimo tamen id non esse concedendum, vt non concedit *Asturicensis*. Quia sicut Personalitas Verbi non redderet leonem Personam, sed suppositum, quia Persona solum dicitur de natura rationali; etsi assumeret lapidem non diceretur lapis Filius, quia nō est capax filiationis, licèt Persona illa esset Filius Dei; ita non redderet illam naturam Sanctam, quia non est capax Sanctitatis, eo quod sanctitas solum inuenitur in natura rationali, in qua operationes sunt morales, & liberæ, regulabiles per rationem: quod autem non est liberum, non est Sanctum, Sanctitate de qua Loquimur, rectificante naturam ad Deum. Et ideò Dico, quod licèt illa natura leonis esset Deo coniuncta coniunctione Suppositali, non tamen cōiunctione, quæ requiritur ad Sanctitatem, quæ est coniunctio fundans rectificationem, & regulationem ad Deum in operationibus suis; quarum natura non est radix, & ideò illius capax non est natura leonina.

Ad Confirmationem Respondetur Distinguendo Consequens. Nullo modo potest reddere humanitatem Sanctam, Sanctitate habituali, & accidentali, *Concedo*: Sanctitate Personali, & substantiali, *Nego*. Hæc autem Sanctitas, licèt non immutet Potentias, aut naturam per modum dispositionis, aut principij formalis, immutat tamen per modum principij Personalis, per quod nō radicaliter, sed formaliter facit coniunctionem ad Deum, in quo saluatur formalis Sanctificatio. Itaque formalis Sanctitas non consistit in Sanctificatione per modū principij formalis, sed in coniunctione formali ad Deum, siue illa fiat per Principium Personale *Quod* terminans humanitatem, siue per habitualem dispositionē, & principium *Quo* informans naturam.

Secundo Obijcies ex Vazquez, quod *Patres* dicunt Humanitatem fuisse deificatam, & sic sanctificatam ipsa Deitate; ergo Deitas est forma sanctificans; & cum ista sanctificatio sit infinita, oportet quod eius forma sit infinita, & consequenter non ipsa vnio creata, sed ipsa Deitas. *Sed hoc nihil probat.* Concedimus enim Deitatem sanctificare naturam humanam media Personalitate, non per se ipsam vt formam, nec *Patres* loquuntur de Deitate præscindendo à Personalitate. Concedimus etiā Vnionem creatam non esse formam sanctificantem, quia (vt Diximus supra in Materia de Incarnatione) modus Vnionis non est forma, sed applicatio, & coniunctio formæ ad id, quod informatur; & ita Vnio non dicit formaliter Sanctificationem infinitam;

finitam, sed applicat formam infinitam, quæ sanctificat humanitatem.

Tertio Obijcies. Humanitas non habet sanctificationem infinitam ex vi Vnionis; ergo neque formam sanctificantem infinitam; & consequenter Deitas non sanctificat formaliter, neque Personalitas. *Consequentia patet.* Quia si Personalitas aut Deitas formaliter sanctificaret humanitatem, redderet illam infinitè Sanctam formaliter, sicut redderet illam deificatam: sicut si posset communicari Immensitas, aut Omnipotentia formaliter humanitati, redderent illam Omnipotentem, & Immensam, quod est esse potentem infinitè. *Antecedens verò Probatur.* Quia etiam ex vi vnionis, & vt subest illi formæ sanctificanti, Deus non diligit illam humanitatem infinitè, quia non diligit illam æquè ac se ipsum; alias diligeret illam necessariò amore, & non libero; ergo non est illa humanitas infinitè Sancta formaliter, etiam vt subest gratiæ Vnionis, quia Sanctum formaliter est idem, quòd gratum Deo; quod autem est gratum Deo diligitur ab eo, & placet illi; ergo si esset infinitè Sancta, esset infinitè grata, & dilecta.

Confirmatur. Quia illa sanctificatio non fit per formam intrinsecè informantem animam, cum diuinitas non possit esse forma informans, sed solum terminantem per modum principij *Quod*; hoc autem nō potest intrinsecè sanctificare animam; quia peccatum inest animæ per modum formæ priuatiuæ intrinsecè inhærentis; ergo nisi superueniat forma aliqua intrinsecè informans non potest destruere illam priuationem. Sicut si esset homo cæcus, non posset illa cæcitas tolli nisi per potentiam visiuam informantem, non autem per aliquam formam terminantem per modum principij *Quod*. Ergo illa sanctificatio proueniens à Personalitate est solum extrinseca, & secundum extrinsecam denominationem.

Respondetur Argumentum conuincere, quod humanitas per gratiam Vnionis non redditur Sancta modo infinito: non tamen quod per ipsam formam, seu Personalitatem infinitam non reddatur Sancta immediatè, & formaliter, modo finito, sicut formaliter redditur subsistens, & existens, per subsistentiam, & existentiam diuinam, sed non infinito modo subsistens. Ita in ratione speciei vnitur Essentia formaliter intellectui Beatorum, non tamen A modo infinito, sed finito; & Omnipotentia, & Immensitas, si formaliter posset cōmunicari, non sequeretur quod modo infinito communicaretur. Vnde non ex hac parte implicat communicari, sed ideo implicat, quia informaret non terminando, sed informando.

Ad Confirmationem Concedo sanctificationem illam non fieri intrinsecè informando per modum formæ informantis, quod imperfectionem inuoluit, sed intrinB secè terminando, & immediatè, ac formaliter, scilicet formaliter terminatiuè; sicut redditur formaliter existens, & subsistens humanitas; & intellectus Beati formaliter actuatus per speciem. Et Nego hoc nō sufficere, vt anima intrinsecè, & realiter sanctificetur. Quia priuatio, quam tollit Sanctitas non est priuatio alicuius partis, aut accidentis cuiuscumque, sed est priuatio de ordinans totum suppositum, & auertens illud à fine, sicut gratia totum suppositum C ordinat ad Deum, & conuertit: vnde & vnus ex effectibus eius est filiatio adoptiua, quæ est propria suppositi, seu Personæ. Priuatio ergo deordinans totum suppositum, non solum potest tolli per formam sibi immediatè oppositam, & informantē, sed per formam eminenter operantem, & terminantem naturam, ordinantemque totum Suppositum ad Deum, multo melius, quam habitualis gratia. Vnde non est simile de priuatione cæcitatis, quæ non est D priuatio deordinatiua totius suppositi, sed solum vnius partis, & particularis accidentis.

Quarto Arguitur. Nam impossibile est, quod sanctificetur formaliter humanitas sine forma sanctificante; hæc autem non potest esse vnio humanitatis ad Verbum; neque ipsa Personalitas per se immediatè; neque ipsa diuinitas vt distinguitur à Personalitate; ergo non datur talis sanctificatio formalis, & immediata per gratiā vnioE nis. *Consequentia est bona* à bona enumeratione partium. *Antecedens Probatur.* Nam de vnione videtur certum esse, quia vnio illa non est forma sanctificans, sed solum applicans, seu vniens formam sanctificantem. Vnio enim solum habet pro effectu formali reddere vnitum; etenim non est aliud quam copulatio, quæ nullo modo est forma sanctificans, etsi sit modus substantialis; est tamen quid creatum, & consequenter non potest formaliter deificare, & dare infinitam Sanctitatem, & filiationem

nem naturalem: id enim non potest præstari ab aliqua forma, seu modo creato. Ergo non potest Vnio esse ipsa forma sanctificans.

Similiter neque Personalitas per se immediatè sanctificare potest, quia Personalitas relatiua non sanctificat ipsam Deitatem, nec dat illi aliquam sanctitatem, quia sanctitas in Deo est perfectio communis omnibus Personis; ergo neque illam formaliter potest dare creatæ naturæ.

Et Præterea. Vel sanctificat humanitatẽ ratione alicuius cõmunis omnibus Personis, vel ratione proprietatis relatiuæ, & in eo, in quo distinguitur ab alijs Personis. Primũ Dico nõ potest; nam licèt verũ sit, quod existentia, quæ est communis, & pertinet ad essentiam, cõmunicatur mediante Personalitate naturæ creatæ; tamen ideo est, quia existentia est actus proprius subsistentiæ, & nequit subsistentia communicari naturæ, nisi etiam existẽtia mediatè communicetur. At verò Sanctitas est attributum absolutum, quia non conuenit Deo ratione alicuius actus notionalis, sed ex ipsa ratione actus puri, quia Sanctitas idem est, quod puritas, & segregatio à defectu, & imperfectione, vt docet Sanctus Thomas 2.2. *Quæst.* 81. *Art.* 8. Quod totum conuenit Deo in quantum est actus purus.

Et Deinde. Quia Sanctitas creata est perfectio absoluta, vt patet in Gratia, quæ reddit hominem Sanctum, & absque defectu, & macula peccati; ergo & Sanctitas increata, cuius participatio est creata. Vnde communicari non potest Sanctitas Dei, sicut neque alia attributa absoluta, vt Omnipotentia, &c. communicari non possunt ex vi Vnionis Hypostaticæ formaliter, sed solum per communicationem Idiomatum.

Tertium Etiam Dici non potest. Quia si Sanctitas consistit in puritate, & perfectione, qua redditur obiectum pulchrum, & dignum diuina dilectione, impossibile est, quod multiplicetur, sicut relationes, quia ea quæ pertinent ad actualitatem, & perfectionem non multiplicãtur in diuinis, quia in hoc nulla est oppositio, vt in relationibus. Ergo neque Sanctitas multiplicatur; esset enim oppositio in ipsis Sanctitatibus relatiuis, & non tota Sanctitas, quæ est in Patre esset in Filio. Vnde non esset in Patre infinita Sanctitas deesset enim aliqua, scilicet Filij; Et reliqua, quæ solent fieri contra eos, qui ponunt distinctam perfectionem in vnaquaque Persona.

Ac Denique essent distinctæ Bonitates, quia Sanctitas nihil aliud est, quam id, quod reddit obiectum congruum diuinæ dilectionis; id autem, quod reddit obiectum diligibile, bonitas est; ergo plures bonitates relatiuæ erunt, & cum vnaquæque illarum sit infinita, & increata, essent tres bonitates infinitæ, & tria summa bona, & non vnum summum bonum, quod est absurdissimum.

Denique Dici non potest, quod Diuinitas, remota Personalitate sanctificet, quia non potest esse forma intrinseca, & communicari naturæ creatæ, sicut neque reliqua attributa absoluta (vt dictum est) extrinsecè autem solum sanctificare non potest, vt contra *Vazquez* dictum est; ergo.

Ad Hoc Argumentum Respondetur Formam sanctificantem, in hoc nostro casu, non posse esse aliquid creatum, quia nihil creatum est ratio constitutiua filiationis naturalis Dei, & Personalis Sanctitatis: & multò minus vnio, qua passiuè redditur humanitas assumpta, quia hæc solum est dependentia humanitatis à Persona diuina, quæ non magis sanctificat, quam dependentia habitualis gratiæ ab anima. Est ergo forma sanctificans ipsa Personalitas relatiua Verbi, non quatenus communicat sanctitatem increatam naturæ humanæ, quæ illi omninò incommunicabilis est, nec quia dentur tres sanctitates relatiuæ, quia relatiuæ Personalitates non sunt obiectum congruum dilectionis, nisi per bonitatem omnibus tribus communem, nec inter se oppositam; neque enim diliguntur nisi ratione bonitatis diuinę, quã habent; quælibet enim Persona diuina diligitur amore necessario, & secundum omnem rationem, qua diligibilis est. Tota autem ratio, qua diligibilis est, & quæ terminat amorem necessarium, est bonitas diuina, quæ omnibus communis est, non autem multiplicationem, & oppositionem habet in relationibus, quia si multiplicaretur diligibilitas, qua diligitur vna sanctitas relatiua, & non alia, non esset tota ratio, qua diligibilis est talis Persona, siquidem diligibilis est etiam quatenus diuina, & non oppositа alteri; sicut ergo eadem diuinitas est in omnibus, ita & eadem bonitas, & diligibilitas, & sanctitas.

Quare Personalitas Diuina est forma

sanctificans creatam naturam, non vt est in se Sancta sanctitate increata præcisè, sed quatenus est medium, & id in quo vnitur natura humana diuinitati, seu fit consortiũ diuinæ naturæ cũ humana in Vnitate Personæ in ordine ad benè operandum. Non ergo Sanctitas ipsa, qua Deus Sanctus est, vel qua relatio Sancta est, informat naturã creatam, sed Personalitas ipsa habet vim sanctificandi, quatenus habet vim coniungendi naturam creatam Deo ad benè operandum; & ita non est necesse ponere tres Sanctitates increatas relatiuas, sed ponere tres Personalitates cõiungentes Deo, quod habent ex eo, quod sint Personalitates diuinæ potẽtes quamcumque naturam Deo coniungere, & operari secundum hanc coniunctionem.

Licèt Ergo Persona diuina in se Sancta sit Sanctitate diuina, & increata, quæ communis est omnibus Personis, formaliter tamen sanctificat non per informationẽ huius sanctitatis, sed per ipsam Personã, quatenus trahit ad subsistendum naturam humanam, & per hanc subsistentiam facit illam consortem diuinæ naturæ diuinitate Personæ, non in participatione accidentali. Et hoc dicimus esse commune omnibus tribus Personis, non communitate naturæ, sed communitate Personæ, quatenus omnibus commune est posse vnire sibi naturam creatam, & reddere illam cõsortem diuinæ naturæ in Vnitate Personæ, & in ordine ad benè operandum, quatenus actiones Suppositorum sunt, vt *Sanctus Thomas* docet infra *Art.* 13.

Ad Argumentum Dicitur, Quod Personalitas diuina sanctificat ratione alicuius communis omnibus Personis; communis inquam in prædicando, non in essendo; id est, ratione ipsius Personalitatis, non vt in se Sancta est Sanctitate increata, sed vt coniunctiua est naturæ, quam assumit ad naturam in qua subsistit secundum se, & consortium facit vtriusque.

Et Quando Instatur, An sint plures sanctitates relatiuæ in Deo, vel vna tantum absoluta? *Dico* esse vnam tantum absolutam, non tamen per informationem, ratione cuius natura humana redditur Sancta, nec per ipsam Sanctitatem Personæ, vt est Sancta tanquam *Quod*, sed vt est sanctificans vt *Quo*, scilicet, quatenus est forma faciẽs subsistere naturam humanam, trahendo illam ad consortium cum natura diuina, & sic sanctitates in Deo non multiplicãtur, quia ipse Sanctus est. Sanctitates autẽ quibus naturam extraneam sanctificat multiplicãtur, quia hoc nihil aliud est, quam ipsæ subsistẽtiæ relatiuæ, potentes coniungere naturam extraneam propriæ diuinæ, & istæ subsistẽtiæ multiplicantur in diuinis, non tamen bonitates, aut sanctitates, quibus bonæ, & sanctæ dicuntur Personæ in se.

Quod Si Instes. Ergo Deus non amat humanitatem sic sanctificatam tanto amore, & gratitudine, quo ipsam Sanctitatem Personæ, & filiationem naturalem in se: Cõsequens est falsum; ergo. *Sequela Probatur*. Quia sanctificatio humanitatis, non fit per ipsam Dei sanctitatem; ergo neque diligitur humanitas, vt sanctificata, sicut ipsa sanctitas Dei. *Falsitas Consequentis Probatur*. Quia illa humanitas non alio modo est Sancta, nec diligitur à Deo, nisi quatenus ille homo, vt subsistens in humana natura, est Filius Dei naturalis. Filiatio autem Dei naturalis non suscipit magis & minus, nec minus placet Deo, aut finitè est illi grata, vt subsistit in humana natura, quam vt subsistit in propria; ergo humanitatem sanctificatam filiatione naturali, non minus diligit Deus, quàm sanctitatem ipsam diuinam, & filiationem naturalem in se.

Respondetur Concedendo Sequelam, & negando Minorem. Et ad Probationẽ *Distinguo Antecedens*, Illa humanitas non alio modo est Sancta, nisi quatenus ille homo est Filius Dei naturalis ex parte suppositi vniti, *Concedo Antecedens*. Ex parte modi sanctificandi, & communicandi, *Nego*. Habetur enim in humanitate illa sanctificatio per vnionem, non per vnitatem; neque est de ratione huius sanctificationis Hypostaticæ absolutæ, quod ille homo sit Filius Dei naturalis, vt patet, si Pater, aut Spiritus Sanctus assumerent naturam humanam, quæ non minus Sancta esset, quàm humanitas assumpta à Verbo, & tamen ille homo, non esset Filius Dei naturalis, sed Pater, vel Spiritus Sanctus, &c.

Filiatio Ergo naturalis licèt sit hic, & nunc Persona sanctificans, tamen ipsa sanctificatio ex parte humanitatis se tenens, non est solũ filiatio naturalis, imò ipsa humanitas, nõ est filia, sed Persona secundũ *S. Thom.* sed est gratitudo, quia redditur grata Deo ex cõiunctione, & cõsortio diuinitatis in Personæ vnitate. Et non repugnat, quod ista gratitudo à Personalitate proueniẽs secũdũ talẽ constitutionẽ finito modo cõmunicat humanitati. Filiatio autẽ naturalis nõ con-

conuenit finito modo huic homini, quia filiatio semper tenet se ex parte Personæ, & non crescit, nec suscipit magis & minus. Gratitudo autē, seu puritas, quæ in coniunctione ad Deū cōsistit, suscipere potest magis & minus ex modo coniunctionis. Sicut Videmus in sanctificatione per gratiā habitualē; crescente enim gratia, & gratitudine passiua animæ, non crescit filiatio adoptiua, quia hæc non potest intēdi, aut remitti.

ARTICVLVS II.

Ad Quid Formaliter seruiat Gratia habitualis in Christo?

Quatuor effectus possumus considerare, ad quos Gratia habitualis deseruiat, præter gratiam vnionis. *Primus est*, vt anima Christi sanctificetur sanctitate accidentali, quæ distincta est à sanctificatione Personali. Nec repugnat diuersas sanctitates esse in eadem anima, sicut sunt diuersæ scientiæ vnaquæque in genere suo. *Secundò*, Ad merendum per actus elicitos à gratia habituali. *Tertiò*, Ad hoc vt actus habeat specificationem supernaturalem, quæ species sumitur ex obiecto, & correspondere debet principium elicitiuum proportionatum eiusdem ordinis cum obiecto; & quia hoc principium esse potest, vel auxilium, vel habitus, ideò *Quartò* requiritur principium habituale, vt connaturali modo eliciatur ille actus supernaturalis in sua specie, seu substantia.

Dico Ergo Habitualem gratiam ad omnes istos effectus deseruire, sed non eodem modo: nam ad quosdam effectus requiritur tanquam simpliciter necessaria: ad alios autem non nisi ex quadam congruitate, & conuenientia. Ad valorem enim meriti, & ad satisfaciendum non est simpliciter necessaria gratia habitualis (vt Aliqui voluerunt) cum potius valor superior meriti, & satisfactionis desumatur ex valore Personæ, vt supra *Quæst.* 1. *Disp.* 3. ostensum est. Et deducitur manifestè ex *Præcedenti Articulo*. Quia si gratia vnionis sanctificat humanitatem, & reddit illam Deo gratam, impossibile est, quod operationes ab ea procedentes, etiam gratæ non sint, & consequenter meritoriæ, imo & meriti infiniti propter valorem Personæ à qua procedunt; quem valorem à gratia habituali habere non possunt.

Dices: Requiritur ad meritum ordinatio operis ad finem supernaturalem; hæc autem ordinatio non nisi ab habitu charitatis, vel principio aliquo supernaturali prouenire debet; ergo illud simpliciter requiritur ad merendum.

Respondent Aliqui talem ordinationē ad finem fieri, seu suppleri per ipsam gratiam vnionis. Sed falluntur, quia gratia vnionis solum se habet vt terminus personalis, & vt principium *Quod* non vt principium proximum elicitiuum vt *Quo*. Ergo operari talem ordinationem in finem supernaturalē non potest reduci ad solum Suppositū diuinū, sed oportet assignare aliquod principiū *Quo* proximè operatiuum, & elicitiuū talis operationis, & ordinationis in finem. Et ideò dicendum est, Quod in Merito duo possumus considerari (& vtrumque morale est) vnum est ex parte valoris, quatenus ille actus procedit à Persona digna. Valor etenim ad dignitatem Personæ pertinet. Alterum est ex parte actionis humanæ, quatenus ordinabilis est à regula, & talis regula dependet à fine.

Dicimus Ergo, Quod valor moralis desumptus ex dignitate Personæ non indiget in Christo gratia habituali, sed sufficienter potest desumi ex dignitate Personæ per gratiam vnionis. Ordinatio autem sumitur ex ipsa tendentia ad obiectum morale, & regulationem illius, & ad talem ordinationem semper requiritur aliquod principium vt *Quo*; & quidem si fuerit operatio illa ordinis naturalis, sufficient principia naturalia, tam ex parte potentiæ, quàm ex parte habitus, seu virtutum: Si autem fuerit operatio supernaturalis, requiretur principium supernaturale, nō tamen propter ipsam dignitatem, & valorem meriti præcisè, sed propter specificationem actus in ratione actus humani ordinis supernaturalis, quod pertinet ad tertium titulum.

Est Ergo simpliciter necessaria in Christo primo ad sanctificandam Animam non absolutè, sed sanctificatione accidentali, & participatiua: hæc enim non potest à gratia Vnionis prouenire, sed solum à gratia habituali, quæ est accidentalis participatio diuinæ naturæ. Sicut scientia acquisita non est necessaria in Christo ad simpliciter sciendum, sed ad sciendum tali modo, scilicet secundum lumen intellectus agentis. Et quidem hæc sanctificatio licèt magna sit, comparata tamen ad sanctificationem Perso-

nalē, est longe inferior, sicut ordo gratiæ est longe inferior ordine Hypostatico. Et ideò concedendū non est sanctificationē Christi consummari hac sanctificatione accidētali, vt Aliqui videntur concedere, quia cū sit inferior, non consumat illam, hoc est, nō perficit intensiuè, licèt dici possit, quod perficiat quasi extensiuè, & accidentaliter.

Secundo est necessaria sanctificatio gratiæ habitualis ad eliciendas operationes, quæ intrinsecè, & ex specie sua supernaturales sint, vt benè deducit *Aluarez* hic *Disp*, 31. *Concl.* 1. Quia intrinseca specificatio actionū desumitur ab obiecto, & consequenter à principio *Quo* elicitiuo, non à principio *Quod*, seu suppositō. Suppositum enim plures actiones specie distinctas elicere potest; determinatur autem species actus per ordinē ad obiectū, qui ordo debet esse in aliquo principio eliciente, quod determinatè respiciat tale obiectū. Et ideò præter suppositū ponuntur in naturis potentiæ elicitiuæ actuū, & præter potētias, ponūtur habitus determinātes indifferentiā potētiarū, vt dentur principia specificātia actuum.

Similiter ergo in Christo requiruntur principia supernaturalia ad eliciēdos actus ex sua specie supernaturales, sicut in nobis, nec sufficit solū principiū *Quod*, siue suppositū: vt etiā ad eliciēdum actum visionis requiritur potentia visiua in Christo, & ad intellectionem intellectiua, nec sufficit suppositum sine potentijs. Similiter ergo requiretur principium supernaturale, vt dicatur actus supernaturalis, nec sufficiet Suppositum, quia semper requiritur suum specificatiuum proximum.

Denique requiritur habitus supernaturalis gratiæ ad eliciēdū cōnaturaliter actus supernaturales. Licèt enim aliquando sufficiat auxiliū per modū transeuntis, supplens vicem habitus, tamen connaturalis modus est, quod semper supponatur principiū habituale ad hoc vt vtamur illo quando velimus, & iuxta illius exigentiā dentur auxilia ordinis supernaturalis, defectus tamē principij habitualis poterit suppleri per aliquod auxilium, seu dispositionē trāseuntē, quod entitatiuè vim habitus obtineat, sed modo permanenti non datur, qui est modus habitualis: non autē sufficit sola extrinseca assistentia Spiritus Sancti, sine impressione alicuius formæ creatæ, quia ille actus prout vitaliter procedit, procedit vt supernaturalis, & modo supernaturali. Non potest autē illa potentia præbere speciē supernaturalē actui, nisi in se habeat principium eiusdem ordinis, & supernaturalitatis à quo emanet. Nec sufficit extrinseca assistentia, quia non procedit ab illa potentia, vt ab instrumēto extrinsecè moto, sed vt vitaliter operante; ergo intrinsecè se mouendo; ergo intrinsecè dante supernaturalitatem actui, atque adeo intrinsecè eleuata.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Virtutes Morales Acquisitæ fuerint per accidens Infusæ Christo?

Supponimus ex communi Doctrina Theologorū dari duplex genus virtutum moralium. Quædam ordinis naturalis, quæ nostris actibus acquiruntur, & regulantur secundū dictamē prudentiæ acquisitæ. Quædam quæ sunt infusæ, & deseruiunt fini supernaturali, & secūdū dictamen prudentiæ supernaturalis regulantur. De quo videri potest S. Thomas 1.2. *Quæst.* 63. *Artic.* 3. Et de his virtutibus moralibus infusis non Dubitamus fuisse in Christo Domino à primo instanti creationis Animæ, sicut fuit ipsa Gratia, quia virtutes infusæ simul cum gratia infunduntur. De Moralibus acquisitis est Difficultas, An Christus Dominus proprijs actibus illas acquisierit, sicut nos? An verò à primo instāti eas habuerit, sicut primo Parenti fuerunt infusæ per accidens, sicut sciētiæ naturales?

Et Ex Vtraque Parte militat satis controuersa ratio. Nam si illas acquisiuit proprijs actibus, non potuit in primo instanti omnes illas acquirere, quia proprij actus fuerunt dependenter à sensibus; sensus autem operantur per motum corporalem, & dependentem à motu alterationis, motus autem non potest esse in instanti.

Et Præterea non potuerunt omnia obiecta virtutum acquisitarum offerri Christo in primo instanti, nec species talium obiectorum per sensus mouere voluntatem, quia in illo primo instanti fuit in vtero Matris, in quo nec tales species, & obiecta repræsentabantur, nec extra imprimi poterant. Si autem in primo instanti non habuit Christus illas virtutes, sed tempore procedente eas acquisiuit, sequitur quod voluntas Christi caruit aliquo tempore inclinatione perfecta naturalis ordinis ad bonum, & consequenter rectificatione naturalis ordinis,

dinis, quia hæc fit per virtutes acquisitas, voluntas enim de se est potentia indifferens ad rectum, & prauum. Quidquid autē ad rectificationem pertinet in voluntate Christi, non est concedendum, quod careat illo, sed simpliciter melius est habere talem rectificationem, quàm non habere. Ergo pertinet ad dignitatem Christi talis rectificatio connaturalis: & cum aliàs sit capax habendi illam à primo instanti per infusionem Dei, sicut habuit primus Parens, non est hoc denegandum Christo.

Ex Alia parte Dubium facit primo. Quia scientiæ acquisitæ, seu naturales non fuerunt per accidens infusæ Christo, sed proprijs actibus eas acquisiuit, vt docet *Sanctus Thomas* infra *Quæst.* 12. *Artic.* 2. Quia perfectius est acquirere proprijs actibus naturalem perfectionem, quàm non acquirere, si inde non sequatur priuatio alicuius perfectionis simpliciter; ergo similiter debuit proprijs actibus acquirere virtutes acquisitas: neque enim inde sequeretur priuatio sanctificationis simpliciter, quia manebat supernaturaliter sanctificatus per gratiam, sicut quia retinebat supernaturalem scientiam, beatam, & infusam, non erat inconueniens carere ad tempus scientia acquisita naturali.

Secundo verò est specialis difficultas propter Prudentiam acquisitam, quæ est vna ex virtutibus moralibus, & cæterarum directiua: hæc enim acquiri non potest, nisi sicut naturales scientiæ, scilicet per cognitionem, & experiētiam singularium. Christus autem in primo instanti non habuit species acquisitas per experientiam, & ministerium sensuum; deficiente autem prudentia, deficiunt & reliquæ virtutes, quæ ab illa habent statum, directionemque virtutum. Sine statu autem & perfectione virtutis non decet ponere virtutes morales in Christo.

Denique Paulus ad Hebr. 2. docet, *Quòd Christus didicit ex his, quæ passus est obedientiam.* Ergo non accepit illā infusam à principio, sed per labores acquisiuit. Sicut ex eo quod dicitur Lucæ 2. *Proficiebat sapientia, & ætate.* Colligunt *Ambrosius*, & *Sanctus Thomas* infra *Quæst.* 12. *Art.* 2. quod acquisiuit scientias naturales, nec fuerunt illi per accidens infusæ. Propter has rationes dubitandi Theologi diuisi sunt.

Communior Sententia docet Christū Dominum ab initio habuisse omnes virtutes morales per accidens sibi infusas, ita *Mag.*

A *Medina* hic, *Suarez Disp.* 19. *Sect.* 2. *Lorca Disp.* 38. *Aluarez Disput.* 32. *Asturicensis Pag.* 78. Licèt oppositum etiam probabile reputet *Vazquez Disp.* 42. *Cap.* 2. Qui tamen excipit Prudentiā, docetque illam nō fuisse infusam per accidens, sed acquisitam proprijs actibus, sicut aliæ scientiæ naturales. Loco tamē illius (inquit) repræsentasse scientiā infusam Christo obiecta virtutum acquisitarū, & suppleuisse locum prudētiæ pro illo tēpore. Aliqui Theologi docent nō
B fuisse infusas per accidens istas virtutes à primo instanti, sed acquisiuisse illas proprijs actibus, sicut & reliquas scientias. Ita *Nazarius* hìc *Controuers.* 1. *Notab.* 9. & *Conclus.* 4. Nec est improbabilis sententia.

Resolutio Dubij.

Dico Primo. Etiāsi virtutes morales, quantum ad suos habitus fuerint infusæ Christo Domino à principio, non tamen exercuit
C illarū actus à primo suo instanti. Hæc Conclusio est cōtra Aliquos, qui voluerūt Christū acquisiuisse in primo instanti suæ Conceptionis per proprios actus virtutes Morales. *Et Probatur Cōclusio.* Quia virtutes morales acquisitæ non possunt exercere suos actus cō naturales, & acquisitos, nisi præuia cognitione intellectus naturalis ordinis, & eiusdē proportionis cū illis virtutibus: species enim supernaturales, & cognitio scientiæ infusæ proportionem non habent cum
D actibus virtutū acquisitarum, vt illos regulare possint, quia modo superiori procedunt, & sic non ostendunt voluntati quomodo operandū sit suo modo connaturali, & acquisito: sed species naturales, & cognitio scientiæ acquisitæ non fuerunt infusæ per accidens Christo, sed opere intellectus agentis abstractæ, & acquisitæ; ergo ante talem acquisitionē non potuerunt actus virtutum moraliū exercere, nec potuerunt in primo instanti abstrahi omnes species, quæ
E sufficerent ad omnia obiecta virtutū moralium cognoscenda, & exercenda. Hæc enim obiecta comprehendunt omnia agibilia humanæ vitæ, quæ per virtutes exerceri possunt, & illa non potuerunt occurrere in primo instanti per sensus internos, neque externos, vt à phantasmatibus abstraheret species intellectus agens. Neque enim Christus in vtero materno existens actiones viuę potentiæ exercere poterat, nec ibi proponi obiecta, quæ videret, nisi multa, & inusitata miracula, eaque

satis indecentia sine vllo fundamento ponantur. Quare Christus Dominus non potuit pro tunc habere actus cognitionis acquisitæ, & consequenter neque virtutum moralium acquisitarum, quia exercitium talium virtutum dependet ab exercitio cognitionis, & ista à speciebus acquisitis per sensum.

Nec Potest solui hoc Argumentum, nisi vel ponendo aliquas species acquisitas à primo instanti Christo infusas, vt posset exercere actus practicos cognitionis naturalis in Prudentia, (vt probabile censet *Asturicensis* vbi supra) licèt negent tales species fuisse infusas ad scientias speculatiuas, ne intellectus agens otiosus maneret. Vel secundo dicendo, quod actus moraliũ virtutum acquisitarum potuerunt regulari per actum scientiæ infusæ supernaturalis, vt admittit *Vazquez*.

Sed Neutra Solutio euacuat Argumentum; Primæ enim solutioni obstat, Quia sicut est inconueniens Christum non acquisiuisse proprijs actibus aliquas species seruientes pro scientijs speculatiuis, ita est inconueniens non acquisiuisse eas, quæ deseruiant prudentiæ, & scientiæ practicæ, sed istas fuisse illi per accidens infusas; si enim semel ponitur pertinuisse ad perfectionem Christi, quod scientias naturales acquisiuerit, non est, quod restringamus illam ad acquisitionem aliquarum, & non aliarum, sed perfectius est, quod omnes acquisierit.

Et Deinde explicatur hoc amplius. Quia si ex istis speciebus naturalibus, quasdam acquisiuit Christus proprijs actibus, & quasdam accepit per infusionem, sequitur quod neque infusio illa fuit perfecta, quia non infudit omnes, neque acquisitio etiam perfecta fuit, quia solum paucas acquisiuit, & nõ omnes, & sic tam acquisitio, quàm infusio in isto casu essent imperfectæ, quod maioris indecentiæ est in Christo.

Nec Potest Dici, Quod accepit species infusas pro cognitione practica, & non pro speculatiua, Quia species, quæ deseruiunt pro cognitione practica, illæmet sunt, quæ deseruiunt pro speculatiua, quia practicum, & speculatiuum non distinguuntur penes repræsentationem obiectorum, sed penes ordinem ad finem, quia praxis respicit directionem operis, speculatio verò sistit in cognitione. Imò species prius deseruiunt cognitioni speculatiuæ, quàm practicæ; intellectus enim speculatiuus extensione fit practicus; ergo non potest dici, quod infunduntur species pro cognitione practica, & non pro speculatiua.

Secundæ Autem solutioni obstat. Quia cognitio scientiæ infusæ est supernaturalis, & ex motiuis supernaturalibus oritur; ergo non potest immediatè, & proximè regulare actus virtutum acquisitarum, quia illi naturales sunt, & sic indigent regula naturalis ordinis, quæ sit proximè regulatiua, licèt imperari possit à supernaturali fine, sed non immediatè elici, aut regulari ab illo; sic enim confunderetur proximum regulatiuum cum remoto, & imperatiuo, nec modo connaturali tales actus à scientia supernaturali regulari possent, cum non sit illis proportionata, sed superioris ordinis, vtpotè supernaturalis.

Dico Secundo. Probabilius est habitus virtutum moralium fuisse Christo infusos à primo instanti suæ Conceptionis, neque acquisiuisse illos per actus proprios, & acquisitos, propter rationem iam dictã. Quia isti actus exerceri non poterant sine functione sensuum, neque sensus perfectè operari in illo instanti secundum omnes materias, & obiecta virtutum, Christo tunc existente in vtero matris.

Fundamentum Conclusionis sumitur ex supradictis, Quia isti habitus pertinent ad rectificationem rationis in ordine naturali. Voluntas enim per virtutes manet inclinata ad bonum; recta autem inclinatio pertinet ad ipsam sanctificationem, seu rectitudinem ordinis naturalis, & consequenter ad dignitatem Christi pertinet nunquam tali perfectione carere. Et cum aliunde non possent exerceri actus acquisitiui talium virtutum in primo instanti (vt ostensum est) restat vt si in illo primo instanti non caruit tali rectificatione voluntas Christi, quod debuit illas per infusionem habere.

Dices: Per miraculum benè possent exerceri actus virtutum in illo primo instanti, ministrante Deo obiecta sensibus, quæ sufficerent ad exercendam materiam virtutum. Neque est inconueniens recurrere ad miraculum, quia etiam ipsa infusio talium virtutum facta in primo instanti, miraculosa est; ergo si in quocumque euentu debet poni miraculum, quæ est maior ratio cur ponatur ad infundendos illos habitus, & non ad exercendos illos actus?

Respondetur verum esse, quod vtrumque miraculosum est, sed minus difficultatis est, minoraque inconuenientia sequuntur

tur ex infusione habituum, quam ex illo exercitio actuum; quia actus illi non poterant exerceri sine dependentia à sensibus, neque sensibus obiecta offerri sine multiplicatione miraculorum, eaque non valdè decenter, supposito statu Christi tunc existentis in vtero matris. Infusio autem illorum habituum non erat ita insolita, cum etiam Adamo collata fuerit, sicut & scientiæ naturales; nec requirebat tantam multiplicationem miraculorum: & alràs erat valdè conueniens dignitati Christi, quod in nullo instanti careret habitibus pertinentibus ad rectificationem voluntatis.

Soluuntur Argumenta.

Ad Rationes dubitandi in oppositum Respondetur. Ad Primam dicitur esse latũ discrimen inter scientias acquisitas, & virtutes morales, quia scientiæ non solum acquiruntur per actus intellectus cognoscentis, sed etiam per operationes intellectus agentis abstrahentes species à phantasmatibus, vt illis informatus intellectus, actus suos eliciat, & scientias acquirat; quæ operatio intellectus agentis cessaret, si species infunderentur intellectui cognoscenti, nec ipso ministerio intellectus agentis darẽtur. At verò virtutes morales non acquiruntur alijs actibus, quam eiusdem potentiæ, scilicet voluntatis, à qua postea eliciuntur. Vnde per hoc quod infundantur voluntati, nõ manet potẽtia perpetuò impedita actu suo. Imo potius perfectiores eliciuntur operationes, si procedant à potentia perfecta per habitum, quam si non procedant.

Vnde nisi aliud inconueniens obstet, melius esset potentiæ esse perfectam per habitum, quam non esse, sed in intellectu obstat aliud inconueniens maius, scilicet, quia acquisitio habituum fieri debet mediantibus speciebus acquisitis, & per illustrationem intellectus agentis acceptis. Si autem infunderentur tales species, maneret intellectus agens otiosus, quod non sequitur in voluntate per acquisitionem habituum moralium; quin potius magna cõuenientia est, vt nunquam careat voluntas humana Christi rectificatione habituali, quæ fit per virtutes, licèt illa simpliciter nõ indigeat ad Sanctitatem, quam ex gratia habet.

Dices: Quomodo primus Parens habuit scientias naturales per accidens infusas, nõ obstante hoc inconuenienti, quod intellectus agens maneret priuatus sua operatione, & tamen hoc reputamus in Christo pro inconuenienti?

Respondetur, Quòd primus Parens non habebat scientias supernaturales sicut Christus; vnde si produceretur à Deo sine scientijs naturalibus, produceretur omninò ignorans, quod nullo modo decebat, cum produceretur à Deo in statu perfecto, & tanquam Caput, & Gubernator hominum in esse naturali; nec potest produci vt gubernator, si produceretur ignorans. Christus autem erat Caput hominum in genere gratiæ; vnde opportuit quod produceretur cum plenitudine scientiæ in ordine supernaturali, scilicet cum scientia beata, & infusa. In genere autem scientiæ naturalis, magis opportuit, quod intellectus agens haberet suam operationem, & creseeret in ætate, & sapientia.

Ad Secundam Rationem Respondetur. Prudentiam acquisitam fuisse infusam per accidens cum alijs virtutibus moralibus quantum ad habitum: Exercitium verò prudentiæ non habuit quousque species acquireret per intellectum agẽtem. Et hoc peculiare est in Prudentia, & non in alijs scientijs speculatiuis, quia habitus prudẽtiæ potest infundi sine speciebus, eo quod est in intellectu practico, vt moto à voluntate, & sic positis habitibus moralibus in voluntate, debuit etiam poni habitus prudentiæ in intellectu practico, propter connexionem, quam habet cum virtutibus volũtatis. Scientiæ vero acquisitæ non habent connexionem cum voluntate, nec sunt in intellectu, vt moto à volũtate, sed vt actuato, & illustrato speciebus. Vnde non infunduntur habitus scientiæ, nisi infundantur etiam species.

Ad Testimonium Sancti Pauli Respondetur, Non loqui de acquisitione habituali obedientiæ, sed de experientia actuali illius, sic enim interpretatur *Sanctus Thomas* super illum locum: *Didicit ex his, quæ passus est obedientiam, id est, expertus est, & didicit obedientiam, id est, quàm graue sit obedire, quia ipse obediuit in difficillimis, & grauissimis; qui enim non sunt experti obedientiã, & nõ didicerunt eam, credunt quod obedire sit valdè facile, sed ad hoc quod scias quid sit obediẽtia, oportet quod discas quid sit obedire in rebus difficilibus, & qui nõ didicit obediendo subesse, nunquam nouit benè præcipiendo præesse.* Sic Sanctus Thomas.

AR-

ARTICVLVS IIII.

Quæ Virtutes Morales fuerint, aut defuerint Christo?

QVod *Attinet* ad virtutes morales, quæ Christo Domino repugnant, aut non repugnant, breuiter Dico. Non solum virtutes morales, quæ sunt ad alterum, vt *Iustitia*, & partes principales eius, sed etiam virtutes, quæ versantur circa passiones moderando illas, fuerunt in Christo secundum perfectissimum gradū virtutis. Est expressa *Sancti Thomæ* hic *Art.* 2. *ad* 3. & infra *Quæst.* 15. *Art.* 2 Vbi virtutem *Temperantiæ*, quæ moderatur concupiscentias prauas ponit in Christo, non tamen *Continentiam*, vt distinguitur contra *Temperantiam*, quæ illis insurgentibus resistit, & quia supponit insurgentes passiones non habet perfectum gradum virtutis,

Pro Huius intelligentia est notandum, Quod materia proxima, seu obiectum virtutum semper est bonum, scilicet recta electio eorum, quæ agenda sunt; sed materia remota potest esse aliquando mala, vt passiones immoderatæ, vel peccata in Pœnitentia. Et quidem virtutum, quæ versantur circa passiones, vel circa mala tanquam circa materiam remotam, est duplex modus; nam quædam versantur circa passiones moderando, quædam resistendo, vel repellendo insurgentes, & immoderatas, sicut *Continentia*; quædam etiam præterita mala vindicando, sicut *Pœnitentia*.

Illæ Ergo Virtutes, quæ moderantur passiones, & inclinant ad perducendum illas regulatas, & moderatas, non requiritur quod supponant passiones æfrænatas, easque vincēdo ad modum reducant, id enim per accidens se habet ad tales virtutes, vt dicit Sanctus Thomas 1. *Part. Quæst.* 95 *Artic.* 3 *ad* 1. Per se autem solum requirit subiectionem talium passionum ad rationem, & perductionem earum secundum regulationem rationis, vt manifestè patet in iustitia originali, per quam inferior appetitus erat omnino subiectus rationi in suis motibus, ideòque nullus erat fomes, id est sensualitas æfrænata; & tamen ad subijciendū appetitum rationi non supponebatur fuisse rebellem. Et similiter in Beatis manebunt virtutes, quæ versantur circa huiusmodi passiones, vt docet Sanctus Thomas 1.2. *Quæst.* 67. *Artic.* 1. in quibus tamen nullæ passiones erunt insurgentes contra rationem, sed omnino appetitus manebit subiectus spiritui.

Et Licèt ratione status beatifici, aut innocentiæ repugnet dari concupiscentias prauas, tamen adhuc dicuntur virtutes versari circa illas moderando, & subijciendo tales passiones, quia non solum perfectio est, quod passiones sint debilitatæ, & diminutæ ex causa extrinseca, & ratione status, sed magna perfectio est, quod sint debilitatæ, & moderatæ ex causa intrinseca; id est, ex ipsa perfectione, & virtute rationis, sicut elegāter docet Sanctus Thomas 2.2. *Quæstione* 155. *Art.* 4. præsertim Solut. ad 2. dicens: *Quod quandoque prouenit debilitas concupiscentiæ ex causa spirituali, puta ex vehementia charitatis, vel fortitudine rationis, sicut est in homine temperato.* Et hoc modo debilitas concupiscentiæ auget meritum, & hac ratione fuit magna perfectio in Christo, quod passiones essent omnino subiectæ rationi, & moderatæ, non solum ratione vnionis, sed etiam ex fortitudine rationis, quia hoc pertinet ad perfectionem interiorem Christi, vt docet *Sanctus Thomas* infra *Quæst.* 15. *Artic.* 2. *ad* 3. Vbi inquit, *Quòd fortitudo Spiritus aliqualis ostenditur ex hoc quod resistit concupiscentiæ carnis sibi contrariantis; sed maior fortitudo Spiritus ostenditur, si per eius virtutem totaliter caro comprimatur, ne contra Spiritum concupiscere possit, & ideò hoc competebat Christo, cuius Spiritus summum fortitudinis gradum attigerat.* Sic Sanctus Thomas.

Vbi Notandum est, Quod cum posset probare in Christo non esse fomitem peccati ex vi vnionis Hypostaticæ, quæ totaliter impediebat inclinationem in peccatum, maluit hoc probare ex ipsa perfectione, & fortitudine Spiritus, seu rationis, quia Vnio Hypostatica solum tenebat se ex parte Personæ, seu Principij *Quod* operatiui, ex qua parte non poterat in Christo esse peccatum. Regulatio autem rationis, & moderatio ipsarum passionum tenet se ex parte potentiarum Animæ, quæ se habent vt principium *Quo*, & sic est causa magis intrinseca, per quam tollitur fomes, id est inclinatio ad actus contrarios rationi in appetitu. Vnde oportet, quod in ipso appetitu sit inclinatio opposita ad actus regulatos

tos per rationem, & sic exeant ab appetitu sensitiuo Christi tales actus moderati, & ordinati; ergo habuit virtutes eliciuas illorum, quia inclinatio ad tales actus virtus est.

Quare Virtutes moderatiuæ passionum Christo attribuendæ sunt, non quia ipse habuerit, aut habere potuerit aliquas passiones immoderatas. Virtus autem primo, & per se non datur ad tollendam repugnãtiam oppositæ passionis & vitij, sed primo ad eliciendum actus moderatos, & regulatos, secundo ad resistendum immoderatis, & sic est intelligẽdus Sanctus Thomas 1. 2. *Quæst.* 61. *Artic.* 1. Christus autem habuit actus istos moderatos non totum ex vnione Hypostatica, & ratione suppositi; sed ex ipsâ fortitudine, & abundantia rationis imperantis, & subijcientis appetitum; quod vtique fiebat per virtutes, per quas tãquam per formas connaturales operabatur appetitus, & non solum ratione suppositi.

Nec Assentior Vazquez hic *Disp.* 42. *Cap.* 2. Dicenti Christum habuisse has virtutes, quia suaptè natura haberet concupiscentias prauas, nisi speciali Dei gratia impedirentur, & suaptè natura moueretur difficulter, & cum repugnantia ad bonũ propter coniunctionem cum appetitu carnis. Sed hoc falsissimum est, vt ostendi solet infra *Quæst.* 15. *Artic.* 1. & 2. Christus enim etiam secluså speciali protectione Dei ratione suppositi erat omninò impeccabilis; ergo suaptè natura prout in tali suppolito Christus non potuit habere concupiscentiam prauam, aut repugnantiam ad bonum rationis. Ergo ad vincendas, vel impediendas istas concupiscentias prauas non indigebat virtute; nec pro ista parte fundari potest necessitas talium virtutum, sed solũ ex alia, scilicet, quia connaturaliter debebat elicere actus appetitus regulatos, & sic indigebat virtute vt eliciente bonum, non vt vincente malum.

Adhuc Tamen Dices, ex his non haberi, quod Christus habuit virtutes acquisitas, quia hæc omnia præstari poterant per infusas, præsertim quia Christus semper operabatur ex motiuo supernaturali charitatis, & sic otiosæ erãt virtutes acquisitæ. Vnde *S. Thomas hic Art.* 2. solum agnoscit in Christo virtutes illas, quæ ex gratia processerunt, quæ vtique sunt virtutes infusæ. Et similiter *in* 3. *Dist.* 33. *Quæst.* 1. *Art.* 4 & in *Quæst.* 1 *de Virtutibus Art.* 4. negat virtutes acquisitas in Beatis, & solũ ponit infusas.

Respondetur Sic Sentire Lorcam hic *Disput.* 38. *Num.* 2. licèt etiam oppositum probabile reputet. Dicimus tamen, quod licèt *Sanctus Thomas* expressis verbis non dixerit virtutes acquisitas, prout distinguuntur ab infusis, esse in Christo, id tamen clarè colligitur ex eius doctrina, quià in eo loco ex 3. *Sent.* quem etiam citat *Lorca* expressè ponit in *Argumento sed contra*, quod illæ virtutes morales plenissimè fuerunt in Christo, quæ non euacuantur in Patria, sed expressè docet Sanctus Thomas 1. 2. *Quæst.* 67. *Artic.* 1. non euacuari virtutes acquisitas in Patria, licèt id negauerit citatis locis. Ergo non solum virtutes infusæ, sed etiam acquisitæ ponendæ sunt in Christo. *Minor Probatur.* Quia *Sanctus Thomas* citato loco ex 1. 2. refert ex *Augustino*, quod *Tullius* dicebat Virtutes non manere post hanc vitam. *Augustinus* autem dicebat, quod manent, licèt alio modo. Cõstat autem, quod *Tullius* dicebat de virtutibus acquisitis, non infusis; ergo cum *Sanctus Thomas* admittat cum *Augustino* eas virtutes manere in alia vita, quas *Tullius* negabat, manifestum est admittere, quod manent virtutes acquisitæ, & consequenter, quod illæ ponendæ sunt in Christo, quia illæ virtutes ponuntur à *Sancto Thoma* in Christo, quæ manent post hanc vitam.

Deinde Sicut Sanctus Thomas admittit scientiam acquisitam in Christo in hac *Quæst.* 9. *Art.* 4. Quam prius negauerat in 3. *Sentent.* Sic etiam virtutes acquisitas, quę illi connectuntur debet admittere: neque enim virtutes istæ acquisitæ dicunt aliquã imperfectionem, sicut nec scientiæ acquisitæ, licèt non sint ita perfectæ sicut infusæ; ergo non est cur negentur Christo. Quod autem Christus semper operabatur ex motiuo charitatis, non tollit quod haberet virtutes acquisitas, quia istæ mouentur ex imperio charitatis. Christus autem non solum mouebatur ex motiuo charitatis, vt eliciente, sed etiam vt imperante; imperat autem etiam charitas virtutibus acquisitis.

Ex His ergo colligitur solum illas virtutes morales non fuisse in Christo, quæ aliquam imperfectionem in subiecto supponunt, & primo, & per se dantur ad illam tollendam, sicut *Pœnitentia*, quæ habet pro essentiali obiecto culpam ab ipso pœnitẽte commissam. *Verecundia*, quæ est de factò turpi præsenti; & propriè non est virtus,

Cõn-

Continentia, quæ resistit passionibus vehementibus, ne ab illis deducatur voluntas, & sic supponunt appetitum non esse plenè subiectum rationi, vt docet Sanctus Thomas 2.2. *Quæst.* 155. *Art.* 1.

De Pœnitentia.

Sed Quod attinet ad Pœnitentiam *Suarez* hìc *Disput.* 19. *Sect.* 1. censet habitum Pœnitētiæ in Christo fuisse, quia existimat non distingui à Religione, vel Charitate; non tamen habuisse denominationem, & formalitatem Pœnitentiæ, quo ad hanc imperfectionem, quæ est detestari proprium peccatum. Sicut in Christo fuit voluntas humana, quæ in nobis est potentia peccandi, non in Christo; & similiter Iustitia in Christo potest facere æquale, & perfectum iustum cum Deo, non autem in nobis.

Et Vrgetur amplius, si Verbum assumeret naturam humanam habentem virtutem Pœnitentiæ, non destrueretur talis virtus per illam assumptionem; ergo non repugnat cum Vnione Hypostatica.

Ac Denique, Quia poterat Christus habere hunc actum conditionatum, *Si haberem peccatum dolerem de illo*, quod sufficit vt habeat virtutem Pœnitentiæ, sicut de primo Parente docet Sanctus Thomas 1. *Part. Quæst.* 95. *Art.* 3. Quod habuit habitum Pœnitentiæ. Potuit etiam Christus habere simplicem detestationem, & odium peccati, quod est quidem actus Pœnitentiæ; ergo saltem quo ad hoc habuit habitum Pœnitentiæ.

Cæterum Istæ Rationes non vrgent; & si quid probant, non solum probant fuisse in Christo Pœnitentiam quantum ad substātiam, sed etiam quantum ad denominationem. Isti enim actus, qui ponuntur in rationibus factis sunt proprij Pœnitentiæ, vt detestatiua est peccati, quare tenetur soluere eadem Argumenta. Nos ergo propter impossibilitatem simpliciter materiæ Pœnitentiæ, negamus eam Christo. Sicut neque in Angelis ponimus *Temperantiam*, vel *Abstinentiam*, aut Virtutes, quæ versantur circa corporales passiones, vel oppositа earum vitia.

Ad Impugnationes facilè Respondetur. Ad Primam dicitur, Quod voluntas humana non est potentia determinatè respiciens malum, sed de se solum respicit operari bonum cum indifferentia. Posse autem peccare solum habet ex defectibilitate; vnde saluatur vera ratio voluntatis sine defectu, & peccato in Deo. At verò Pœnitentia ex sua essentiali ratione respicit vindicationem proprij peccati, & sic supponit subiectum, in quo est pœnitentia, habuisse peccatum; nec saluari potest in subiecto incapaci peccati. Neque est simile de Iustitia, qua Christus satisfacit Deo; quia dato, quod sit eadem, qua nos satisfacimus hominibus (quod tamē supra negauimus) hoc tamen ideò est, quia inuenitur vtrobique eadem ratio debiti, scilicet Iusti æqualis, licèt non possimus eam exercere respectu Dei, sicut Christus. At verò debitum Pœnitentiæ non potest inueniri in Christo, quia essentialiter est debitum pro peccato commisso ab ipso pœnitēte; est enim retractatio eius, quod commisit. Iustitia verò generaliter respicit quodcumque debitum æquale respectu cuiuscumque detur.

Ad Secundam Dicitur. Quod casu, quo assumeretur natura hominis cum Pœnitentia, habitus Pœnitentiæ destrueretur ex mutatione subiecti, quia pertinet illa natura ad aliam Personam, quæ persona est incapax peccati; vnde ex cōsequenti destrueretur materia, seu obiectum Pœnitentiæ, quia est peccatum commissum ab eademmet Persona pœnitente. Illa autem Persona non commisit peccatum, & ideo non potest vti tali habitu. Illa autem natura, antequam assumeretur, potuit committere peccatum, sed in alia Persona, nempè dum erat in Persona creata; remota autem tali Persona per assumptionem, iam non potest per Pœnitentiam vindicare peccata illa, quia alterius Personæ sunt, non huius, quæ modo assumpsit naturam.

Ad Tertiam Dicitur, Quod illi actus cōditionati in Christo versarentur circa obiectum intrinsecè incompossibile ipsi Personæ, ex propria ratione Personæ, non ex aliquo accidentali statu: & tales actus conditionati circa materiam omninò impossibilem, non sufficiunt ad constituendam virtutem in subiecto; alioquin ponerentur in Angelo virtutes circa passiones corporales; & in diabolo peccata carnalia, quia possunt habere actus conditionatos, *Si possem ieiunare, ieiunarem, Si possem luxuriari, peccarem.* Quando verò actus conditionati sunt circa materiam possibilem absolutè ipsi Personæ, licèt impossibilem ex aliquo accidentali statu, sic respectu talium

actuum

actuum potest manere virtus in subiecto, & sic in primo Parente, & in Beatis est habitus Pœnitentiæ, & in paupere Magnificentia, & in corrupta virtus virginitatis. Actus autem simplicis detestationis, aut odij peccati, non sunt actus Pœnitentiæ, sed Charitatis: actus autem Pœnitentiæ est detestatio vt expiatiua, & satisfactiua proprij peccati.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Aliquis Actus, vel Habitus propriæ Spei fuerit in Christo?

Sanctus Thomas hic *Art.* 4. expressè excludit à Christo spem, quæ est virtus Theologica; quod intelligēdum est, tam de actu, quàm de habitu, quia vtrumque cōuincit eius ratio. Admittit tamen spē, quæ non sit virtus Theologica, circa ea quæ nondum plenè adeptus erat, vt circa immortalitatem, & gloriam corporis, quam poterat sperare.

Ex Qua resolutione *Sancti Doctoris* resultat duplex Difficultas, Altera circa ipsam virtutem spei Theologicæ. Altera circa illum actum spei communiter dictæ. Nam *Pater Suarez* in *Comm. huius Art.* 4. tenet in Christo, & in Beatis dari habitum spei Theologicæ, qui tamen in illis non denominatur *Spes*, quia non potest exercere in illis perfectiorem, & difficiliorem actum, qui est sperare visionem Beatificam, vt facit in via, sed ibi defecit ille habitus ad eliciendum actum amoris concupiscentiæ, quo sibi desiderat Beatus gloriam corporis; qui actus supernaturalis est, & à nullo alio habitu elici potest, nisi ab habitu Spei, qui elicit in nobis amorem concupiscentiæ erga Beatitudinem. Quod est esse in Christo Spem, quo ad id, quod est perfectionis in ipsa; non quoad connotationem imperfectionis, sicut dicit *Sanctus Thomas* infra *Art.* 9 *ad* 1. & 3 *Distinct.* 13. *Quæst.* 1. *Art.* 2 *Quæstiunc.* 1 *ad* 1.

At Vero Vazquez hic *Disp.* 43. *Cap.* 2. censet è contrario mansisse in Christo actū spei virtutis Theologicæ, non tamen habitum; quia existimat actum virtutis spei Theologicæ, in eo præcisè cōsistere, quod aliquid speremus à Deo innitendo eius auxilio, quidquid illud sit, quod speremus, siue beatitudinem, siue aliquid aliud. Sicut Fides est in eo, quod credamus diuino testimonio, quidquid illud sit, quod credimus. Arduitatem vero ad actum spei requisitam constituit in hoc, quod res, quam Speramus, non sit posita in potestate sperātis, sed ab alio conferenda sit. Christus autem Dominus expectabat gloriam corporis à Deo, & non à se, & sic propriè sperabat illam Hæc est Difficultas à Recentioribus posita circa habitum, & actum virtutis Spei.

Est Tamen alia longè maior Difficultas tacta à *Caietano* hic; nempè à quo habitu proueniat ille actus spei, vel desiderij, aut concupiscentiæ, vel quidquid illud sit, quo Christus expectabat gloriam Corporis? Et Resolutio huius dependet à Secunda Difficultate, quæ ex verbis *Sancti Thomæ* deducitur. Admittit enim in Christo spem, licèt non Theologicam; & est difficultas, An sit verè, & propriè actus spei, An verò desiderium, vel concupiscentia; sicut in reliquis Beatis, & à quo habitu procedat? Nam communiter Thomistæ tenent non esse verè, & propriè Spem, licèt non ita curēt loqui de Spe, vt distinguitur à desiderio; sed solum negant non esse Spem Theologicam. An verò sit actus Spei propriæ dictæ, & distinctæ à desiderio, licet non sit Spes Theologica, non multum curant; sed communiter eodem modo loquuntur de Christo, & de Beatis, & vtrisque negant spem propriè dictam, sed solum largo modo tumptam pro desiderio.

Resolutio Dubij.

Dico Primo. In Christo Domino nullo modo est ponendus habitus, vel actus Spei virtutis Theologicæ. Hæc est expressa Sācti Thomæ 2. 2. *Quæst.* 18. *Artic.* 2. Vbi apertè dicit, Quod potuit Christus sperare immortalitatem corporis, etiam vt Viator; non tamen ita quod haberet virtutem spei, quæ non respicit gloriam corporis, vt principale obiectum; ergo ponere virtutem Theologicam, vel actum illius respectu huius gloriæ corporis, est contra Sanctum Thomam.

Et Probatur efficaciter eius ratione. Etenim destructo principali obiecto, & ratione formali specificante, implicat remanere actum, vel habitum specificatum, non minus quàm manere rem aliquam sine sua for-

forma; sed formalis ratio, & obiectum specificans actum, & habitum Spei Theologicæ est Beatitudo diuina, vt consequenda: ergo posita eius consecutione, non potest manere virtus Spei respectu alterius obiecti secundarij, siue consequendi, siue concupiscendi. *Consequentia Patet.* Quia remoto principali obiecto, & ratione formali non potest remanere ordo ad secundarium, quia nō attingitur nisi in virtute primarij, à quo essentialiter dependet in specificando. *Minor Probatur.* Quia Spes de qua loquimur, est virtus Theologica; ergo habet pro obiecto primario, & immediato, & specifico aliquid diuinum, tanquā rem, quam immediatè attingit; ergo illo obiecto sublato circa nullum obiectum creatum, & secundarium potest manere virtus Spei, etiam quantum ad actum concupiscendi tale obiectum secundarium, vt dicebat *Suarez.*

Nec Sufficit Cum Vazquez Respondere, Quod obiectum virtutis Theologicæ consistit in hoc, quod tendatur in aliquod obiectum sub ratione diuina, siue sit creatum, siue sit increatum. Fides enim nō est virtus Theologica, ex eo quod credit Deum, sed ex eo quod credit testimonio diuino, siue id quod credit sit Deus, siue aliquid aliud; & idem est de Spe.

Sed Contra. Quia virtutes Theologicæ ordinant hominem circa finem supernaturalem in se, non circa media ordinata ad talem finem; vt constat ex cōmuni Theologorum Sententia 1.2. *Quæst.* 62. *Art.* 3. Ergo oportet quod non solum ex ipsa ratione tendendi, sed ex parte ipsius obiecti *Quod*, seu rei in quam tendunt respiciant Deum in se, siquidem Deus in se est finis supernaturalis, non autem aliquid extra Deum. Ergo non sufficit ad virtutē Theologicam attingere aliquid creatum sub ratione diuina, sed oportet attingere ipsum Deum in se, vt rem attactam, quia finis, qui intenditur per virtutes Theologicas est ipsa res, qua frui debemus in beatitudine; ergo si istæ virtutes Theologicæ ponuntur in nobis ad attingendum finē, oportet, quod versetur circa Deum, tanquam circa rem attactam ex sua specie, non autem res attacta sit aliquid creatum.

Dico Secundo. Probabilissimum est in Christo Domino, in quātum Viatore, fuisse actum veræ Spei communiter dictæ, vt distinguitur à desiderio, vel ab alio actu, qui non sit Spes. Sumitur ex Sancto Thoma in

A *Quæst. Disput. de Spe Artic. Vltimo ad Vltimum*, vbi inquit, Quod Christus sperauit secundum communem rationem Spei, nō autem habuit Spem, quæ est virtus Theologica. Vrget etiam locus ille citatus ex 2.2. *Quæst.* 18. *Art.* 2. *ad* 1. Vbi loquens de Christo, ponit differentiam inter Ipsum, & Beatos, quod Christus licèt esset comprehensor, erat tamen simul & Viator, quantum ad passibilitatem naturæ, quam adhuc gerebat, & ita gloriam immortalitatis sperare potuit, non tamen ita quod haberet virtutem Spei, quæ non respicit gloriā corporis, sicut principale obiectum: sed sic est, quod in reliquis Beatis ponitur Desideriū, & Expectatio gloriæ corporis, ergo si aliquid amplius concedit Christo, quam Beatis, manifestum est, quod concedit illi aliquid amplius, quam desiderium, neque est aliud quam Spes communiter dicta, licèt non sit Spes Theologica.

B

Fundamentum Autem est. Quia ad rationem veræ Spei, vt distinguitur ab alijs actibus, solum requiruntur illæ quatuor conditiones, quas numerat Sanctus Thomas 1.2. *Quæst.* 40. *Artic.* 1. Quod habeat pro obiecto *Bonum*, *Possibile*, *Futurum*, *Arduum*. Et de tribus primis constat; quia etiam illas habet Desiderium, & Expectatio. Difficultas vero est de *Arduitate*; est autem duplex *Arduitas*, vna quæ tenet se ex parte periculorum, & difficultatum, sicut inuenitur in exercitio actus *Fortitudinis*, & *Audaciæ*, quæ versatur circa difficillima pericula, qualia sunt pericula mortis, vt docet Sanctus Thomas 2.2. *Quæst.* 123. *Art.* 4. & 3. Alia est Arduitas, quæ solum importat quamdam incertitudinem ex parte euentus futuri, ratione cuius dicitur quis sperare id cuius nondum habet sufficiens principium, & ineuitabile ad assecutionem rei.

C

D

Hinc Ergo nascitur diuersitas Opinionum; quia enim Christus vt Beatus habebat simpliciter principium indeclinabile assecutionis gloriæ corporis, ideo dicit vna Opinio, quod illam sperare non poterat; sufficit enim ad exclusionē Spei, quod subiectum indeclinabiliter sit certum de assecutione rei speratæ ex quocūque principio certificetur, dummodo sit principiū intrinsecum, & in propria potestate positum, propter Argumentum quod fieri solet de eo cui facta est reuelatio suæ prædestinationis, qui est omninò certus de illa, & tamen adhuc sperat, sicut & Anima in Purgatorio

E

gatorio. Quod tamen ideò est, quia non est certus ex vi alicuius principij intrinseci, & possessi, sed extrinseci, & sicut fides excluditur à subiecto ex quocumque principio fiat illi euidētia, quia requiritur, quod subiectum sit *Non videns*; ita ex quocumque principio subiectum sit certificatum de re assequenda excluditur Spes, quia requiritur quod subiectum *Non sit certum ineuitabiliter*, & ratione propriæ potestatis; de assecutione. Sufficit ergo, quod Christus in quantum Beatus habeat principium ineuitabile gloriæ Corporis, vt non posset sperare illam, etiam vt Viator, sicut non habet fidem vt Viator, hoc ipsō quod habet euidentiam vt Comprehensor. Hæc est valdè probabilis Opinio.

Cæterum Pro Oppositâ Sententia, quam Diximus probabiliorem, stat oppositum Fundamentum. Quia Spes non excluditur per hoc, quod subiectum sit certum de re assequenda per quodcumque principium, sed per illud, quod est regula actus Spei; & quia Christus, in quantum Viator, non regulabatur scientia Beata, nec illo principio beatitudinis, ideò verè, & propriè sperabat gloriam Corporis.

Et Sumitur Duplex Fundamentum. Primum à posteriori, Quia quantum ad hoc, eodem modo se habent *Timor*, & *Spes* quātum ad sperandum bonum, vel vitandum malum; sed Christus Dominus, non obstāte illo principio intrinseco beatitudinis, & diuinitatis ad vitanda quæcumque mala, adhuc vt Viator habebat verè, & propriè Timorem; ergo non obstante eadem certitudine de assequendo bono poterat habere verè, & propriè Spem. Maior est Doctrina *Sancti Thomæ* 1.2. *Quæst.* 42. *Art.* 3. Vbi inquit, Quod sicut obiectum Spei est futurum arduum, quod quis potest adipisci, ita Timor est de malo *Futuro* arduo, quod non potest de facili vitari; ex quo inquit, *Potest accipi, quod id quod omninò subiacet potestati, & voluntati nostræ, non habet rationem terribilis, sed solum illud est terribile, quod habet causam extrinsecam.* Requiritur ergo ad rationem Timoris, quod aliquo modo non sit in potestate nostra, vt timeri possit, quia tunc non timetur quando omninò subiacet potestati, & voluntati nostræ. Et idem requiritur ad obiectum Spei, quod quando omninò, & ex omni parte subijcitur potestati nostræ, non speratur; si tamen ex aliqua parte non subijcitur, adhuc sperari potest.

Minor Vero est doctrina expressa *Sancti Thomæ* infra *Quæst.* 15. *Art.* 7. Vbi docet, Quod in Christo fuit verus Timor, licèt nō cautatus ex incertitudine euentus. Sicut quādo nocte timemus ex aliquo sonitu ignorantes quid sit; timor enim non poterat nasci ex ignorantia in Christo; & licèt fuisset in Christo principium, & potestas vitandi omnia mala, inde tamen non excludebatur timor, quia vt ibi docet *S. Thomas ad* 3. Licèt Christus potuerit vitare mala futura secundum virtutem diuinitatis, erant tamen ineuitabilia, vel non de facili euitabilia secundum infirmitatem carnis.

Vnde Fit Argumentum. Quod mala sint de facili euitabilia, & in potestate ipsius hominis tollit timorem, vt docet *S. Thomas* loco citato 2.2. *Quæst.* 42. Sed quod sint euitabilia de facili ab ipso subiecto secundum vnum principium, scilicet ex virtute diuinitatis, quæ per humanitatem operabatur, non tamen sint de facili euitabilia ex altero principio, scilicet ex infirmitate carnis, nō tollit timorem; ergo similiter quod habeat certitudinem rei assequēdæ ex vno principio, scilicet ex beatitudine, si tamen ex alio nō habet, ex quo regulatur ille actus sperandi, non tollitur vera ratio Spei, quia in hoc æquiparatur Timor, & Spes.

Et Secundo Id Confirmatur. Quia incertitudo, & contingentia in obiecto Spei, in tātum requiritur, in quantū requiritur, quod obiectum nō sit de facili assequibile ab isto subiecto; sed quod Christus habuerit principiū facilis assecutionis, in quantum Beatus, non influebat facilitatē istam in ipsum in quantum Viator, quia in quantu Viator non regulabatur, nec vtebatur illo principio beatitudinis; ergo nullo modo reddebatur obiectum facile assequibile, quia ista facilitas assecutionis dependere debebat ex aliquo principio influente illam. Ergo si illud principium beatitudinis nihil influebat in operationem Viatoris, nihil omninò refert, quod tale principium sit, vel non sit in subiecto, quia si non influit, est perinde, ac si non esset.

Ex Quo apparet Disparitas inter Fidem, & Spem. Quia obiectum fidei est obscurum, & *Non visum*. Vnde si subiectum habeat euidentiam de tali obiecto, sine alio influxu impedit ne possit moueri intellectus ab obiecto obscuro, quia supponitur intellectus conuictus ab ipsa euidentia rei. Vnde non est capax, quod moueatur tanquam non conuictus per testimonium

dicentis, & piam affectionem voluntatis. Sicut mobile quando quieſcit, ſimpliciter manet pro tali ſtatu impeditum ne moueatur ab alio. At verò quod obiectum reddatur facile, & tollatur eius arduitas in aſſequendo, dependet, non ſolum ex hoc quod ſubiectum habeat poteſtatem aſſequendi illam, ſed etiã quod talis poteſtas non ſit impedita, ſed poſsit facile vti illa. Chriſtus autem in quantum viator ita operabatur ſine influxu beatitudinis, quod erat ei per inde, ac ſi illam non haberet, quia erat impedita ne influeret in corpus; remoto autem influxu facilitatis ad aſſequendum, obiectum remanet arduum, & non facile.

Dico Vltimo. In hac Opinione, quod in Chriſto ſit vera, & propria Spes reſpiciens arduum, dicendum eſt habitum elicitiuum illius eſſe *Magnanimitatem* infuſam, cuius pars integralis eſt *Fiducia*. In Opinione autem, quod ille motus non eſt Spes, ſed deſiderium, quia non habet rationem ardui, dicendum eſt elici à *Charitate*, quatenus habet Gaudium, & Fruitionem de poſſeſsione rei, ſiue in ſe, ſiue in ſua radice.

Pro Prima Parte ſupponendum eſt ad virtutem Magnanimitatis pertinere, quod tendat in obiecta magna digna honore, & verſatur circa paſsionem Spei, quatenus aggreditur res magnas, vt docet S. Thomas 2. 2. *Quæſt.* 129. *Art.* 1. Et ſimiliter in *Art.* 6. *ad* 8. docet, *Quod Fiducia importat quẽdam modum Spei, ſcilicet Spem roboratã ex aliqua firma opinione.* Vnde perperã Aliqui collocant Fiduciã, ſeu Spem in iudicio intellectus, cum tamen dicat *Motum voluntatis, qui eſt Spes prout ex aliquo firmo iudicio roboratur.* Cum ergo Chriſtus Dominus habuerit Magnanimitatẽ infuſam in ſummo gradu, per illam mouebatur ad res maximas, & ſummi honoris, vt erat Gloria Corporis, Exaltatio, & Claritas ſui Nominis, & illa eliciebat actum Spei, ſeu fiduciæ erga talia obiecta, quatenus vt Viator reputabat illa vt ardua, & per multos labores exequenda. Vnde in Perſona Chriſti dicitur ad Hebr. 2. *Ego ero fidens in eo.* Ergo Chriſtus procedebat cum fiducia, quæ vtique, vt Spes, ad magnanimitatem pertinet.

Nec repugnat per Magnanimitatem ſperare aliquid, quod dependet ex auxilio diuino, & ex aliorũ adminiculis, vt expreſsè docet *Sanctus Thomas* cit. *Quæſt.* 129. *Art.* 6. *ad* 1. Licèt in quantum mouetur ex magnitudine animi ad tendendum in res magnas, habeat etiã fiduciam de ſe ipſo, cũ tamen Spes Theologica nullo modo innitatur in ſe ipſo, ſed ſolum in auxilio diuino; & ſic ponit differentiam inter Magnanimitatem, & Spem Theologicam S. Thomas 2. 2. *Quæſt.* 17. *Art.* 5 *ad* 4.

Pro Intelligentia autem ſecundæ partis, ſupponendum eſt, Sanctos verè deſiderare Gloriam Corporis, & orare pro ea, vt docet Sãctus Thomas in 4. *Diſt.* 45. *Quæſt.* 3. *Art.* 3. *ad* 1. & 2. 2. *Quæſt.* 83. *Artic.* 11. *ad* 1. Deſiderium autem, ſicut & Gaudium de re amata eſt effectus charitatis, & ab ea procedit ſecundum actum fruitionis, quia deſiderium eſt quædam imperfecta fruitio, & gaudium non plenum, nec quieſcens, ſed tendens ad id, quod deeſt. Ibidẽ Sanctus Thomas 2. 2. *Quæſt.* 28. *Art.* 3. Et quando Gaudium iſtud eſt plenum, & perfecta fruitio eſt vna ex Dotibus animæ Beatæ, correſpondetque charitati; quatenus importat dilectionem; & Spei quatenus importat comprehenſionem, id eſt pacificam poſſeſsionem Beatitudinis, vt dicitur in *Additionibus Quæſt.* 95. *Art.* 5.

Vnde Sicut ad charitatem pertinet Gaudium, non ſolum, quod eſt plenum in Patria, ſed etiam imperfectum, quod eſt in via; ita pertinet & deſiderium, quia gaudiũ imperfectum non eſt ſine Deſiderio; eſt enim tale gaudium, quod nondum plenè quieſcit, ſed reſtat aliquid acquirendum, & ratione eius, quod reſtat deſiderat. Ex eadem ergo charitate naſcitur, quod quis deſideret gloriam corporis, quam non habet in ſe formaliter, & quod fruatur illa in ſua radice, & principio, quia habet gloriam Animæ, quæ eſt principiũ inceuitabile gloriæ corporis; ideòque habet deſiderium propter dilationem, non tamen Spem, quia caret arduitate, propter poſſeſsionem radicalem talis rei in ſuo principio.

Et Quando Obijcitur, Quod ille amor eſt concupiſcentiæ, quia volumus illud bonum nobis; ergo non poteſt eſſe motiuum charitatis, quæ eſt amicitia, & vult bonum amico non ſibi. Quod præſertim vrgetur, ſi aliquis vellet bonum diuinum ſolũ, quia eſt propria perfectio, & bonum ſibi, præſcindendo à motiuo charitatis, ſeu amicitiæ, quod eſt bonum alterius, tunc à quo habitu elicitur ille actus?

Reſpondetur Illum Amorem, licèt ſit cõcupiſcentiæ, non pertinere ad Spẽ, quia excludit omnem rationem ardui, ſine quo non datur Spes; pertinet tamen reductiuè ad charitatem, quia non excedit motiuum cha-

charitatis, quia licèt charitas sit amicitia, & erga alterum, non contrariatur amori concupiscentiæ erga se, sed illum supponit, quia amicabilia ad alterum oriuntur ex amicabilibus ad se. Solum ergo amicitia excludit, quod ametur aliquis sistendo in se, & non volendo communicationem eius ad alterum. Si autem aliquis velit communicari alteri non excluditur, sed potius supponitur concupiscentia talis boni erga se, quia amicus est quasi Alter Ego. Per charitatem autem non solum amamus ipsum Deum, sed etiam proximum, & nos ipsos propter Deum, & consequenter, sicut volumus Deo bonum, *Verbi gratia* gloriam eius, sic & nobis volumus bonum diuinum ex Deo, & propter Deum. Quare amor ille concupiscendi nobis bona diuina ex charitate esse potest, quatenus gaudet de bono diuino, & vult illud vt participatum in nobis.

Ille Autem actus volendi mihi bonum diuinum cum præcisione, quatenus mihi bonum est, licèt supernaturalis sit, quia est de obiecto supernaturali, & modo supernaturali volito, siquidem non possum desiderare efficaciter mihi rem supernaturalem, nisi sub motiuo, & medio supernaturali. *Dico*, quod vel ille actus sic præcisus non elicietur in Patria propter sui imperfectionem; sicut enim charitas perfecta *Foras mittit Timorem*, ita & concupiscentiam, quando taliter vult sibi bonum, vt excludat motiuum charitatis: hæc enim exclusio magna imperfectio est. Vel si talis actus datur in Patria elicitur aliquando ab auxilio aliquo debito ipsi charitati, quatenus extenditur secundariò ad volendum bonum diuinum, vt participatum est in nobis; & sic potest velle illud, non per exclusionem motiui charitatis etiam radicaliter, sed per meram præcisionem, quatenus vult bonum sibi, & non exprimit illi ordinem ad alterum, licèt non totaliter excludat.

(· ·)

A

B

C

D

E

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Christo fuerit Donum Timoris?

Loquimur de Dono Timoris hic, non solum pro habitu, sed etiam pro actu: neque enim negandum est in Beatis dari actum Doni Timoris, & non solum habitum, vt contra *Durandum* communiter tenent Theologi. De isto autem actu sumitur difficultatis fundamentum ex duplici principio. *Primum quidem*. Quia Timoris actus debet includere Timorem communiter dictum, sicut species includit suum genus. Timor autem communiter dictus importat *Fugam mali imminentis*. Timor quidem filialis fugam mali culpæ, Timor autem seruilis fugam mali pœnæ, vt docet S. *Thomas* 2. 2. *Quæst.* 19 *Art.* 2. Sed Christus respectu nullius mali timorē habere poterat, neque fugam; nam respectu mali culpæ erat omnino impeccabilis: respectu mali pœnæ, omnino securus, & omnia habens in potestate sua: esset que magna imperfectio ponere in Christo timorem mali pœnæ, qui est timor seruilis.

Nec Sufficit recurrere ad pœnam, vel culpam ipsi Humanitati possibilem, si dimitteretur à Verbo; sic enim poterat annihilari, peccare, &c. Hæc enim omnia non poterant apprehendi à Christo vt mala imminentia de proximo, & vt practicè mala, sed vt remotissima, & solum speculatiuè possibilia. Timor autem respicit malū imminens, non vt absolutè possibile. Et quidem talia mala si essent mala pœnæ nō deseruiebant dono Timoris, qui est timor filialis, sed timori seruili, qui non erat in Christo: si autem erant mala culpæ non poterant timeri Humanitati Christi, quamdiu erat in Persona diuina, sed si transiret ad aliam; ergo Christus in natura assumpta nihil poterat timere.

Secundo Oritur Difficultas ex dictis *Sancti Thomæ*. Nā Ipse ponit hic *Art.* 6. Quod in Christo non fuit Timor, secundū quod respicit malum separationis à Deo per culpam, aut malum punitionis; sed secundum quod respicit diuinam eminentiam, prout Anima Christi quodam affectu reuerentiæ mouebatur in Deum à Spiritu Sancto acta. *Contra quæ Duo obstant* ex ipso Sācto Thoma. *Primum* quidem 2. 2. *Quæst.* 19. *Artic.* 11. Ponit in Beatis actū doni Timoris per

modum fugæ mali, vt possibilis naturæ, impossibilis autem beatitudini; ergo similiter in Christo Donum Timoris debet habere actum fugæ respectu mali, vt possibilis naturæ, impossibilis autem Vnioni Hypostaticæ. *Secundum.* Quia dicit idem *Sanctus Doctor ibidem Artic. 9. ad 2.* Quod principale obiectum, & proprium Timoris est malum, quod quis refugit, & quia per hunc modum Deus est obiectum Timoris, non autem obiectum Spei, & aliarum virtutum Theologicarum, ideo Donum Timoris non est virtus Theologica.

Ex Quo Formatur Argumentum. Remoto principali, & proprio obiecto alicuius habitus, remouetur quidquid secundarium est: sed in Dono Timoris principale, & proprium obiectum non est Deus, sed malum, quod quis refugit; alioquin esset virtus Theologica; ergo remoto illo obiecto, quod est malum, remouetur essentia Doni Timoris. Ergo si in Christo non fuit actus refugiendi malum, sed solum tendendi in Deum, non saluatur Donum Timoris, nec principalis actus illius.

Propter Hæc diuisæ sunt Theologorum Sentētiæ. Quidam enim simpliciter negauerūt actum fugæ in Dono Timoris, prout in Christo; sed solum ferri in diuinam eminentiam sine respectu ad malum *Caietanus* tamen hic affirmat, quod respicit diuinam eminentiam, vt potentem infligere malū. At verò Alij admiserunt veram fugā mali in Dono Timoris, sed variant in assignādo eius obiecto: nam Aliqui putant esse fugam mali respectu culpæ, vt possibilis ipsi naturæ humanitatis in Christo, vel in Beatis, si separetur Persona, vel Beatitudo; quia actus licèt non respiciat malum imminēs, & ita non habeat omnem modum, & perfectionem Timoris; habet tamen quantum ad aliquid, scilicet quantum ad fugam mali impossibilis. Ita *Suarez Disp. 20. Sect. 2. in fine.* Alij dicunt habere pro obiecto nō malum culpæ, sed absolutè quodcumque malum, *Verbi gratia* Annihilationem. Sciebat enim Christus posse destrui humanitatem eius à Deo, & inde oriebatur reuerētialis Timor ad ipsum. Sic dicitur sensisse *Victoriā.*

Alij Denique posuerunt in Dono Timoris, tam in Christo, quàm in Beatis, non dari fugam mali imminētis efficaciter, quia non potest ab eis aliquod malum apprehēdi efficaciter vt imminens, sed dari actum affectus reuerentialis erga Deum, qui actus non habet pro obiecto immediato directo ipsam diuinam eminētiam, & potestatem, sed habet pro obiecto immediato subiectionem passiuam sui ad diuinam maiestatem. Vbi ly *Diuina Maiestas* intrat in obliquo, sicut obiectum Religionis est Cultus exhibendus Deo. Et iste actus reuerentialis, seu subiectio, dicit quodammodo fugā ab eminentia diuina respiciens illam, non tanquam aliquod malum, sed tanquam excellentissimum, cui se æquare non audet creatura; ideòque talis subiectio dicitur *Fuga*, id est, *Coarctatio* quædam, & resilientia in propriam paruitatē ab excellentia diuina, quasi quidam horror, & tremor diuinæ maiestatis. Sic enim explicare videtur hunc actum Doni Timoris S. Thomas 2. 2. *Quæst. 19. Art. 9. in Corp.* dicens: *Quòd Timor filialis facit hominem benè subiectum, & nō repugnantem subijci Deo, in quantum per ipsum reueremur Deum, & refugimus nos ipsi subijcere.* Et Art. 10. Solut ad 3. inquit: *Quòd separationē importat Timor per hoc, quod nō præsumit se adæquare Deo, sed ei se subijcit.*

Ex His omnibus modis dicendi eruenda est genuina explicatio huius difficultatis, & mētis *S. Thomæ.* Cum enim *S. Thomas 2. 2. Quæst. 19. Art. 1.* & hic *Artic. 6.* posuerit respicere Timorem duo obiecta, quorum vnum est malum terribile, quod nobis euenire potest. Aliud est in cuius potestate tale malum inferri potest, sicut timemus Regē, quia habet occidendi potestatē. Obseruandū est *Primo*, Quod licèt Timor cōmuniter dictus, & condistinctus contra Donum, vtrūque obiectum attingat, & principaliter illud malū, quod nobis prouenire potest; tamen Timor eleuatus ad rationē Doni oppositè se habet; respicit enim pro obiecto principali non illud malū, quod nobis prouenire potest, sed causam à qua prouenit, quæ est ipse Deus, cuius potestate potest malū infligi. Secundariò autem potest respicere, & fugere ipsum malum, quod nobis imminere potest; non tamen de necessitate illud respicit, sed solum quando est in statu imperfecto, vt in via, non in Beatis, neque in Christo. Ita expressè *Sanctus Thomas* hic *Art 6 ad 1.* Vbi inquit, *Quòd de ratione Doni Timoris non est illud malum, quod respicit Timor* (scilicet communiter dictus) *sed eminentia illius boni, cuius potestate aliquod malum infligi potest.* Sentit ergo, quod primarius actus Doni Timoris non versatur circa malum vt infligendum, sed circa Bonum vt Inflictiuum mali.

Et Rationem reddit Sanctus Doctor in 3. ad

ad Anibaldum Dist. 34. Quæst. 2. Art. 1. ex differentia, quæ versatur inter *Timorem*, & *Tristitiam*. Quia *Tristitia* respicit malum vt præsens, & communiter vt extra suas causas: *Timor* autem vt futurum, & ideò intra causas. *Vnde Timor* (inquit) *non respicit malum nisi mediante causa à qua potest prouenire. Timor autem, qui est ex Spiritu Sancto facit hominem respicere ad Deum, sicut ad causam, quæ potest malum infligere, vel prohibere quodcumque sit illud malum.* Hæc est ergo causa, quare *Timor*, qui est Donum, non respicit principaliter malum infligendum, sed causam inflictiuam mali, qui est Deus; quia *Timor* respicit malum vt intra causam, quia vt futurum. Vnde non est contra rationem Timoris, quod quando eleuatur ad rationem Doni principalius respiciat causam, quam effectum.

Vnde Omnes illæ Sententiæ, quæ ponunt actum Doni Timoris primariò, & per se circa malum imminens, aut possibile, aut præteritum, deuiant à mente *Sancti Doctoris*, & manifestè excluduntur. Quia *Timor* quando respicit malum, quod euenire potest, respicit illud vt moraliter, & practicè imminens; quod enim sic non apprehenditur, non timetur: non potest autem Christus sic apprehẽdere malum culpæ, quia est illi omninò impossibile ratione Personæ, sicut nec Beati, quia est illis impossibile ratione status; sed solum inefficaciter, & cõditionatè possunt illud apprehendere, *Vt possibile naturæ, impossibile autem Beatitudini*, vt dixit *Sanctus Thomas*. Christus autem tanto minus potest formare istud conditionatum, quantò magis ab intrinseco illi repugnat peccatum, non ratione status accidentalis, sed ratione suppositi, quod est principium substantiale operandi.

Obseruandum est secundo illum modum dicendi melius attingere mentem *Sancti Thomæ*, & veritatem, qui ex *Caietano* elicitur, & ex vltimo modo dicendi. Supposito scilicet, quod obiectum Doni Timoris, quantum ad reuerentialem affectum includit ex parte nostra subiectionem ad Deum per modum Reuerentiæ. Deus autem solum in obliquo, & in connotato attingitur à Timore, non solum quantum ad excellentiam, quomodocumque consideratam, sed vt inflictiuam mali, cum tanta eminentia, quod ei resistere non potest. Itaque licèt ad timendum malum, vt infligendum, qui se habet vt effectus causatus ab illa potestate, non sufficiat respicere malum vt possibile, sed necesse sit apprehendere malum illud vt imminens, tamen ad timendam causam inflictiuam talis mali, sufficit habere subiectionem ad ipsam, vt ad potestatem inflictiuam mali de possibili, licèt non sit efficaciter infligendum.

Totum Hoc deducitur ex *Sancto Thoma*. Nam in primis, quod Donum Timoris respiciat ex parte nostra subiectionem ad Deum, manifestè patet 2. 2. *Quæst.* 19. *Art.* 9. & *Artic.* 10. *ad* 3. Vbi expressè dicit, *Quòd timor filialis non importat separationem, sed magis subiectionem ad Deum.* Hæc est materia, seu obiectum proximum Doni Timoris, scilicet subiectio nostra erga Deũ. *Et Ratio est.* Quia in hoc debet distingui Donum Timoris à Virtutibus Theologicis, quod non debet pro obiecto proximo, & immediato habere aliquid increatum, sed aliquid creatum cum ordine ad Deum. Sicut Religio habet pro obiecto cultũ exhibendum Deo, vbi *Cultus* intrat in recto, & *Deus* in obliquo. Et similiter Donum Timoris habet pro materia subiectionem nostram erga Deum; vbi ly *Deus* in obliquo includitur. Sed tamen hanc subiectionẽ etiam habet *Humilitas*, & aliæ virtutes, quæ nos subijciunt Deo (quia non est inconueniens plures virtutes conuenire in eadem materia) diuerso tamen modo, & formalitate, id facit Donum Timoris, quia respicit subiectionem ad Deum per modum reuerentiæ, id est, quantum ad causam inflictiuam mali, vt iam explicauimus.

Quod Vero Donum Timoris debeat respicere Deum in obliquo, non vt præcisè habet excellentiam, sed vt habet illam in potestate inflictiua mali, vt dicit *Caietanus* hic, manifestè asseritur à *Sancto Thoma* in hoc *Artic.* 6. Nam in *Corp. Art.* inquit, *Quod eminentia, quam respicit Timor est illud, cuius potestate potest infligi malum; non autem timeretur ille, qui potest nocere, nisi haberet quamdam eminentiam potestatis, cui facile resisti non potest.* Et in Solut. ad 1. inquit, *Quod de ratione Doni Timoris non est illud malum, quod respicit Timor, sed eminentia illius boni, cuius potestate aliquod malum infligi potest.* Et 1. 2. Quæst. 42. Art. 1. docet, *Quòd Deus timetur in quantum potest pœnam infligere.*

Et Ratio huius est. Quia potestas, & excellentia diuina potest considerari triplicitèr. Vel quatenus in suo esse est superior omni creatura: vel quatenus est superior in virtute benefaciendi: vel quatenus est

superior in virtute lædendi, & infligendi malum. Si primo modo consideretur ille respectus ad Deum, vt Superiorem in essendo, est communis omni virtuti respicienti Deum, quia semper respicit illum, vt Superiorem omni creatura. Vnde dicit *Sanctus Thomas* 2.2. Quæst. 19. Art. 10. ad 3. *Quòd Timor importat separationem, per hoc quod non præsumit se adæquare Deo, sed ei se subijcit, quæ etiam separatio* (inquit) *inuenitur in charitate, in quantum diligit Deum super se, & supra omnia.* Ergo talis subiectio ad Superioritatem Diuinam non est propria Timoris, sed etiam conuenit charitati, & alijs virtutibus respicientibus Deum, vt Humilitati, Religioni, &c.

Si Vero consideretur excellentia diuina, vt est superior in virtute benefaciendi, respicitur in obliquo à Religione, & directè à Spe. Religio enim honorat Deum, quatenus est primum principium dans esse omni creaturæ, quod est respicere illum, vt benefactorem. Spes autem respicit Deum, vt auxiliantem supra omnem virtutē creatam: vnde Religio subijcit hominem Deo, non per modum Reuerentiæ, & Timoris, sed per modum honorationis, & cultus, quia respicit excellentiam Diuinam, vt benefactiuam. Donum autem Timoris non dicit honorationem, & cultum, sed reuerētiam, & tremorem, quia respicit excellentiam Diuinam, vt terribilem, id est habentem potestatem lædendi, & infligendi, & non solum benefaciendi: sic enim causat horrorem, & tremorem facitque resilire hominem in suam paruitatem, quatenus considerat illam potestatem, cui non potest resisti. Si autem consideraret illam vt excellentem in benefaciendo, non respiceret illam tanquam cui resisti non potest, neque enim in benefaciendo attenditur ista non resistentia, neque ex potestate benefactiua concipitur horror, aut tremor. Vnde optimè dicit Tertulianus 2. contra Marcionem Cap. 13. *Sic Deus est omnipotens, quia & iuuandi, & lædendi potens, minus est tantummodo prodesse, quia non aliud quid posset, quam prodesse.*

Quod Si Objicias. Quia potestas infligitiua mali, vel respicitur vt potens infligere malum vt sic, vel vt potest infligere isti Timenti. Primo modo non est obiectum Timoris, quia non respicit ipsum Timētem. Secundo modo, illud malum non est possibile Humanitati vt assumptæ; ergo non timet illam potentiam.

Respondetur. Quod ad affectum reuerentialem in timore sufficit, quod in illa potestate, & eminentia consideretur vis infligitiua mali absolutè, & pro quocumque statu; non sub isto, vel illo determinatè, vt benè notat *Caietanus* in fine huius *Art.* 6. Non enim mouetur affectus animo reuerentiali erga aliquam potestatem, quia timet illud vt sibi propinquum, aut imminens, sed quia absolutè videt possibilitatem illius mali respectu alicuius pertinentis ad se, etsi non pro isto, vel pro illo statu, sed pro aliquo. Et sic Beati apprehendunt diuinam eminentiam vt terribilem, & potentem sibi infligere malum, non manente statu beatitudinis, & in sensu compositio, sed remouendo illud, & in sensu diuiso. Et similiter Christus apprehendit illam potestatem, non vt potentem infligere malum naturæ vt assumptæ, sed naturæ secundum se consideratæ, vt est creatura, & consequenter vt est aliquid suum, & ad se pertinens, licèt non sit capax illius mali nisi pro alio statu. Vna autē Persona diuina non timet aliam, quia non respicit illam vt eminentem, sed vt æqualem: ad timendum autem malum per modum effectus euenturi, oportet respicere illud tanquam arduum imminens sibi, & non solum potestatem infligitiuam mali pro aliquo statu.

Soluuntur Argumenta.

Ad Obiectiones patet ex dictis. Ad Primam dicitur probare quod in Christo, & in Beatis non sit timor respectu mali, quod timetur tanquam effectus euenturus; non tamen quod non sit timor per modum affectus reuerentialis, respectu causæ infligitiuæ mali. Nec oportet quod determinatè respiciat malum culpæ, vel pœnæ, sed sufficit illam vt infligitiuam cuiuscumque mali, ad hoc vt motu reuerentiæ illam respiciat.

Et Cum Instatur, Quod Timor, qui est Donum includit timorem communiter dictum, sicut species genus. *Respondetur.* Quod Timor communiter dictus non est idem, quod genus Timoris, sed est timor magis ordinarius, & communiter notus, condistinctus contra timorem, qui est Donum. Sicut Spes communiter dicta condistinguitur contra Spem Theologicā. Vnde non est genus Timoris, sed species: Genus autē timoris abstrahit à motu reuerentiali, vel à fuga mali, quæ est timor communiter dictus.

Ad

Ad Secundam Respondetur loca Sancti Thomæ ex dictis conciliari. Admittimus id, quod dicit in hoc *Art.* 6. Quod in Christo nõ est actus Timoris respectu mali culpæ, aut pœnæ, sed solum affectus reuerentialis. Et cum Obijcitur ex 2. 2. Quod in Beatis est Fuga mali. *Dico*, Quod habent fugam mali ineficacem, aut conditionalem; scilicet, vt est possibilis naturæ, non Beatitudini, quod tamen magis est impossibile Christo, quam Beatis ratione Personę. Vel secundo habent fugam mali, quasi in connotato, & in obliquo, nõ directè, quatenus reuerentur Deum, vt potentem infligere malum. Vbi ly *Malum* includitur in obliquo; sic etiam in obliquo fugitur non directè.

Ad Secundum Locum *Sancti Thomæ* Dicitur, Ibi loquutũ fuisse de obecto principali actus secundarij Doni Timoris, quod tamen est principale in timore communiter dicto: primus enim actus Doni Timoris est *Reuerentiâ*, & secundarius est *Fuga mali*, vt in nobis inuenitur.

Sed Obstat Huic Solutioni, Quod tunc *Sanctus Thomas* non solueret Argumentũ. Quia solum ostendit, quomodo Donum Timoris non sit Virtus Theologica, sicut Spes, ex parte actus secundarij; restabat autem ostendere, quod etiam ex parte actus primarij non sit Virtus Theologica.

Sed Respondetur. Quod cum Donum Timoris habeat duplicem actum vnũ primarium, qui est *Reuerentia*; alterum secundarium, qui est *Fuga mali*; de actu primo ostẽderat in *Corp. Art.* & expressius postea *Art.* 10. *ad* 3. Quod non est actus Virtutis Theologicæ, quia importat subiectionem sui in ordine ad Deum. Vnde cum respiciat pro materia directa aliquid creatum, scilicet subiectionem sui, & solum in obliquo respiciat Deum, manebat ostensum, quod ex hac parte non erat Virtus Theologica, quia indirectè, & in obliquo respicit Deũ. Quare restabat ostendere, quod ex parte actus secundarij, qui est fuga mali non sit Virtus Theologica, cum tamen etiam sub ista formalitate sit Donum Spiritus Sancti; & hoc ostendit ex eo, quod principale obiectum eius sub ista formalitate, & denominatione est malum, quod quis refugit, & per hunc modum Deus non est obiectum Timoris quia non fugit ipsum Deum tanquam malum; & consequenter prout sic non est Virtus Theologica.

Restabat Agere de Prophetia, Quomodo scilicet Christus fuerit verè, & propriè Propheta? Sed quia hoc supponit cognitionem Christi respectu Futurorum contingentium, & aliarum rerum supernaturalium, commodius Disputabitur circa *Quæst.* 11. agendo de Scientia Christi infusa.

DISPVTATIO NONA
DE PERFECTIONE GRATIÆ CHRISTI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Gratia Christi habitualis potuerit Augeri de Potentia absoluta?

AB Hac Difficultate inchoamus Disputationem, quia ex eius Resolutione omnes aliæ Difficultates circa infinitatem, & plenitudinem Gratiæ Christi determinari possunt. Est autem Notandum, Quod in gratia sicut in quacumque alia forma possumus quatuor modis infinitatem distinguere, quasi per quatuor prædicamenta. *Prima infinitas est* in ratione entitatis, & quasi in substantia, seu quidditate rei. *Secunda infinitas est* in ratione Quantitatis, id est, in extensione ad varios effectus gratiæ, secundum diuersas Virtutes, & Dona. *Tertia infinitas Qualitate*, scilicet penes intẽsionem, & gradus. *Quarta est* secundum Relationem, seu respectum, quæ est infinitas in dignitate, & morali æstimatione, secũdum quod gratia respicit suppositum, & ab eo dignificatur.

Supponimus Gratiam Christi entitatiuè, & secundum substantiam suam non esse infinitam, sed finitam vtpotè ens creatum, & ad determinatum genus, & speciem spectans; nec etiam est augmentabilis ex hac parte, quia essentiæ rerum secundum specificam constitutionem habent se sicut numeri, qui non possunt variari, nec crescere, aut minui.

Secundo Admittimus Gratiam Christi esse infinitam secundum moralem æstimationem, & respectum ad suppositum, & hanc moralem æstimationem, Quidam appellant gratiam in esse gratiæ; & in illa crescere non potest, quia non potest ordinari ad aliquid maius, & excellentius, quàm ad Personam diuinam, ratione cuius dicit *Sanctus Thomas* hìc *Artic.* 12. *ad* 2. quod non potest crescere gratia Christi in esse gratiæ.

Denique Admittimus, Quod non potest crescere gratia Christi in extensione, eo quod habet in Christo rationem vniuersalis principij ad omnes effectus gratiæ, qui licèt nõ sint infiniti simpliciter in omni genere, sunt tamen omnes effectus possibiles intra genus gratiæ, quia vniuersale principium in tali genere omnes illos effectus includit: sicut Sol, & Cœlum omnes effectus huius mundi corruptibilis, & generabilis. Et hac ratione dixit *Sanctus Thomas Art* 9. *huius Quæst. in fine Corp.* Esse plenitudinem gratiæ in Christo, quia se extendit eius gratia ad omnes effectus gratiæ, qui sunt Virtutes, & Dona, & alia huiusmodi.

Restabat Ergo Difficultas de Infinitate intensiuè, in qua etiam supponimus secundum probabiliorem Sententiam *Sancti Thomæ* 1. *Part. Quæst.* 7. *Artic.* 4. negantis posse dari etiam de potentia absoluta infinitum cathegorematicè, gratiam Christi non esse infinitam cathegorematicè, ita quod ratione huius non possit augeri. *Sed Difficultas est*, An gratia Christi habeat terminum intrinsecum, ita quod vltra, nec de potentia absoluta possit augeri: An verò careat tali termino, possitque augeri in infinitum Syncathegorematicè de potentia absoluta, licèt ex aliquo accidentali statu,

vt

vt quia est in termino beatitudinis, vel quia est coniuncta Personæ diuinæ connaturaliter non possit augeri?

Duplex Est Sententia, tam in Scholâ *Sancti Thomæ*, quàm extra. Quidam enim tenent partem negatiuam, scilicet, quod de potentia absoluta non possit augeri in Intensione gratia Christi. Ita *Caietanus* hic, præsertim *Art.* 11. & 12. Quem sequitur *Nazarius Art.* 12. *Controuers. Vnica.* Tribuitur etiam *Scoto in* 3. *Dist.* 13. *Durando*, & *Paludano* ibidem *Quæst.* 1. Et Aliquibus Recentioribus placet.

Fundamentum sumitur tum ex Authoritate Sancti Thomæ : tum ex Ratione. Nam in primis in hoc *Art.* 12. dicit, *Quòd ex parte formæ excluditur possibilitas augmenti in gratia Christi, quia sicut aliarum formarum est determinata mensura, & propria ex diuina sapientia, ita & gratiæ. Mensura autem cuiuslibet formæ est per ordinem ad suum finem. Finis autem gratiæ est Vnio rationalis creaturæ ad Deum. Non potest autem esse, neque intelligi maior Vnio, quàm quæ est in Persona, & ideò gratia Christi pertingit ad summam mensuram gratiæ. Sic igitur manifestum est, quod gratia Christi non potest augeri ex parte ipsius gratiæ.* Hæc D. Thomas. Vbi *Sanct. Doctor* loquitur etiam de potentia absoluta. *Tum*, Quia negat possibilitatem augmenti simpliciter, & sine addito. *Tum*, Quia mensura, quæ præfigitur cuicumque formæ ex ordine ad finem, est essentialis, & intrinseca, quia ordo, & dependentia à fine essentialis est formæ; ergo intelligit augmentum esse impossibile secundum essentiam gratiæ, quod est absolutè esse impossibile; nam si creseceret illa gratia, faceret creaturam magis vnitam Deo secundum illum maiorem gradum. *Tum Denique*, quia dicit, quod maior vnio nequit esse, neque intelligi potest; quod autem dari potest de potentia absoluta, intelligi potest.

Secundo adducit *Nazarius* loca *Sancti Thomæ ex* 3. *sent. Dist.* 13. *Quæst.* 1. *Art.* 2. *Quæstiunc.* 3. vbi inquit, *Quòd secundum quod res est in termino, tota capacitas potentialitatis eius impleta est ex fine implete, & ideò non habet vlterius, quo crescat. Et quia Anima Christi ab initio fini vltimo vnita fuit, non solum per fruitionem, sed etiam cõmunicando in Persona Verbi, ideò gratia eius crescere non potuit.* Et Solut. ad 2. ponens Argumentum. Quod quantò magis additur intellectuali naturæ de perfectione, & gratia, tantò magis augetur eius capacitas; ergo semper posita perfectiori gratia remanet possibilitas ad augmentum. Respõdet, *Quòd hoc intelligendum est de capacitate intellectualis naturæ circa finem, vltrà quem nulla capacitas alicuius rei extenditur.* Vbi Sanctus Thomas loquitur de capacitate obedientiali Animæ Christi, quia est capacitas ad gratiam, ad quam non datur capacitas naturalis; ergo si negat capacitatem obedientialem in Christo ad augmentum gratiæ, negat possibilitatem augmenti etiam de potentia absoluta.

Magis vrget locus *Sancti Thomæ ex* 3. *ad Antbaldum Dist.* 13. *Quæst. Vnica Art.* 4. Vbi docet non posse augeri gratiã Christi, *Quia est maximè vnita Deo, & tota eius capacitas impleta.* Et subdit, *Et ideò gratia Christi augeri non potuit, quia tanta fuit eius capacitas vltra, quam augmentum esse non potuit, remanente natura humana, seu natura creata, & Deus non potest facere aliquam capacitatem increatam.* Vbi clarissimè loquitur *Sanctus Thomas* de potentia absoluta, quia dicit, *Quòd remanente natura creata non potuit augeri eius gratia, quia non potest fieri capacitas increata.* Hæc autem nec de potentia absoluta dari potest, & hæc sunt loca magis vrgentia in ordine ad potentiam absoluram. Quod enim dicit hic Art. 9 & 10. *Quòd Christus Dominus habuit gratiam in summo secundùm perfectissimum modum, quo haberi potest; & quod habet gratiam in maxima excellentia, quæ haberi potest*, indicat quidem loqui de potentia absoluta; sed non ita vrgent, quod non possint explicari de eo quod potest secũdum connaturalem modum, & exigentiam Personæ, non de potentia absoluta.

Ratione Etiam probatur hæc Sententia. Nam in primis Gratia Christi habet omnem perfectionem, quæ pertinere potest ad speciem gratiæ; ergo nullo modo potest augeri intensiuè; & cum non sint plures species gratiæ (vt supponò tanquam probabilius, quia omnis gratia est participatio naturæ diuinæ in sua specie) ideò in esse gratiæ non poterit augeri simpliciter. *Antecedens est Sancti Thomæ* hic *Art.* 11. Vbi dicitur, *Gratia infinita intra suum genus, quia habet quidquid potest pertinere ad speciem gratiæ.* Consequentia Patet. Quia si potest augeri per diuinam potentiam, vtique illud augmentum pertinebit ad speciem gratiæ, cum non extrahat illam extra latitudinem suæ speciei; ergo non habebat

bebat antea quidquid pertinebat ad rationem gratiæ; deerat enim illi talis perfectio, & augmentum.

Secundo. Illa perfectio, seu augmentum debet conuenire ipsi gratiæ per ordinem ad aliquem finem, ratione cuius determinatur quælibet perfectio, siue augmentum formæ; alioquin egrederetur fines, & terminos talis formæ; sed finis intrinsecus, & essentialis gratiæ est vnio ad Deum; ergo cum non possit dari, nec intelligi maior perfectio, & vnio ad Deum, quam vnio personalis, consequenter non potest intelligi maius augmentum, quia non potest fieri in ordine ad alium finem intra speciem gratiæ.

Quod Si Dicas: Non fuisse Christo datam gratiam proportionatam vnioni Hypostaticæ. *In primis* iam hoc est deserere rationem *Sancti Thomæ*, Qui oppositum docet. *Et præterea.* Quia si posset Deus dare gratiam proportionatam vnioni Hypostaticæ; cur illam denegauit, & priuauit gratia sibi proportionata, cum posset illam dare? Aut saltem si daret illam, talis gratia non posset crescere.

Tertio. Quia possibilis est summa gratia in intensione, sicut & formarum naturalium, quæ determinatam intensionem habent per ordinem ad sua principia, sicut calor in igne, & lux in Sole; ergo etiam gratia Christi, quia est in subiecto proprio, & connaturali, scilicet coniuncto Personæ diuinæ, non poterit augeri. Vnde *Sanctus Thomas hìc Art.* 12. æquiparat mensuram gratiæ taxatam à diuina sapientia mensuræ aliarum formarum.

Denique Capacitas obedientialis in Christo fuit totaliter completa per gratiam; ergo non potest amplius augeri in Anima Christi. *Consequentia Patet.* Quia illud augmentum, si poneretur, anima esset in potẽtia ad illud, non in potentia naturali; ergo obedientiali. *Antecedens est Sancti Thomæ.* Tum hìc *Art* 9. *ad* 3. Tum locis citatis ex 3. *Sentent.* Et ratione Probatur. Quia illa capacitas obedientialis est finita, cum oriatur, & conueniat naturæ finitæ; ergo potest per limitatam formam impleri: maximè autem conueniens fuit, quod impleretur per gratiam Christi, quæ est summa in genere gratiæ. Hæc Sentẽtia redditur probabilis, & defendi potest, si teneatur Sententia Eorum, qui putant in formis, & qualitatibus naturalibus dari summum, & maximum gradum intensionis, quod etiam sequitur *Lorca hìc Disputat.* 43.

Cæterum Opposita Sententia est probabilior, & sine dubio magis ad mentem *Sancti Thomæ.* Tenet eam *Capreolus in* 3. *Distinct.* 13 *Quæst.* 2. *Art.* 1. *Conclus.* 2. *Medina hìc Art.* 12. *Asturicensis Select. de Gratia Christi Pag.* 236 *Aluarez Disp.* 36. *Suarez Disp.* 22. *Sect.* 2. *Vazquez Disput.* 47. *Cap.* 3. Deducitur ex Sancto Thoma infra *Quæst.* 10. *Art* 4. *ad* 3. Vbi loquens de Visione Beatifica Animæ Christi, An potuisset crescere de potentia absoluta, sic ait: *Ad Tertium dicendum, quod sicut supra dictum est de gratia, quod non potest esse maior gratia, quàm gratia Christi per respectum ad vnionem Verbi, idem etiam dicendum est de perfectione diuinæ visionis, licèt absolutè considerando possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem diuinæ potentiæ.* Ita Sanctus Thomas. Vbi apertissimè loquitur de potentia absoluta, & citat seipsum, atque explicat in eo, quod in hoc loco dixerat de gratia Christi, quę vtique potest crescere, sicut & visio Beata de potentia absoluta.

Nec Potest Intelligi, Quod crescere potest transeundo ad aliam speciem gratiæ. *Tum,* Quia Sanctus Thomas loquitur de gradu sublimiorì, non de specie diuersa visionis Beatificæ. *Tum,* Quia hoc non esset crescere gratiam, & visionem Beatam, si fieret gratia, & visio alterius speciei. *Tum,* Quia certius est non posse dari gratiam, & visionem alterius speciei, quia tota perfectio, quæ potest imaginari in visione alterius speciei est per maiorem penetrationẽ diuinæ essentiæ, & hæc per solum augmẽtũ maius intensiuum haberi potest, & semper restat illud magnum inconueniens, quod si esset possibilis perfectior species gratiæ, quàm gratiæ Christi, non posset Christus modo per gratiam, quam habet operari, vel mereri omnes effectus gratiæ, quod communiter negãt Theologi. Quare hæc Sententia sine dubio est *Sancti Thomæ.*

Nihilominus conati sunt Aliqui ad hunc locum respondere, licèt Alij silentio præterierint, & primo *Lorca* vbi supra, omninò concesit visionem beatam Christi non posse crescere de potentia absoluta, & idẽ est de gratia, postquam quis accepit à Deo vltimum gradum gratiæ. Quod quidem est expresè contra *Sanctum Thomam* dicentem, *Posse dari secundum infinitatem diuinæ potentiæ sublimiorem gradum visionis*

nis

nis Beatificæ, quam fuerit in Christo.

Nec Potest Explicari, Quod crescit visio beata, non ratione luminis maioris gloriæ, sed ratione, virtutis naturalis. Quia visio beatifica tantum regulatur, & mensuratur adæquatè penes virtutem eleuantem, quæ est Lumen gloriæ. Neque potest dari gradus sublimior visionis beatificæ secundum speciem diuersam; habet enim hæc Responsio inconuenientia supra allata. *Nec tamen potest* dari Gratia, vel Lumen gloriæ diuersæ speciei, vt dicitur in Materia de Visione.

Posset Tamen Explicari Sanctus Thomas, Quod concedit posse dari sublimiorē gradum visionis, quantum est ex parte diuinæ potentiæ, non tamen absolutè, quia repugnat ex parte subiecti. *Sed contra est.* Quia *Sanctus Thomas* absolutè probat posse dari sublimiorem gradum visionis; ergo valdè diminutè procesisset probando eius possibilitatem ex parte diuinæ potentiæ tantum, & non in re, & absolutè, quod ad nihil deseruiebat intento *Sancti Thomæ*.

Probatur etiam ex *Sancto Thoma hic Art.* 12. *ad* 2. Vbi proponens Argumentum: *Augmentum gratiæ fit per diuinam virtutem; virtus autem diuina nullo termino coarctatur; ergo gratia Christi potuit esse maior.* Respondet: *Ad secundum Dicendum, Quod virtus diuina licèt possit facere aliquid maius, aut melius, quam sit gratia habitualis Christi, non tamen posset facere, quod ordinaretur ad aliquid maius, quam sit vnio Personalis ad filium vnigenitum à Patre, cui vnioni sufficienter correspondet mensura gratiæ secundum definitionem diuinæ sapientiæ* In qua authoritate pondero tria.

Primum Quod dicit *Sanctus Thomas*, Quod potest facere aliquid maius, quam sit gratia habitualis Animæ Christi. Maioritas autem vnius ad alterum est intra eamdem speciem; sed hæc maioritas non potest esse *In extēsione*, quia iam admisimus, quod hæc gratia Christi ad omnes effectus gratiæ possibiles se extendit; ergo debebit esse in *Intensione*.

Si Dicas: Quod sicut in ly *Maius* designatur maior perfectio intra eamdem speciem; ita in ly *Melius* designatur perfectio in diuersa specie. Sed Nos diximus, quod non est dabilis forma supernaturalis perfectior gratia, vel lumine gloriæ; ergo si ex ly *Melius* non colligimus diuersitatem specificam, neque ex ly *Maius* maiorem perfectionem numeralem. Respondetur, Quod ly *Melius* etiā potest verificari intra eamdem speciem, quia gratia *Maior*, suo modo etiam est *Melior*. Vel potest dici, quod quāuis ly *Melius* denotet perfectionem in diuersa specie, non est coarctandum ad qualitatem, seu formam, quia substantia, vel gratia vnionis, potest esse *Melior*, quā gratia habitualis; & sic potest Deus facere quid *Melius* in diuersa specie, & quid *Maius* intra eamdem speciem, quam gratia Christi; sicut & substantia Angeli saltim secundum quid est quid *Melius*, quam gratia.

Secundum Quod pondero est, quod dicit *Sanctus Thomas* non posse facere, quod ordinetur ad aliquid maius, vbi solum admittit non posse crescere gratiam secundum vnionem ad Verbum, vel infinitatem extrinsecam, non verò secundum infinitatem intensiuam.

Tertio Dicit, Illi vnioni sufficienter correspondere talem mensuram gratiæ secundum definitionem diuinæ sapientiæ; vbi clarè significat illam gratiam habere pro fine vnionem Verbi, non absolutè, sed vt subest definitioni sapientiæ diuinæ, quæ talem mensuram illi taxauit. Vnde relinquitur, quod secūdum aliam definitionem sapientiæ diuinæ non repugnat diuersam mensuram, & augmentum in illa gratia dari.

Ratio Probatur. Quia gratia Christi, potest crescere, & ex parte ipsius formæ, & ex parte subiecti in quo est; ergo etiam non repugnat eius augmentum absolutè, & in re. *Antecedens quo ad primam partem probatur*. Quia gratia est participatio formalis diuinæ naturæ. Pro cuius explicatione, *Nota*, quod est duplex finis respectu gratiæ, alius extrinsecus, alius intrinsecus. *Intrinsecus est* vnio ipsa accidentalis, & participatiua ipsius Dei; & hæc pertinet ad essentiam gratiæ, vnde sumitur latitudo intensiua. *Alius est* finis extrinsecus, sicut status visionis Beatificæ, vbi non potest crescere gratia, non quidem ex intrinseca ratione ipsius, sed ratione status extrinseci; est etiam vnio personalis ad Deum, quæ etiam est extrinseca gratiæ, quia potest ista vnio fieri sine aliqua gratia habituali, aut etiam cum minori gradu gratiæ, quam sit in Christo. Sicut si infantem baptizatum assumeret cum illo paruo gradu gratiæ nihil amplius infundendo, & sic non est existimanda summa gratia, ex eo præcisè, quod sit coniuncta vnione ad Personam diuinam.

Sed Quia Gratia non est forma debita alicui

alicui subiecto, non potest sumi terminus illius intensiuus per ordinem ad subiectum proprium, & connaturale, sicut in formis naturalibus, quæ habent propria, & connaturalia subiecta; sed sumitur ex mensura diuinæ sapientiæ, quæ partitur vnicuique sicuti vult, nec aliam mensuram assignat Apostolus, quam illam, *Prout vult*. Ex ipso autem fine intrinseco, quem habet gratia, scilicet vnire nos Deo secundum participationem accidentalem illius, potest gratia crescere in infinitum Syncathegorematicè; quia vt arguit *Sanctus Thomas* 1.2 *Quæst.* 24 *Art.* 7. Charitas est participatio infinitæ charitatis, quæ est Spiritus Sancti; ergo data quacumque creata participatione finita inter illam, & charitatem infinitam participabilem, est infinita distãtia, & consequenter infiniti modi participationis; ergo semper potest magis, & magis crescere in ista participatione; ergo & in augmento.

Nec Valet Dicere, Quod quia gratia habet intrinsecam limitationem generis, & differentiæ habet etiam limitatum gradum intensionis. Hoc enim solum probat, quod de facto semper gratia habet limitatũ gradum intensionis, ita quod nunquam sit infinita cathegorematicè, & in actu: non tamẽ probat, quod non possit Syncathegorematicè in infinitum crescere, quia participatio gratiæ, est participatio rei infinitæ, & sic sequitur, & regulatur penes formam, cuius participatio est, non per subiectum, in quo fit participatio. Ex parte autem formæ, quam participat, cum sit natura diuina, oportet, quod infinitis modis sit participabilis secundum augmentum, & intensionem, nam secundum diuersam speciem iam Supponimus non dari diuersas species gratiæ; quia nõ datur aliquod principium, vnde sumatur illa diuersitas specifica.

Quod Vero ex parte subiecti non repugnet istud augmentum fieri in infinitũ. *Probatur*. Quia subiectum respicit gratiam secundum potentiam obedientialem; potẽtia autem obedientialis creaturæ, licèt sit finita entitatiuè cathegorematicè, & in actu, est tamen infinita Syncathegorematicè; quia est potentia ad obediendum infinitæ potentiæ Creatoris: omnis autem potentia passiua commensuratur actiuæ, vnde si potentia actiua est infinita, oportet, quod potentia illi obediens in quantum talis, sit obediens infinitè Syncathegorematicè; alias non dabitur potentia obedientialis ad infinitam potentiam, si solum posset moueri ad illam vsque ad finitum terminum, etiam Syncathegorematicè. Vnde *Sanctus Thomas Quæst.* 29 *de Veritate Art.* 3. *ad* 3. Loquens de ista capacitate creaturæ ad gratiam, inquit, *Quòd potentia obedientiæ secundum quod potest recipere aliquid à Deo non impletur, quia quidquid Deus de creatura faciat, adhuc remanet in potentia ad recipiendum ab eo*. Et similia dicit 2.2. *Quæst.* 24 *cit.* Ergo dicendum est, quod non repugnat gratiam Christi augeri intensiuè de potentia absoluta.

A Posteriori autem possunt plura fieri Argumenta, quæ ad longum prosequi non possumus. *Verbi gratia*, Quod non repugnat Verbum dimittere humanitatem sine hoc quod diminuat aliquid de gratia habituali, quam modo habet, & tunc illa gratia posset crescere; quia iam non habet pro fine coniunctionem Personalem ad Deum, ratione cuius sumit *Sanctus Thomas* terminum istius gratiæ ad non crescendum. Similiter Visio animę Christi potest crescere, & videre alias creaturas, quas modo non videt ex possibilibus, si voluisset pro illis dirigere merita sua, vt daretur gratia, & redemptio, ergo simpliciter potest crescere in gratia, sicut & in beatitudine.

Denique. Quia Anima Christi ex eo, quod sit coniuncta Verbo non habet maiorem capacitatem obedientialem, quam extra Verbum; ergo si in anima non coniuncta Verbo potest crescere gratia in infinitum Syncathegorematicè, etiam in ipsa, vt cõiuncta Verbo, poterit crescere. Sicut si sine visione beatifica in homine Viatore potest crescere gratia in infinitum Syncathegorematicè, vt docet *Sanctus Thomas loco cit.* 2.2. Etiam conuincitur, quod de potentia absoluta potest crescere gratia, adhuc posita visione beatifica; ergo similiter posita coniunctione ad Verbum.

Benè Video Respondeti posse pro Opposita Sententia, quod gratia tam coniuncta Verbo, quàm extra illud, habet certum terminum, nec potest vltra crescere; & idem erit de gratia, etiamsi non sit coniuncta visioni Beatificæ, licèt secundum connaturalem modum dandi gratiam semper gratia Viatoris possit crescere, nec ponatur illi terminus crescendi, sicut nec merendi, quousque ponatur extra viam in Patria: & similiter visio Beata Christi non poterit crescere in Christo ad videndum plures creaturas possibiles, quam videt modo, licèt

cèt posit alias, atque alias ex istis possibilibus videre Scientia Visionis, si pro illis vellet offerre suam Redemptionẽ, & de facto illis dare gratiam; & tamen cum hoc posset saluari, quod Visio Beatifica, & gratia crescerent in infinitum Syncathegorematicè, eo modo, quo dicunt Authores oppositi, formas naturales posse crescere magis, ac magis, non obstante, quod habent terminum intrinsecum; quia si crescit ex vna parte remittit ex alia. Sicut si daretur ignis maximus, & applicaretur stuppa cõbureret illam, sed deperderetur ex alia parte tantum de igne, quantum consumeret de stuppa; & sic saluant, quod omnes formæ habent terminum intrinsecum, & tamen possunt Syncathegorematicè crescere in infinitum diuisiuè, non collectiuè. Et similiter posset Christus alias creaturas, atque alias, quas modo non videt, videre, sed tunc deberet relinquere alias ex his, quas videt. Sic respondent in hac Sententia, quod quidem difficilè impugnatur, si quis mordicus ita assereret.

Sed Tamen res ipsa plena est inconueniẽtibus. *Tum*, Quia hoc est simpliciter denegare augmẽtum infinitum Syncathegorematicè, in quibuscumque formis, sicut in *Physica* Expendimus *Quæst.* 8 tractando de Termino rerum non viuentium, quæ possunt crescere in infinitum, quantum est ex se. *Tum*, Quia iam in hoc disceditur à Sententia, & ratione *Sancti Thomæ*. Qui solum negat gratiam Christi posse crescere, quia est coniuncta Diuinæ Personæ, non quia in se habeat terminum intrinsecum, etiamsi non sit coniuncta Vnioni Hypostaticæ, vel Visioni diuinæ.

Soluuntur Argumenta.

Ex His non erit difficilè respondere ad Rationes, & Fundamenta Oppositæ Sententiæ. *Ad Primum Locum Sancti Thomæ Respondetur*, Quod quãdo *Sanctus Doctor* dicit mẽsuram gratiæ debere sumi per ordinem ad suum finem, qui finis est Vnio naturalis creaturæ rationalis ad Deum, & hæc est maxima in Christo; loquitur ibi de fine extrinseco, supponendo tamen definitionem, & mẽsuram diuinæ sapientiæ, quæ immediatè, & proximè mensurat gratiam, vt Ipse se explicat Solut. ad 2. Itaque gratia coniuncta Vnioni Personali, propter summam dignitatem, & moralitatem, quam ex

A ista coniunctione participat, etiam petit secundum connaturalem ordinem talis gratiæ habere maximam intẽsionem, pro illo ordine in quo producitur, quod est connaturaliter debere esse summam, id est, supremam hoc ipso, quod coniungitur Vnioni Personali, quia connaturaliter petit habere rationem Capitis super alios in genere gratiæ, & hoc est esse summam secundum definitionem diuinæ sapientiæ, quæ omnibus formis cõnaturales terminos præfixit iuxta connaturalem ordinem, in quo eas condidit. Et sic cõnaturaliter gratia Christi petit, quod omnes aliæ gratiæ in illo ordine in quo producitur, sint illi inferiores, & subiectæ, non tamen ex hoc tollitur, quod possit in alio ordine, & statu rerum produci alia gratia sublimior in ipso Christo, vel etiam præter cõnaturalem ordinem poni intẽsior aliquis gradus in alia pura creatura.

Et Quando Dicitur, Quod si illa gratia crescceret, faceret magis Vnitũ Deo, *Distinguo*. Faceret magis Vnitum accidentaliter, & participatiuè, *Concedo*. Magis Vnitũ substantialiter, & simpliciter, & secundum habitudinem ad istam substantialem Vnionem, *Nego*. In hac enim habitudine non potest intelligi maior Vnio, sed iste est respectus ad finem extrinsecum.

Ad Secundum Locum ex 3. Sent. Respõdetur loqui *Sanctum Doctorem* de capacitate Christi impleta secundum modum connaturalem ipsi gratiæ, & ordinem definitũ illi à diuina sapientia pro hoc statu, vt ex *Solut. ad* 2. in hoc *Artic.* 12. colligitur: sic enim totaliter impleta fuit. Si autem sumatur capacitas obedientialis, non cõnaturali modo tantum, & secundum definitionem diuinæ sapientiæ, sed absolutè, prout respicit præcisè Omnipotentiam infinitam, sic non fuit, nec potuit impleri, sed potest crescere in infinitum Syncathegorematicè, vt ex *Sancto Thoma Quæst.* 2. *de Veritate* diximus. Et ita notanter dixit *Sanctus Thomas* in loco adducto in Argumento, *Quòd potentialitas capacitatis est impleta ex fine implente secundum connaturalem ordinem, & definitionem diuinæ sapientiæ*, non secundum absolutam rationem omnipotentiæ infinitæ.

Ad Locum ex 3 *Sent.* ad Anibaldum, & ad similia verba, quæ habet *S. Thomas* in alio loco ex 3. *Sentent. Distinct.* 13. *Quæst.* 1. *Art.* 2. *Quæstiunc.* 3 *ad* 1. & in *Opusc.* 2. *Cap.* 215. in Iis oportet intpicere eiu verba, sic enim inquit; Quod obijcitur s

Quòd omni finito potèst fieri additio, quod loquendo *de finito Mathematice*, id est *secundū imaginationem, verū est, sed loquēdo naturaliter*, verum non est, *nam omniū naturā constantiū terminus est, & ratio magnitudinis, & augmenti, & ideò gratia Christi augeri non potuit, quia tanta fuit eius capacitas, vltra quam augmentum esse nō potuit, remanēte natura humana, seu natura creata, & Deus non potest facere aliquā capacitatē increatam.* Ita S. Thomas. In quibus verbis duplicē rationem insinuat, ob quam negat posse crescere gratiā in Christo. Primam in prioribus Verbis, in qua tangit augmētū secundū intēsionem, & de hoc solum negat posse crescere connaturali modo, vt patet in illis Verbis: *Sed loquendo naturaliter verum non est, omnium enim, &c.*

Secundam Rationem assignat in posterioribus verbis, non loquendo de augmento intensiuo gratiæ, & quasi intrinseco, sed respectiuo, & extrinseco, seu per ordinē ad Vnionē Personalē, in quo non potest crescere secūdū capacitatem creatam. Et Moueor ad hanc intelligentiam *S. Thomæ* duplici de causa. *Primo*, Quia in alio loco ex 3. *Sent.* adhibens similē Responsionē Argumento, apponit illam tanquam distinctam, dicens: *Vel dicendum, quod licèt quantū est ex se posset facere maiorem gratiam, quantū ad essentiam, quā sit Christi, tamen nulla maior posset esse cuius capacitas creata sit capax.* In 3. autem ad Anibaldū breuitati studens, quasi vtramque rationem coniunxit in Vnam, sed ad diuersa respiciens in primis Verbis tangens augmentum intensiuum, posterioribus infinitatem relatiuam in ordine ad suppositum.

Moueor Secundo, Quia ita Seipsum explicat, tum hic *Art.* 12 *ad* 2. Tū infra *Quæst.* 10. *Art.* 4. *ad* 3. dum inquit: *Quòd id quod dictum est de gratia, quod non potest esse maior, quàm gratia Christi, dictum est de gratia per respectum ad Vnionem Verbi, licèt possit dari sublimior gradus secundū infinitatē potentiæ diuinæ.* Quid ergo alijs explicationibus indigemus? Ad alia Loca, quibus indicat *Sanctus Thomas*, non potuisse dari maiorem gratiam, quàm Christi, vel loquitur de gratia secundum respectum ad Personā Verbi, vel secundū connaturalē statum, & modum à diuina sapientia prædefinitum, nō per ordinem ad potentiā Dei absolutā.

Ad Primam Rationem Respondetur, Quod quando *Sanctus Thomas* ait Art. 11. *Gratiam Christi habere quidquid pertinet ad rationem gratiæ*, intelligitur, quod habet quidquid pertinet ad rationem gratiæ secundum augmentum extensiuum simpliciter; & similiter secundū respectū ad Vnionem substantialē cum Deo: at verò secundū augmētum intensiuum habet quidquid pertinet ad rationem gratiæ secundū definitionem diuinæ sapientiæ, & connaturalē modum, quem petit in hoc statu. Vbi notanda sunt verba *Sancti Thomæ* in eodem *Art. in Corp.* vbi inquit: *Gratia Christi potest dici infinita eo quod non limitatur, quia scilicet habet quidquid pertinere potest ad rationem gratiæ, & non datur esse secundum aliquam certam mensuram, eo quod secundum propositum Dei, cuius est gratiam mēsurare, gratia confertur.* Vbi apertè patet gratiam non dici à *Sancto Thoma* infinitam absolutè, sed iuxta propositum, & definitionem Dei, qui mensurauit illam, licèt absolutè potuerit maiorem dare.

Ad Probationem Consequentiæ, cum dicitur, quod si non habet gratia Christi illud augmentum possibile, non habet quidquid pertinet ad rationē gratiæ, *Distinguo*. Quātum ad omnem modum intensionis possibilem, *Verum est*. Quantum ad omnē modum sibi connaturalem, & proportionatū, ac debitum pro isto ordine rerum, *Nego*. Et similiter quantum ad omnes effectus ad quos potest se extendere gratia; licèt non quātū ad omnem modum aliū effectuum.

Ad Secundam Rationem Respondetur. Omne augmentum fieri debere per ordinē ad aliquem finem, sed in gratia duplicem finem considerari. *Alterum intrinsecum*, scilicet Vnio ad Deum participata, & accidentalis; & tunc finis non est determinatus in ordine ad potentiam absolutā, quia potest infinitis modis fieri talis participatio, & Vnio ad Deum. *Alter finis est extrinsecus*, scilicet Vnio substantialis, ratione cuius connaturaliter petit dari sibi summam gratiam, non absolutè, & in ordine ad potentiam diuinam absolutam, sed comparatiuè ad omnem aliam gratiam, quæ in tali rerum ordine datur secundum definitionē diuinæ sapientiæ. Et ita Fatemur datam fuisse gratiam proportionatam, & debitam ipsi Vnioni Personali secundum definitionem sapientiæ diuinæ, non secundum omnem potentiam absolutam Dei. Quæ est solutio *Sancti Thomæ* sæpius repetita.

Et Quando Additur, Quod est possibilis summus gradus gratiæ determinatus, sicut in formis naturalibus. *Respond.* Quod

in

in formis naturalibus est possibilis summus gra us secundū connaturalem statum talis formæ, quæ cōmensuratur ad subiectum, cuius propria passio est. *Quia omniū natura constātium terminus est, & ratio magnitudinis*, vt ait Philosophus; non tamen secundū statū potentiæ absolutæ Dei: hic enim non est terminus natura cōstātiū, sed vltra omnē naturā. Et est specialis ratio in gratia, & charitate, quia sunt immediatæ participationes ipsius Dei, qui est forma infinita, ideòque de se petunt nō habere terminum Syncathegorematicè in sua participatione, quod non currit in formis naturalibus.

Ad Tertium Negatur capacitatem obedientialē Christi fuisse impletā respectu absolutæ potentiæ Dei, vt expressè dicit *Sanctus Thomas Quæst. 29. de Verit. cit.* Fuisse tamen impletā respectu finis præfixi à definitione diuinæ sapiētiæ. Et sic intelligitur *S. Thomas* locis allegatis in Argumento. Et fuit etiam simpliciter impleta quantū ad infinitatem moralitatis, seu in esse gratiæ per ordinē ad Personā diuinā. *Et ad Probationē Dicitur*, Quod potentia obedientialis est finita entitatiuè, & cathegorematicè; infinita autē obediētialiter, & Syncathegorematicè, quia obedit, & subijcitur infinitæ potentiæ, quæ secundū suā virtutē infinitā potest operari in creatura nō tot, quin plura.

Sed Adhuc Obicit Lorca. Quia si in Christo nō fuit summa gratia determinatè, & positiuè, non est cur dicamus per opera Christi meritoria nō potuisse crescere eius gratiā; si enim erat possibile hoc augmētū, & Christus Dominus operabatur opera digna illo, cur priuabatur tali augmento?

Respondetur, Quod in quacumque maiori gratia poneretur Christus, semper poterat idē argumētum fieri, quia potest Syncathegorematicè in infinitum crescere, & semper possum inquirere, Quare non datur Christo maior gratia, si illa est possibilis? Vnde oportet tandē recurrere ad aliquam determinationē, & definitionem datam à Diuina Sapientia. *Quare Dicimus*, Quod gratia Christi erat in termino, nec poterat crescere iuxta connaturalē statum determinatū à sapientia diuina. *Tum*, Quia erat cōprehensor à primo instanti suæ Conceptionis, & pro hac parte non poterat crescere gratia. *Tum*, Quia erat Vnita summo termino Vnionis substantialis. Quando autē gratia est in termino, etiamsi multa opera bona faciat, non crescit, nec meretur eius augmentum, vt patet in Beatis, & in animabus Purgatorij, quæ quantū ad hoc sunt extra statū Viæ; meritū autem solū datur in Viatoribus. Et Christus licèt esset Viator, tamē in ordine ad consummationem, & terminationē gratiæ erat comprehensor, & ideò in gratia crescere non poterat per meritū; benè tamen poterat crescere in ordine ad alia extrinseca, quæ merebatur, sicut gloriam corporis, nominis exaltationem, &c.

ARTICVLVS II.

Quomodo Gratia Christi possit dici Infinita, & Plena?

Ivxta ea, quæ Diximus in Initio *Articuli Præcedentis* de Quadruplici Infinitate, scilicet in *Quidditate*, in *Quantitate*, in *Qualitate*, in *Relatione*, philosophandum est in explicādo infinitatem gratiæ Christi. Et supponimus cū *S. Thoma* infinitum in entitate non dari, absolutè loquendo, quia entitas gratiæ finita est in genere entis. An verò possit dici gratia ipsā infinita intra suum genus gratiæ, quæ est infinitas secundum quid? Ex dictis *Præcedent. Artic.* deciditur potest, sic enim frequēter loquitur *S. Thomas*, vt in hac *Quæst. Art. 11.* & *Opusc. 2. Cap. 215.* Vbi varijs exemplis explicat huiusmodi infinitatē secūdū quid.

Primo quidem *Quia habet ex parte ipsius formæ quidquid ad rationem gratiæ pertinere potest, sicut lux in Sole potest dici infinita, & calor in igne, quia habent quidquid ad rationē lucis, vel caloris pertinere potest.* Quod in prædicto *Opusc.* sic explicat Sanctus Thomas, *Quoniam si esset albedo, vel calor separatus, & si haberet finitam essentiam, haberet tamen totam plenitudinem illius, quando autem recipitur in subiecto non habet de necessitate, & semper totum, quod pertinet ad rationem huius formæ, sed solum quando sic habetur, sicut perfectè haberi potest, ita quod modus habendi adæquet rei habitæ potestatem.*

Secundo Explicat Sanctus Thomas ibidem hanc infinitatem ex parte recipientis, Quia scilicet, *Etsi ipsa capacitas recipientis sit finita, tamen quando alicui non tantū datur de bonitate diuina, quāta est capacitas naturalis suæ speciei, videtur esse donatū secūdum aliquā mensuram, seu restrictionem, ex parte ipsius dantis, cū verò tota naturalis capacitas impletur, non videtur esse secundum mensurā donatū, quia etsi sit mensura ex par-*

te recipientis, non tamen est mensura ex parte dãtis; qui plus daret, si plus posset recipere; & sic gratia Christi infinitè, & non secundum mensuram dari dicitur, quia tantum datur, quantum natura creata capax est.

Ex Quo Patet, Quod infinitas in hac acceptione nihil aliud est, quã *Plenitudo*, quia scilicet datur tota forma, seu totalitas formæ, & impletur tota capacitas recipientis: hoc autem semper intelligendum est iuxta doctrinã *Articuli Præcedentis*, Quod fit secundũ connaturalem modũ talis formæ, id est secundũ ordinem præfixum Diuinæ Sapientiæ, quæ modum connaturalem gratiæ dat, eo quod gratia est immediata participatio diuinæ naturæ, non in ordine ad potentiam absolutam Dei, vt explicatum est *Articulo præcedenti.*

Sed Dices: Ergo non differt modus plenitudinis gratiæ in Christo, à modo plenitudinis in alijs Sanctis, qui in Scriptura dicuntur *Pleni gratia*, quod est contra *S. Thomam* hìc *Art.* 10. Nam alij Sancti dicuntur pleni gratia respectu alicuius cõditionis ex parte subiecti, seu officij ad quod assumuntur, iuxta quod accipiunt plenã, & intẽsam gratiã secundùm terminum præfixũ à Deo, vt *S. Thomas* dicit hic *Artic.* 11. Sed similiter Christus habet plenitudinẽ gratiæ nõ ex parte ipsius formæ, quia hæc maior esse potuit de potẽtia absoluta, sed ex parte dispẽsationis diuinæ, quia sic mensurauit Deus iuxta definitionẽ suæ sapientiæ, & secundũ quod congruebat ipsi Vnioni: ergo nõ habuit Christus plenitudinẽ gratiç ex parte ipsius formæ, sed ratione cõditionis subiecti.

Respondetur Plenitudinẽ gratiæ in Christo, vt dicit *S. Thomas*, esse plenitudinem ex parte ipsius formæ, & nõ solũ ex parte subiecti, quia habet gratiã in summa excellẽtia, qua haberi potest, & in maxima extensione ad omnes effectus gratiæ. Vbi excluditur explicatio *Vazquez* hic *Disput.* 46. *Cap.* 2. Qui plenitudinẽ gratiæ Christi tolũ explicat per hoc, quod habuit gratiã Vnionis, & infinitam dignitatem operum: cum tamen *S. Thomas* in intensione, & extensione ipsius formæ, quæ est gratia, illam ponat.

Et Quidem de extensione ipsius formæ cõstat esse summã, quia potest causare omnes effectus gratiæ, quatenus *De plenitudine eius omnes accepimus*, quæ plenitudo nulli gratiæ alterius Sancti cõuenit. De *Intensione* verò Dicitur, quod habet Summã, non in ordine ad potentiam absolutã Dei, sed in ordine ad cõnaturalẽ statum gratiæ, in hoc ordine rerũ; quia hoc ipso quod est coniuncta Personæ Diuinæ, petit connaturaliter esse summa in ordine rerum, quo producitur; sed quia possunt produci à Deo diuersi ordines rerum, ideò respectu omnipotentiæ Dei non est terminus aliquis in augmento ipsius gratiæ.

Quod Si Instes: Quia connaturalis modus gratiæ pertinet ad absolutã potentiam Dei, quia educitur de potentia obedientiali, & ita operatur iuxta modũ supernaturalẽ, qui est modus operandi de potentia absoluta; ergo idẽ est esse summam gratiã connaturaliter, & esse summã de potentia absoluta. *Respondetur* Negando Antecedens, *Et Dicimus*, Quod cõnaturalis status gratiæ præcipuè attenditur secundũ duo. *Primũ*, quod nihil habeat admixtũ de suo contrario. *Secundũ*, quod sit coniunctũ suo principio, & fonti à quo deriuatur. Sicut lux in Sole, & calor in igne dicuntur habere connaturalẽ statũ, & modum, quia ibi sunt cõiuncta suo proprio principio à quo dimanant, & nihil admittunt de suo oppositio. Sic autem est in gratia Christi, quæ est coniuncta Personæ diuinæ; habet enim ex tali cõiunctione carere omni suo oppositio, id est, peccato, tam formaliter, quàm radicaliter, quia est impeccabilis ab intrinseco: & similiter habet propriũ fontem gratiæ sibi coniunctũ, scilicet Verbũ Dei, iuxta illud Eccles. 1. *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Hoc tamẽ non tollit quin vltra istum connaturalem modum, & statum rerum possit absoluta potentia Dei magis, ac magis intendere illam gratiam in alio ordine rerum.

De Infinitate ergo tam intẽsiua, quàm extensiua sufficiẽter dictum est, quia nomine talis infinitatis, solum intelligimus *Plenitudinẽ*, & adæquationem illius formæ intensiuã, in quãtũ habet summam perfectionẽ, in hoc ordine rerum, & in modo connaturali ipsius gratiæ. Extensiuam autẽ, in quantum habet vniuersale principium merendi omnẽ effectum gratiæ, & deriuãdi illum in infinitũ Syncathegorematicè, licèt semper finitum cathegorematicè, & determinatè.

Circa Infinitatem Relatiuam, quæ est infinitas Dignitatis, seu moralitatis, in gratia Christi, multa possent adduci, nisi supra circa *Quæst.* 1. *D. Thomæ*: Agentes de Valore, quo satisfecit, dicta fuissent, quæ hic disputari possent. Breuiter tamen Dico, Quosdam Theologos existimasse dignitatẽ hanc esse modum quemdam positiuum physicũ, seu perfectionẽ resultantem in gratia Christi

sti ex coniunctione ad Verbum. Quos suppresso nomine refert, impugnatque *Asturicensis Relectione de Gratia Christi Pag. 216.* cū sequentibus. Sicut calor ex coniūctione ad animā producit carnem, & in Fœmina producit lac. Imò putāt in hac modali perfectione sitam esse extensiuam perfectionē gratiæ Christi, ratione cuius est principium sanctificatiuum aliorum, & habet gratiam Capitis, quod vtique perfectio intrinseca, & realis est in gratia Christi. Ergo talis modus infinitus physicus ponendus est in illa.

Alij Vero per aliud extremum posuerunt hanc infinitatem consistere in denominatione extrinseca, seu acceptatione Dei, quod *Marsilio* tribuit *Nazarius* super hunc *Art. 11. Contr. 1.* Cui etiam ex parte accedit *Vazquez* hic *Disp. 46. Cap. 3.* in fine, quatenus videtur asserere hanc infinitatem prouenire extrinsecè à gratia Vnionis, cui seruit gratia habitualis.

Nos Vero, neque in modo aliquo physico absoluto superaddito gratiæ, neque in sola extrinseca denominatione, sed in reali ordine, & vnione ipsius gratiæ ad Verbū, quatenus est in humanitate sibi vnita, hanc infinitā dignitatem cōstituimus, & sic est aliquid intrinsecum in gratia, & actionibus Christi per modū relationis, & Vnionis. Sic sumitur ex *D. Thoma*, qui dicit: *Magnitudinē gratiæ Christi sumi ex hoc, quod ordinatur ad vnionem personalem.* Vt patet in hac *Quæst. 7. Artic 12. ad 2.* & infra *Quæst. 10. Art. 4. ad 3.* & *in 4 Dist. 4. Quæst. 1. Art. 3. ad 2.* inquit, *Quòd gratia Christi dicitur infinita secundū quid, in quantū potest in omnes effectus gratiæ, & in quantū concurrit ad ipsam vnionē infiniti boni, vt mediū congruitatis, & ad operationem Christi, quæ est infiniti valoris in quantum est operatio diuinæ personæ.* Quæ omnia indicant respectum, & ordinem aliquem ad ipsam Personam, & Vnionem Hypostaticam.

Quod Ergo illa infinitas, seu perfectio nō sit modus aliquis physicus absolutus infinitus, præter quā quod non potest assignari, quis modus sit iste infinitus, quia nō est modus intensionis, cum non sit infinitè intensa gratia Christi: neque est modus extēsionis, quia extensio gratiæ Christi, non est aliud, quā ipsa virtus gratiæ, secūdū quod est vniuersale principiū deriuandi gratiā ad alios, & merendi, non solū sibi, sed alijs. Hæc autē excellentia vniuersalis principij, non apparet, quod sit solum excellētia modalis, & multò minus, quod resultet in gratia Christi ex Vnione ad Verbum, sed est intrinseca quædā participatio gratiæ, ab ipsa bonitate diuina, quia gratia est immediata participatio Dei, & sic perfectio eius intensiua, & extensiua, qua potest in alios deriuare gratiā, sumitur ex maiori participatione diuinæ bonitatis, non ex coniunctione ad Verbū, quæ est illi extrinseca, & per accidens, licèt hæc maior participatio diuinæ bonitatis data sit gratiæ Christi, quia coniuncta fuit Verbo, quasi occasione illius.

Vnde dicit *D. Thomas* Quæst. 29. de Verit. Art. 5 *Quòd humanitas Christi ex hoc ipso, quod præ alijs, vicinius, & specialius erat diuinitati coniuncta, excellentius diuinā bonitatē participauit per gratiæ donū. Ex quo habuit, vt per eam in alios gratia transfunderetur, sicut per corpora magis lucentia lumē Solis ad alia transit.* Illa ergo extensio, qua Christi gratia fuit vniuersale principium, non cōsistit in aliquo modo absoluto, proueniente à gratia Vnionis; sed in participatione excellentiori diuinæ bonitatis. Quæ tamen excellentia per condecentiam data est animæ Christi, quia erat Verbo vnita.

Et Præterea, Quia hoc quod est reddere animā Christi, & eius actiones infinitè dignas, non est effectus formalis absolutus alicuius entitatis creatæ superadditę ipsi vnioni, quia nulla entitas creata dignitatē habet in se infinitā, & increatā absolutā; sed omnis talis dignitas dicitur esse per respectū ad personā increatā. Ergo præter Vnionē, & respectū ad ipsam, non datur aliqua entitas, vel modus creatus absolutus, qui talem dignitatem possit præbere, cui excedat omnem perfectionem, & entitatem creatam.

Quod Vero non sit sola Denominatio extrinseca, ex eo probatur: Quia humanitas Christi, eiusque potētiæ realiter inter se sunt vnitæ, & terminatæ Persona Diuina, sicut in alijs suppositis, & rebus subsistunt, & terminantur sua personalitate creata. Similiter actiones, verè, & realiter, & non per denominationem extrinsecam oriuntur ab ipsa Persona, & Humanitate, & Gratia. Ergo habent in se realē respectum, & ordinem ad Personā infinitam, tanquā ad propriam principium *Quod*, & totale ipsarum actionum: sed iste ordo sufficit denominare illas tantæ dignitatis. Ergo hæc denominatio est aliquid intrinsecum. *Minor patet.* Quia hic ordo denominat illas verè, & realiter procedentes à Deo, quod est esse actiones *Theandricas*. Ergo verè facit illas actiones Dei, & hominis. Hoc autem facit eas

dignas æstimatione morali infinita. Ergo ista æstimatio moralis fundatur in aliquo reali ordine, quo tales actiones realiter egrediuntur à Deo homine, illique vniuntur.

Ac Denique, Quia denominatio extrinseca semper prouenit ab aliqua vera, & reali forma, intrinsecè existente in alio, sicut esse visum in pariete à visione existente in oculo. Persona autem diuina non existit intrinsecè in alio, quã in humanitate, eiusque potentijs, & habitibus, quatenus Persona diuina realiter est vnita illi naturæ, eamque reddit realiter subsistentem, & terminatam, non per extrinsecam denominationem, sed per intrinsecam dependentiam humanitatis ab ipsa. Ergo ipsa dignitas actionum Christi, & gratiæ illius, non fundatur in extrinseca denominatione, sed in aliquo intrinsecè respectiuo, quatenus realiter, & intrinsecè vniuntur Personæ diuinæ, & actiones ab illa procedunt.

Soluuntur Obiectiones.

Ex Quo facilè diluuntur Obiectiones, quæ possunt fieri contra hanc resolutionẽ. Obijci enim solet, Quia illa moralitas est infinita, & non potest recipi in entitate finita, qualis est gratia, & actio Christi.

Item. Non potest procedere hæc infinitas à solo Verbo, cum Verbum nihil efficiat in humanitatem seorsum ab alijs Personis, sed tantum terminet naturam: neque à tota Trinitate, quia sic infinitas meriti tribueretur omnibus Personis, cum tamen solum dicatur mereri Persona Filij, quæ incarnata est.

Denique, Quia gratia Christi non potest dare effectum formalẽ infinitatis moralis: Ergo neque ipsa est infinita moraliter. *Antecedens patet*. Quia effectus formalis gratiæ est acceptatio ad gloriam, non potest dare acceptationem ad gloriam. Ergo.

Respondetur ad Primum. Quod illa moralitas infinita potest recipi in entitate finita, quia etiã ipsa moralitas entitatiuè sumpta finita est, scilicet relatio realis ad Personam Verbi, siue Vnio, quæ est in humanitate, & relatio actionis egredientis ab illa Persona, vt à principio operante. Istæ enim relationes entitatiuè sunt finitæ; terminatiuè autem infinitæ; & ideò creatura est capax illarum. Dicuntur autem moraliter infinitæ, quia terminãtur, seu vniuntur principio infinito, vel ab illo procedunt, & sic æstimationem habent infinitam.

Ad Secundum Dicitur, Quod Vnio humanitatis efficienter est à tota Trinitate; terminatiuè autem, & personaliter à solo Verbo; & similiter operationes Christi procedunt à Persona, vt à principio *Quod* proximo supplente vicem creatæ; efficaciter autem sunt à tota Trinitate tanquam à causa prima, sicut reliquę operationes aliarum rerum. Dignificatio autem, & æstimatio moralis non sumitur ex causa prima, & remota, aliàs omnes operationes creaturarum essent infinitæ dignitatis, quia procedunt à Deo, vt à causa prima; sed sumitur dignificatio à principio proximo, & à Persona, à qua procedunt, & sic procedunt operationes à Persona Christi efficienter, vt à principio *Quod* proximo, à tota autem Trinitate efficienter, vt à Causa Prima.

Ad Tertium Dicitur, Quod gratia Christi, vt coniuncta Verbo, sicut dat acceptationem ad gloriam, etiam ipsi Verbo coniunctam; ita etiam dat acceptationem ad gloriam infinitam, non infinitæ intentionis, sed moralitatis, quia etiam ipsa gloria habet infinitam æstimationem ex coniunctione ad Verbum.

Ad Motiua Primæ Opinionis supra relatæ. *Respondetur* Esse disparem rationem de calore producẽte carnem, aut lac; & de Gratia infinitè dignificata; quia calor ordinatur, & sumitur, vt instrumentum ad producendum physicum effectum vltra suã speciem, & ideo dicitur physicè perfici perfectione aliqua absoluta, ad talem effectum producendum. At vero Gratia solum dignificatur moraliter ex cõiunctione ad Verbum, quæ quidem coniunctio non exigit vltra respectum vnionis, aliquem modum, seu perfectionem absolutam. Nec potest talis dignitas, & æstimatio formaliter prouenire ab aliqua forma creata, sed ab ipsa Persona infinita, vt coniuncta tali gratiæ, & operationibus illius, quare præter coniunctionem, nihil aliud requiritur.

Ad Secundum Dicitur, Quod esse principium sanctificatiuum aliorum, & gratiam Capitis, si sumatur pro eo, quod est virtutis ad influendum in alios gratiam, & merendum pro illis est perfectio intrinseca gratiæ, proueniens ex maiori, & excellentiori participatione bonitatis diuinæ, vt supra diximus ex *D. Thoma*. Vnde neque repugnabit hanc perfectionem, & excellentiam con-

conferri alicui puræ creaturæ, licèt non esset decens, vt docet *S. Thomas in 4. Dist. 5. Quæst. 1. Artic. 3. Quæstiunc. 2.* Et in sequenti Quæstione latiùs explicabitur.

Si Autem sumatur Gratia Capitis, pro ipsa authoritate, & dignitate infinita moali, vnde actiones Christi habent valorem ad satisfaciēdum de rigore iustitiæ, & ad hoc, vt sint actiones Theandricæ, sic dependent à Persona Verbi, & ex coniunctione ad illam recipiunt hanc moralitatem, non per aliquam perfectionem absolutam super additam, sed ex sola coniunctione, & terminatione ad Verbum, vt declaratum est.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Gratia Habitualis possit dici Passio, *vel admodum Passionis respectu Gratiæ Vnionis?*

Occasionem præbuit huic Difficultati *S. Thomas in Art.* 13. huius Quæstionis ad 2. *Quòd gratia habitualis in Christo non intelligitur, vt præcedens vnionem, sed vt cōsequens eam, sicut quædam proprietas naturalis.* Vnde & Augustinus dicit: *Quòd gratia est quodammodo Christo homini naturalis.* Ad explicandum ergo exactè, Quomodo in Christo habeat cōnaturalem statum, ideoquè postulet esse summmam, saltim connaturali modo, sicut lux in Sole; restat verificare, Quomodo gratia possit dici propria passio in Christo, & Quomodo illud subiectum sit illi connaturale.

Et Est Ratio Dubij, Quia vt sit propria passio in Christo, & illud subiectum sit illi connaturale requiritur, quod naturaliter, & necessariò sequatur in Christo: at omnibus etiam principijs stantibus, tam ex parte naturæ assumptæ, quàm ex parte personæ assumentis, libere potuit à Deo non cōferri illa gratia. Ergo frustra dicit *D. Thomas*, quod sequitur, sicut naturalis proprietas, & sicut splendor ad Solem.

Ex Alia vero parte videtur se habere, vt propria passio. Quia gratia Vnionis est aliquid perfectissimum, & supremi ordinis: Ergo debet habere aliquas proprias passiones ordinis supernaturalis. Nulla autem aptior est, quā gratia habitualis, sicut enim virtutes infusæ dimanāt à gratia, tanquam propriæ passiones, quia eminenter, & virtualiter in ea continentur; sic gratia habitualis dimanare debet à gratia Vnionis, in qua eminentius continetur, quam virtutes in gratia.

Quod Etiam Christus non sit connaturale subiectum gratiæ, ex eo arguitur. Quia gratia non est debita connaturaliter humanitati Christi, etiam vt vnitæ Verbo: siquidem gratia habitualis, per gratuitam, & liberam actionem infunditur illi animæ à Deo: Ergo non ex aliquo connaturali debito: alioquim respectu illius non erit gratia.

Confirmatur, quia infunditur ei secūdum potentiam obedientialem, sicut & nobis: est enim gratia eiusdem speciei, & eodem modo educta de potentia obedientiali animæ, sicut nostra: Ergo non est connaturalis, siquidem solum obedientialiter, non verò connaturaliter se habet ad illam.

Propter hoc Aliqui Theologi, vt *Medina*, & Alij concedunt gratiam Christi per simplicem resultantiam emanasse ab Humanitate Christi, vt eleuatam per Vnionē Hypostaticam: contra quos agit *Asturicensis Pag.* 163 & sequentibus.

Nos breuiter, & resolutoriè Respondemus. Gratiam habitualem non fuisse datam animæ Christi per resultantiam, & dimanationem, quasi actiuam, sicut propria passio naturalis dimanat à subiecto: sic enim, neque dimanauit à Persona Verbi, neque ab humanitate eleuata per gratiam Vnionis. Nihilominus humanitas sic eleuata dici potest proprium, & connaturale subiectum gratiæ habitualis.

Prima Pars Probatur. Nam neque datur principium à quo naturaliter dimanet gratia, neque ipsa gratia est forma per modum passionis, sicut virtutes ad illam consequutæ, sed est gratia per modum naturæ se habens. Ergo non dimanat à gratia Vnionis. *Antecedens*, quo ad secundam partem cōstat ex ipsa natura gratiæ, quæ est participatio diuinæ naturæ, vt natura est, & datur ad eleuandum ipsam essentiam Animæ, sicut virtutes ad eleuandum potentias; ideoque gratia in genere supernaturali se habet vt natura, & virtutes vt passiones propriæ; ergo ipsi formæ gratiæ non conuenit habere rationem propriæ passionis.

Quo ad Primam Partem Probatur. Quia nō datur aliquod principium, neque creatum, neque increatum à quo possit gratia per resultantiam, & emanationem procedere;

dere, sicut producit propria passio ab essentia : non datur principium creatum talis emanationis, quia propria passio est quædam participatio essentiæ à qua profluit, in qua radicaliter continetur; gratia autem est immediata participatio diuinæ naturæ, quia *Facit nos Consortes diuinæ naturæ*, vt dicitur 1 *Petri* 1. Ergo non potest radicaliter contineri in aliquo creato tanquam in essentia, cuius sit propria passio, quia nec potest esse eius participatio, neque est aliquod principium increatum, quia gratia non potest naturaliter, & necessariò resultare à Deo, sed per actionem liberam producitur, cum sit effectus illius; nulla autem creatura, seu effectus Dei necessariò, & per resultantiam dimanat à Deo. Et multò minus à solo Verbo in Humanitate, quia Verbum purè, & præcisè terminat humanitatem, nihil verò agit in illam, nec potest habere effectum aliquem, qui non sit communis toti Trinitati; ergo gratia non resultat naturaliter in Christo, sed eodē modo producitur per actionem Dei, sicut in nobis.

Dices: Procedit ab aliquo creato, vt coniuncto ipsi Deo, vel saltem ab ipsa Vnione Hypostatica. *Contra*, Nam in primis Vnio Hypostatica non est forma à qua possit dimanare gratia, quia Vnio solum est applicatio, & dependentia humanitatis à Verbo, & relatio ad ipsum; forma autem, quæ solum seruit tanquam Vnio, & applicatio, & per modum relationis se habet, non potest habere tanquam propriam passionē Qualitatem, qualis est gratia, quia est forma absoluta, quæ non consequitur ad respectiuū. Similiter ipsa humanitas vt eleuata, & coniuncta Personæ diuinæ non accipit radicalem continentiam gratiæ habitualis, quia per talem coniunctionem solum redditur subsistens, & terminata per ipsam Personā Verbi; in ipsa autem natura, seu Virtute, & continentia illius nullo modo manet mutata; ergo non potest esse principium dimanationis gratiæ, quia ad hoc deberet esse substantialiter continens id, quod gratia accidentaliter est in se, quia propria passio est participatio substantiæ a qua dimanat: nihil autem substantiale accipit humanitas præter terminationem ad Verbum.

Quo ad Secundam Partem Conclusionis positæ de connaturalitate subiecti, *Est Notandum*, Quod subiectum connaturale nō solum dicitur illud, quod habet connaturalem connexionem cum aliqua forma, sicut subiectum à quo dimanat aliqua propria passio; sed etiam dicitur subiectum connaturale id, quod redditur conuenienter dispositum, & proportionatum cum aliqua forma, etiamsi reddatur tale per aliquid sibi superuenies de nouo. Itaque connaturale dicitur dupliciter. *Vno modo* quasi connaturalitate actiua, sicut subiectum respectu passionis dimanantis à se; vel vitalis potētia respectu actus immanentis. *Alio modo* connaturalitate quasi passiua, sicut Diaphanum respectu lucis, Cœlum respectu motus, Intellectus Angeli respectu specierum, quæ sibi infunduntur à Deo. Et in supernaturalibus Visio Beata, & Vnio essentiæ diuinæ ad intellectum habent pro subiecto connaturali lumen gloriæ; & tamen ista inter se non habent talem connexionem, quod vnum dimanet ab alio, sed vnum est proportionatum, & commēsuratum subiectum alteri, & sic dicitur cōnaturale subiectum proportionis, non dimanationis. In Christo ergo, cum subiectum illud ratione gratiæ Vnionis supponatur sanctificatum formaliter, hoc ipso redditur proportionatum, & connaturale respectu sanctificationis accidentalis, licèt talis gratia dans accidentalem sanctificationem comparata ad entitatem Animæ educatur de potentia eius obedientiali, non naturali.

Sic Ergo Explicatur, & Probatur connaturalitas talis subiecti ad gratiam. *Tum*, Quia subiectum habens vnum oppositum remotum, & expulsum, ex hac ipsa negatione quamdam connaturalitatem habet, & proportionem ad alterum oppositum, saltem negatiuè: ex vnione autem ad Verbum manet illud subiectum impeccabile; ergo hoc ipso manet connaturale ad gratiam, quæ est forma sanctificans, & expellens peccatum.

Tum Etiam, Quia per gratiam Vnionis subiectum illud manet supernaturalizatū, & sanctificatum vt *Quod*, in linea supernaturali, imò in altiori linea, scilicet Vnionis Hypostaticæ; sed omni principio *Quod* proportionatur, & connaturalizatur aliquod principium eiusdem ordinis, & lineæ; ergo cum gratia sit principium *Quo* operandi supernaturaliter, & gratia Vnionis constituat illum hominem vt principium *Quod* supernaturale, sine dubio gratia habitualis cōnaturalem proportionem habebat cum gratia Vnionis.

Tum Denique. Quia ex vi Vnionis ille homo erat Filius Dei naturalis in natura assump-

assumpta propriè, & non solum per communicationem Idiomatũ, vt infra *Quæst.* 24. probatur; ergo habebat ius ad hæreditatem tanquam Filius, hæreditas autem est gratia consumata; ergo erat subiectum cõnaturale talis gratiæ, sicut Filius est connaturale subiectum hæreditatis, & sic manebat illi debita gratia habitualis, sicut debetur hæreditas Filio; nec poterat sine miraculo illi denegari, vt communiter fatentur Theologi.

Nec Obstat, Quod etiam calor est debitus animali, & tamen proprium, & connaturale subiectum eius est Ignis: *Dicimus* enim, Quod calor, qui est debitus animali est calor temperatus, & vitalis, & prout sic non est connaturaliter in igne, sed in animali; ignis enim non habet connaturaliter calorem temperatum, & vitalem, sed igneum.

Soluuntur Argumenta.

Ad Rationes Dubitandi in Oppositum. Ad primam Concedimus Gratiam non comparari ad Christum, vt ad subiectum dimanationis, & resultantiæ, nec *Sanctus Thomas* id insinuat, quia quando dicit causare gratiam ex præsentia Deitatis, *Sicut causatur splendor ex Sole*, non loquitur de splendore existente in ipso Sole, qui est propria passio dimanans ab igne, sed loquitur de splendore causato in aëre per illuminationem Solis. *Sicut lumen* (inquit Sanctus Thomas) *causatur in aëre ex præsentia Solis*, quod non est in ipso Sole, sed per actum illuminatiuum producitur extra Solem in aëre, & tamen recipitur connaturaliter in ipso aëre, quatenus Diaphanus est; ita gratia causatur ex præsentia Deitatis in Christo per actionem infundentem talem gratiam, non per dimanationem, & tamen recipitur connaturaliter in anima Christi, ratione dicta.

Ad Secundam Obiectionem Dicitur, Quòd Vnio Personalis non est natura aliqua substantialis, quæ petat aliquas proprias passiones dimanantes ab ipsa, sicut qualitates aliquæ dimanant à substantia; est enim illa Vnio, vel sola relatio, vel modus aliquis substantialis; relationi autem non conuenit habere qualitatem gratiæ, tanquam propriam passionem per modum dimanationis. Si autem est modus substantialis, est quid imperfectum generis substãtiæ, tanquam modus, cui non conuenit esse subiectum dimanationis respectu gratiæ, & qualitatum: si quas ergo proprias passiones habet ille modus, erunt alterius generis, & similes illis passionibus, quæ possunt conuenire modis Personalibus, vt subsistentiæ, & existentiæ. *Verbi gratia*, Quod sit radix operationum vt *Quod*, non vt *Quo*: Quod reddat operationes dignificatas, & infiniti valoris, & æstimationis; licèt enim æstimatio ista sit aliquid rationis, tamen fundamẽtum illius (vt dictum est) realem, & positiuum ordinem dicit ad suum principium, & hoc potest pertinere ad propriam rationem gratiæ Vnionis.

Ad Tertiam Obiectionem contra subiectum cõnaturalitatis. *Respondetur Probare*, Quod gratia non habeat Animam Christi pro subiecto connaturali connaturalitate dimanationis, & resultantiæ, non tamen connaturalitate proportionis, ita quod sit subiectum connaturale quasi passiuè, non actiuè (vt explicatum est) & sic gratia per liberam actionem producitur à Deo, & tamen connaturaliter, & proportionatè recipitur in Anima Christi, sicut exemplis allatis probatum est.

Ad Confirmationem Respondetur, Quod Gratia educitur de potentia obedientiali Animæ, non de potentia naturali. Et cum infertur: Ergo illud subiectum non est cõnaturale, *Distinguo*. Ex parte Animæ præcisè, & entitatiuè consideratæ, *Concedo*. Ex parte Animæ vt eleuatæ per gratiã Vnionis, *Nego*. Sicut etiã Lumen gloriæ est connaturale animæ habenti gratiam, & Visio est connaturalis habenti lumen gloriæ, & tamen formæ istæ supernaturales educuntur de potentia obedientiali Animæ, non de naturali: hoc enim sufficit vt dicatur subiectũ connaturale connaturalitate proportionis, licèt nõ dimanationis. Vnde nõ est connaturale subiectũ quasi actiuè, id est, quod actiuè, & per dimanationem producat illam gratiã, sed quasi passiuè, quia proportionatè, & secundum quoddam debitũ respicit illam, supposita eleuatione per gratiam Vnionis. Nec amplius requiritur ad hoc, vt dicatur subiectum connaturale passiuè, & in recipiendo, licèt actiuè fiat per actionem liberam ipsius Dei, non per dimanationem naturalem.

QVÆ-

QVAESTIO OCTAVA.

DE GRATIA CHRISTI SECVNDVM QVOD EST CAPVT ECCLESIÆ.

TRIPLICEM in Christo Gratiam communiter Theologi distinguunt, scilicet *Gratiam Vnionis*; *Gratiam Habitualem*, vt est singularis personæ; & *Gratiam Capitis*. Quod optimè aduertit *S. Thomas*; deduciturque ex illis verbis Ioannis *Verbum caro factum est*. Nam quantum ad *Gratiam Vnionis*, dicit: *Verbum caro factum est*: quantum ad singularem gratiam, dicit: *Vidimus eum plenum gratiæ, & veritatis*. Et quantum ad Gratiam Capitis, subdit, *De plenitudine eius omnes accepimus*. Hunc Gratiæ ordinem plenè obseruans *S. Thomas*, postquam in præcedentibus latè egit de Gratia Vnionis, & de Habituali gratia, vt est singularis hominis, nunc agreditur explicare officium Gratiæ, vt Capitis est.

EXPLICATIO LITTERÆ.

Vt Tota Littera huius Quæstionis perspicacius intelligatur, præ oculis habendum est, id, quod dicit *D. Thomas Art.* 1. nempè, In quo cõsistat ratio *Capitis* Metaphysicè dicti; sunt enim quæ dicuntur talia, per similitudinem; & ratione metaphoræ tantò sunt perfectiora, quantò magis assimilantur rei naturali, per ordinem ad quam talia dicuntur. Ad rationem autem *Capitis Naturalis* plura concernunt, ex quorum similitudine aliquid potest dici Caput Mysticum, & secundum quod perfectius imitatur perfectiones requisitas, & concernentes in Capite naturali, tantò perfectius dicitur per metaphoram Caput. Aliquid ergo præsupponitur ad rationem Capitis, & aliquid quasi constituit, & componit ipsum. Præsupponitur, quod Caput non sit alienæ naturæ cum corpore, sed habeat conformitatem ad naturam corporis: id tamen non est simpliciter requisitum ad rationem Capitis vt sic; vt patet in Deo respectu Vniuersi, sed ad rationem Capitis vniuocè, qua ratione Christus, vt homo, dicitur

Caput

Caput tam hominum, quàm Angelorum, quia est eis magis conformis in natura.

Quamuis in hac parte etiam dici possit, quod cum Christus etiam sit Caput in ordine supernaturali, qui est ordo gratiæ. Angeli autem, & homines, licèt in natura differant pluſquam ſpecie, tamen in participatione gratiæ omninò conueniunt: in communicatione enim Beatitudinis eadem est mensura hominis, quæ & Angelorum, vt dicitur *Apocal.* 21. ideò non incongruè dici potest, quod eadem vniuocatione, & eadem ſpecifica conformitate Christus est Caput hominum, & Angelorum. Sed tamen hæc conditio præſupponitur ad rationem Capitis; vt ſcilicet conformis ſit cum cæteris membris: hoc non est commune Capiti cum membris, & ideò quaſi præſupponitur: proprium autem, & per ſe conſtitutiuum ad rationem Capitis, vt differt à cæteris membris, conſiſtit in illis tribus conditionibus, quas enumerat *S. Thomas Art.* 1.

Ordinem ſcilicet, *Perfectionem*, & *Virtutem*. Ordinem quidem, quia est principium vnde incipit corpus, quaſi à ſuperiori, & ideò ea à quibus alia incipiunt, ſiue quo ad ſitum, ſiue quo ad originem *Capita* vocantur.

Perfectionem autem, quia in corpore ſenſibili, ita excedit Caput alia membra, quod cum reliquis membris ſolum ſit ſenſus Tactus, In Capite ſunt omnes alij ſenſus interiores, & exteriores.

Denique Caput habet *Virtutem* pro reliquis alijs membris. *Tum* ſecundum interiorem influxum. *Tum* ſecundum exteriorem. Secundum interiorem quidem, quatenus motum, & animales ſpiritus influit in cæteris membris; exteriorem autem quatenus dirigit, & gubernat alia in motibus ſuis.

Ex Quibus conditionibus patet, Quod ratio *Capitis*, ſi exactè ſeruentur omnes conditiones ad illam pertinentes, includit omnes perfectiones, quæ in vnoquoque alio nomine importante ſuperioritatem inueniri poterant; vt eſſe Regem, Principem, vel Iudicem, vel Patrem, aut Gubernatorem, &c. Nam hæc nomina ſaltim participant aliquam conditionem pertinentem ad rationem Capitis. Dicitur enim Rex, vel Iudex ex eo, quod dirigit, & Gubernat ſecundum exteriorem miniſterium: Pater autem ex eo, quod eſt principium, à quo alij deriuentur; & ſic poſſunt alia nomina multiplicari, quæ aliquas conditiones Capitis participant, vt eſſe fortem, admirabilem, &c. & quæ conditiones virtutis, vel excellentiæ deſiderant. Plus ergo requiritur ad rationem Capitis, in quo ſimpliciter omnes iſtæ conditiones concurrunt, quam ad aliud quodcumque nomen ſuperioritatem ſignificans.

Qua Ratione Christus Dominus dicitur Rex, & Iudex etiam reſpectu damnatorum, & diaboli; reſpectu tamen eorum non eſt Caput, quia

ipſi

ipsi non sunt membra eius, vt dicit *D. Thomas Art.* 3. Et tamen potest dici eorum Caput secundum quid, quatenus est Dominus, & Iudex. Vnde præcipuè in hac *Quæstione* agitur de ratione Capitis secundum quod importat influxum gratiæ; siquidem ex huius defectu damnati, & Dæmones, non dicuntur subesse Christo vt Capiti; licèt subsint vt Iudici, & Domino.

Hoc Igitur S. Thomas considerans sic distribuit hunc Tractatum de Gratia Capitis, quod tria in illo principaliter disputat. *Primo* quidem de specificatiuo huius Capitis, quod specificatur à membris, quasi ab obiecto circa quod; & ideò vsque ad *Art.* 5. agit de his respectu quorum Christus est Caput. *Secundo* agit de ipsa ratione Capitis in se, quasi de re specificata: Cum in *Art.* 5. & 6. ostendat In quo consistat gratia Capitis, & Quomodo sit proprium Christo esse Caput? *Tertio* agit de opposito Capite, quia vnum oppositum magis explicatur per aliud; scilicet de Diabolo, qui est Caput omnium damnatorum; & de Antichristo, qui inter homines est Caput malorum: & directè oppositum Christo, & de hoc, *Art.* 7. & 8.

In Art. 1. Inquirit *Diuus Thomas*, Vtrùm Christus sit Caput Ecclesiæ? Vbi ly *Ecclesia* sumitur pro vniuersalissima omnium pertinẽtium ad Militantem, & Triumphantem. Et respondet Conclusione affirmatiua, quam probat ex triplici proprietate, quæ reperitur in Capite naturali, scilicet, *Prioritas, Perfectio, & Virtus*. Caput enim est prius alijs membris prioritate principalitatis; est perfectius, quia in illo omnes sensus vigent interiores, & exteriores, quod non est in alijs membris; habet etiam virtutem influendi in alia membra per interiorem, & per gubernationem exteriorem. In Corpore autem Mystico Ecclesiæ Christus habet has tres proprietates, prioritatem quidem non temporis, sed principalitatis, quia propter propinquitatem ad Deum, eius gratia est eminentior, & quodammodo infinita, vt *Quæst. Præcedenti* visum est. Ex hac sequitur secunda, quia in ipso est plenitudo omnium gratiarũ, *Vidimus enim plenum gratiæ* Ioan. 1. & tertia; quia influit in omnia membra Ecclesiæ. *De plenitudine eius omnes accepimus* ibidem.

In Solutione ad 1. ponit *D. Thomas* duplicem influxum Capitis, scilicet per modum causæ principalis in ordine ad causandam gratiam; in genere causæ moralis, & in genere causæ physicæ. Moralis quidẽ in quantum per meritum suum, in nobis causat gratiam; physicè verò per modũ instrumenti coniuncti Diuinitati, quia principalis causa gratiæ Deus est; quod amplius in *Disputatione Sequenti Art.* 1. explicabitur.

In Art. 2. determinat *S. Doctor*, Quòd Christus est Caput hominum, non solum quantum ad animas, sed etiam quantum ad corpora. Quod probat in Corpore proportione seruata inter Corpus, & animam Christi, ad corpora, & animas aliorum. Quia in Christo tota humanitas operatur,

quia

quia tota humanitas est vnita Verbo secundum animam, & secundũ corpus, & sic secundum vtramque partem influit, sed principaliter quantum ad animam, secundariò quantum ad corpus; & eodem modo in membra recipitur influxus Christi, quãtum ad animã ratione gratiæ principalius; quãtum ad corpus, quatenus membra corporis exhibentur arma iustitiæ, quæ iustitia existit in anima in via; & anima mediante corpore operatur virtutes, quibus meretur gloriam patrię; & ita in patria etiam corpora recipiunt mercedẽ correspondentem, Roman. 8. *Viuificabit mortalia corpora vestra*. Philippenses 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori charitatis suæ*, quod totum est ex meritis, & ex influxu Christi.

In Art. 3. inquirit *D. Thomas*, An Christus sit Caput omnium hominũ? Et in corpore expresse explicat, quod intelligitur de omnibus hominibus à principio mũdi, vsque ad finẽ ipsius, quia quãuis successiuè habeãt esse, & naturæ, & gratiæ, hoc nõ obstat ad cõpositionem corporis mystici. Hos omnes distinguit *S. Doctor* in sex status, possunt tamẽ ad tres reduci, vel eorũ, qui actu sunt mẽbra Christi, vel eorũ, qui solum in potentia sunt mẽbra, vel denique eorũ, qui nullo modo sunt, neq; actu, nec potẽtia mẽbra. In primo statu tres gradus diuidũtur secundũ tres influxus, qui reperiuntur Christi in illos, pœnes tria bona supernaturalia, quæ illis cõmunicat. Primũ, & potissimum bonũ est Gloria, & sic Beati perfectissimè sunt mẽbra Christi. Secundus est Gratia, & Charitas; & sic iusti existẽtes in via propter gratiam, & charitatem sunt membra Christi in actu. Tertius est per communicationem in Fide Christi, quæ est ex influxu ipsius.

In Secundo Statu sunt illi, qui nullum influxum actualem habent, sed tamen sunt in potentia ad habendum; & isti diuidũtur, quia aliqui sunt in potentia, quæ aliquando reducenda est ad actũ, vt Prædestinati, nondũ habentes influxũ Christi, habituri tamẽ. Alij verò, quorum potentia nunquã reducetur ad actum, vt Non prædestinati. Quod vero isti sint in potentia membra Christi explicat in *Solutione ad* 1. Quia potentia fundatur in duobus, primò, & principaliter in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius humani generis, secundariò in arbitrij libertate, ad quod conducit duplex testimonium allatũ in *Argumento sed contra*, quod est saluator omnium hominũ, & quod est propiciatio pro peccatis nostris, & etiã pro totius mundi. Vbi explicatur potẽtia ex parte satisfactionis Christi, quæ potest ad omnes extendi; & omnes ex libertate sunt capaces vt possint recipere si velint (adiuti tamen auxilio supernaturali) influxum Christi.

In Tertio Statu includuntur damnati, qui iam ex hoc sæculo recedẽtes totaliter desinunt esse mẽbra Christi, quia nec sunt in potẽtia vt Christo vniantur; non enim secundũ fidẽ aliquando ex pœnis illis liberari poterũt, vt fides docet, & in quo *Origenes* errauit. Inter hos cõputantur etiã pueri existẽtes in Limbo, quia etiã in æternum sunt ibi omni dono supernaturali priuati, & pœna damni, quæ in carentia diuinæ Visionis consistit, permanebunt. Neque quod in dãnatis aliquibus sit remissio, & pœna, quã

in alijs est beneficium proueniens illis ex meritis Christi, sed hoc pertinet ad generalem prouidentiã, & iustitiam distributiuam Dei reddentis vnicuique supplicium iuxta opera sua. Et idem est de existentibus in Limbo, quod scilicet non habuerint peccatum actuale, sed solum originale, & per consequens non puniantur pœna sensus. Hoc totum non illis tribuendum est, tanquam effectus meritorum Christi; sed ex prouidentia generali ordinis naturalis, quia totum hoc non extrahit illos ab ordine naturali, neque eleuat ad supernaturalem, & merita Christi in ordine ad supernaturalem finem influunt. De Gratia verò status innocentiæ est specialis Difficultas, sed in *Disp. Art.* 2. commodiùs tractabitur.

In 4. *Art.* disputat *D. Th.* Si Christus est Caput Angelorum? Et ponit Conclusionem affirmatiuam, quæ est de Fide, & ratio est. Quia vna multitudo ad vnum finem ordinata constituit vnum corpus mysticum; sed homines, & Angeli ordinãtur ad vnum finem, qui est gloria; ergo multitudo ex hominibus, & Angelis cõposita facit vnum corpus mysticum: sed vnius corporis vnum est Caput; ergo si Christus est Caput hominum, etiam est Caput Angelorum, in quantũ Angeli cũ hominibus constituunt vnũ corpus. Quod vlterius probat *S. Doctor*, quia Christus respectu Angelorum habet tres cõditiones ad Caput requisitas, & iam superius explicatas, scilicet, ordinem perfectionẽ, & virtutem; ordinem quidẽ, quia propinquius se habet ad Deũ: perfectionẽ, quia perfectius participat dona non solũ quã homines, sed etiam quam Angeli, & de influentia eius etiam Angeli receperunt. Quomodo autem Angeli receperint, & quid receperint ex influentia Christi, non est conuenientia inter Theologos, & quia grauis est Difficultas, ideò *Disput. Sequenti Art.* 3. tractabitur.

Circa Solutionem ad Primum aduertẽdum est cum *Caietano*, Quomodo Christus vt sit Caput Angelorũ dicitur habere conformitatẽ cum illis, quia oportet omnia membra corporis esse vnius naturæ, humanæ scilicet, vel leoninæ, &c. & hoc non ponitur tanquam proprietas, seu conditio, sed tanquam aliquid necessariò prærequisitum in omni parte alicuius compositi, si illud non est monstruosum; & conformitas ista, licèt non sit in Christo cum Angelis, quantum ad corpus, est tamen quantum ad animã, quæ secundum rationem genericam Spiritus vniuocè conuenit cum Angelis, quamuis etiam Corpus Christi ex virtute naturæ Diuinæ possit aliquid causare etiam in spiritibus Angelorum. Si causalitas fuerit physica erit instrumentalis; si fuerit moralis, vt aliquid illis merendo per passionem corporalem, erit principalis. Quæ est explicatio Solutionis ad 3.

In 5. *Art.* inquirit *D. Thomas*, An gratia Capitis sit eadẽ cũ gratia habituali? Et Respõdet Cõclusione affirmatiua, quã probat in corpore hac ratione. In tantũ aliquid agit in quãtũ est in actu; sed est in actu per gratiã habitualẽ; ergo per illã agit in alia; ergo per illã est Caput. *Patet Consequẽtia.* Quia actus Capitis est influere in mẽbra, sed vt talis gratia possit esse actiua, & influere in alios debet habere superioritatẽ, & eminẽtiã supra alios,

quia

quia agens est superius patiente. Hanc autem eminentiam habuit gratia habitualis in Christo propter cõiunctionem ad Diuinam Personam, propter quam data est secundum maximam perfectionem (de quo dictum est *Quæstione Præcedenti*) & sic relinquitur, quod gratia habitualis in Christo, prout includit coniunctionem ad Diuinam Personam, est proximum constitutiuum Christi in ratione Capitis.

Circa Solutionem ad Primum benè aduertit *Caietanus* differentiam, quæ ponitur à *D. Thoma* inter peccatum Adæ, & gratiam Christi: quod in Adamo ponitur duplex peccatum; aliud Personæ, aliud Naturæ. Hoc secundum deriuatur ex primo; non enim peccatum illius hominis solũ eius personam corrumpit, sed etiam totam naturam; & hæc corruptio naturæ deriuatur ad posteros, & dicitur *Peccatum Originale*, & per naturalẽ propagationem, & originem communicatur. At verò in Christo gratia habitualis, non ita perficit illum, quod deriuetur ad nos mediante natura, sed per actionem, causando aliam gratiam in nobis, & ideò non est similis ratio ad multiplicandum gratiam in Christo, sicut peccatum in Adamo.

In 6. Articulo inquirit *S. Doctor*, Si esse Caput est proprium Christi? Et Respondet, Quòd quantum ad influxum intrinsecum est proprium Christi, quantum verò ad extrinsecum, qui consistit in quadam Gubernatione exteriori, potest alijs communicari, sed non secundum rationẽ, quæ in Christo est; quia Christus est Caput omnium secundum omnem locum, & tempus, & statum. Alij autem homines dicuntur Capita, secundum quædam specialia loca, sicut Episcopi suarum Ecclesiarum, & Papa totius Ecclesiæ, pro determinato tempore, & pro Viatoribus, & denique Christus propria authoritate, & virtute est Caput; alij verò authoritate Christi vt vicem eius gerentes.

In 7. Articulo inquirit *D. Thomas*, Si Diabolus est Caput omnium malorum? Et Respondet, Quòd quantum ad interiorem influxum non est Caput, sed secundum exteriorem gubernationẽ, sicut Princeps est Caput multitudinis sibi subiectæ; & ideò Diabolus dicitur Caput, quia ita Gubernat malos, quod inducit illos ad suum finẽ, qui est auersio rationalis creaturæ à Deo. Dicitur autẽ hæc auersio finis Diaboli, in quantũ appetitur ab ipso sub specie libertatis, & voluit nõ esse Deo subiectus, & quatenus inducit alios ad eũdem prauum finẽ dicitur Caput illorum. Et licèt vt habetur in *Solutione ad* 2. Non omne peccatũ fit ex suggestione Diaboli, sicut in alijs malis angelis, & in aliquibus hominibus aliquod peccatum, quia non omne peccatum hominis ex diabolo procedit. Tamen, vt ibidem explicat *D. Thomas*, sufficit, quod mali Angeli secuti fuerint volũtatẽ Diaboli, qui tanquã Dux erexit Vexillum, quod alij spontè secuti fuerunt. In hominibus verò, quamuis non omne peccatum sit ex immediata suggestione diaboli; tamen radicaliter, quatenus corruptio naturæ deriuata fuit ex peccato patrato ex suggestione diaboli, illi potest omne peccatum tribui.

In 8. & Vltimo Articulo Inquiret *D. Thomas*, si Antichristus est Caput omnium malorum? Et Respondet, Quòd quantum ad illa tria, quæ reperiuntur in Capite, ordo perfectio, & virtus influendi, Antichristus non est Caput omnium malorum, quia eius peccatum non præcessit alios, nec influit in omnes, & si in aliquos sui temporis influat inducendo illos ad malum, & secundum hoc illorum solum poterit dici Caput. Respectu verò omnium malorum potest dici Caput propter malitiæ perfectionem, quæ erit in illo, quia in ipso erit plenitudo malitiæ, sicut in Christo plenitudo gratiæ; non tamen ille influet, nec eius humanitas, sicut humanitas Christi.

In Solutione ad primum explicat *Sanctus Doctor*, Quomodo diabolus, & Antichristus non sunt duo Capita malorum, sed vnum, quia in Antichristo erit Caput, scilicet, diabolus, non quidem per vnionem personalem, nec per intrinsecam habitationem, sed per malitiæ effectum; vnde Antichristus subordinatur diabolo tãquam Capiti, & dicitur Caput, quia in eo inuenitur plenissimè malitia diaboli: vt enim dicitur ad secundum, sicut Caput Christi est Deus, & tamen ipse est Caput Ecclesiæ; ita Antichristus est membrum diaboli, & tamen est Caput malorum.

DISPVTATIO X.

DE GRATIA CHRISTI IN QVANTVM EST CAPVT.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Gratia Christi secundum quã est Caput, sit eadem cum Gratia Habituali eius, vt est Quidam Homo?

IN *Art.* 5. huius Quæstionis *S. Thomas* hanc Difficultatem disputat, & partem affirmatiuam determinat, & probat hac ratione. Vnumquodque agit in quantum est in actu; & ideò idē est actus, quo aliquid est in actu, & quo agit. Patet exemplo; Ignis per calorem est calidus, & per eũdem calorem falefacit: sed Christus est in actu gratus, & iustificatus per gratiam habitualē; ergo per illam influit, & agit in iustificationē aliorũ. Hoc autem est munus Capitis; ergo per gratiã habitualē, quæ illi cõpetit, vt singularis homo cõstituitur Caput. Sed nõ per illã quomodocũque, sed secundũ eminentiã, & superioritatē, quã habet, ex hoc quod est in Christo; quã eminẽtiã recipit ex cõiũctione ad Personã diuinã.

Quod Sic Probatur. Vt aliqua forma possit agere in alios debet esse superior, quia nõ omnis actus, quo aliquid est actu sufficit ad hoc quod sit principium agendi in alia, quia agens est præstantius patiente, vt patet ex *Augustino*, & *Philosopho*. Ergo gratia habitualis, vt possit esse principium influendi in alios, debet habere eminentiã, & superioritatē. Hanc autem habet ex hoc quod est in Christo propter coniunctionē ad Diuinam Personã, quia anima Christi recipit gratiam secundũ maximam eminentiã; ergo gratia habitualis Christi propter eminentiam, quã habet ex coniunctione ad Personã diuinã A efficitur gratia Capitis, & cõstitutiuũ formale, & proximũ Christi in ratione Capitis.

Sed Contra hanc Resolutionem, & rationem *D. Thomæ* aliqua occurrunt. Cõtra rationẽ in primis, Quod processus eius, & discursus non videtur magis probare de gratia Christi, quàm de gratia Pauli; quia etiam gratia Pauli fuit superior, & eminens ad alios; ergo si ex eminentia gratiæ in Christo probatur ratio Capitis, poterit probari etiam de gratia Pauli.

Deinde Instatur ratio Primo: Quia vel probat de causalitate gratiæ in genere causæ principalis, vel instrumentalis. Quod nõ in genere causæ principalis patet, quia est creatura, & nõ potest esse causa principalis, nec operans principaliter: quod non de instrumentali etiã probatur. Quia principiũ, in quo nititur ratio, est, Quod idē est actus, quo aliquid est in actu, & quo agit; sed instrumentũ non constituitur per actum, quo agit, quia agit per actionẽ causę principalis, & antecedenter ad illã præsupponitur iam constitutũ instrumẽtũ in ratione instrumẽti, quæ non consistit in hoc quod eleuetur, sed quod sit eleuabile, & assumptibile; ergo non probat ratio de ratione instrumenti.

Præterea. Ad merendum aliis gratiam requiritur gratia Vnionis, ita quod sine illa nõ possit stare aliis mereri gratiam, vt patet in puro homine, quantũcũque gratificato per gratiã habitualẽ. Ergo neque in Christo cõcurrit perfectio gratiæ habitualis ad influẽdũ in alios; ergo neque ad cõstituẽdũ Caput.

Denique Ratio D. Thomæ est diminuta; Quia solũ probat, quod gratia Christi propter suã eminẽtiã potest influere in alios; sed hoc nõ sufficit ad rationẽ Capitis, quia Caput non solum debet influere in aliquos;

sed in omnes. Ergo diminute procedit *D. Thomas* probando, quod influit in aliquos, quando debet probare, quod influit in omnes, vt verificaretur ratio Capitis.

Quantum ad substantiam Sententiæ *Pater Vazquez Disput. 49. Cap. 4.* tenet, quod principaliter per gratiam Vnionis constituitur Christus Caput. Huius Fundamentum est. Quia totus valor satisfactionis, & redemptionis Christi prouenit ex gratia Vnionis, & non ex gratia habituali; ergo per gratiam Vnionis potius quàm per habitualem constituitur Caput. *Consequentia patet*, Quia principalis actio Capitis est satisfactio pro peccatis hominum, & redemptio. *Antecedens verò constat*, Quia in puro homine non esset sufficiens valor ad redemptionem, & satisfactionem pro omnibus, quia deficit gratia Vnionis. Ergo in Christo ex gratia Vnionis sumitur totus iste valor.

Confirmatur. Efficacitas meriti Christi pro alijs prouenit à valore desumpto ex Persona, quia quamuis non haberet gratiam habitualem, posset alijs mereri propter dignitatem diuinæ Personæ; ergo per gratiam habitualem non sufficit ad merēdum alijs, sed solum per gratiam Vnionis merito de condigno. Ergo potius per gratiam Vnionis constituitur Christus Caput, quàm per gratiam habitualem.

Secundo Arguitur, Quia ille modus superadditus gratiæ habituali in Christo, vel est aliqua entitas distincta, vel est ipsa gratia. Si est entitas distincta, in illa consistit constitutiuum Capitis, & non in gratia: si est sola gratia restat explicare, quomodo constituat Christum Caput, si illi nihil addit, quod non sit in alijs.

Confirmatur. Quia in formis actiuis nihil addit actiuitas propriæ operationis supra actualitatem propriam, sed per suam actualitatem agunt; ergo si gratia habitualis in Christo est forma actiua, non est necesse, quod illi aliquid superaddatur vt agat. Ergo malè dicitur, quod aliquid additur vt influat, vel ipsa non est forma actiua, & influens.

Vltimo Arguitur. Humanitas Christi, vel gratia habitualis non habet influxum physicum in genere causæ principalis, sed solum instrumentalis in alios; sed operatio instrumentalis non potest constituere Caput; ergo ad rationem Capitis non requiritur operatio instrumētalis, sed sufficit operatio moralis in genere causæ principalis.

A *Patet Consequentia.* Tota ratio Capitis saluatur in Christo per hoc, quod possit esse Redemptor, & satisfactor; hæc autem est operatio moralis, & hoc habet per gratiā Vnionis, & totum hoc saluabitur, quamuis non detur concursus physicus instrumentalis in gratia Christi, neque in eius humanitate; ergo ad rationem Capitis nihil conducit operatio instrumentalis, nec gratia habitualis secundum instrumentalem influxum.

B

Resolutio Quæstionis.

Prima Conclusio. Suppositum diuinum non est proximum, & formale constitutiuum Christi in ratione Capitis, nec gratiæ Vnionis; est tamē quid præ requisitum, & quasi radicaliter se habens ad rationem Capitis. Prima pars Conclusionis probatur. Caput comparatur ad corpus tanquam pars illius, & tanquam aliquid homogeneū cum alijs membris, in ratione substantiali corporis, quod ex illis resultat tanquam vnum compositum; sed Persona diuina nō potest comparari vt pars respectu alicuius cōpositi resultantis ex ipsa, & ex alijs creaturis. *Tum*, Quia ratio partis est quid incōpletum. *Tum*, Quia pars condiuiditur contra partem, quia non includit perfectionem eius. *Tum*, Quia pars est eiusdem rationis cum alijs partibus ad constituendum totum, & participat rationem specificam, & substantialem compositi cum alijs, aliàs compositum resultans esset monstruosum. V. gr. in Corpore humano omnes partes sunt speciei humanæ, quamuis accidentaliter sint diuersæ rationis, tamen in ratione substātiali omnes partes sunt homogeneæ, & vniuocæ; nam si Caput esset leonis, & cætera membra hominis, esset corpus mōstruosum. At Persona diuina nō potest esse eiusdem naturæ cum creaturis, neque vniuocè cum illis conuenire, quia non ponitur in genere, neque in prædicamento cum illis, siue in esse naturæ, siue in esse gratiæ considerentur. Cum ergo Persona diuina non se habeat, vt pars illius multitudinis, aut illius conflati ex multitudine, & Deo, sed vt Caput seorsum separatum, consequenter in ipso rectè distinguitur ratio Capitis ab esse personali, quod est suppositum; præsertim ad hoc vt Persona diuina instituatur Caput homogeneum, & vniuocum; id enim non habet Persona diuina ex ipso esse

C

D

E

esse personali, vel ex natura Deitatis, sed ex humanitate assumpta cum donis gratiæ. Igitur constitutiuum proximum, & formale Capitis in Deo, vt sit Caput homogeneum respectu multitudinis creatæ, non debet desumi ex ipsa Persona, quæ neque est pars istius multitudinis, neque illi homogenea, sed ex eo, quod sibi adiungitur, scilicet ex humanitate, vt gratificata per gratiam habitualem.

Secunda Verò pars Conclusionis, quod, scilicet suppositum, seu Persona in Christo est, quasi prærequisitum, & quasi radicaliter se habens ad rationem Capitis, probatur ex dictis. Quia valor operationū Christi personalis ratione, cuius illa opera sunt satisfactoria ad æqualitatem, & meritoria de cōdigno nostræ gratiæ, quæ sunt actiones Capitis, prouenit tanquam à radice à Persona diuina, neque ipsa gratia illum communicat operationibus à se procedentibus, nisi vt talis gratia est coniūcta Personæ, & gratiæ vnionis.

Similiter, & actio instrumētalis, qua physicè causat gratiam, licèt absolute non dependeat ab vnione diuinæ Personæ, vt patet in Sacramentis, & Ministris instrumentaliter ad illam concurrentibus, tamē actio instrumentalis talis instrumenti, scilicet coniuncti, & quo Verbum, tanquam organo operatur, necessariò fundatur, atque requirit gratiam vnionis, quia aliter non est instrumentum coniunctum; vt in nobis, vt aliquid sit absolutè instrumentum, non requiritur, quod sit coniunctum personæ operanti, vt autem sit instrumentum organicum, sicut manus, requiritur, quod ipsi personæ sit coniunctum. Quare Christus ad influēdum vitam gratiæ in nos, tam per meritum de condigno, quàm per redemptionem, & etiam per modum instrumenti coniuncti Verbo, necessariò debuit constitui Caput per gratiam habitualem præsuppositam, & radicata in gratia Vnionis.

Secunda Conclusio. Gratia habitualis induit rationem gratiæ capitalis ratione alicuius intrinsecæ, & nouæ perfectionis super entitatem gratiæ habitualis: hæc tamen perfectio non est physicè aliud, quàm coniunctio ad Personam diuinam, seu gratiam Vnionis. In hac Conclusione non conueniunt omnes Thomistæ: nam Aliqui existimant puræ creaturæ posse communicari dignitatem Capitis. Vt *Magister Soto in 4. Distinct. 1. Art. 4.* Non quidem vt satisfaciat de condigno pro culpa, sed suppositā gratia Dei mereatur alteri gratiam; & possit sacramenta instituere ad sanctificādum. Vnde consequenter supra ipsam intrinsecam rationem gratiæ intensiuam non videtur, iuxta hunc modum dicendi addi aliquid reale, & intrinsecum, vt sit gratia Capitis, nisi sola Dei extrinseca ordinatio. An verò gratia Capitis prout est in Christo, nō solum ad merendum alteri gratiam quomodocumque, sed etiam ad satisfaciendum pro culpa, importet aliquid reale, & intrinsecum in ipsa gratia ex coniunctione ad personam, deriuatum, quod puræ creaturæ communicabile non est, *Magister Soto* non diffinit.

Eius Autem Sententia vehementer refragatur à *Ioanne Vicente Relectione gratiæ Christi Pag. 6.* Qui docet, Quod nullo modo potest meritum de condigno fundari in aliqua extrinseca acceptatione Dei; quod enim non esset de condigno mereri, sed ex mero fauore alterius, non ex ipsa operum substantia, & dignitate propria; & nihilominus, non vult concedere, quod gratia Christi instituatur in ratione Capitis per aliquam perfectionem physicam eius essentiæ superadditam, sed per infinitatem perfectionis moralis ex coniunctione ad ipsum Verbum consurgentis.

Nos Autem, cum supra *Disputatione Præcedenti Artic. 2.* Statuerimus actiones Christi habere intrinsecum valorem ex cōiunctione ad Verbum, consequenter debemus asserere, quod gratia habitualis intrinsecè fuerit perfecta ex tali coniunctione. Itaque non solum per aliquam deputationem extrinsecam, & moralem, sed per realem, & intrinsecam terminationem, ille valor conuenit gratiæ, & actionibus eius. Quare æquiuocatio tollenda est ex Sentētia *Asturicensis* Si enim nomine *Perfectionis Moralis* intelligit aliquid cōdistinctum ab omni actione, & modo perfectionis moralis extrinsecè, corrigenda est Sententia. Si autem velit dicere, quod gratia Christi vt sit gratia Capitis non indiget alia perfectione physica superaddita, præter ipsam realem vnionem, & terminationem Verbi, vera Sententia est.

Itaque Fatemur Humanitatem Christi, & gratiam habitualem eius, ex coniunctione ad Verbum solum habere perfectionem aliquam infinitatis moralis; non autem infinitatis entitatiuæ. Cæterum illa perfectio, seu dignitas moralis dupliciter potest alicui conuenire vno modo ex sola de-

deputatione extrinseca, sicut dignitas Regis, Iudicis, Doctoris, &c. Alio modo ex intrinseca Vnione ad rem perfectiorem; sicut instrumentum ex cõiunctione ad causam principalem virtuosius efficitur, & eleuatius; & si quam dignitatem moralem, ex hac eleuatione habet, eam participat per talem coniunctionem, quæ est realis Vnio, & relatio, sicut Vestis regia, aut insignia regia ex sola coniunctione ad Regem reduntur maioris æstimationis, non ex deputatione aliqua, vel electione.

Sic Ergo Humanitas Christi, & consequẽter eius Gratia ex reali Vnione ad Verbum valdè perficitur, & non minus participat eminentiam, & dignitatem infiniti valoris, quam actus ab eo procedentes. Posita autem Gratia cum dignitate, & eminẽtia tali super omnem aliam gratiam redditur deriuabilis ad alios, tum meritoriè, tum physicè instrumentaliter, quia ad hoc non requiritur nisi actualitas gratiæ cum ipsa eminentia (vt arguit *D. Thomas in Art. 5.*) quia per hoc induit conditiones ad rationem Capitis requisitas: præter coniunctionem autem non requiritur alius modus superadditus. Et in hoc benè procedit Sentẽtia *Asturicensis*; neque enim aliam infinitatem, vel perfectionem inuenimus, quam coniunctionis ad Verbum, (sicut supra loco citato probatum est) & videtur expressum in *D. Thoma* 1. 2. *Quæst.* 112. *Artic.* 1. *ad* 2. vbi inquit, *Quòd humanitas Christi causat gratiam, non propria virtute, sed virtute Diuinitatis adiunctæ, ex qua actiones humanitatis Christi sunt salutares.* Vbi perfectio illa superaddita, *Quod sint salutares*, solum reducitur ad virtutem Diuinitatis adiunctæ, & vnitæ.

Nec Fundamentum *Magistri Soto* aliquid probat contra hanc Conclusionem. Nam admittimus cũ *D. Thoma infra Quæst.* 64. *Art* 4. Quod Christus potuit communicare suis Ministris potestatem excellentiæ, ita vt essent Capita Ecclesiæ, & instituere sacramenta, &c. Cæterum in Solutione ad 3. ait, *Quòd ad euitanda inconuenientia noluit Christus potestatem excellentiæ suis Ministris communicare, si tamen cõmunicasset ipse esset Caput principaliter, alij vero secundariò.* Quare licèt officium Capitis absolutè potuisset communicare, non tamen Capitis principalitatem, nec rationem instrumenti coniuncti, & quasi organici ipsius Verbi, sicut habebat humanitas Christi. Vnde sicut eleuatio, & eminentia Ordinis Hypostatici, non potest alicui puræ creaturæ communicari; ita neque eleuatio Capitis in gratia habituali, quæ consistit in perfectione talis gratiæ, vt coniuncta est Verbo. Vnde habet gratia Christi esse quasi organum diuinitatis ad influendum in alios, tum meritoriè, tum instrumentaliter physicè, & sic tanta perfectio nulli alteri creaturæ communicabilis est.

Vltima Conclusio. Deriuatio, qua à Capite, seu Gratia Capitali, & vt ita Dicam organica, ipsius Verbi deriuatur ad nos omnis gratia, est duplex, scilicet meritoria, & instrumentalis physica. Sumitur hæc Conclusio ex *D. Thoma Quæst.* 27. *de Veritate Art.* 6. & expressius infra *Quæst.* 64. *Art.* 3. vbi inquit, *Quòd interiorem effectum Sacramentorũ operatur Christus, & in quantum Deus, & in quantum homo: in quantum Deus per authoritatem (hoc est supremam, & primariam virtutem) secundum autem quod homo operatur ad interiores effectus Sacramentorum meritoriè, & efficienter, sed instrumentaliter. Dictum est enim, quod passio Christi, quæ competit ei secundum humanam naturam, causa est nostræ iustificationis, & meritoriè, & effectiuè, non quidem per modum principalis agentis, siue per authoritatem, sed per modum instrumenti, in quantum humanitas est instrumentum Diuinitatis eius, sed in quantum est instrumentum coniunctum diuinitati in persona habet quandam principalitatem, & causalitatem respectu illorum, qui sunt Ministri Ecclesiæ.* Vbi plenissimè docet totam hanc Conclusionem.

Et Licèt instrumentalis potentia non indigeat gratia in ipso instrumento, vt patet in elemento aquæ causante gratiam in Baptismo; & in Ministro peccatore, tamẽ, vt aduertit *S. Thomas Quæst.* 29. *de Veritate Art.* 9. *ad* 3. *Quia Christus operatus est nostram salutem, quasi ex propria virtute, ideò oportuit, quod in eo esset gratiæ plenitudo: Ministri verò, qui agunt in virtute eius non requirunt gratiam personalem, sed solam authoritatem ordinis.* Quare ad gratiam Christi pertinet non solum meritoriè, sed etiam instrumentaliter physico deriuare influxum suum ad membra Ecclesiæ. Et ad istos duos modos reducitur omnis deriuatio Capitis in membra, quia omnis deriuatio per efficientiam, vel est moralis, vel physica. Omittimus enim aliud genus causalitatis, scilicet formalis, & materialis, nam finalis causalitas conuenit quidem

dem Christo, sed de illa non loquimur in præsenti. Moralis quidem efficientia, & deriuatio sufficiēter explicatur per hoc, quod gratia Christi ex coniunctione ad Verbum facta est principium formale merendi, non solum pro se, sed etiam pro nobis; & in hoc fuit causa principalis meritoria, sicut quilibet homo est causa principalis consequendi gloriam in genere meriti.

In Genere autem physico probatur. Quia actio instrumentalis respectu nostræ gratiæ non repugnat Christo, sed maximè ipsum decet. Quod quia probandum est infra *Quæst.* 13. nunc supponitur. Esse autem causam physicam per modum causæ principalis, omninò repugnat; licèt Aliqui Theologi oppositum censuerint, quos sub expresso nomine refert *Magister Curiel* 1. 2. *Quæst.* 112. *Art.* 1. *Dub.* 1. Et quidem repugnantia ista, seu implicatio, quæ omninò adæquet, difficilè redditur à Theologis, licèt enim impossibile sit, quod gratia producatur ab aliqua creatura tanquam à causa principali; cuius gratia sit immediata participatio, & à qua profluat tanquam propria passio, sicut calor procedit ab igne, lux à Sole; nisi poneremus substantiam supernaturalem creatam, quæ omninò repugnat, vt tradi solet 1. *Part. Quæst.* 12. Vnde pro hac parte repugnantia, & implicatio ad assignandum causam principalem creatam gratiæ, est eadem, quæ assignatur ad ponendam substantiam supernaturalem creatam.

Cæterum difficilius redditur implicatio, Quare repugnat dari causam principalem gratiæ ex participatione alterius; sicut licèt calor procedat ab igne tanquam à causa principali, ex cuius principijs dimanat; tamen etiam potest procedere tanquam à causa principali à calore existente in aqua tanquam à causa principali participatiua. Et similiter licèt lux dimanet à Sole, vt propria passio, tamen aër illuminatus producit aliam lucem, tanquam causa principalis. Cur ergo similiter, licèt gratia participetur à Deo admodum propriæ passionis, & vt qualitas ordinis diuini. Cur repugnabit, quod semel producta gratia, illa tanquam causa principalis participatiua producat aliam gratiam, vel habitum supernaturalem? Neque enim ad hoc supernaturalitas obstat cum videamus gratiam, & habitus supernaturales concurrere per modum causæ principalis ad productionē actuum, qui in substantia supernaturales sunt.

A *Hæc Difficultas* propriam Sedem habet 1. 2. *Quæst.* 112. *Art.* 1. & infra *Quæst.* 64. *Artic.* 1. & latè tractatur à *D. Thoma Quæst.* 27. *de Veritate Art.* 3. Quia tamen ad exactam explicationē perfectionis gratiæ Capitis decernit eius explicatio, breuiter solum attingemus rationem, quare repugnet vnam gratiam producere alteram physicè, & principaliter.

Igitur S. Thomas duas rationes præcipuè assignat. Prima specialis est ostendens,
B quod non possit vna gratia producere alteram in diuerso subiecto. Et sumitur ex eo quod nulla causa creata potest physicè immutare voluntatem alterius, sed soluni obiectiuè, quia non potest intra animam illabi. Productio autem gratiæ requirit immutationem voluntatis, quia per gratiam homo conuertitur ad finem supernaturalem. Hæc tamen ratio procedit tam de gratia, quàm de quacumque alia mutatione,
C etiam naturali, respectu alterius voluntatis creatæ; vnde saltim respectu immutationis propriæ voluntatis non currit ista ratio. Restatque Difficultas, cur non possit gratia intra ipsum hominem producere aliquem habitum supernaturalem, vel saltim augmentum gratiæ, sicut per habitus naturales producitur augmentum eorum medijs actibus. Vt omittam apparere tantam implicationem, quin possit Deus sic applicare vnam substantiam spiritualem alteri, quod
D sine illapsu possit in alia producere aliquam qualitatem, præsertim cum gratia non sit in voluntate, sed in substantia animæ.

Secunda Ergo Ratio desumitur ex supernaturalitate gratiæ, non quomodocunque considerata, sed quatenus importat duos effectus, scilicet, ex natura rei distinctos, & intrinsecos. *Primus est*, quod sit participatio quædam diuinæ voluntatis, & donum ipsius, quo anima redditur dilecta supernaturaliter, & grata Deo, ac voluntati eius amica. *Secundus*, Quia est participatio immediata diuinæ naturæ.
E

Vterque effectus explicatur, & dicitur expresè in sacra Scriptura. Primus Iacobi 1. *Voluntariè genuit nos Verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Vbi voluntaria generatio ponitur tanquā propria gratiæ productio. Ex quo oritur, quod gratia reddat nos genitos, & filios voluntarios, quod est esse filios adoptiuos; qui effectus essentialiter respicit processionē à voluntate Diuina, tanquam donum, quo reddimur voluntati Dei grati, & accepti.

Et

Et Ad Ephesios 1. dicitur, *Qui prædestinauit nos in adoptione filiorum secundum propositum voluntatis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificauit nos.* Vbi etiã gratificatio, & adoptio, qui sunt effectus connaturales gratiæ, referuntur ad gratiam sub illa formalitate, qua est participatio voluntatis diuinæ, & intrinsecum donum voluntatis Dei. Qua etiam ratione diffusio gratiæ specialiter appropiatur Spiritui Sancto, qui est Notionale donum, & processio voluntatis Dei; & ideò dicitur Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis,* ideòque ipsa gratia vocatur *Spiritus*, quasi ex spiratione diuinæ voluntatis procedens, Roman. 8. *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Aba Pater, ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod Filij Dei sumus.* Vbi semper loquitur *Scriptura* in hac formali præcisione, quod adoptionem filiationis reducit ad voluntatem Dei, quatenus amorem inspirat erga nos; cuius spirationis participatio est gratia.

Secundus Autem effectus gratiæ, scilicet, quod sit participatio diuinæ naturæ explicatur 2. Petri 1. dum dicitur, *Maxima, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ Consortes naturæ.* Qua etiam ratione 1 *Ioan. 3.* vocatur Gratia *Semen Dei*, ad designandum, quod est immediata participatio naturæ viuentis, in eo in quo est natura; sicut semen est ipsa participatio naturæ viuentis in quantum natura est. Igitur supernaturalitas gratiæ secundum hunc effectum manifestè implicat, quod procedat ab alia gratia, & à quacunque gratia creata, vt à causa principali. Nam si gratia est terminus quidam, vel processio diuinæ volũtatis reddens hominem gratum, & dilectum Deo, & voluntariè genitum, vel producitur in vi voluntatis Diuinæ gratificantis, vt à causa principali tantum; vel in vi propriæ causalitatis. *Si Primum*, iam solus Deus est causa principalis. *Si Secundum*, manifestè implicat, quod aliquid faciat hominem dilectum, & gratum Deo, nisi per ipsam voluntatem diuinam, sicut, quod aliquid reddatur intellectum in actu, siue per extrinsecam denominationem, vt obiectum ad extra, siue per intrinsecam realitatem, sicut Verbum mentis ad intra, nisi mediante concursu intellectus tanquam causa principalis huius effectus.

Et Eadem Ratio est de Augmento gratiæ; est enim augmentum hoc effectus maioris dilectionis diuinæ; vnde non potest procedere ab ipsa gratia, vt à causa principali, etiam in eodem homine, sed immediatè à voluntate diuina.

Quod si inquiras de Alijs habitibus supernaturalibus præter gratiam? *Respondetur*, Quod vel habent necessariam connexionem cum ipsa gratia, vel nõ? Si habent necessariam connexionem dimanant ab ipsa gratia, quasi passiones ab essentia, & producuntur eadem actione, qua producitur ipsa gratia; & consequenter ab eodem agente, & causa principali debent procedere, sicut ab eodem agente fit natura, & propria passio illius.

Si Autem necessàriam connexionem non habent, oportet, quod à sola libera voluntate Dei, tanquam specialia illius dona procedant. Cum enim sola gratia expurget peccatum, & reddat hominem amicũ Deo tantum; etiam alij habitus, qui sine gratia inueniuntur, vt Fides, & Spes ordinant, & disponunt ad istam gratiam, sicut dispositiones eiusdem ordinis, quæ ab eodem agente necesse est procedere à quo procedit forma.

Character Autem manifestius est, quod solum posset à Deo procedere, vt à causa principali, quia ex sua natura est potestas ministerialis, & instrumentalis, vnde necessariò petit solum procedere à suo agente principali, quod est Deus.

Secundus Autem Effectus, quem importat supernaturaliter gratia, est quod sit immediata participatio Diuinæ naturæ; id autem, quod est immediata participatio alicuius naturæ repugnat, quod ab alio deriuetur, vt à causa principali, sicut semen, non potest deriuari etiam ab alio semine, sed solum à natura viuenti, cuius est immediata participatio.

Cuius Ratio est, Quia aliàs oporteret, quod vel nulla gratia ex sua natura peteret immediatè procedere à Deo, tãquam participatio eius naturæ, vel non omnis gratia esset vniuocè eiusdem speciei. Nam si vna gratia procederet ex alia, & non immediatè à Deo, similiter omnis gratia posset sic procedere; ergo nulla peteret ex sua natura immediatè à Deo procedere, & sic nulla esset immediata eius participatio ex sua natura, & quasi semen Dei.

Vel Si Aliqua gratia peteret immediatè esse à Deo, alia autem id non peteret; non esset vtraque vniuocè gratia, & vnius speciei.

ciei. Vnde fit argumentum efficax. Gratia ex sua intrinseca specie est immediata participatio diuinæ naturæ, vbicunque reperiatur; ergo & immediata processio: non enim participatio intelligi potest nisi per processionem ab eo, cuius participatio est; ipsum enim participare processio est, & si immediatè participat, immediatè procedit.

Exempla, quæ in oppositum reducuntur nullam habent instantiam. Quia lux Solis, & calor ignis, non sunt immediatè participationes naturæ Solis, aut ignis; sunt enim participationes, & refusiones qualitatum, quæ sunt passiones, & sic immediatè non participant. Non est ergo facienda vis in his exemplis; sed exemplum magis ad propositum, est semen, cui *Scriptura* comparat gratiam, ita enim est immediata participatio naturæ viuentis, quod non potest ab alio produci vt à causa principali nisi à natura viuenti.

Alij Autem habitus supernaturales sunt immediatæ participationes alicuius attributi Diuini. V.g. Charitas, & Spes voluntatis, & Lumen gloriæ diuini intellectus; & sic de alijs virtutibus. Licèt in hoc sit differentia, quod sicut ista attributa intelliguntur nostro modo intelligendi subsequi ad diuinam naturam, tanquam proprietates illius, ab ipsaque procedere; sic etiam habitus isti virtutum ad gratiam, vel vt passiones consequuntur, & modo dimanationis ipsam habent pro principio, sed non tanquam principale agens, quia passiones producuntur ab eodem efficienti à quo natura cuius passiones sunt.

Ex Eadem Philosophia percipitur, Quod actus supernaturales non sunt immediatæ participationes Dei, sed mediantibus habitibus, à quibus eliciuntur. Quare licèt etiam in Deo sit actus, tamen quia ille actus non est egrediens ab aliquo principio, sed est actus purus; in nobis autem non potest esse actus, nisi prout egrediens ab aliquo, ideò ex hac parte repugnat aliquem actum supernaturalem esse immediatam participationem actus Diuini, sed solum mediante habitu; & quia sunt actus vitales oportet, quod procedant tanquam à causa principali ab aliquo principio viuente supernaturalizato.

Constat Ergo, Quod deriuatio gratiæ à Christo solum habet duplex genus efficiētiæ, scilicet, moralis in quantum est causa meritoria, & physica in quantum est instrumentum coniunctum, & hoc etiam magis proprium est Capitis, quia cum Caput sit organum, & pars præcipua corporis magis concurrit modo instrumentali in alia mēbra, quam principale, si sit Caput homogeneum. Cum autem Christus, vt homo sit Caput homogeneum cum rationali creatura, conueniens fuit, quod quasi instrumentum organicum, & coniunctum eidem Verbo influeret gratiam in alia membra, etiam efficientia physica.

Soluuntur Obiecta.

Ad Ea Quæ supra obijciuntur contra processum rationis *S. Thomæ* constat ex dictis, quam efficax sit eius ratio, intelligendo, quod actus, quo aliquid existit in actu est etiam id, quo agit eo modo, & ea ratione, qua talis forma potest esse actiua. Sicut gratia solum potest esse actiua per actus meritorios, & ad modum physici instrumenti. Sic autem intellecta ratio nō probat æqualiter de gratia Sancti Pauli, vel alterius habentis gratiam intensiorem, quia eminentia gratiæ requisita ad agendum in alios; non est sola intensio, sed modus habendi gratiam eminenter, vt optimè aduertit *Caietanus* in Commentario *Art.* 5.

Itaque Eminentia importat, & perfectionem formæ habitæ, & eminentē modum habendi illam; sicut calor in summo, non solum dicit intensionem caloris, sed modum, quo habetur ab igne, id est tanquam naturalis proprietas illius. Et eodem modo maxima eminentia gratiæ Christi non solum intelligitur, quantum ad perfectionem intensiuam, sed etiam quantum ad modum habendi, scilicet, quasi proprietatem personalem Vnionis, vt ei coniunctā, vt annotatur illis verbis, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti*. Id est, vt propriam Filij Dei, & tam magnam, ac si solus ipse esset Filius; ideò enim dixit *Vnigeniti*, & *Primogeniti*. Et hoc modo non verificatur, quod gratia cuiuscunque alterius Sancti, quantumcunque excellentis habeat illam eminentiam, quæ requiritur ad agendum in alios, secūdum illum modum, quo habet eminentiam in Christo.

Ad Primam instantiam Respondetur, Quod hæc ratio *D. Thomæ*, non probat gratiam Christi esse causam principalē physicam, quia gratia non est forma capax talis actionis. Ratio autem *D. Thomæ* solum pro-

probat, quod forma est ratio agendi eo A
modo, quo est capax agendi, & in suo genere.

Et Quando Instatur, Quod instrumentum non constituitur per eundem actum, quo redditur agens. *Respondetur*, Quod in instrumentis separatis ita est; in instrumento autem coniuncto, & organico. V.gr. In Manu, idem est actus, quo constituitur in actu, & quo constituitur instrumentum, scilicet per virtutem animæ, quia tale instrumentum, quasi agit ex proprijs, id est, ex B
virtute principali coniuncta. Et ita dixit *D. Thomas Quæst. 29 de Veritate Artic. 5. ad 3*. Quod Christus operatus est nostram salutem, quasi propria virtute, ideò oportuit, quod in eo esset gratiæ plenitudo: Ministri vero, qui agunt in virtute eius, non requirunt gratiam personalem, sed solum authoritatem ordinis

Vel Secundo Respondetur, Quod *D. Thomas* non probat determinatè, quod gratia Christi agat, vt instrumentum, vel vt causa C
principalis moralis, sed quod agit eo modo, quo gratia nata est agere, scilicet per actus meritorios; si autem addatur etiam instrumentalis deriuatio, hoc erit ex abundantia.

Et Quando Dicitur, Quod ad merendam alijs gratiam requiritur, & concurrit eminentia Vnionis, non autem perfectio gratiæ personalis, *Respondetur*, Quod Eminẽtia Gratiæ Vnionis concurrit radicaliter, D
& præsuppositiuè, vt principium *Quod*; gratia autem habitualis, vt principium *Quo* proximum, & formale, quod magis conducere ad rationem Capitis, ostentum est. Si autem gratiam habitualem non haberet, posset quidem alijs mereri gratiam, sed nõ ita connaturaliter, vt supra *Quæst. 7* dictum est & ideo connaturali modo constituitur Caput proximè, & formaliter per gratiam habitualem.

Ad Instantiam, quæ adducitur ad probandum rationem *D. Thomæ* esse diminutam. *Respondetur*, Quod ex authoritate gratiæ solum infertur, quod est actus agendi ad E
actiones iustas, & meritorias; sed vlterius ex eminentia talis actus explicata, elicitur, quod sit meritoria etiam pro alijs; & ex eadem eminentia ostenditur, quod est pro omnibus, quia illa eminentia est maxima, vt dicitur in *Littera Articuli*. Et consequenter superior ad omnem gratiam, & non solum ad aliquam, vnde rectè infertur ad omnem esse deriuabilem.

Ad Fundamentum Allatum pro Opinione *Patris Vazquez* contra Primam Conclusionem, Respondetur ex dictis, Quod totus valor satisfactionis, & Redẽptionis prouenit ex gratia Vnionis, quasi radicaliter, & vt à principio *Quod*; formaliter autem, & proximè, & quasi à principio organico, quale requiritur ad institutionẽ Capitis vniuocè, & homogenei, procedit à gratia habituali, prout tamen coniuncta, & perfecta per gratiam Vnionis.

Ad Confirmationem similiter Dicitur, Quod valor merendi pro alijs, radicaliter, & præsuppositiuè est ex gratia Vnionis; proximè vero, & formaliter ex gratia habituali sic coniuncta; quod si istam non haberet, sufficeret sola gratia Vnionis ad merendum alijs, sed non ita connaturaliter elicerentur ab anima opera meritoria, vt dictum est. Et similiter infinitas cum non sit aliud, quam ipse valor in operibus Christi ex Supposito prouenies, datur quidem à Gratia Vnionis radicaliter, procedit autem proximè, & immediatè à gratia habituali; quia tunc gratia licèt det substantiam operis, & specificam dignitatem eius in ordine supernaturali (neque enim alio influxu persona influit in operatione, quã mediante principio formali proximè elicitiuo) necesse est, quod ab ipso immediatè, & proximè procedat valor illarum actionum.

Ad Ea, Quæ Obijciuntur secundo loco contra secundam Conclusionem *Respondetur*; Illum modum, seu perfectionem superadditam gratiæ habituali esse ipsam coniunctionem ad superius principiũ gratiæ Vnionis, vt diximus. *Etsi instes*, Quia Vnio naturæ humanæ ad Personam Diuinam non est modus superadditus naturæ, sed sola relatio (vt supra *Disput. 4. Art. 3.* dictum fuit) Ergo neque gratia per hanc præ vnionem habuit aliquem modum sibi superadditum, quo constituatur gratia Capitis, sed solum relationem ad Personam.

Respondetur, Quod etiamsi non importauerit aliquid aliud, tamen hoc ipsum, quod est realis illa Vnio, & dependentia à Verbo est aliquid reale superadditum ipsi gratiæ.

Cæterum in istis Vnionibus rei inferioris ad suum superius, non est præcisè considerãda ipsa entitas Vnionis, quæ relatio quædam est, sed perfectio, seu eleuatio rei inferioris, & fortificatio, quæ consequitur in ipsa ex coniunctione ad suum superius, vt

S. Tho-

S. Thomas loquitur 1. *Part. Quæst.* 106. *Artic.* 1. Nam in intellectu maxima perfectio consequitur ex eo quod vniatur illi diuina essentia in ratione formæ intelligibilis; & humanitas ex eo quod reddatur subsistens per subsistentiam diuinam; quæ perfectio, & actuatio, qua virtus inferior manet magis eleuata, & perfecta ratione coniunctionis, & vnionis appellatur, non tamē est ipsa pura relatio, sed perfectio, & mutatio inferioris virtutis ex tali Vnione resultans, vt aliquid amplius possit, quam sine tali Vnione; cum tamen relatio vt purè relatio, non sit principium agēdi. Et profundior radix huius est, quia licèt Vnio sit relatio, habet tamen fundamētum reale in ipsa re vnita, quod est immutatio passiua illius ad alterum extremum, ex qua immutatione non repugnat perfici rem inferiorem vnitam, & non solum ex ipsa relatione.

Totum Hoc expressit *D. Thomas Quæst.* 29. *de Veritate Art.* 5. *ad* 7. vbi dicit, Quod ex ipsa Vnione Diuinæ naturæ ad humanam, sequitur in humana, quædam gratiæ plenitudo ex qua in alios redundantia illa fit à Capite Christo. Ergo plenitudo perfectio aliqua est ex Vnione resultans; quæ tamen Vnio ipsa appellari solet, quia non ponit in numero cum Vnione effectus ipse comitans talem Vnionem.

Ad Confirmationem Respondetur, Quod in alijs qualitatibus actiuis, actiuitas propriæ operationis, non addit aliquid supra actualitatem: si vero eleuetur aliqua forma ad operandum vltra id, quod ex se potest, indiget aliqua eleuatione, seu coniunctione ad superius agens, ratione cuius possit vltra propriam actiuitatem operari. Cum autem gratia non sit de se meritoria de cōdigno pro alijs, sed solum pro se, indiget, vt inquit *D. Thomas*, eminentia quadam supra id in quo agit; & hæc eminentia superaddi debet gratiæ habituali, vt possit esse actiua ad deriuandum gratiam in alios, quia ex se talem eminentiam non habet: neque est necesse, quod modus habendi istam eminentiam, sicut Vnio, sit ipsa ratio agendi, sed modificatio ad agendum.

Ad Vltimum quod est, contra Tertiam Conclusionem, *Respondetur*, Quod etsi absolutè loquendo, instrumentalis operatio non constituat Caput, neque simpliciter ad id requiratur, pertinet tamen ad melius esse, & ad excellentiam Capitis in Christo, vt sit instrumentum coniunctum physicè deriuans gratiam, habetque magnam conuenientiam, vt sicut Caput est pars præcipua organica corporis, ita Christus instituatur per hoc, quod sit instrumentum organicum Verbi, licèt absolutè possit esse Redemptor, & satisfactor, atque adeò Caput sine tali instrumentali influxu. Neque hoc est recurrere ad Gratiam Vnionis, quia etiam instrumentum coniunctum non cōuenit ipsi gratiæ Vnionis, sed conuenit gratiæ habituali vnitæ: gratia enim Vnionis non supponit pro ipsa humanitate, & gratia habituali eius, etiam vt vnita, sed pro ipso esse personali, & hypostatico, quod gratis vnitum est humanitati, & ideò ipsa vocatur Gratia Vnionis, non Humanitas.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus sit Caput omnium hominum etiam in statu innocentiæ?

Distinxit S. Thomas in Artic. 3. sex status hominum, quos reduximus ad Tres. Nam alij aliqualem Christi influxum admittunt in vita spirituali, siue perfectissimè in Gloria, siue perfectè in Gratia, siue imperfectè in Fide, quæ est actuale initium iustificationis; alij sunt in potentia membra Christi, siue reducenda in actu aliquando, siue non; alij denique omnino sunt extra omnem influxum Christi vitalem, tam in actu, quàm in potentia, qui sunt Damnati, & dicuntur, non esse in potentia membra Christi ratione status æternæ damnationis, qui status, neque mediatè, neque immediatè capax est influxus Christi, neque ad illum aliquomodo ordinatur, sed perpetuò deordinatur ab illo ex vi talis status incurrit homo & incapacitatem recipiendi influxum vitæ, tanquam mortuus sempiternus. Quæ Cōclusio extēditur ad pueros existētes in Limbo, verè enim sunt damnati pœna damni.

De Viatoribus, post statū peccati, Christum Dominum certissimum est esse Caput omnium hominum, licèt non eodē modo omnium; sicut neque Caput naturale eodē modo influit in omnia mēbra, sed aliquorum est Caput in potentia, & quo ad sufficientiam; aliorum etiam in actu, & efficaciter, quia pro omnibus mortuus est. Quod tanquam de Fide tenendum est, vt constat pluribus in locis sacræ Scripturæ.

Intelligo autem nomine *Omnium Hominum*, etiam infantes nondum natos, de quibus Aliqui dubitant, An sint existimandi membra Christi, eo quod in vteris maternis non sunt capaces alicuius influxus Christi; neque est institutum aliquod remedium applicabile ipsis pro illo statu. Sed omninò dicendum est Illos esse membra Christi in potentia, pertinereque ad eius vniuersalissimam redemptionem, quia pro illis mortuus est, & sub eius potestate continētur. Id enim indicant illa verba Ioannis 17. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, nomine ly *Carnis* intelligitur omne animatum anima rationali. De illo enim verificatur, quod sit caro; & infantes in maternis vteris iam inchoatiuè pertinent ad vitam Viatorum, & consequenter ad vitam saluandorum; Viatores enim saluari possunt. Ergo iam in illo statu respiciunt Saluatorem.

Constat Etiam infantes in vteris maternis sanctificari posse per Christum, licèt extraordinario modo, sicut Ioānes Lucæ 10. Dum exultauit in vtero ad Christi aduentū. Et fortasè Alij sanctificati sunt, quos ignoramus. Denique, licèt infantes intra maternum vterum, non sint immediatè capaces remedij, quod ministerio hominum, & medijs Sacramentis ministratur: sunt tamen capaces mediatè, quia extrahi, vel expediri potest infans, & sic recipere remediū Christi, & auxilia extrinseca protectionis per Angelos. Habet ergo capacitatem, vt fiat membrum Christi, licèt impeditum, impedimento tamē absolutè amouibili. Esse autem potētiam impeditam ad suscipiendum Baptismum non tollit, quin sint membra Christi; alioquin multi homines non possent dici membra Christi in potentia, quia sunt impediti, vel vastissimo mari, vel aliquo terrarum impedimento, ne ad illos perueniant Ministri Euangelij.

De Statu Innocentiæ.

Tota Ergo Difficultas in hominibus reducitur ad statum innocentiæ. *Pater Suarez Disput. 23. Sect. 1.* sentit, Quod Adam pro illo statu fuit membrum Christi. Primo ex Authoritate; quia *D. Thomas in Art. 3.* Resoluit, quod Christus est Caput omniū hominum, accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi. Ergo comprehenditur etiam tempus status innocentiæ; qua generalitate etiam loquitur super *Ioannis*

A *Caput 1. Lect. 10.* dicens: *Quòd de plenitudine eius acceperūt omnes iusti, qui fuerunt, sunt, & erunt, & etiam omnes Angeli.* Et infra: *Quòd plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarū in intellectualibus creaturis.* Et similiter Augustinus: *Caput nostrum Christus est, corpus Capitis illius nos sumus. Nunquid soli nos, & non etiā illi, qui fuerunt ante nos? Omnes, qui ab initio sæculi fuerunt iusti, adiunctis etiam legionibus, & exercitibus Angelorū, &c.* Vbi
B ponderandum est, quod *Augustinus*, & *D. Thomas* generaliter loquuntur, non solum de personis, sed etiam de temporibus dicēdo *Ab initio sæculi*, & *Per totum tempus Mundi*, in qua generalitate temporis necessariò comprehenditur status innocentiæ.

Deinde Etiam Ratione, Quia Adam ante peccatum habuit fidem de Christo, non vt Redēptor, sed vt Consummator gloriæ, vt
C est expressa Sētentia *D. Thomæ 2.2. Quæst. 2. Art. 7.* Habuit influxum vitæ, nō minus quā fideles post peccatū: Fides enim Christi non potest esse nisi per Christum, siquidē credidit in eum, & habuit illum pro fine. Ergo dicendum est, quod tunc fuit Adam membrum Christi, vtpotè participans actualiter influxum ab Ipso.

Et Potest fortiori Argumento fundari hæc Sententia; Quia gratia Adami, etiā pro illo statu, erat gratia ordinata ad gloriā sēcundum se, siue durante illo statu esset con-
D sequenda, siue extra illum; sed tamen adhuc durante illo statu, verè erat ius ad gloriam, & ordinata ad gloriam. Ergo subordinata prædestinationi: ergo Christo; nam Christus est causa nostræ prædestinationis in omnibus prædestinatis, vt tradit expressè *D. Thomas* infra *Quæst. 24. Art. 4.*

Dices: Illa gratia pro illo statu non ordinabatur efficaciter ad gloriā, quia non erat in statu in quo erat transmittēda efficaciter
E ad illam: ergo nondum pertinebat ad causalitatem, & prædestinationem Christi.

Sed Contra. Quia licèt in illo statu non esset consequutiua gloriæ, erat tamen tunc reparabilis in alio statu, & in illa reparatione consequutiua gloriæ; sed hoc sufficit vt dicatur subordinari prædestinationi; ergo. *Minor Probatur*. Quia in prædestinato, qui amittit primam gratiam; illa gratia amittēda subijcitur prædestinationi, licèt non sit consequutura gloriam nisi prout reparanda; & tamen non solum in statu reparationis, sed etiā pro primo statu esset effectus

præ-

prædestinationis. Ergo similiter gratia status innocentiæ, si efficaciter erat consequutura gloriam in sua repatione, etiam pro primo statu erat effectus prædestinationis.

Denique Confirmatur hæc Sententia, Quia Christus est finis illius status innocentiæ; ergo & Caput *Consequentia patet,* Quia in tantum est finis in quantum habet aliquam prioritatem, & perfectionem, imò & causalitatem super id, quod tali fini subordinatur; istæ enim sunt conditiones Capitis assignatæ à D. Thoma. *Antecedens Probatur,* Quia omnia, quæ de facto creata sunt, tam in esse naturæ, quàm gratiæ sunt ordinata ad Christum, & illi subiecta: ergo & ille status. Hæc est enim illa consequentia *Pauli ad Hebræos* 2. Vbi citans illud Psalmi 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius, &c.* quod intelligit de Christo, subdit: *In eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.* Vbi S. Thomas Lect. 2. ait, *Omnia non est distributio accommoda ad aliqua genera, sed absolutè ad omnia, quia omnia generaliter, & vniuersaliter sunt subiecta ei.* Et fortius 1. *ad Corinthios* 15. inquit Paulus: *Cum dicat omnia subiecta sunt ei sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia* Vbi illa exceptio firmat regulam in contrarium, quod præter Deum nihil est, quod non sit subiectum Christo; sed status innocentiæ erat aliquid præter Deum; ergo fuit Christo subiectus.

Et Præterea, vt Christus sit Caput Angelorum sufficit, vt mereatur eis præmia accidentalia, & non gratiam; ergo similiter hoc sufficiet vt sit Caput hominum, licèt gratiam eis non contulerit. Consequentia tenet à paritate.

RESOLVTIO DVBII.

Christus non meruit gratiam status innocentiæ, formaliter consideratam.

Suppositâ Doctrina superius tradita *Quæst.* 1. *Artic.* 3. *Disput.* 3. *supra Art.* 2. *ad* 3. de Christi Domini prædestinatione vt Redemptor, Dicendum est, ex vi præsentis Decreti non fuisse Christum Caput status innocentiæ de facto. Quæ Sentẽtia frequentior est inter Thomistas. Illam docet

A *Magister Aluarez Lib. de Auxilijs Disp.* 4. *Magister Soto Lib.* 1. *de Natura, & Gratia Cap.* 26. Et Plures citat *Vazquez* hìc *Disput.* 12. *Cap.* 2. *Asturicensis* etiam, qui absolutè tenet, gratiam illius status fuisse per Christum, & illius esse Caput; tamen accipiendo illam gratiã formaliter, & vt subest illi statui, docet non esse per Christum, vt videri potest *Quæst.* 6. *Conclus.* 5. *Pag.* 769. Ratio efficax, & Fundamentalis est, Quia siue Christus veniret non peccante Adamo,

B siue non veniret; tamen de facto ex vi præsentis decreti nulla gratia est à Christo, vt Capite, quæ non sit etiam ab ipso vt Redemptore, & per eius subiectionẽ, ac mortem deriuata; sed sanguis, & passio Christi non pertinuit ad statum innocentiæ, dicente Augustino in Lib. de Correct. & Grat. Cap. 12. *In illis bonis Adam Christi morte non eguit.* Ergo neque gratia illius status fuit à Christo vt Capite.

Ad Hoc Fundamentum duplex excogitatur effugium. Primum, Quod Christus,

C non solum vt Redemptor per mortem, sed etiam vt Consumator Gloriæ per alia merita, contulit gratiam, sicut affirmant Illi, qui defendunt Angelos fuisse iustificatos ex meritis Christi, & tamen Christum non fuisse mortuum pro illis, neque eos redemisse, vt sequenti Art. videbimus: ergo similiter hoc poterit applicari gratiæ status innocentiæ.

Secundo Dicunt Gratiam illam, licèt

D sub formalitate status innocentiæ non fuerit per Christum, tamen entitatiuè, & absolutè per Christum fuisse, etiam in illo statu, licèt vt reparanda pro alio.

Cæterum Prima Solutio multiplicat, non soluit inconuenientia: Qui enim tenent Christum non fuisse mortuum pro Angelis, si consequenter loquuntur, debent dicere, quod non meruit illis gratiam, & gloriam essentialem; siquidẽ Christus consummauit omne meritum morte sua pro

E his, quos sanctificauit, dicente Paulo ad Hebræos 10. *Vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Ergo quicunque sanctificatus est per Christum, illa vna oblatione sanctificatus est, aut si ab illa deficit, à sanctificatione Christi extraneus est. Et idem insinuat locus ille Isaiæ 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Cum ergo voluntas sit sanctificatio nostra, vt loquitur *Paulus,* si ad dirigendam voluntatem

Dei in manu Christi fuit necessaria illa cõditio ponendi animam suam; ergo omnis sanctificatio per Christum non est data, nisi per mortem eius.

Et Ad hoc adiuuat satis efficax conuenientia, nam perfectissimum, & efficacissimum meritum Christi ex genere operis, fuit passio, & mors eius, quia in ea completum est totum pondus charitatis, dicente Ipso Ioannis 15. *Maiorem Charitatẽ, &c.* & Paulus Romanor. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia cum peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.* Super quem locum D. Thomas, *In hoc* (inquit) *quod dicit commendat immensitatem quamdam diuinæ charitatis assignat.*

Si Ergo Mors Christi fuit opus perfectissimæ charitatis, & ideò omne meritum in illa consumatum est, tanquam in perfectissimo opere, quod est finis cæterorum; si ista tanta charitas non se extendit ad merendum pro statu innocentiæ, quomodo existimandum est alijs operibus inferioribus voluisse illam gratiam mereri, perfectissimum autem opus voluisse ab illa excludere? Vnde passioni Christi tradimus excellentiam vniuersalissimæ influentiæ in gratiam, dum ab illa subtrahimus meritum, pro aliquo genere gratiæ, quod alijs operibus Christi assignamus; quod certè cum ex mera Dei voluntate dependeat, iudicare de illo, sine aliqua reuelatione sanctæ Ecclesiæ, vel sensu, aut vrgentissima ratione, temeritate non vacat.

Contra Secundam autem Solutionem instatur. Quia implicat considerare Christum vt Redemptorem, & causalitatem eius, vt redemptiuam, nisi præsupponendo lapsum peccati; ergo illa gratia status innocentiæ, etiam entitatiuè considerata, si ponitur ante lapsum peccati, non est à Christo per causalitatem, & efficatiam redemptiuam, ac per hoc implicatio est in terminis dicere, quod gratia entitatiuè accepta sit per Christum, vt reparanda post lapsum, quia sic non est per Christum, nisi vt reparantem, & vt redemptorem; ergo pro illo statu, in quo consideratur entitas gratiæ, vt nondum reparata actu, nondum est actu per Christum, sed consideratur vt futura per Christum in statu reparationis. Si autem consideratur illa gratia, vt subsequitur lapsum, iam non est gratia innocentiæ, sed pœnitentiæ. Ergo sub statu innocentiæ, non solum formaliter non pertinet ad Christum, sed neque etiam entitatiuè, sicut *Magister Vincentius* vult. Ergo sub statu innocentiæ Christus non est Caput gratiæ, sed solum vt induit alium statum.

Et Confirmatur, Quia non potest intelligi influxus Christi de facto in entitatem gratiæ, abstrahendo ab omni statu; imò si talis abstractio fiat, iam non pertinet ad hanc Quæstionem, in qua non inquirimus, An Christus influat gratiam entitatiuè cõsideratam præscindendo ab omni statu, sed determinatam, vt inuenitur de facto in statu innocentiæ, sed si entitas gratiæ consideratur in statu innocentiæ, habet obstaculum, & repugnantiam influxui per Christum vt redemptorem. Ergo in illo statu Christus vt redemptor non influit in entitatem illius gratiæ, etiam vt reparandæ.

Minor Probatur. Christus vt redemptor, & vt de facto influens, non intelligitur in omnium sententia, decretatus à Deo, nisi suppositа permissione peccati; licèt enim sit diuersitas Opinionum, An efficatia decreti veniendi Christum absolutè se extenderet ad vtrumque statum; tamen vt de facto redemptor sub hac reduplicatione, & quantum ad causalitatem, vt redemptiuam, in nulla sententia extenditur Decretum, nisi ad statum naturæ lapsæ. Si ergo Christus vt redemptor non est decretatus, nisi suppositа permissione lapsus; ergo vt redemptor non intelligitur influens in entitatem gratiæ, vt accipientem esse per talem influxum in statu antecedenti lapsus.

Neque obstat intelligere tunc illam gratiam vt reparandam pro alio statu, quia gratia vt reparanda de futuro non dicit ordinem ad redemptorem de facto influentem per causalitatem redemptiuam, sed vt influxurum de futuro. Ergo ex hoc quod gratia illa consideratur vt reparanda de futuro, solum intelligitur vt habenda per Christum futurum, non autem, vt de facto existens per Christum. Ergo implicat tunc de præsenti, & in facto esse Christum Caput illius status, & gratiæ, sed vt Caput futurum pro alio statu. Præsertim quia gratia vt reparanda est gratia vt non duratura in statu innocentiæ, sed interrumpenda; illa autem interruptio destruebat statum innocentiæ. Ergo dicere, quod Christus influebat in illam in statu innocentiæ, vt interrumpenda, est dicere, quod influebat in illam in statu innocẽtiæ

tiæ sub status innocentiæ destructione, & tunc ille influxus conseruaret, & manuteneret statum innocentiæ, & conseruaret illum sub ratione non conseruandi, quod est planè contradictorium.

Neque est timendum, quod cedat in minorem excellentiam Christi, nam si ipse dicit de se, *Quòd non est opus benè habentibus medico, sed male habentibus*, & iterum: *Non veni vocare iustos, sed peccatores*, Quid Nos putamus addituros esse excellentiæ Christi, si dicamus eius excellentiam in hoc consistere, quod velit vocare omnes peccatores, sed etiam iustos, & quod non solum malè habentibus, sed benè habentibus fuit opus medico.

Sed Adhuc Obijcies. Christus Dominus in quantum Caput Angelorum influit in illis spiritualia dona pertinentia ad accidẽtalem gloriam; & tamen meruit illa dona, non per sanguinem suum, neque per passionem suam; ergo non est inconueniens, quod etiam gratiam meruerit, & illa dona per mortem suam. Ergo iam incidimus in inconueniens, quod volebamus vitare, scilicet, quod Christus mortuus est pro Angelis, siquidem per mortem suam meruit illis dona, quæ habent per eius mortem. Atque adeò verè possemus dicere, quod mortuus est pro Angelis tanquam pro membris suis: vt ergo vitemus hoc inconueniens necesse est dicere, quod aliquid meruit Angelis non per suam mortem; ergo similiter dicemus de primis Parentibus.

Respondetur Primo, Quod etiamsi demus Christum meruisse Angelis dona accidentalia gratiæ, & meruisse illa per suam mortem, non tamen est concedendum, quod mortuus est pro Angelis, quia solum est mortuus pro illis, quibus dedit vitam, iuxta illam consequentiam Pauli 2. Corinthiorum 5. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Vnde sæpè infert *Augustinus* Christũ solum esse mortuum pro mortuis; dona autem accidentalia gratiæ non dant vitam gratiæ, sed supponunt; ergo licèt illam meruerit Christus per suam mortem, non tamen sufficit vt dicatur mortuus pro Angelis.

Respondetur Secundo, Quod re vera Christus non habet influentiam per meritum in Angelos, sed per actiones physicas, vel secundum influxum instrumentalem, vel secundum illuminationem, eo modo, quo superior Angelus alium illuminat, & docet. Vtrunque expressit *S. Doctor.* Hoc idem vltimum in 3. Dist. 13. Quæst. 2. Artic. 2. Quæstiuncula 1. *Non influit* (inquit) *Angelis removendo prohibens* (*id est tollendo peccatum*) *nec merendo gratiam, aut orando pro eis, quia iam beati sunt, sed in his, quæ ad actus hyerarchicos pertinent secundum quod vnus Angelus alium illuminat purgat, & perficit.*

Primum Vero docet in *Præsenti Artic. 4. ad 2.* dum dicit, *Quòd Christi humanitas ex virtute spiritualis naturæ* (*scilicet diuinæ*) *potest aliquid causare non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus Angelorum, propter maximam coniunctionem eius ad Deum, scilicet, secundum vnionem personalem.* Nusquam autẽ *S. Thomas* meminit de merito Christi respectu Angelorum, nec docuit, quod solum pro accidentalibus gaudijs tantus sanguis funderetur, licèt indirectè ex eo quod meruit hominibus gratiam & gloriam, & sibi exaltationẽ consequutum sit, in Angelis gaudium, quasi proposita materia, & obiecto gaudij. Respectu autem primorum Parentum, nõ potuit Christus Dominus influere accidentalia ista dona per instrumentalem influxum per actionem hyerarchicam illuminandi, quia hæc exigunt existentiam humanitatis sic influentis, sicut etiam gratia Antiquorum Patrum non fuit collata physicè instrumentaliter ab Humanitate Christi, sed meritoriè ex meritis præuisis.

Soluuntur Obiecta.

Ad Primum à principio, Quod attinet ad Authoritatem *D. Thomæ in Præsenti Art. 3.* Respondetur, Quod *D. Thomas* intelligit Christum fuisse Caput omnium hominum, quantum ad personas, non quantum ad omnem statum personarum.

Sed Vrget Suarez illud verbum D. Thomæ, *Quòd est Caput omnium hominum secũdum totum tempus mundi*, ergo non solum comprehendit *D. Thomas*, omnes personas, sed omne tempus; ergo & tempus innocentiæ pro quo durauit ille status.

Respondetur, Quod littera *D. Thomæ* non debet construi, sicut *Suarez* legit, quod sit *Caput omniũ hominum secundũ totũ tempus mundi*, ita quod ly *Secundũ totũ tempus* afficiat illam vniuersalem *Omnium Hominum*, & distribuat pro omni tẽpore, sed est construẽda, sicut habet *D. Thomas*, qui dicit: *Sic ergo accipiendo generaliter, secũdum totum*

tempus mundi Christus est Caput omnium hominum. Vbi ly *Secundum totum tempus mundi*, non determinat, neque afficit ly *Omnium hominum*, sed ly *Generaliter accipiendo*. Ita quod sensus est; accipiēdo generaliter Corpus mysticum Ecclesiæ, secundum quod eius membra non sunt simul, sed per totum tempus mundi, Christus est Caput omnium illorum. Inde tamen non licèt inferre; ergo est Caput illorum pro omni tempore, & pro omni statu. Et Fundatur hoc in ipsa Littera, quia dixerat prius *S. Thomas*, quod Corpus Ecclesiæ mysticū in hoc differt à corpore naturali, *Quòd membra corporis naturalis sunt omnia simul. Membra autem corporis mystici non sunt omnia simul, quia corpus Ecclesiæ instituitur ex hominibus, qui fuerunt à principio mundi, vsque ad finem.*

Quando ergo subdit sic: *Ergo accipiendo generaliter secundum totum tempus mūdi Christus est Caput omnium hominum.* Sensus est manifestus, quod accipiendo Corpus mysticum, cuius membra constituuntur ex hominibus, qui sunt à principio Christus est Caput omnium hominum, non tamen pro omni tempore.

Similiter illa Particula *Generaliter secundum totum tempus*, non importat distributionem completam pro omni tempore, & pro omni statu in particulari, sed distributionem accommodam quasi in genere, quod ex omni tempore habet aliquos homines pro membris suis, licèt non in omni tempore.

Minus vrgent verba *Augustini*, qui solum dicit *Omnes, qui ab initio sæculi fuerunt iusti*, quia dicit omnes Personæ, non tamen sub omni statu, & tempore intelligendum est. Quamuis *Suarez* recitando ista verba *Augustini*, quædam intermedia præterit, & prorsus clausulam *Augustini* truncat; sic enim habet Augustinus: *Corpus Capitis illius nos sumus, nunquid soli nos, & non etiam illi, qui fuerunt ante nos omnes, qui à principio sæculi fuerunt iusti Christum habent? Illum enim venturum esse crediderūt, quem nos venisse iam credimus, & in ipsa fide, & ipsi sanati sunt in cuius, & nos.* Quæ verba *Suarez* omittit, Nobis autem explicant de quibus loquatur *Augustinus*, scilicet de omnibus fidelibus sanatis in fide Christi; non ergo in statu innocentiæ, vel non prout in statu innocentiæ, sed prout in statu sanitatis.

Ad Locum S. Thomæ ex Lectura super

A Cap. Ioannis *Respondetur* eodem modo; Quod *S. Doctor* solum inquit, Quod omnes iusti, qui fuerunt, sunt, & erunt, acceperunt de plenitudine Christi; & etiam omnes Angeli: non tamen dicit, quod pro omni statu, neque explicat, quid acceperint, an gratiam iustificantem, vel aliqua dona accidentalia. Et licèt subdat, Quod plenitudo gratiæ Christi est causa omnium gratiarū in omnibus intellectualibus creaturis, nomine *Gratiarum*, sufficienter verificantur gratiæ
B datis datæ, quæ propriè vocantur Gratiæ supernaturales; non solum gratia sanctificans. Et est valdè notandum, quod solum dicit S. Thomas, *Quòd solum est causa omnium gratiarum per efficientiam.* Loquitur ergo de causalitate, quæ communis est, tam ad gratiam iustificantem, quàm ad gratiam gratis datam; non autem de causa meritoria. Accommodanda est respectu Angelorum ista efficientia gratiæ Christi solum
C quo ad gratias gratis datas, quia gratiā sanctificantem non potuit Christus conferre Angelis, qui antecesserunt incarnationem, nisi in genere causæ meritoriæ, de qua ibi non agit *S. Thomas*, sed de sola efficientia.

Ad Rationem Patris Suarez Respondetur, Quod Adam habuit fidem Christi non vt redemptoris, vt dicit *Sanct. Thomas 2.2. Quæst. 2. Art. 7.* sed solum secundum quod ordinabatur ad consummationem gloriæ; & talis fides, licèt esset de Christo obiectiuè, non tamen erat de Christo meritoriè.
D Sicut etiam Angeli habuerunt fidem de Christo dum essent Viatores, vt docet *Sanctus Thomas 1 Part. Quæst. 64. Art. 1. ad 4.* & optimè deducit *Magister Bañez* ibi *Quæstion 57. Art. 3.* & tamen non fuerunt iustificati per Christum, vt dicemus *Art. Sequenti.*

Negamus Ergo simpliciter valere hanc consequentiam: Habetur fides de Christo, ergo per Christum, nisi addatur in antecedenti, de Christo vt redemptore eius, qui
E habet fidem; sic enim importatur in antecedenti, quod talis habens fidem sit indigens, vel recipiens à Christo, & consequenter per Christum, quia sic est Christus causa talis fidei datæ sibi in remedium; non autem si datur sibi in mysterium, vt data est Adamo. Et licèt fides Christi in primo Parenti fuerit Christi vt finis consummantis gloriam, non tamen, vt Capitis, quia Adamo reuelata est authoritas non influentia Christi. Præter quam quod vt statim dicemus, benè stat esse fidem, & non

Ca-

Caput, & reuelari illi vnum, & non aliud.

Dices: Habuit Adamus fidem Christi vt consumatoris gloriæ; ergo vt superioris sibi, & perficientis, seu authorizantis eum in gloria; ergo habuit fidem Christi vt Capitis, saltim eo modo, quo est Caput Angelorum; vel saltim secundum quod aliquid est Caput.

Respondetur, Quod hoc solum conuincit, quod Adamus potuit cognoscere Christum, vt consumatorem gloriæ, futurum aliquomodo Caput saltim secundum aliquem modum imperfectum, non influendo gratiam, & gloriam intrinsecè, sed perficiendo illam extrinsecè. Nos autem loquimur de Christo Capite, vt de facto influente in statu innocentiæ, licèt cognosceretur, vt habiturus aliquas conditiones Capitis, ex hoc quod reuelabatur, quantum ad rationem perficientis, & consumantis gloriam. Sicut Angeli non ordinabantur ad Christum, vt Caput ex vi suæ iustificationis, licèt cognoscerent se destinari in Ministros Christi, ratione cuius respiciebant ipsum, vt consumatorem, & perfectorem gloriæ accidentalis, ratione cuius est illorum Caput.

Instabis. Adamus pro illo statu habuit fidem Christi, & in Christum; ergo & Spem in Christum; ergo sperabat ab illo gloriam essentialē, quæ est obiectum essentiæ Spei. *Antecedens Probatur*, Quia eamdem fidem habuit Adamus post lapsum, atque ante lapsum; sed post lapsum habuit fidem in Christum; ergo antea.

Respondetur, Quod ante lapsum non habuit fidem in Christum, vt redemptorem, sicut habuit post lapsum: in hoc ergo creuit fides Adami, & magis explicita fuit post peccatū, cognoscendo ipsum vt liberatorē à peccato, vt dicit *D. Thomas* 2.2. *Qu. est.* 2. *Artic.* 7. Vnde simpliciter negatur consequentia. Quia cū Spes respiciat ipsam Beatitudinem essentialem, vt obiectum, & auxilium, seu medium, quo debet obtineri; tunc autem in statu innocentiæ non apprehendebatur gloria essentialis, vt obtinenda per Christum, sed solum vt consumanda; consequenter non ferebatur Spes Theologica in Christum, vt in medium, & viam obtinendi gloriam.

Ad Secundam Rationem, quam Fecimus pro eadem Sententia, benè ibi responsum est; Quod gratia pro illo statu, non ordinabatur efficaciter ad gloriam, quæ pro illo statu consequenda non erat; & licèt esset ex pronidentia Dei speciali, quatenus illa prouidentia dandi gratiam supernaturalis erat, non tamen dicebatur specialis prouidentia, quantum ad efficaciam transmittēdi in finem; quod tamen requiritur, vt sit prædestinatio.

Dupliciter Enim dicitur aliqua Prouidentia *Specialis*; vel ratione effectus, quem prouidet, quia specialis est, scilicet, effectus supernaturalis; vel ratione modi, quia specialiter, id est efficaciter deducit ad finem. Et Primum non sufficit ad Prædestinationem. (licèt sufficiat ad distinguendā Prouidentiam Dei à prouidentia ordinis naturalis, quæ *Generalis* dicitur) sed requiritur secundum, quod efficaciter trāsmitteret in finem & ideò prouidentia, qua data est gratia Adamo in statu innocentiæ comparatione ad prouidentiam naturalem, dicitur *Specialis*; comparatione autem ad prædestinationem, dicitur generalis in ordine supernaturali.

Ad Replicam contra hanc Solutionem, Omissa Opinione *Vazquez* 1. *Part. Quæst.* 93. Quod in Prædestinato gratia amissa, & postea recuperata non est effectus prædestinationis, vt primo collata, sed vt reparata. Dicimus esse latam differentiam inter gratiam datam prædestinato, quæ amittenda est, & reparanda; & inter gratiam datam Adamo in statu innocentiæ, quæ reparanda erat post lapsum, quod in alijs ipsa gratia vt primo collata præsupponit, & datur ex efficaci intentione perducendi ad gloriam per talia media, scilicet per gratiam amittendam, & reparandam, prædestinatur enim non vt innocens, sed vt pœnitens futurus.

Cæterum Adamo pro statu innocentiæ non est collata gratia ex efficaci intentione perducendi ad gloriam sub illo statu, sed amittendus erat status ille, & ex illius amissione pendebat Decretum veniendi Christum, in quo omnes prædestinandi erant, & consequenter amissio illius gratiæ, & à fortiori collatio prima illius, non præsupponebat, sed præcedebat prædestinationem, quæ facienda erat in Christo, & per Christum; in nobis autem omnis collatio gratiæ, & permissio amissionis eius, & reparatio illius prædestinationem supponunt, & ex illa descendunt.

Ex Quo etiam cessat Obiectio, quam vrget *Magister Cabrera* hìc *Disputat. Vnica Num.* 17. quia modo correspondet Adamo aliquis gradus gloriæ, non solum pro gratia

tia pœnitentiæ, sed etiam pro operibus factis pro statu innocentiæ, vt distincta à gratia pœnitentiæ, siquidem illa merita reuixerunt. Ergo illa gratia innocentiæ, vt distincta à gratia pœnitētiæ pertinuit ad prædestinationem, & consequuta est gloriam.

Sed Respondetur Verum esse, quod illa gratia materialiter, & entitatiuè sumpta distinctam obtinuit gloriam (de hoc enim non disputamus modo) neque disputamus si obtinuit gloriam vt reparatam; neque est Difficultas si obtinuit distinctam gloriam pro gratia innocentiæ, vel pœnitentiæ. Sed sub quo statu illam obtinuit; per reuiuiscētiam enim meritorum, licèt gratia amissa reddeat, reddit tamen sub alio statu, scilicet vt reparata, non vt innocens, quia innocentia nunquam reuiuiscit.

Ad Confirmationem Respondetur Imprimis *Negando Antecedens*; & secundo, Illo concesso, *Negando Consequentiam*. Ad Antecedēs ergo Dico, quod aliud est Christum esse finem gratiæ, quæ fuit in statu innocentiæ, & omnium rerum, quæ in illo statu fuerunt; aliud est quod fuit finis illius status; primum est verum, & secundum falsum. Licèt enim Christus fuerit finis omnium rerum, non tamen sub illo priori statu, sed illum præsuppositum lapsum, & destructum, antequam Christus decerneretur tanquam finis ad illum reparandum.

Ille Autem ordo fuit prius volitus ex alio fine pertinente ad prouidentiam Dei generalem; omnia tamen, quæ in illo ordine erant volita à Deo sub fine prouidentiæ generalis, in secundo ordine fuerunt volita sub fine Christi, & efficaciter subordinata prædestinationi, & in hoc sensu verificatur, quod omnia subiecit Deus sub pedibus Christi, & nihil dimisit non subiectum ei ex parte rerum subiectarum, quasi iam prius facta Christi pedibus subijciens, non ex parte ipsius status, qui reparatus non est, nec Christo subiectus, sed omninò decidit. Sicut Rex subijciens sibi Regnum alterius, non subijcit sibi statum, quem habebat sub alio Rege, sed destruit illud, & se constituit Caput.

Secundo Respondetur ad Consequentiam, Quod dato quod Christus sit finis gratiæ, non sequitur, quod sit Caput, quia Caput vltra finalem influentiam petit influxum per modum efficientis, saltim moraliter, aut per modum gubernantis, quem Christus non habuit respectu status innocentiæ; habuit tamen, respectu omnium hominum, qui ante Incarnationem fuerūt iusti, quia quamuis merita Christi in intentione se habuerunt vt finis, quia fuerunt aliquid perfectius iustificatione hominum; tamen in exercitio præuisa, & de facto meruerunt illam tanquam effectum, & cōsequenter per modum causæ efficientis, vt latius explicatum est in *Materia de Incarnatione*. Vide *Disp. 6. Art. 1.*

Ad Vltimum Respondetur, Quod in primis Christus non meruit Angelis accidentalia præmia, licèt illa tribuat per influxum physicum, quod respectu status innocentiæ fieri non potest. Vel secundo Dato quod Angelis meruerit ista præmia, est tamen distincta ratio, quia Angeli, etsi non sint iustificati per Christum, sunt tamen ministri redemptionis, dicente Paulo ad Hebræos. 1. *Quòd omnes sunt administratores Christi missi in ministeriū propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*. Vnde pertinet ad Christū tribuere Angelis propter ministeriū. At verò Adamus in statu innocentiæ, neque erat redemptus, neque minister redemptionis, vnde neque vt redempto vitam, neque vt ministro mercedem, neque accidentalia gaudia debuit tribuere.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus vt Homo, ita sit Angelorum Caput, quod in eos gratiam, & gloriam influat?

Præsupponimus tanquam minus dubitabile, Christum esse Caput Angelorum, & inquirimus Dubium graue de modo, quo est Caput; & quidem hoc præsuppositum communiter recipitur ab Scholasticis, licèt non ab Omnibus, & quia videtur ex locis Scripturæ deduci Sanctorum intelligentia, Aliqui non solum veritatem eius adstruunt, sed etiam oppositum censurant, sicut *Magister Medina*, qui existimat temerarium esse negare Christum esse Angelorum Caput. Eius tamen censuram rigidam putat *Asturicensis Pag. 804.* faciliusque asserit se admissurum, quod oppositum sit error, licèt ab illis Authoribus materialiter, & ex aliqua ignorantia admissus, quam quam sit temerarium, id est, sine aliquo fundamento à Grauibus Authoribus asseratur, existimat tamen oppositam

tam solum esse probabiliorem Sentẽtiam, & absque dubiõ veram. *Aluarez* autem *Disp.* 39. non solum veram, sed conformẽ sacris litteris; & *Suarez Disput.* 23. *Sect.* 2. propter quædam Testimonia *Chrysostomi*, & *Theophilacti*, dicit non esse de fide, sed multo probabiliorem. Et idem existimat *Pater Vazquez* hìc *Disp.* 48. *Cap.* 3.

Nihilominus omninò Dicendum existimo, Quod qui negaret absolutè Christũ esse Caput Angelorum, excludendo omnem rationem Capitis, etiam quæ saluatur per externam tantum gubernationem secundum authoritatem dominatiuam in Angelos, omninò esset contrarius Scripturæ, & sensui communi Ecclesiæ. Solum potest esse Opinio, An debeat dici Caput secundum alias speciales conditiones scilicet quantum ad influxum interiorem instrumentalem, vel moralem; & secundum quod proprietas Capitis requirit, quod sit eiusdem naturæ cum eis. Circa has enim proprietates potest admitti varietas Opinionum, Quomodo Christus dicendum sit Caput Angelorum?

Quantum vero ad illam rationem magis communem, quæ constituit rationem Capitis saltim secundum exteriorem gubernationem, & quæ sufficit vt absolutè, & sine addito Christus dicatur Caput Angelorum, sicut absolutè, & sine addito Papa dicitur Caput Ecclesiæ, nullo modo est admittenda aliqua Opinio, sed prorsus esset error id negare. Etenim apertissimè Scriptura dicit Christũ esse Caput omnis Principatus, & Potestatis ad Colos. 2. Et loquitur Apostolus de Christo vt homo est; dicit enim, *Quod in Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est Caput omnis Principatus, & Potestatis.* Manifestum est autem, quod plenitudo diuinitatis non habitat corporaliter in Christo, secundum diuinam naturã, sed secundum humanam; vnde, & subdit Apostolus *In quo, & resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitauit illum à mortuis.* Resurrectio autem solum conuenit Christo, vt homo est. Similiter Ecclesia absolutè nominat Christum Regem Angelorum, & Dominum, quod sine aliqua Capitis dignitate, saltim exterioris gubernationis, intelligi nequit.

Et Iterum Angeli dicuntur Ministri Christi, etiam vt homo est Matthæi 4. *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei* Et ad Hebr. 1. *Omnes sunt administratores Spiritus in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis*, & Matth. 14. *Mittit Angelos suos cum tuba, & voce magna.* Ergo si Angeli sunt ministri Christi, & ab eo mittuntur tanquam à Domino, benè, & propriè debet dici illorum Caput; saltim eo modo, quo Princeps Reipublicæ dicitur Caput illius. Atque negare ita absolutè, quod Christus sit Caput Angelorũ, sumpto Capite in tota sua lata significatione, vt etiam dicitur de Capite exterius gubernante, sine dubio est apertus error, cum hoc sit negare Christum esse Superiorem Principem, ac Dominum Angelorum, & totius Ecclesiæ triumphantis, quæ ex hominibus, & Angelis constat. Vnde in illis verbis ad Ephes. 1. *Suscitans Christũ à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus super omnem potestatem, & Principatum, & virtutem, & Dominationem, & omne quod nominatur, non solum in hoc sæculo, sed in futuro.* Non tantum voluit Paulus significare exaltationem Christi super omnem Angelicam creaturam, vt dicit *Vazquez loco citato*, sed etiam dominationem, & imperium super Angelos, quod pertinet ad rationem Capitis gubernantis.

Sic Etiam *Sanctus Chrysostomus Homilia* 3. *in Epistolam ad Ephes.* quasi contradictorij verbis *Vazquez*, sic inquit: *Non vt cumque effecit superiorem, quasi præficiens istis per comparationem, verum quasi Dominum seruis ipsum cunctis anteponens. Ecce vt homini Christo omnis creata virtus, quasi ancilla Domino subtracta est, &c.* Vbi Chrysostomus apertissimè loquitur nõ solum de eleuatione, & exaltatione Christi super Angelos, sed etiam de dominio, & principatu super eos; atque adeo rationem Capitis, quæ purè denotat dominationem, & supremum principatum in Angelos, nullus negat.

Circa Modum Autem, aut perfectiones alias Capitis, quæ pertinent ad similitudinem naturæ cum membris, inuenitur aliquando, quod etiam Aliqui ex Patribus negant, vel saltim non affirmant, Christum vt hominem esse Caput Angelorum, scilicet propter dissimilitudinem naturæ, ratione cuius non dicitur Caput eorum cum ea speciali ratione, qua dicitur Caput hominum. Et sic intelligẽdus est *Chrysostomus Homilia* 1. *ad Ephes.* & *Theophilactus*, qui eum sequitur ibidem: & omninò relegandus est *Pater Vazquez in loco citato*, dicens Chrysostomum, & Theophilactum non esse

esse imitandos, quia eorum ratio parum habet momenti; oportet enim Sanctorum Patrum intelligentiam cum omni reuerentia explicare, præsertim cum ex ipso eorum contextu apertè appareat, in quo sensu negent Christum Dominum esse Caput, & in quo sensu concedant.

Quomodo Christus meruit Angelis?

Dubium Vero est satis controuersum inter Scholasticos, An Christus Dominus, ita sit Angelorum Caput secundum interiorem influxum, vt etiam gratiam, & gloriam essentialem in eos influat? Nam Aliqui accidentalem gloriam influere, saltim quo ad illuminationes, & gaudia accidentalia affirmant; & resolutio huius Quæstionis multum dependet ex illa Controuersia de Prædestinatione Christi, quam tractauimus supra in Materia de Incarnatione. Vide *Disput.* 3. per totam, An Christus fuerit prædestinatus ante præuisionem peccati? Et aliqua ad istum locum remisimus.

Est Ergo celebris Sententia Aliquorum Theologorum Angelos habuisse gloriam, & gratiam ex meritis Christi. Pro hac Sententia plures citat *Asturicensis Pag.* 846. eamque sequitur *Pater Suarez* infra *Quæst.* 19. *Disp.* 41. *Sect.* 1. *Cabrera* hìc *Disp. Vnica, Cartagena Lib. de Prædestinatione, & reprobatione Angelorũ Discursu* 6. & alij quam plures, qui ab ipso citantur.

Fundamentum præcipuum reducitur ad duo Capita. Primum ex Authoritatibus. Secundum ex Ratione. Authoritates desumunt partim ex generalibus Scripturæ Testimonijs, quæ ad meritum Christi referunt etiam gratiam, & restaurationem Angelorum, & generaliter omnium, vt cũ dicitur ad Ephes. 1. proposuisse Deum in Christo *Instaurare omnia, quæ in cœlis sunt, & quæ in terra.* Et Ioannis 14. *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Et Apocalip. 12. dicitur de Angelis, *Quòd Vicerunt eum* (id est Diabolum) *per sanguinem Agni*, & similia multa, quæ indicant non esse datam gratiam, siue in cœlo, siue in terra, nisi per Christum.

Partim Autem specialiter videntur loqui aliqua Testimonia, ex quibus per consequentiam hæc veritas deducitur, vt Romanorum 5. dicitur: *Si enim in vnius delicto mortui sunt multi, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Vbi Apostolus loquitur de Christo vt homo est, & inde deducitur hoc argumentum. Gratia hominis Christi abundauit in plures, quam delictum vnius Adam, sed nõ in plures homines; ergo in plures Angelos. *Consequentia videtur clara.* Nam præter homines nõ sunt plures, qui recipiant gratiam, nisi Angeli. *Maior* sunt verba Apostoli. *Minor euidens est*, Quia si solum intelligamus de hominibus, cõstat plures esse infectos peccato Adami, quam redemptos de facto per Christum quo ad efficaciam; quantum ad sufficientiam vero tam in multos potest influere Adam si generentur ex illo, quàm Christus reficere si regenerentur per illum.

Item ad Hebreos 2. dicitur: *Quòd decebat eum propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat authorem salutis eorum per passionem consumare.* Ergo supponit Apostolus, quod ante passionẽ Christus multos filios in gloriam adduxerat, sed non homines, quia non erant consequuti gloriam; ergo Angelos.

Confirmatur Authoritate Diui Bernardi Serm. 22. super Cant. vbi inquit: *At Angelis, quomodo redemptio fuerit non video, neque enim authoritas scripturarum vspiã assentire videtur eos aliquando, aut peccato fetuisse captiuos, aut morti obnoxios, vt necessariam haberent redemptionem, audi breuiter, qui erexit hominem lapsum dedit stanti Angelo ne laberetur. Sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens, & hac ratione fuit æquè vtrique redemptio soluens illum, & seruans istum. Sic Bernardus*, & similia habet Fulgentius Lib. 2. ad Trasimundum Cap. 3.

Sed Præ Omnibus Hieronymus super *Caput* 1. *ad Ephes.* in magnis Commentarijs, explicans quomodo subiecit Deus omnia pedibus Christi, sic inquit de Angelis: *Quòd absque peccato nullus sit, & sydera ipsa non sint munda coram Deo, omnisque creatura paueat creatoris aduentum. Vnde & crux Saluatoris non solum ea, quæ in terra, sed etiam ea, quæ in cœlis erant purgasse perhibetur.* Ergo passio Christi, iuxta Hieronymum tribuit Angelis gratiam, alioquin virtute illius non purgarentur.

Denique S. Thomas supra Caput 1 *Ioannis Lect.* 10. dicit: *Quòd etiam omnes Angeli de plenitudine eius acceperunt*, vt Articulo Præcedenti retulimus, & *Quæst.* 7. *præcedenti Artic.* 9. dicit: *Quòd plenitudo gra-*

gratiæ fuit data Christo, vt vniuersali principio in genere habentium gratiam. Ergo comprehendit etiam Angelos, quia etiam habent gratiam.

Secundum Fundamentum est ex Ratione, & est præcipua duplex ratio. Prima, quia Christus est primus omnium prædestinatorum, iuxta illud *In Capite Libri scriptum est de me*; & iterum, *Quod Christus est primogenitus omnis creaturæ*, & sic prædestinatus est ante Angelos, tanquam eorum finis. Ergo habuit prædestinatio Christi sufficientem præcedentiam respectu prædestinationis Angelorum, vt ex meritis eius præuisis causaretur. Habuit etiam sufficientem efficaciam, vtpotè infinitam: ergo nō est ratio, quare Christo ex vi prædestinationis eius denegetur influentia in gratiam Angelorum. Præsertim cum ad id vrgeat satis magna congruentia. *Tum*, Quia ad excellentiam, & perfectionem Capitis pertinet, vt influat vitam in omnia membra; cū autem Christus sit Caput Angelorum, magis congruum, & decens est, quod etiam in Angelos influat vitam, quæ est per gratiam, & etiam gloriam essentialem, quia aliàs argueretur defectus in perfectione Christi, quasi non potētis influere in omnes. *Tum*, Quia hoc est conformius naturis rerum in quibus *Primum in vnoque genere est causa cæterorum*. Cum autem Christus sit Primus in genere habentium gratiam, debet esse causa gratiæ cæterorum, qui illam habent, & consequenter Angelorum.

Secunda Ratio. Quia Angeli in via habuerunt fidem Christi venturi, siquidem eis in Verbo correspondet cognitio clara mysterij Incarnationis, & certum est, quod de illo habent cognitionem *Matutinam*, de quo aliquando habuerunt *Vespertinam*. Ergo si Christus in via illis reuelatus est, ideò fuit vt in eum crederent, & tanquam superiorem adorarent, & ei vt fini, & Capiti subijcerentur; & similiter Spem in eo ponerent, & ex meritis eius sperarent assequi gloriam Ergo ita assequuti sunt illam.

Vltimo. Quia si Christus solum accidentaliter influit in Angelos, scilicet dona accidentalia, solum accidentaliter, & secundum quid erit Caput Angelorum, & non simpliciter, cōtra Testimonia sacræ Scripturæ superius allata, in quibus absolutè, & sine addito dicitur Caput Angelorum. Nec benè explicatur quomodo prædestinatio Angelorum subijciatur prædestinationi Christi, vt consumanda, & perficienda per ipsum, etiam accidentaliter si secundum substantiam ab initio non fuit subiecta Christo.

Sententiam hanc ita Aliqui moderantur, quod asserant Angelos suscepisse gloriam, & gratiam duplici titulo, scilicet ex diuina largitate, & iterum ex meritis Christi, & sub hoc secundo titulo subordinata fuit gloria essentialis Angelorum Christo, sub primo vero titulo præcessit eius prædestinationem. Quæ Sententia, eo tendit vt defendat Angelorum gloriam esse per Christum, etiam præsuppositā Sententia *D. Thomæ*, quod Christus nō veniret Adamo non peccante: adhuc enim hæc Sentētia conatur saluare, quod Angeli ratione illius duplicis tituli, quo gratiam obtinuerunt, & pertinebant ad Christum, vt prædestinatum post lapsum hominis, & lapsum Angelorum, & ante prædestinationē Christi iam habebant gratiam, & gloriam essentialem, ratione cuius præsupponebatur status gratiæ, & gloriæ ante lapsum hominis, & ante Christum, & ante, Christi prædestinationem. Ita insinuat *Asturicensis Pag.* 848 recitans Theologorum Opinionem circa Primam Sententiam.

Nihilominus suppositā Sententia *Sancti Thomæ*, quam docuimus, & latè explicauimus in Materia de Incarnatione *Disputatione* 3. per totam, Quod ex vi præsentis Decreti, eiusque efficaciæ Christus nō veniret, nisi Adamus peccaret (quod *Artic. Præcedenti* ostendimus, omne meritū Christi de facto fuisse cōsumatum passione sua, & morte) omninò tenendum est Angelos non habuisse gratiam, & gloriam ex meritis Christi; neque ex eius passione. Quæ Sententia citrà dubium est *D. Thomæ*, & communiter à Thomistis defenditur, vt videri potest in *Magistro Vincentio loco citato*. *Aluarez* hic *Disput.* 40. *Medina* hic. *Vazquez Disp.* 49. & Alijs.

Quod Vero sit expressa Sententia *S. Thomæ*, patet ex locis, qui pro oppositā Sentētia citantur: licèt enim aliquando loquatur de Angelis, non tamen expressè, & in individuo loquitur de gratia, & gloria essentiali. In locis vero vbi in singulari, & expressè loquitur de gratia, & gloria essentiali, expressè etiam negat Christum meruisse illam Angelis; ergo magis standum est his locis *D. Thomæ*, quam primis.

Hoc Autem manifestum est, nam in *Quæst. 29. de Veritate Art. 7. ad 5.* Inquit, *Oportet, quod ei pro quo quis meretur aliquid*

quid sit eorum, quæ sub merito cadunt. Angeli autem non sunt Viatores quantum ad præmium essentiale, & ideò quantum ad hoc nihil eis meruit. Valet autem eis meritum Christi quantum ad præmium accidentale, quia quantum ad hoc sunt aliquo modo Viatores.

Similiter in 3. Distinct. 13. Quæst. 1. Artic. 2. Quæstiunc. 2. inquit: *Non influit Angelis removendo prohibens, aut merendo gratiam, aut orando pro eis, quia iam Beati sunt, sed in his, quæ ad actus hyerarchicos pertinent in quantum unus Angelus illuminat alium purgat, & perficit.*

Magister Cabrera hìc *Disput. Unica Numero* 33. non inuenit quid respondeat ad hæc loca, nisi *Diuum Thomam* mutasse Sẽtentiam. Sed vbi eam mutauerit Ego non inuenio. Nam in locis supra allatis, quæ etiam affert *Cabrera*, non loquitur specialiter de merito, quantum ad gloriam essentialem, sed in genere loquitur, quod Christus sit vniuersale principium in genere habẽti um gratiam; & quod habet efficiẽtiam omnium gratiarum in omnibus intellectualibus creaturis. Constat autem, quod sub hac efficientia, quæ apud *D. Thomam*, physica est, non comprehenditur gratia, & gloria Angelorum, quia illa physicè efficienter non fuit à Christo, vt homine; quia quando ipsi fuerunt glorificati, nondum Christi humanitas existebat in illo: Nunquam autem expresè *D. Thomas*, dixit Angelos participare gratiam, & gloriam essentialem à Christo, & tamen in locis à Nobis allatis expresè id negat; ergo potius standum est locis negatiuis, quam affirmatiuis. Præsertim cum illa clarè possint exponi de Gratia accidentali.

Imò Asturicensis per alium extremũ existimat mutasse *D. Thomam* Sententiam, quam tenuerat supra *Caput* 1. *Ioannis*, quod tamen non cogimur dicere, vt patet ex dicta explicatione, quæ iubatur ex *D. Thoma* 3. *Part. Quæst.* 59. *Artic.* 9. vbi dicit: *Quòd Angeli subsunt iudicio Christi, quantum ad præmium essentiale, & damnationem æternam; sed hoc* (inquit) *factum est per Christum in quantum est Verbum Dei à principio mundi.* Si autem ex influxu humanæ naturæ Christi haberent præmium essentiale; non deberet negare *D. Thomas*, subijci Angelos quantum ad præmium essentiale iudicio Christi, vt homo est, quantumuis præcesserit incarnationem. Si enim Antiqui Patres, licèt præcesserint incarnatione, quia tamen ex meritis Christi iustificati sunt, subsunt iudicio Christi humano; & non Angeli.

Fundamentum huius sententiæ partim deducitur ab Authoritate; partim à Ratione. Ex Authoritate efficax probatio sumitur ex illo vulgari loco ad *Hebræos* 2. Vbi Apostolus probans præcedentiam Christi, & excellentiam super Angelos, sic inquit: *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego, & pueri mei, quos mihi dedit Deus; quia ergo pueri communicauerunt carni, & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Quem locum optimè *Asturicensis*, & *Vazquez* relati ponderant, & formatur ex illo Argumentum in hunc modum.

Omnes, qui sanctificantur à Christo vocantur *Pueri*, & *Fratres* eius, sed Angeli nõ possunt vocari *Pueri*, & *Fratres* Christi; ergo non sanctificantur ab ipso. *Consequentia est bona*, vtpotè in secundo modo secũdæ figuræ. *Maior est propositio* posita ab oppositio, dum dicit: *Quòd omnes, qui sanctificantur, & ipse, qui sanctificat sunt ex vno, & propter hanc causam non confunditur fratres eos vocare.* Ergo omnes, qui sanctificantur, vocat Christus fratres suos. *Minor autem propositio* sic probatur ex eodem Apostolo loco dicto. Illi dicuntur *Pueri*, & *Fratres* ab Apostolo, qui communicauerunt carni, & sanguini; sed Angeli non communicauerunt carni, & sanguini, cum sint puri spiritus; ergo non vocantur pueri, & fratres Christi; ergo neque sunt sanctificati per Christum.

Nec Soluitur Argumentum dicendo, Quod quando Apostolus, inquit: *Qui sanctificat, & sanctificantur ex vno omnes*, intelligitur *Ex vno Deo*, non *Ex vno Adamo Parente*, vt Graues Authores, & inter eos *D. Thomas* exponunt, & sic sub illa vniuersali *Omnes*, etiam Angeli includuntur, quia etiam sunt ex Deo.

Non (inquam) soluitur Argumentum, quia illius vis non est in hoc, quod sit ex vno homine, vel ex vno Deo; sed ex eo quod omnes sanctificatos vocat *Fratres*, & *Pueros*; illos autem dicit Pueros, qui communicauerunt carni, & sanguini.

Si dicas Paulum non loqui de omnibus sanctificatis, nec de omni modo sanctificationis, sed de his, qui sanctificati sunt per

per redemptionem. *Contra est.* Quia hoc voluntariè omnino dicitur, cum *Apostolus* absolutè loquatur, quando dicit *Omnes, qui sanctificantur esse ex vno.* Vbi includit *Omnes* sine aliqua exceptione. Ergo etiam quãdo postea dicit, *Non confunditur eos vocare fratres* ly *Eos*, non refert omnes sine exceptione; immo esset Apostolus valdè diminutus in probanda excellentia Christi super Angelos, vt facit eo Capite & præcedenti, si ad hoc assumeret ipsum sanctificare redemptos, qui sunt homines, & omitteret sanctificatos non redemptos, qui sunt Angeli, cum ex hoc efficatiùs probaret superiorem excellentiã Christi super Angelos.

Ratione Vero dupliciter probari potest hæc Sententia, siue veniret Christus ex suppositione peccati, siue non sistendo specialiter in Sententia *D. Thomæ*, quod Christus solum prædestinatus est in remedium peccati. Prima ratio in præcedenti Articulo proposita fuit, & cum eadem proportione applicatur in præsenti, scilicet: Quia omne meritum Christi ita fuit consummatum sua passione, & morte, quod passio eius, tã Vniuersalis causalitatis est, quàm gratia eius. Et quicũque excluditur à sang ine Christi, excluditur ab eius merito, & gratia: sed Angeli nõ indiguerunt morte Christi, nec pro illis Christus mortuus est quantum ad suam iustificationem: ergo non sunt sanctificati per Christum. *Maior* satis probata, & ostensa est *Art. Præcedenti Minor* asseritur ab Augustino in Inquitidione Cap. 61. Qui inquit *Proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, non enim pro Angelis mortuus est Christus.* Et Bernardus Sermone in Feriam 4. Hebdomadę Sanctę inquit, *Mini passio Domini data est, quia alteri dari non potuit: nunquid Angelo? Sed ille non eguit: nunquid diabolo? Sed ille non refugit.* Et euidenter conuincitur ex illa Consequẽtia, quam facit Apostolus 1. ad Corint. 5. *Vnus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt.* Sed Angeli nunquam fuerunt mortui per peccatum; ergo nullo modo potest dici, quod pro illis mortuus est Christus, qui solum est mortuus pro mortuis.

Respondet Suarez, & Cabrera meruisse Christum Angelis non per passionem suã, sed per alia merita. Sed hæc Solutio sufficienter exclusa est *Art. Præcedenti.* Et est eadem ratio in hac parte de Angelis, & de homine in statu innocentiæ; ibi enim Ostendimus ita fuisse consummatum meritũ Christi de facto per passionem Christi, vt idem sit excludi aliquem à sanguine Christi, & à merito Christi, quod ex dicendis amplius confirmabitur.

Apparentiùs Responderi poterat ex doctrina *Asturicensis* vbi supra, Christum meruisse quidem pro Angelis per passionem suã, sicut & pro se ipso; constat enim Christum pro se meruisse per passionem suam, iuxta illud Lucæ 24. *Nonne sic oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Et ad Philippens. 2. *Factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Ex quo deducitur Argumentum contra *Suarez*, & *Cabrera.* Quia si in his, quæ Christus pro se ipso meruit consummauit meritum suum per passionem, & mortem; quanto magis in his, quæ meruit pro Angelis, & pro statu innocentiæ?

Cæterum inde deduci potest apparens solutio: Quia sicut hoc non obstante, non possumus dicere Christum esse mortuum pro se, vt diffinitur in *Concilio Ephesino Canone* 10. quia hæc loquutio supponit aliquam indigentiam ratione peccati, ita potest dici, quod Angelis meruit Christus per suam passionem, non tamen mortuus est pro illis.

Vel Secundo dici posset in aliorum sententia, Christum non esse mortuum pro Angelis, quia non simpliciter meruit illis iustificationem, sed solum nouo titulo.

Sed Vtraque Solutio insufficiens est. Primo quidem etsi Christus non dicatur mortuus pro se, quia poterat tantum illam glorificationem iure connaturalitatis habere, tamen si Angeli ponuntur iustificati per passionem Christi, & non aliter simpliciter erant indigentes, & dependentes à passione Christi, vt haberẽt istam gratiam, licèt non haberent peccata, ita quod aliunde non poterant habere illam vitam: ergo simpliciter debebat verificari, quod Christus meruerat pro ipsis. *Patet Consequẽtia.* Verificatur quod ipsi erant indigẽtes morte Christi ad suam iustificationem. Ergo verificatur, quod Christus mortuus est pro ipsis, siquidẽ pro illis verè est mortuus, qui verè indigebant eius morte, siue priuatiuè essent mortui per peccatũ, siue negatiuè carerent vita gratiæ. Itaque simpliciter debebãt sperare in Christum, cũ per ipsum obtinuerint gratiã & gloriam; ergo simpliciter carebant auxilio per Christum, & consequenter ratione huius carentiæ verificatur, quod Christus mortuus est pro illis.

Secunda Autem Solutio valdè deficit. Quia si Christus solum meruit Angelis, vt alio titulo haberent gratiam; ergo simpliciter non fuerunt sanctificati per Christum; nam sine tali titulo adhuc haberent gratiã; ergo mors Christi non fuit illis simpliciter necessaria. *Et manifestatur amplius.* Quia si homines aliunde, quam per Christum possent iustificari, gratis pro eis mortuus esset Christus, vt habet Apostolus ad Galatas 2. *Si enim per legem iustitia; ergo gratis Christus mortuus est.* Ergo similiter si aliunde Angelis iustitia, quam per Christum; ergo gratis pro illis mortuus est, & gratis pro illis meruit. Quis autem audeat dicere Angelos habuisse gratiam per Christum, & tamen gratis pro illis Christum esse mortuum; aut quas gratias deberent illi Angeli reddere? Vel quam dependentiam haberent à Christo, si etiam sine illo æquè benè gratiam habere possent, solumque pro nouo titulo sine noua re Christi sanguis illis deseruiret.

Et Ne Dicatur Christum Dominum etiam meruisse sibi per mortem gloriam sui Corporis, quam tamen titulo connaturalitatis habebat debitam, tamen dicere possumus, quod gratis meruit illam *Contra hanc Instantiam*, Vrgetur Argumentum. Nam præter quam quod est diuersa ratio in gloria essentiali, quam accidentali, quia gloria accidentalis non inconuenit, quod habeatur illo duplici titulo, seu medio; gloria autem, seu gratia essentialis, quia pertinet ad ipsam substantiam vitæ supernaturalis, inconueniens est quod habeatur ex meritis Christi, solum ratione noui tituli.

Præter Hoc (inquam in quo non facio vim) est euidens contra instantiam Argumentum. Nam ille duplex titulus repertus in Christo, scilicet *Ius connaturalitatis*, & *Meritum passionis ad gloriam Corporis*, vterque erat per Christum, & ab ipsomet oriebatur, vnde cedebat in magnam gloriam vt vtroque modo illam haberet per se ipsum. Cæterum quod Angeli haberent gratiam sine Christo plenè, & perfectè, merita autem Christi solum deseruirent illis vt nouo titulo eamdem gratiam haberent, hoc nullo modo cedit in gloriam, & excellentiam Christi, quia non facit Angelos simpliciter dependentes ab ipso, sed solum secundum quid, & de solo titulo.

Vt Omittam, quod si semel intelligitur prædestinatio Angelorum perfectè, & cõpletè contulisse illis gratiam sine meritis Christi, non potest intelligi quomodo postea compleatur ista prædestinatio per Christum; siquidem prædestinatio est infallibilis, & immutabilis in sua efficacia transmittendi ad gloriam, quia si ex vi primæ prædestinationis duplici illo titulo prædestinati sunt Angeli ad gloriam, sicut Christus ad gloriam sui Corporis; ergo ex vi suæ prædestinationis necessariò exigebatur vterque titulus, & sine altero non fuerunt sufficienter iustificati. Quod est dicere concurrisse vtrumque titulum in suo genere, non autem vt causam adæquatam, & totalem, quantum est ex vi prædestinationis, licet aliàs secundum se totalis esse possit.

In Sententia Autem D. Thomæ, quod Christus Dominus nõ veniret nisi Adamo peccante, multo facilius confirmatur hæc Sententia. Quia Christus Dominus nõ est prædestinatus ante præuisionem peccati, quia non est prædestinatus nisi vt redemptor, & consequenter supponebat peccatum in facto esse, & in executione, & tunc intrauit efficax prædestinatio Christi in carne passibili. Quo supposito fit Argumentum, lapsus hominis fuit præuisus in executione ante prædestinationẽ Christi; ergo fuit præuisa executio illius peccati eo modo, quo facta est in individuo, quia præuisa est in permissione Diuina, quę individualiter respicit illud peccatum, sicut & alia, quæ cognoscit in sua permissione; sed hoc peccatũ individualiter in executione processit ex deceptione diaboli; ergo præsupponit peccatum diaboli præuisum non minus, quã peccatum hominis ante prędestinationem Christi, quia hoc ab illo deriuatum fuit. Ergo etiam præsupposuit physicam gratiam à qua diabolus discedit ante prædestinationẽ Christi. Ergo etiã in alijs Angelis, qui non peccauerunt præuisa est etiã gratia vt perseuerans ante omnem prædestinationem Christi, & consequenter ante omnem influxum meritorum eius, siquidem merita Christi non fuerunt præuisa ante prædestinationem, sed ex vi illius.

Neque Christus etiam vt finis intelligebatur antequam esset prædestinatus vt finis; ergo Angeli non obtinuerunt gratiam, & gloriã per Christum. *Patet hæc Consequẽtia:* Quia ex vi illius gratiæ in qua cadente diabolo perseuerauit Angelus, obtinuit gloriã; sed illa gratia in qua perseuerauit cadẽte diabolo non fuit per Christum, sed ante eius prædestinationem; ergo etiam gloria.

Solum

Solum Video possent Aliqui respondere huic Argumento, quod lapsus primi hominis non fuit præuisus ante prædestinationem Christi in executione, secundum omnes circunstantias, præsertim illam, quod esset futurus ex persuasione diaboli, sed id completè, & plenè fuit præuisum post prædestinationem Christi.

Sed Contra Est, Quod ante Decretum prædestinationis Christi fuit præuisum peccatum hominis, tanquam materia officij redemptionis, siquidem ad tollendum illud fuit Christus prædestinatus; ergo præuisum est tale peccatum in executione vt efficaciter ponēdum. Inquiro ergo In quo præuidit Deus tale peccatum in executione futurum? Non enim aliter præuideret illud, quam reliqua peccata, quæ modo videntur à Deo vt futura, scilicet in permissione efficaci illius; sed efficax permissio attingit peccatum singulare secundum circunstantias omnes, quibus in indiuiduo cōtingit: ergo non potuit Deus præuidere peccatum in permissione efficaci, nisi præuidendo omnes circunstantias illius: neque enim post prædestinationem Christi aliam permissionem habuit Deus circa illud peccatum, vt de nouo intelligat aliquam circunstantiam illius, sed in vi primæ permissionis semper illud cognouit; ergo sicut modo intelligit omnes circunstantias, ita & tunc.

Confirmatur. Quia permissio efficax est pars prouidentiæ, quæ versatur circa illum statum ante prædestinationem Christi; sed prouidentia, quæ positiuè ordinabat res illius status attingebat illas secundum omnes circunstantias in singulari. *V. g.* Quod Adam fieret extra paradysum; Quod collocaretur in paradyso; Quod imponeret nomina animalibus; Quod immitteretur illi sopor; Quod ex eius costa fieret Eua, &c. Omnia enim ista nō fuerunt per Christum; sed ex vi prouidentiæ ordinantis illum statum in singulari; ergo similiter permissio peccati, quæ fuit pars huius prouidentiæ, & quasi clausula illius status, etiam efficaciter in singulari attigit modum, & rationem, quo contigit talis lapsus, atque adeò quod fuerit ex persuasione diaboli.

Denique Confirmatur. Quia inconueniens est dicere, quod Deus ordinauit totum hoc Vniuersum in statu innocentiæ cum creatione cœli, & terræ, & quod in ipso Vniuerso pro illo statu non præuiderit Angelos cum sint partes principalissimæ Vniuersi; immo pro illo statu vidit motorum Cœli, quia de fide est tunc fuisse veros dies, qui sine motu cœli esse non possunt. Ergo etiam præuidit Angelos mouentes cœlum. Si ergo Angeli præuisi fuerunt pro illo statu innocentiæ ante prædestinationem Christi; Ergo intelligebantur habere gratiam pro illo statu, non minus quàm homo, cùm Angelus fuerit conditus in gratia, vt est concors Scholasticorum Sententia 1. *Parte Quæst.* 61: Sed pro illo statu nondum intelligebatur prædestinatio Christi, neque præuisio meritorum eius, quæ solum in vi prædestinationis eius præuisa sunt. Ergo ante præuisionem Christi, & meritorum eius intelligebatur gratia collata Angelis in facto esse, & in executione: illa autem gratia non est in illis interrupta, neque reparata, sed ex vi illius peruenerunt ad gloriam; ergo neque gratiam, neque gloriam habuerunt per Christum.

Soluuntur Argumenta.

Ad Argumenta pro contraria Sententia; *Ad Primum* ex Authoritatibus Scripturæ, quæ in generali loquuntur, *Respondetur*, Illum locum ad *Ephesios* 1 sic intelligi à *D. Thoma* ibidem Lect 3. *Instaurari omnia, quæ in cœlis sunt, id est Angelos, non quod pro Angelis mortuus sit Christus, sed quia in redimendo hominem reintegratur ruina Angelorum. Psalm.* 109. *Implenit ruinas.* Et simili modo loquitur *Paulus*, quando dicit, *Pacificans per sanguinem crucis suæ, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt.* Neque enim alius effectus illa instauratio est, quam ista pacificatio, cum pax ista fuerit instauratio tranquillitatis, & communicationis inter Angelos, & homines in ordine ad fruendum vno fine, & instituendam vnam Ecclesiam.

Ad Secundum Ex Ioannis 14. Respondet *Diuus Thomas* super eumdem Locum Lect. 2. sic. *Quia ergo ea, quæ Dei sunt, nemo nouit nisi spiritus Dei, nullus potest venire ad notitiam patris nisi per verbum suum, qui est filius.* Matthæi 11. *Neque patrem, quis nouit nisi filius; & sicut homo volens reuelare verbo cordis, quod profert ore, producit quodammodo ipsum verbum, vel litteris, vel voce; ita Deus volens se ma-*

manifestare hominibus verbum suum conceptū ab æterno carne inducit in tempore & sic nullus ad notitiam patris peruenire potest nisi per filium. Ex qua doctrina colligitur, quod nemo venit ad patrem nisi per filium, tam Angeli, quàm homo, sed homo per filium carne relatum; Angelus autem per filium vt est Deus.

Ad Locum Apocalyp. patet ex ipso Contextu. In illis Verbis non loquitur de Angelis, sed de hominibus; post narratum enim prælium Angelorum cum diabolo subdit, *Quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos ante conspectum Dei nostri, die ac nocte; & ipsi vicerunt eum propter sanguinem agni, & propter verbum testimonij sui, & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem.* Vbi manifestum est non loqui de Angelis, sed de fratribus accusatis, qui non dilexerunt animas suas vsque ad mortem; quod Angelis non conuenit.

Ad Alia Testimonia, quæ specialiter loquuntur: ad illud ex *Capite 5. ad Roman.* Respōdet *D. Thomas* ibi Lectione 5. Quod ly *Plures secundum expositionem Augustini, non sumitur ibi comparatiuè, sed absolutè, vt idem valeat ac multi*, Vnde totaliter cessat Argumentum.

Secundum autem S. Ambrosij ly *Plures* sumitur *Comparatiuè*, sed tunc facit alium sensum, vt adue tit *D. Thomas*, quia in illis prioribus verbis *Vnius delicto multi mortui sunt*, non sumitur secundum expositionem *Ambrosij*, pro delicto originali propagato in omnibus, sed pro quodam speciali delicto, scilicet Idolatriæ, quod nō per propagationem, sed per imitationē descendit ab Adamo, & respectu huius delicti, quod abundauit in multos, sed non in omnes, gratia Domini nostri Iesu Christi abūdauit in plures, quia etiam pro peccatis fidelium mortuus est. Vtramque Solutionem affert *D. Thomas.*

Ad Secundum Locum Capitis ad *Hebræos 2.* Respondet *D. Thomas* Lect. 3. Quod illud verbum *Multos filios ad gloriam adduxerat*, intelligitur de hominibus, & non de Angelis; & dicitur, quod adduxerat illos secundum prædestinationem, id est adducendos præparauerat, vt per mortem Christi in executione consumaretur eorum salus. Et fauet huic expositioni noua correctio Romana, vbi non legitur in passiua Authorem salutis eorum per passionem consummari, sed in actiua, & est sensus, Quod decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat, id est adducere decreuerat cum esset author salutis eorum, eos per passionē consummare scilicet homines.

Ad Authoritatem Bernardi, ex eius Contextu patet solutio. Loquitur enim de Christo vt Deus est, non vt homo, respectu Angelorum, vt constat ex verbis antecedentibus, *Quoniā* (inquit) *qui erat Angelis, factus est nobis.* Et paulò ante *In principio sapientia erat, Iustitia erat, erat sanctificatio, & redemptio, sed Angelis vt esset, & hominibus, fecit eum hæc omnia, Pater & fecit, quod Pater.* Supponit ergo Bernardus, quod antequam factus esset homo erat Angelis in principio sanctificatio, & redemptio. Quomodo autē fit Angelorum redemptio, cum ipsi nō habuerunt peccatū à quo redimerentur? Explicat in verbis citatis in Argumento, intelligēdo *Redemptionem* largo modo pro *Præseruatione ne caderent*; factā tamen à Christo ratione Diuinæ naturæ, non humanæ. Et similis Responsio est ad Fulgentium, quia eodem modo ferè loquitur.

Defensio Diui Hieronymi contra Vazquez.

Quod Attinet ad S. Hieronymum audacter, & irreuerenter de tanti Patris reuerentia loquitur *Pater Vazquez Disput. 49. Cap. 5.* in principio, Cū respondens Testimonio S. Hieronymi hæc verba euomuit. *Primum testimonium, quod est Hieronymi in Caput primum, & secundū Epistolæ ad Ephesios, nullius momenti censeri debet, eo, quod iuxta Omnium Sententiam manifestum errorem contra fidem contineat; tametsi non satis constet vtrum ex propria, an ex alterius sententia docuerit.* Hæc Vazquez. Ergo iuxta *Ipsum* non satis constat, an Hieronymus hæreticus fuerit, vel non; nam si id, quod ibi docet, continet manifestum errorem, & non satis constat an sit ex propria sententia Hieronymi, vel alterius; ergo in Sententia *Vazquez* sub dubio manet, an Hieronymus sit hæreticus, quia si propria sententia eius est, vt hæreticus est iudicandus, *& hoc à Vazquez.* Quis autem Fidelium tantam maculam Maximo Scripturæ Doctori inferat?

Magis remissiùs infra ait; *Quod attinet ad Hieronymum existimo errorem memoratum non docuisse ex propria sententia, sed ex Aliorum Libris, aut Origenis, aut Apolinarij, aut*

aut didimi,&c Cum tamen paulò ante reliquisset probatum non esse tribuendum illũ errorem Origeni, dum inquit, *Quod ait Hieronymus, sanguine Christi purgatos fuisse Angelos, non video quomodo Origeni tribuendum sit.* Quare frigida ista existimatio *Patris Vazquez* pro Hieronymo, potius illi Errorem tribuit, quam defendat eum; nam si Hieronymus ex Aliorũ libris illas propositiones desumpsit, & illæ in Sentẽtia *Vazquez* manifestum cõtinent errorem, culpa ibis redditur Hieronymus, qui talem errorem docuit, licèt ex Aliorum Libris illum doceat. Non enim licitũ est errorem docere, aut adducere ex Libris Aliorum, nisi adducatur ad impugnandum. Quare *Vazquez*, qui in prima propositione sub dubio reliquerat, an Hieronymus ex propria, vel aliena Sententia illum errorem docuerit, in secunda sine omni dubio manifestã culpam Hieronymo impingit, quia talẽ errorẽ docuerit ex Libris Aliorum, & non ex propria Sententia.

Ego Autem vehementer admirans istius Hominis audaciam, sic præcipitanter in tãtum Ecclesiæ Doctorem irruentis, Videtur mihi Hieronymum acti illo stylo, quo Calumniatores suos vẽtilauit, ipsum Vazquez configere, & confringere; & sicut olim Rufinum, Qui cõmentarios huius Epistolæ ad Ephesios calũniabatur, & responsiones suas Hieronymus contriuit, ita hanc festucã spiritu suo exufflare videtur, dũ Calumniatores suos notans, Præfatione in Librum Primum Cõmentariorum super Ieremiam, ita inquit. *In eo ejicere aliquid arbitrantes si de alienis operibus detrahant, vt nuper indoctus calumniator erupit: qui Commentarios meos in Epistolã Pauli ad Ephesios reprehendendos putat, nec intelligit, nimia stertens vecordia, leges cõmentariorum, in quibus multæ diuersorũ ponuntur Opiniones, vel tacitis, vel expressis Authorũ nominibus, vt lectoris arbitrium sit, quid potissimũ eligere debeat decernere, quàquam in primo eiusdem operis Libro præfatus sim me, vel propria, vel aliena dicturũ, & ipsos cõmentarios, tam veterũ Scriptorũ esse, quam nostros; Quæ non videns præcursor eius Grunnius olim nisus est carpere, cui duobus respondi libris, quæ iste quasi sua profert, & alio iam calumniante purgata sunt.* Sic Hieronymus.

Ex Quibus verbis colligo duo *Primũ*, Quod calumniæ & errores, quæ cõtra istos commentarios Hieronymo obiecti sunt à Rufino, à Hieronymo purgati sunt; & cum illa verba, quæ Vazquez pro errore notat, nec sint calumniata à Rufino, neque à Hieronymo purgata, omnino existimandum est non fuisse accepta, nec intellecta ab Aliquo in sensu, qui errorem contineret.

Secundum Est Hieronymum in his Commẽtarijs plura ex aliorum ponere Opinionibus, vt Ipse expressè dicit; non tamen ex aliorũ erroribus; neque enim pro opinionibus errores nobis obtulit Hieronymus. Quomodo ergo relinqueret Lectoris arbitrio eligendã sententiam (vt Ipse inquit) si illa errorem contineret manifestũ? Neque enim manifestus error à catholico Authore potest proponi, & relinquere vt eligendus Lectoris arbitrio: quod S. Hieronymo imputare quantũ piaculum sit, ex eo possumus inteligere, quod Papa Pelagius in C. per quẽ Sancta Romana *Distinct.* 15. cum Concilio Romæ coacto tale de Hieronymo protulit testimoniu, *Quia Beatus Hieronymus in aliquibus Rufinũ de arbitrijs libertate notauit, illa sentimus, quæ Beatum Hieronymum prædictũ sentire cognoscimus, & non solum de Rufino, sed etiam de vniuersis, quos vir sæpius memoratus zelo Dei & fide religione respondit.* Ita Pontifex cum Concilio: Et talem Virum Ecclesiæ præconio commendatum, audet Vazquez, vel in suspicione dubij de errore relinquere, vel quod errorem ex aliorum libris docuerit asserere.

Inuenio Igitur hæc verba de quibus modo disputamus repetita esse à S. Hieronymo in eadem Epistola, & exposita secundum verum sensum, propriamque eius sententiam, quem si Vazquez legisset, aut voluisset aduertere, non ita erroris fuligine grauissimam Hieronymi authoritatem ausus esset impingere, aut denigrare. Verba igitur Sancti Hieronymi hæc sunt super Caput 1. ad Ephesios Tomo 6. in magnis Cõmentarijs. *Cur autem omnia, idest Angeli Throni, Dominationes, Potestates, & Virtutes cæteræ, quæ nunquam fuerunt contrariæ Deo, eius pedibus subijciantur videtur obscurum; potest itaque respondere, quod absque peccato nullus sit, & sydera ipsa non sunt munda coram Deo omnisque creatura pauet creatoris aduentum.* Ita Hieronymus.

Vbi Difficultatem faciunt duo. *Primum*, Quod videtur in Angelis peccatũ ponere: secundũ quod per crucem Christi à peccato purgati sint: neutrum tamẽ asseruit Hieronymus, quod constare potest. Tum attẽdendo solum ad verba citata. Tum attendendo ad alia, quæ inferius ponit Hieronymus. Et in his verbis citatis non cogimur intelligere, quod quãdo dicit Hieronymus,

Quod nullus absque peccato sit ; intelligat quod nullus Angelus, aut de suo capite apponit Vazquez, sed in illis verbis, *Nullus absque peccato*, sufficiēter intelligitur, quod nullus hominū absque peccato sit. Et quando addit *Sydera ipsa non sunt munda coram Deo*, nomine *Syderum* intelligit Angelos, vt communiter intelligunt Doctores explicantes ista verba, quæ sunt apud Iob. Vnde tam homines, quàm sydera (id est Angeli) egent purgatione: illi propter peccatum; isti propter naturæ limitationem comparatæ ad Deum. Constat enim Angelos purgari à nescientia, vt à Sancto Dionysio, *Diuus Thomas*, & Theologi communiter dicunt, qui ponunt in Angelis tres actus Hierarchicos Perficere, illuminare, purgare. Vnde & de Angelis dicitur Iob 41. *Cum sublatus fuero* (id est Diabolus) *timebunt Angeli, & territi purgabuntur*. Igitur crux Christi purgat ea, quæ sunt in cœlo, & in terra, sed diuersimodè, quę in terra sunt à peccato, quę in cœlo à nesciētia, vel alijs defectibus, quæ Christus tollit in Angelis exercendo actus Hierarchicos. Vel si in illis verbis, *Nullus absque peccato sit*, comprehendantur etiam Angeli, ly à *peccatō*, non debet intelligi strictè pro culpa morali, sed in lata significatione pro quocunque defectu rationalis creaturæ, à quo etiam Angeli purgari possunt.

Præterea. Quomodo intellexerit Hieronymus, quod crux Christi purgauerit quæ sunt in terra, & in cœlis, Ipse clarissimè explicat super eamdem Epistolam cap. 2. ad illa verba, *Qui fecit vtraque vnum*, Vbi inquit, *& hanc totam intelligentiam ad Angelos, Virtutesque cœlestes, & ad Animas temperauit humanas, quod Christus in suo sanguine, terrena, & cœlestia copularit, quæ inter se antea dissidebant, atque ita fieri vt crux Domini non solum terræ, sed & cœlo præfuerit, non solum hominibus, sed & Angelis, & omnis creatura, Domini sui cruore, purgata sit*. Vbi apertè Sanctus Hieronymus explicat suam mētē, quod profuisse dicatur crux cœlo, & terræ, quia Angeli, & homines qui antea inter se dissidebāt, copulati sunt amicitia, & pacificati; sic *impletæ sunt eorum ruinæ*; & hoc est quod dicit eis profuisse, scilicet ad accidentalem gloriam, quæ ex omni consortio, & suæ ruinæ reparatione consurgit.

Nec Loquitur de purgatione à peccato, vt est malum morale, sed vt significat quemcunque defectū. Si enim omnis creatura cruore Domini purgata est, & omnis creatura non est capax mali moralis; non ergo de illo Hieronymus loquitur, sed ad sensum Apostoli ad Roman. 8. dicentis: *Quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc, expectans reuelationem filiorum Dei, quia ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis*.

Denique super Caput 4. eiusdem Epistolæ ad illa verba, *Qui descendit, ipse est, qui ascendit*, sic Hieronymus ait, *Ascendens super omnes cœlos Filius Dei, vt non tantum legem, Prophetasque compleret, sed & alias quasdam occultas dispensationes, quas solus Ipse nouit cum Patre, neque enim scire possumus quomodo, & Angelis & his qui in inferno erant sanguis Christi profuerit, & tamen quid profuerit nescire non possumus*.

Vbi Loquitur Hieronymus de profectu, qui ex Incarnatione Christi prouenit Iustis in lymbo, & Angelis in cœlo, & determinatè loquitur de perfectione gloriæ essentialis, aut accidentalis, vel purgatione à peccato, quæ sit culpa moralis distinctè, & absolutè; dicit ergo *Profuisse*: quomodo autem profuerit, dicit *Quod scire non possumus*.

Constat Ergo clarissimè id quod *Vazquez* tanquam errorem attribuit Hieronymo, prudentissimè ab Ipso sanctissimo Patre intellectum; & non solum catholicè, sed & valdè Theologicè positū. Nec potest Vazquez hanc reijcere Interpretationem, nam eam admittit in verbis Origenis Homilia 11. & 2. in Leuiticum, vbi Origenes inquit, *Quod non solum pro terrestribus, sed & etiam pro cœlestibus Christus oblatus est hostia, sed diuersimodè, quia pro terrestribus materiam sanguinis sui fudit: in cœlestibus vero vitalem corporis sui virtutem, vel vt spirituale sacrificiū immolauerit, & in cœlis non pro peccato, sed pro munere oblatus est; in terris autem pro peccato*. Quæ verba inquit Vazquez (licet in Margine) notantur vt legantur cautè, in bonum tamen sensum explicari possunt; quia scilicet Angelis Beatis aliquo modo profuit Passio Christi ex Sententia Sanctorum Patrum. Si ergo hoc admittit in Origene, Cur non in Hieronymo, qui se ipsum explicans dicit, *Crucem Domini profuisse cœlo, & terræ, & omnem purgasse creaturā*. Vbi satis significat loqui de Angelis non quantū ad essentialem gloriam, nec determinatè de isto, vel de illo profectu, aut purgatione à peccato, vt est culpa moralis; sed generaliter de inquinamento, aut imperfectione, etiam negatiua, qualis est in Angelis.

Nec

Nec Minus Hieronymi verba hanc admittunt expositionem, quam Origenis, si attentè legantur, & conferantur: nec aliud apposuit Hieronymus in illis verbis, *Nullus absque peccato, & sydera non sunt munda, &c.* nisi verba scripturæ apud Iob, quæ de hominibus cõmuniter intelligantur quantum ad priora verba, immo ex illis probat Augustinus frequenter dari in hominibus peccatum Originale, vt videri potest *Lib. 2. de Nuptijs, & Concupiscentia Cap. 29.* Hieronymus autem simpliciter illa verba posuit, nec dicit, *Nullus Angelus absque peccato est.*

Et Hæc quidem digressio longa videri potest, sed non Hieronymum intensius amanti, eiusque cœlanti honorem, quem Maximum Doctorem Ecclesia veneratur, & ad instar Lampadis ab Oriente, vsque ad Occidentem resplenduisse S. Augustinus affirmat *Lib. 1. in Ioannem Cap. 7. & Cassianus Lib. 7.* de Verbi Incarnatione, inquit, *Hieronymus Catholicorũ Magister, cuius scripta per Vniuersum mundum, quasi diuinæ lampades rutilant.* Ac Denique S. Prosper. *Lib. 1. de Ingratis* Magistrum mundi appellat, & ideò opere pretium visum fuit vniuersalem Magistrum, & Doctorem Maximum Ecclesiæ à tam graui iniuria latiùs vindicare.

Soluuntur Obiecta.

Ad Authoritatem D. Thomæ Respondetur. *Ad Primam*, Quod loquitur de plenitudine gratiæ Christi à qua receperunt omnes aliquid, & aliquo modo; sed quid receperint ibi non explicat *S. Doctor.* Vnde ex alijs eius verbis explicamus, quod Angeli receperint gratiam accidentalem; homines essentialem. Et quando ait D. Thomas, *Quod gratia Christi habuit efficientiam omniũ gratiarum in omnibus intellectualibus creaturis*; Debent intelligi secundum distributionem accommodam, quod aliquibus gratiã accidentalem, alijs essentialem tribuat *Efficienter*, & intelligendo *Efficientiam* in rigore, quo illa vtitur S. Thomas, pro *Efficientia Physica*. Et apud Omnes est compertum, quod Christus vt homo non habuit physicam efficientiam in gratiam, & gloriam essentialem Angelorum, quia tunc nondum facta erat Incarnatio, neque existebat humanitas, quæ physicè efficeret illam gratiam.

Ad Secundam Authoritatem dicitur, A Quod ipse D. Thomas se explicat Art. 11. dum dicit, *Quod confertur gratia Christo, sicut cuidam vniuersali principio gratificationis in humana natura.* Vel si intelligamus etiam, quod sit vniuersale principium pro natura Angelica, non intelligitur quod sit principiũ omnis gratiæ pro omnibus subiectis æqualiter, sed pro aliquibus, nempe pro hominibus essentialis, pro alijs vero, scilicet pro Angelis, accidentalis.

Ad Primam Rationẽ Respondetur, Quod B in Sententia S. Thomæ, quod Christus non est prædestinatus nisi vt Redemptor, suppositæ præuisione peccati; facilis est solutio, Quod Christus Dominus est primus prædestinatorum, sed non eodem modo respectu omnium; nam respectu Angelorum est primus quantum ad perfectionem, & dignitatem, & rationem communem causæ exẽplaris; immo est finis eorum, secundũ quod sunt præordinati, vt ministrent Christo in officio redemptionis. Respectu autem hominum est primus prædestinatus, etiam vt C influens in omnes homines essentialem vitam. Sicut Caput naturale non eodem modo comparatur ad omnia membra, neque eumdem gradum vitæ in omnia influit. Neque in hac Sententia admittendum est præuisionem meritorum Christi præcessisse prædestinationem Angelorum, vt ex illius meritis daretur illis gratia, & gloria; quia si Christus non fuit prædestinatus, nisi præuiso peccato efficaciter in executione, D & completè, sicut omnia quæ pertinebant ad illum statum, & hoc supponebat Angelorum peccatum, & à fortiori eorum gratiam: consequenter non potuit prædestinatio Angelorum descendere à prædestinatione Christi prius præuisa, & decretata. Quare licet merita Christi habuissent sufficientiam ad merendum Angelis gloriam, non tamen de facto fuerunt applicata ex vi præsentis decreti, & prædestinationis Christi, vt Angelis mererentur illam, quia E solum prædestinatus est Christus vt Redemptor.

Nec Obstant Congruentiæ allatæ in Argumẽt. Quia perfectio Capitis non consistit in hoc, quod influat in omnes vitam, & gloriam eodem modo, quia neque omnes eodem modo subijciuntur Christo; cum enim sit Caput in quantum redemptor, quidam subijciuntur illi vt *Redimendi*, scilicet homines; quidam vt *Ministri redemptionis*, non tamen redemptione egentes, vt Angeli. Et saluatur perfectio Capitis in hoc, quod

quod de se perfectionem habuit ad influendum gratiam in omnes, defacto tamen sic dispensatum est, vt non eodem modo in omnes influeret, quia ad hoc prædestinatus non est, sed solum vt Redemptor.

Neque ex hoc inferas, Quod quantum ad sufficientiam meruit pro Angelis de facto, quia ex vi præsentis decreti, & de facto, nullo modo meruit pro ipsis; habuit tamen perfectionem, qua posset mereri, si aliter prædestinaretur. Sicut non meruit etiam quoad sufficientiam Incarnationem alterius Personæ, licèt potuerit mereri illam.

Et Quando dicitur, Quod *Primum in vnoque genere est causa cæterorum*, non intelligitur quod sit omnibus modis causa; sed sufficit quod sit per modum exemplaris, aut finis extrinseci: non tamen requiritur, quod sit causa meritoria, aut influens efficienter in ipsam gratiam. Vnde S. Thom. Art. 4. in Corpore probat, *Christum esse Caput Angelorum*, quia *Tam Angeli, quàm homines ordinabantur ad eumdem finem*. Et in Solutione ad 2. *Quia plenariè habuit gratiam, & gloriam.*

Quod Si Instes. Nam si est exemplar, & finis; ergo præcedit Angelorum prædestinationem, sicut causa exemplaris, & finis.

Respondetur, Quod exemplar, & finis, qui necessario, & per se est finis, & à quo pendet essentialiter finalis actus simpliciter, debet præcedere; quod autem solum est tale extrinsecè, & ex voluntate Dei superueniente, sicuti Incarnatio Christi, sine qua, si Deus noluisset, posset totum negotium prædestinationis impleri, non absolutè præcedit, sed secundum determinationem voluntatis Dei, scilicet respectu eorum, qui essentialiter dependet ab ipso, vt homines redimendi simpliciter præcedit; respectu eorũ, qui non sunt redimendi, non præcedit simpliciter.

Quod explicatur Secundo, Quia Christus eo modo, quo est finis gloriæ Angelorum, & creaturarum naturalium, non absolutè, & secundum se, sed vt aliquo modo ordinantur ad finem redemptionis, quatenus Angeli sunt eius ministri, & prædestinati sunt non solum ad Beatitudinem, sed etiã ad ministerium redemptionis in statu beatitudinis, & sub hac ratione prædestinatio Christi præcedit omnem prædestinationẽ, non autem absolutè, & simpliciter, quantum ad substantiam.

In Alia Autem sententia, quod Christus veniret, etiam non peccante homine, & consequenter, quod Christus est prædestinatus ante omnem Angelorum prædestinationem, apparentius defenditur, quod eis meruit gratiam, & gloriam. Cæterum adhuc Argumẽtum soluitur dicendo, quod licèt Christus veniret absolute non peccãte homine, tamen quia de facto Christi meritum prædestinatum est vt consummaretur per eius mortem, quia solum prædestinata sunt merita Christi pro hoc statu, non pro alio in quo veniret, inde est quod adhuc in illa sententia vtrumque saluatur, & quod Christus veniret homine non peccante, & tamen quod eius meritum nõ est directum ad Angelos, quia decretatum est vt nõ moreretur pro Angelis, & sine morte, aut ordine ad mortem nemini meritum eius applicatum est. Vnde quantum ad hoc, eodẽ modo respondetur ad Argumentũ in vtraque Sententia: supposito enim quod meritum Christi non est consummatum, neque de facto directum ad aliquem, nisi per mortem, idem est quod Christus veniret, vel nõ veniret ex vi præsentis decreti, si ex vi illius de facto non meruit nisi respectu illorum, ad quos passio ipsius, & effusio sanguinis potuit peruenire.

Ad Secundam Rationem Respond. Angelos habuisse fidem Christi vt Redemptoris hominum non sui, & vt cõsummantis merita per mortem, qua Angeli non indigebant, & sic tendebant in Christum, vt in finem, & vt in Redemptorem hominum, cui destinabantur vt ministri, non vt redimendi, & sic non ad habendam gloriam per ipsum, sed vt ei subijcerentur in ministerio redemptionis. Atque ita fides Christi vt obiecti, operabatur in eis, non tamen merita Christi ob defectum prædictæ conditionis, quia ipsi non includebantur in morte Christi, sine qua nullum meritum eius consummabatur. Ex simili enim defectu Adamus in statu innocentiæ non habuit gratiam per Christum, licèt habuerit fidem eius vt consummatoris gloriæ; vnde consequenter Angeli non habuerunt Spem in Christum, tanquam in Mediatorem, sed tãquam in finem, à quo erant consummandi, & honorandi secundum accidentalia dona gratiæ: & licèt Angelis fuerit reuelatũ mysterium redemptionis hominum, non tamen; quod futurus esset Angelorum redemptor, & iustificator Christus.

Contra est Difficile Argumentum. Quia licèt Angeli non sint iustificati ex meritis Christi, tamen dum iustificarentur habuerunt

runt fidem Christi vt obiecti reuelati; Ergo in decreto Dei sic iustificantis iam intelligebatur præuisus Christus vt obiectum, quia Deus non posset reuelare Christum nisi præuidendo illum; Ergo præcedebat prædestinatio Christi iustificationē, & glorificationem Angelorum, siquidem si Deus præuidebat Christum quando illum reuelabat, ex prædestinatione vtique cognoscebat illum. Si ergo prædestinatio Christi præcesit prædestinationem Angelorum ruit tota doctrina hucusque tradita.

Nec Dici Potest, Quod licèt Christus prædestinatus sit post Angelorum prædestinationem, tamen in executione, quando Angeli de facto sunt iustificati, habuerunt fidem de Christo, vt obiecto, quia iam in intētione præcesserat. Hoc non valet, quia executio prædestinationis diuinæ non potest aliter fieri in re, quam fuerit decretata in mente Diuina. Si ergo intelligimus Angelos in mente diuina iustificatos, antequā præuideretur Christus, vt obiectum, nō potuit postea in re executioni mandari hæc iustificatio aliter, nisi de nouo mutaretur illud decretum, & deceneret Deus ex præuisione Christi iustificare Angelos reuelando illis Christum.

Respondetur. Quod prædestinatio Angelorum potest dupliciter considerari in mente diuina, sicut status innocentiæ; vno modo absolutè, & solum quantum ad substantiam perfectam; alio modo secundum quod habuit aliquam habitudinem ad prędestinationem hominum, cum quibus futuri erant socij, & conciues in gloria. Si primo modo consideretur prædestinatio fuit totaliter completa, & perfecta in Angelis ante præuisionem Christi, & eius prædestinationem; & in hac consideratione non intelligimus Angelos habuisse fidem Christi, etiam vt obiecti, neque etiam Adam in statu innocentiæ. Quia tamen prædestinatio Angelorum non stetit in ipsa nuda substantia iustificationis, & glorificationis, sed adhuc intelligebatur, vt perfectibilis secundum accidentalia dona, respectu cuius dixit *S. Thomas Quæst.* 29. supra relata, *Quod Angeli in ordine ad præmia accidentalia sunt adhuc viatores*; Ideo pro hac secunda parte prædestinatio Angelorum accidentaliter completa est per Christum; & quia quando sunt de facto iustificati in re illa iustificatio non solum respiciebat substantiam gloriæ, sed habitudinem habebat ad accidentalia præmia, siquidem per gratiam reddebantur capaces illorum; ideò illa iustificatio in re descendebat ab illo duplici decreto, & secūdum considerationem vnius non dependebat à Christo vt obiecto, secundum aliam dependebant. Vnde iustificati sunt per fidē Christi vt obiectum, quasi concomitanter in illa iustificatione concurrētis, non essentialiter, & per se. Et similiter in statu innocentiæ, vt includebat aliquid reparandum per Christum, homo habuit reuelationem Christi, licèt non motiui, & causæ propter quam veniret, qui tamen absolutè; & secūdum suam substantiam consideratus Christum non cognosceret.

Ad Vltimam Rationem Respondetur, Quod licèt Christus influat accidetalia dona Angelis, non tamen dicitur accidentaliter, & secundum quid Caput eorum, sed simpliciter. Esse enim aliquid tale simpliciter dicitur duobus modis, vt inquit *S. Thomas* infra *Quæst* 50. *Art.* 5. Vno modo quod est simpliciter, id est absolutè, & sine diminutione tale, & hoc opponitur ei quod est tale secundum quid: alio modo dicitur simpliciter tale, id est, quod est omnibus modis tale. Christus ergo hoc secundo modo non est Caput Angelorum, sicut hominum, vt etiam aduertit *S. Thomas* hìc *Artic.* 4. sed primo modo est absolutè, & simpliciter Caput Angelorum, & non secundū quid, licèt non influat eis essentialem vitam, sed accidentalem, quia perfectissimè ei subordinantur Angeli. Quod sufficit vt sit eorum dominus, & Caput secundum exteriorem gubernationem, & interiorem influxum. Ratio autem Capitis mystici absolutè, & simpliciter non sumitur ex solo effectu, quem influit, sed ex subiectione, quam habent membra mystica ad ipsum. Hoc autem simpliciter inuenitur in Angelis respectu Christi, quia simpliciter sunt eius ministri, & subditi, ab Ipsoque recipiunt influxum accidentalem.

Et Quod hoc sufficiat ad constituendum simpliciter statum mysticum, patet. *Tum*, Quia inuenitur ratio Capitis simpliciter sine vlla influentia, vt in Principe respectu Reipublicæ: *Tum*, Quia respectu Angelorum saluantur illæ tres conditiones supra requisitæ ad rationem Capitis, scilicet *Ordo Perfectio, & Influxus*, quia Christus est in ordine prior omnibus Angelis prioritate finis; & est perfectior in excellentissima gratia; & habet influxum in illos, Tum secundum exteriorem gubernationem, Tum secundum interiorem influen-

fluentiam in accidentalibus donis. Influere autem ipsam vitam essentialem gratiæ solum pertinet ad maiorem perfectionẽ Capitis, non ad ipsam substãtialem rationem simpliciter, quia simpliciter saluantur conditiones prædictæ.

Quod Verò Additur non ita perfectè saluari in hac Sententia quomodo gratia Angelorum consummatur per Christum, *Respondetur*, Optimè saluari per hoc quod ab ipso recipit perfectionem accidentalem, sicut omnis substantia perficitur, & consummatur per accidentia; & secundum istas accidentales perfectiones gratia illa subijcitur Christo, quia licèt prædestinatio Angelorum quantum ad essentialia non sit per Christum, tamen quia etiam prædestinati sunt, vt futuri ministri Christi, postquam essent beati, consequenter prædestinati sunt vt consummandi, & perficiendi accidentaliter per Christum.

QVAE-

QVAESTIO IX.

DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMVNI.

CVM *Supra Quæst.* 7. proponeremus Ordinem, quem *S. Thomas* obseruat in his Quæstionibus, diximus, quod post explicationem Mysterij Incarnationis quantum ad substãtiam, à Quæstione 7. incipit *S. Doctor* agere de his, quæ simul assumpta sunt à Filio Dei in natura humana. Sic enim assumpsit naturam nostram, vt non assumeret eam nudam, & vacuam, sed vt Euangelista testatur *Plenam gratiæ, & veritatis*. Nec similiter ita glorificatam, vt in dispensatione temporis auferret passibilitatem carnis, sed planè vt Isaias Cap. 53. loquitur, *Vidimus eum virum dolorum, & scientem infirmitatem*. Quem ordinem, quasi ex his duobus scripturæ locis, *S. Thomas* Theologicè obseruauit, vt in coassumptis à Filio Dei in humana natura, prius ageret de perfectionibus assumptis, quæ explicantur illis duobus verbis *Gratiæ, & Veritatis*: Deinde de defectibus, seu imperfectionibus ad Opus Redemptionis relictis in natura, quæ illis alijs duobus verbis explicãtur, scilicet, *Dolore, & infirmitate*.

Igitur Hunc ordinem seruans *D. Thomas* in Tractatu de Perfectionibus assumptis, prius egit de *Gratia* Animæ Christi duabus præcedentibus Quæstionibus, & in præsenti incipit agere de *Veritate*, id est de *Scientia*, & cognitione Animæ Christi. Et procedit tali ordine, quod prius de *Scientia in Communi*, & quo ad an est, scilicet An fuerit in Christo scientia creata, & quæ scientiarum genera fuerint? Quæ ad tria reducuntur. Scilicet ad Scientiam Beatam, Infusam supernaturalem, & naturalem acquisitam. Deinceps verò per tres sequentes Quæstiones agit de singulis generibus istarum scientiarum, & de modo, quo fuerunt in Christo, de earumque perfectione, & quidditate. Et sic *Quæst.* 12. terminat *S. Doctor* Tractatum de Plenitudine Gratiæ, & Veritatis in anima Christi.

Quia verò simul cum ista gratia, & veritate coniunctam habuit gloriam,

riam, *Quasi Vnigeniti à Patre*, quæ maximè consistit in potestate, & virtute, qua *Pertransijt benefaciendo, & sanando omnes* (nam vt benè notat *Magister Cabrera Quæst. 9. in Commentario Artic. 2.*) quando dicitur *Gloria quasi Vnigeniti*, non significatur per ly *Gloriã*, beatitudo animæ, quã Apostoli non viderunt, & hæc in Ecclesia intelligitur in illo verbo *Plenum Veritate, & Gloria*, significat ibi excellentiam, & maiestatem illius humanitatis, quæ maximè in potestate operãte miracula effulgebat: Ideò *S. Thomas* ad consummationem doctrinæ de perfectionibus animæ Christi egit *Quæst. 13.* de Potentia Animæ Christi, quæ maximè pertinet ad summam illam maiestatem, & gloriam Vnigeniti Filij Dei.

Deinde Quæst. 14. & 15. agit de defectibus relictis in natura humana, qui explicantur illis verbis duobus, *Dolore, & Infirmitate*: Nam dolor, qui sensibilis est, generaliter pertinet ad defectus Corporis, de quibus agit *Quæst. 14.* Infirmitas verò magis pertinet ad defectus animæ, & virtutis, & sic agit de illis *Quæst. 15.* Ac Denique ex his omnibus infert *Art. 10. Quæstionis 15.* Simul esse Viatorem, & Comprehensorem. Sicque terminat Tractatum de perfectionibus, & defectibus assumptis à Filio.

EXPOSITIO LITTERÆ D. THOMÆ.

In Primo Artic. vbi inquirit *S. Doctor* Vtrùm Christus habuerit aliquam scientiam præter Diuinam? nomine *Scientiæ*, non intelligit determinatè habitum scientificum, prout distinguitur ab actu, sed inquit ipse *S. Doctor* in calce Corporis Articuli, *Scientiam hic largè accepimus, pro qualibet cognitione intellectus humani.* Sic autem sumpta scientia est manifesta fides dari in anima Christi scientiam, ideſt cognitionem creatam. Et S. *Thomas* defert damnatam esse in VI. Synodo positionem Negantium in Christo duas sapientias, vel scientias; non quidem, quod sub hoc nomine *Scientiæ*, vel *Sapientiæ* sit definitum esse in Christo duas sapientias, vel scientias; sed quia definitum est duas esse operationes, & duas voluntates; & similiter habuisse naturam humanam, omnia, quæ humana sunt, & omnes proprietates naturales, & specialiter *Mentem*, nostræ menti similem, vt habetur in alia VI. Synodo Actione 4. in Epistola Agatonis Papæ, & in Epistola Sofronij Actione 11. Ex quibus diffinitionibus, attendens *D. Thomas* ad sensum magis, quàm ad verba, intulit in *Corpore Articuli* illam causalem, *Quia nihil naturalium Christo defuit, qui totam nostram naturam suscepit*, ideò damnatam esse positionem negantium duas scientias, vel sapientias in Christo, id est operationes, & cognitiones illius, quia sine illis, neque mens Christi esset similis nostræ, neque omnes proprietates, & perfectiones habuisset in Christo rationalis natura, & consequenter,

neque

neque consequerentur duæ operationes voluntatis. Et hæc quidem Probatio pro Catholicis.

Contra Hæreticos autem, qui Synodorum, & Ecclesiæ Decreta rident, vtitur *S. Doctor* probationibus petitis ex Congruentijs maximè efficacibus. *Primo quidem*; Quia aliàs natura rationalis, & anima esset imperfecta in Christo, si careret propria, & nobilissima operatione cognoscendi. Non debuit autem imperfectam assumere naturam eum, qui totam naturam venerat perficere.

Si Respondeat Hæreticus, Non esse hoc imperfectionis in natura humana, sed sublimioris perfectionis; quia diuina operatio supplebat naturalem animæ operationem; sicut Personalitas diuina supplet creatam, neque ex hoc imperfectior manet natura. Vrget *S. Thomas* Secundam, & Tertiam probationem. Secundam quidem, Quia quælibet res est propter suam operationem, quia quod nihil operatur, tanquam otiosum, & frustraneum est in rerum natura. Vnde frustra esset natura humana assumpta à Verbo, si propria operatione careret; sic enim otiosa esset talis natura quantum ad propria. Quod non currit in Personalitate propria, quia res non est propter suam subsistentiam, sicut est propter suam operationem.

Tertiam Autem probationem addit *S. Doctor Solutione ad* 1. Quia intelligere Dei, non potuit esse actus, & operatio animæ humanæ, cum sit alterius naturæ. Vnde si non fuisset alia scientia in Christo præter increatam, nihil omnino cognouisset anima Christi, & consequenter, neque voluisset, & sic careret omni operatione. Quomodo autem verificetur, quod operatio diuinæ naturæ non potest communicari naturæ creatæ, sicut potest Personalitas? In sequenti Disputatione operosius inquiretur.

In Solutione ad 2. Nota, Quod Argumentum propositum à *D. Thoma*, scilicet de luce maiori, & minori, quod posita maiori offuscatur minor; habet in Sententia *D. Thomæ* plures solutiones. Nam in primis, quãtum ad præsens attinet, facilis videri posset hæc solutio dicendo, Quod licèt lumen scientiæ increatæ sit maius in infinitum, quam lumen creatæ scientiæ, tamen conueniunt diuersis naturis, & sic non sunt respectu eiusdem subiecti: in diuersis autem subiectis lumen maius non impedit minus. Licet autem in Christo sit vnum suppositum, sunt tamen duæ naturæ, & consequenter quasi duplex susceptiuum, vnde lumen vnius, non impedit lumen alterius.

Alia Solutio poterat esse, quod lumen maius non offuscat, neque impedit minus, quando non sunt eiusdem speciei, neque per idem me-

dium, sed per diuersum. Sicuti in Angelis cognitio rerum in Verbo, quæ dicitur *Cognitio Matutina*, non impedit cognitionem eiusdem obiecti in proprio genere, quę est *Cognitio Vespertina*. Neque in nobis cognitio eiusdem Conclusionis per lumen Metaphysicum, vel Physicum non se impediunt, neque vnum offuscat aliud. Quæ doctrina est *D. Thomæ* 1. *Part. Quæst.* 58. *Art.* 7. *ad* 3. Vbi etiam affert exemplum de syllogismo probabili, & demonstratiuo, qui simul est in eodem intellectu, de quo dicemus *Artic.* 3.

Cæterum D. Thomas in Solutionibus Argumentorum, non agebat de duplici lumine maiori, & minori secundum, quod in genere causæ formalis actuant, & informant idem subiectum, & quasi comparantur sicut formæ subiecti illuminati: nam secundum hanc considerationem, iam dixerat Solutione ad 1. *Quod non potest intelligere Dei esse actus naturæ humanæ, cum sit alterius naturæ.* Et in hoc sensu procedunt priores duæ solutiones assignatæ. Hoc ergo secundum Argumentum procedit de lumine maiori offuscante minus in genere causæ efficientis. Sic lumen maius non solum tanquam forma in eodem subiecto cum lumine minori, sed tanquam efficiens lumen excessiuum impedit, ne lumen minus appareat, & illuminet, & sic solutio *D. Thomæ* formaliter continet, *Quod lumen maius offuscat minus, quando vtrumque se habet vt illuminans; non autem quando minus se habet vt illuminatum, & causatum ab alio, vt patet in aëre illuminato à Sole, cuius lumen non offuscatur à Sole, quia causatur ab ipso.*

Quod si Instes. Nam lux scientiæ creatæ non solum est aliquid illuminatum, sed etiam est in ordine illuminantis; verè enim effectiuè illuminat. Ergo ruit solutio *D. Thomæ*, quia tunc ex ea potius sequitur oppositum, quod intendit: offuscatur enim scientia creata ab increata, cum vtraque sit in ordine illuminantis.

Sed Respondetur, Quod sensus *D. Thomæ* semper est formalis. Stare enim in ordine illuminantis sumitur dupliciter. *Vno modo*, quia primo, & per se sit illuminans: *Alio modo*, quia primo, & per se sit illuminatum ab aliquo lumine, licèt etiam illi conueniat illuminare ex consequenti quia illuminatur, vt illuminet. Et propositio *D. Thomæ* procedit in primo sensu, non in secundo, vt patet manifestè in exemplo allato à *D. Thoma* de aëre illuminato à Sole, qui ita illuminatur, vt illuminet Corpus sibi contiguum. Quia tamē hoc illuminare habet ex eo, quod illuminatum est, non impeditur, sed potius iuuatur talis illuminatio à maiori lumine. Scientia autem creata respectu Diuinæ se habet vt illuminatum ab ipsa, licèt comparatiuè ad intellectum nostrum effectiuè illuminet. Quando autem quodcunque lumen, quasi ex æquo, & ad instar

cau-

causarum partialium conueniunt ad illuminandum, tunc maius lumen offuscat minus. Et hanc Phylosophiam benè nota, quia multum valet ad explicandum quomodo Causa Prima, quantumcunque præueniat causas secundas ad agendum, non impedit illas, sed potius iuuat ex eo solum, quod causant vt motæ à Causa Prima, & participando ab illa causationem, & motionem. Sic enim quantò efficaciùs mouet causa prima, tantò perfectius sequitur effectus in secunda. Si verò quasi ex æquo, & simul concurrunt, tunc maius esset periculum ne Causa Secunda absolueretur ab efficacia Primæ.

CIRCA SECVNDVM ARTICVLVM D. Thomæ.

In 2. Art. determinat *Diuus Thomas* esse in Christo Scientiam Beatam, & non inquirit *S. Thomas* de circunstantia temporis, in qua beatitudinem accepit (vt Aliqui existimant) neque inquiritur de substantia beatitudinis, An sit Beatus, sicut alij Sancti, quia id supponitur; neque Vtrùm acceperit visionem beatam à primo instanti suæ conceptionis, quia id inquisiuit infra *Quæst.* 34. Neque Vtrùm fuerit Viator, & Comprehensor, simul, quia de hoc peculiarem constituit Articulum infra *Quæst.* 15. *Artic.* 10. sed abstrahendo ab omnibus istis inquirit absolutè de Conuenientia Scientiæ Beatæ in anima Christi, non de circunstantia temporis quando illi fuerit collata.

Respondet ergo *S. Thomas* vnica Conclusione. Oportuit quod cognitio beata in Dei visione consistens, excellentissimè Christo homini conueniret. Et in *Argumento Sed Contra* insinuat *S. Thomas*, quod sit de fide, ostendens ex *Sacra Scriptura*, quod habuit Christus scientiam beatam, quia hæc consistit in cognitione Dei; sed Christus plenè cognouit Deum etiam vt homo, quia dixit Ioannis 8. *Scio eum, & sermonem eius seruo*: Et similem vim habent illa verba Ioannis 3. *Qui de cælo venit super omnes est, & quod vidit, & audiuit hoc testatur*: Et Ioannis 6. *Non quia Patrem vidit quisquam nisi is, qui est à Deo hic vidit Patrem*: Ac denique Ioannis 8. *Ego quæ vidi apud Patrem loquor*. Omnia hæc testimonia eumdem sensum continent, ostendendo, quod Christus vidit Deum.

Sed Dices Testimonia hæc intelligi posse de ipso Filio, vt Deus est: & quidem ex his testimonijs volebat Christus probare Iudæis diuinitatem suam; incongruenter autem probaret, si intelligerentur de cognitione beata, vt homo est. *Secundo*, Si intelliguntur de Christo, vt homo est, adhuc non plenè probant scientiam beatam: sufficit enim, quod cognouisset Deum scientia infusa, per quam cognouit clarè Deum quo ad An est,

licèt ipsam essentiam diuinam non viderit ; vt *Sequenti Quæst.* docet *Sanctus Thomas* ergo ista testimonia efficacia non sunt quantum ad intentum.

Contra Primam Solutionem est euidens Instantia. Quia Christus dixit de se, quia quæ vidit testatur, & quæ vidit loquitur, & sermonem seruat eius, quem scit; sed testabatur, & loquebatur in quantum homo, & seruabat sermonem Patris in quantum homo: Ergo videbat, & sciebat eum in quantum homo. *Patet Consequentia*: Quia ille videbat, qui testabatur, & qui loquebatur; testabatur enim per vocem ea, quæ per intellectũ apprehenderat; sed loquebatur alijs vt homo ea, quæ viderat apud Patrem. Ergo videbat, vt homo; & sic licèt probaret Diuinitatem suam ex modo videndi, quia videbat tanquam Vnigenitus Patris, & in sinu eius existens, & vt procedens ab eo, tamen ex eo, quod testabatur, & loquebatur alijs id, quod viderat apud Patrem, efficaciter probabat se vt hominem vidisse Patrem, quia non poterat vt homo loqui, quæ viderat, nisi in quantum homo videret.

Contra Secundam autem Solutionem instatur. *Tum*, Quia per scientiam infusam solum cognouit de Deo quo ad an est; nó autem quidditatiuè, & plenè illum cognouit; Christus autem dixit *Scio eum*; Scio autem est de quidditate rei loquendo propriè de Scientia, vt significat plenam cognitionem, & sic *Diuus Thomas* notanter dixit, *Ipse plenè cognouit Deum etiam secundum quod homo, iuxta illud Scio eum, &c.* Ergo intellexit quod ly *Scio* sumitur propriè pro cognitione perfecta, quæ nomine *Scientiæ* importatur : hæc autem debet tangere quidditatem rei, alioquin non esset scientia perfecta. Ergo non potest exponi de scientia infusa, sed de beata, nisi illud verbum *Scio* exponatur impropriè.

Tum, Quia Christus loquitur de visione, qua vidit apud Patrem ea, quæ loquebatur hominibus ; sed scientia infusa non cognoscit Mysteria gratiæ apud Deum, sed extra Deum in proprio genere, & per proprias species, vt constat. Ergo non potest exponi illud testimonium de scientia infusa, sed de beata. Vnde obiter colliges conformiter ad sacram Scripturam dici, quòd Beati vident aliquas creaturas in Deo viso, quia Christus dixit, *Quæ vidi apud Patrem hæc loquor*. Loquebatur autem multa, quæ ad creaturas pertinebat. Ergo illas videbat apud Patrem, & non per reuelationes extra Verbum.

In Corpore Articuli probat *Sanctus Doctor* Conclusionem suam congruentissima ratione. Quia cum agatur hic de scientia beata quo ad an est, & totum hoc pendeat à voluntate Dei, non est probanda Conclusio ratione Metaphysica, sed congruentia. Probat ergo *S. Doctor* sic. Quia

id

id quod est in potentia reducitur in actum per id, quod est in actu tale; sed homines sunt in potentia ad visionem beatam Dei, ad quam ordinantur, tanquam ad finem; ergo oportet, quod ille per quem reducuntur in actum talis visionis, sit in actu videns Deum, & non in potentia, sed reducuntur à Christo in quantum homo, iuxta illud ad Hebræos 2. *Decebat eum, qui multos filios in gloriam adduxerat Authorem salutis eorum per passionem consummari*. Ergo oportuit, quod Christus excellentissimè haberet scientiam beatam.

Sed Dices In hac Ratione apparet defectus manifestus. Nam id, quod est in potentia tale reducitur in actum, per id quod est in actu tale, quando reducitur vt à causa principali. Cæterum quando se habet vt causa instrumentalis, non est necesse, quod sit tale in actu, vt patet in instrumentis inanimatis; & etiam in instrumentis animatis, in quibus non est necesse, quod Minister habeat gratiam, quam suo ministerio præbet. Christus autem se habuit vt instrumentum dandi gloriam, ergo ex hoc non probatur, quod debuit in actu habere illam.

Sed Hæc Facilè soluuntur ex his, quæ dicebamus *Disputatione Antecedenti Articulo* 1. ex Diuo Thoma, quod Christus Dominus non quomodocunque est instrumentum, sed excellentissimum, & supremum agens ex virtute sibi coniuncta ad modum instrumenti organici, & reducit homines in actu illius rei, cuius ipse etiam est capax; id autem quod sic est instrumentum (vtpotè perfectissimum, & ex sua perfectione capax eius, quod instrumentaliter producit) non solum reducit alia in actu secundum quod est tale in potentia, sed secundum quod est tale in actu, non ex ratione instrumenti vt sic, sed ex ratione instrumenti vt talis, id est sic perfecti. Vnde *Diuus Thomas* non intulit, quod simpliciter erat necessarium, quod in actu esset videns Deum, sed quod oportuit, quia scilicet erat decentissimum, & vt esset instrumentum sic perfectum omnino necessarium.

In Solutione ad 3. Nota, quod Christus homo dicitur Beatus per gratiam vnionis Beatitudine increata, sed hoc intelligitur per communicationem Idiomatum, sicut dicitur Omnipotens, Immensus, &c. & tamen non formaliter intrinsecè.

In Articulo 3. inquirit *Diuus Thomas* de alio genere scientiæ, scilicet de *Scientia Infusa* Animæ Christi, & loquitur de scientia infusa per se, & non per accidens. Dicitur enim scientia infusa per se, quæ ex ratione obiecti, & modi cognoscendi postulat dari per infusionem, nec potest acquiri per sensus: per accidens autem dicitur infusa, quando ex genere obiecti potest naturaliter haberi, & acquiri per sensus; sed Deus sua infusione supplet ministerium sensuum, & intellectus

agentis. Sic ergo scientia per se infusa versatur circa obiecta supernaturalia in proprio genere cognoscenda, vel circa naturalia cognoscenda, eo modo quo Angeli, & anima separata cognoscunt, scilicet sine dependentia à sensu, & de hac inquirit *S. Thomas*, Vtrùm detur in Christo? Et respondet Conclusione affirmatiua. Probat in Argumento sed contra satis probabili Argumento deducto ex illo ad Colloss enses 2. *In Christo sunt omnes Thesauri Sapientiæ, & Scientiæ.* Vbi probabilitas stat in hoc, quod non loquitur solum de Christo in quantum Deus, sed & in quantum homo, quia dicit in plurali *Omnes Thesauri Sapientiæ, & Scientiæ*: ac per hoc indicatur non vna, sed multiplex scientia, sicut multiplex Thesaurus Variam Opulentiam significat. Ex qua significatione, quæ maximè propria est illorum verborum, efficaciter infertur, quod non loquitur de scientia increata, quæ non est multiplex, sed vna; & quod in Christo debet esse scientia infusa, id est euidens cognitio rerum supernaturalium in proprio genere, quia si illa deesset, non essent omnes Thesauri scientiæ in Christo, deficiente in illo tanta scientia.

Infra verò *Disput. Sequenti* ostendemus aliunde etiam conuinci istam scientiam infusam in Christo: *Tum*, vt haberet cognitionem regulatiuam meriti, quæ non esset scientia beata, & tamen esset euidens. *Tum etiam*, quia erat Doctor omnium supernaturalium mysteriorum, tam respectu hominum, quàm Angelorum; vnde vt communicaret illis doctrinam de rebus supernaturalibus in proprio genere (intra Verbum enim, sicut nullus potest crescere in visione, ita nec amplius docere in scientia beata) ad hoc autem, vt illuminarentur homines, & Angeli de rebus supernaturalibus in proprio genere, debebant illa à Christo cognosci in eodem genere, & eodem modo Angelico cognosci, quod totum requirit scientiam per se infusam.

Ratio Autem, quam *S. Thomas* format in Corpore Articuli optima est, Quia non decebat animam humanam assumptam à Verbo aliquo modo imperfectam esse. Tunc autem diceretur imperfecta quando esset in potentia, & non reduceretur ad actum: intellectus autem vt in potentia ad omnia intelligibilia (supple intelligenda in proprio genere) reducitur autem in actum per species intelligibiles repræsentantes res in proprio genere. Ergo oportet ponere scientiam inditam in anima Christi in quantum per Verbum Dei sibi imprimuntur species intelligibiles ad omnia, ad quæ est in potentia, sicut Angelis impressæ sunt.

Cæterum durior videri posset hæc consequentia; neque enim connexionem habet, quod si anima est in potentia ad omne genus intelligibilium, & reducitur in actum per species: Ergo habet illas inditas per se: Nam in anima humana sufficit, quod habeat illas acquisitas, quia solum

ad

ad istas est in potentia connaturali. *D. Thomas* autem non loquitur de his ad quæ est in potentia obedientiali absolutè, sic enim constat multa intelligibilia non cognosci à Christo: vel saltim ad euitandum, quod non careat illis aliquo tempore, sufficit quod habeat eas infusas per accidens, quod tamen negat *S. Thomas* Sequenti Articulo. Quod verò habeat illas inditas per se non apparet quomodo hinc deducatur.

Cæterum optima est consequentia *D. Thomæ* supponendo quod anima humana est capax duplicis status, & duplicis modi intelligendi, scilicet per conuersionem ad Phantasmata, dum est coniuncta Corpori, vel sine illa dum est separata, vel in Corpore glorioso ad intelligendum. Ergo sine dependentia à phantasmate, necessariæ sunt species per se infusæ, sicut in Angelis, & in animabus separatis. Licet enim anima separata etiam intelligat per species, quas secum defert, etiam non vtendo actu phantasmatibus; tamen si solum darentur illæ species acquisitæ per sensus, & non aliæ per se infusæ, sequeretur duplex imperfectio in anima Christi. *Altera*, quod illis speciebus non posset vti anima Christi in statu vnionis ad Corpus passibile, nisi cum dependẽtia à phantasmatibus, quia licèt manere possint in statu separationis, tamen in statu vnionis non possent abstrahi à phantasmatibus. *Altera*, Quod ex vi talium specierum etiam in statu separationis non posset perfectè intelligere substantias spirituales, & ea quæ supernaturalia sunt.

Cum Ergo anima Christi debeat esse perfecta, non solum ea perfectione, quam habent animæ in statu vnionis ad Corpus, sed etiam ea perfectione, quam habent in statu separationis, intelligendo sine dependentia à phantasmatibus non solum res corporales, sed etiam spirituales; oportuit quod Christus Dominus etiam in eo genere perficeretur per impressionem specierum intelligibilium, & quia etiam in eo genere debebat intelligere res supernaturales, oportuit, quod haberet species infusas supernaturales.

Hæc Enim scientia infusa non solum comprehendit ea, quæ naturali lumine intellectus agentis possunt cognosci, & spiritualia ordinis naturalis, sed etiam ea, quæ possunt attingi per fidem, & donum sapientiæ, vel prophetiæ, aut reuelationis Diuinæ, vt *S. Thomas* docet infra *Quæst.* 11. *Art.* 1. Quando ergo dicit *S. Doctor*, Quod oportet reducere ad actum intellectum animæ Christi, qui est in potentia ad omnia intelligibilia, debet intelligi sic, quod quia est in potentia ad intelligẽdum modo beatifico, nec solum ad intelligendum per conuersionem ad phantasmata, sed etiam ad intelligendum eo modo, quo Angeli, & animæ separatæ intelligunt sine conuersione ad phantasmata, ideò oportuit reduci in actum, sicut Angeli, & anima separata.

Et

Et Quia hoc modo non solum debet intelligere res naturales, sed etiam Mysteria gratiæ plenissimè, tanquam omnium Doctor, & illuminator, oportuit quod reciperet species etiam supernaturales, ad quas solum erat in potentia obedientiali, & ita licèt non sit necesse reduci ad actum omnem potentiam obedientialem; tamen ea, quæ decet officium Supremi Doctoris gratiæ, oportet, quod reducatur in actum, & non sit imperfecta.

Solutio Ad Secundum Huius Articuli valdè notanda est pro ea doctrina, quæ solet tradi de Opinione, & Scientia; An possint esse simul? Nam videtur docere S. *Thomas* simul esse posse, & hanc esse eius mentem dixit *Pater Suarez* hic in Commentario Articuli, quia dicit S. Thomas, *Quod opinio est via ad scientiam, quæ per demonstrationem acquiritur, qua tamẽ acquisita, potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum quasi consequens scientiam demonstratiuam.* Sed oportet diligenter aduertere doctrinam *Caietani* super Commentarium in *Hoc Artic.* iuxta cuius doctrinam alibi interpretati sumus *S. Doctorem*, oportet enim discernere, quod *D. Thomas* non dixit, quod acquisita demonstratione potest remanere opinio, sed dixit, *Qua acquisita potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum.* Vt quid enim vteretur *D. Thomas* isto circuitu verborũ, vt cùm prius dixisset, *Quod opinio est via ad scientiam*, postea non dixit, quod acquisita scientia potest remanere opinio, sed *quod potest remanere cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum.*

Sicut etiam in 1. 2. *Quæst. 67. Art. 3.* postquam dixit S. Thomas, *Quod opinio, scientia, & fides repugnat ex parte subiecti* postea subdit, *Quod cognitio per medium probabile, & demonstratiuum simul possunt esse in eodem subiecto.* Et non dixit, quod opinio, & demonstratio. Quam rationem adducit *Caietanus* in præsenti, vt dicat medium probabile, quod simul est cum demonstratiuo non esse opinionem plenè, & perfectè, sed cognitionem probabilem sine formidine, & obscuritate; & hoc modo manere cum scientia, semota, scilicet, imperfectione.

Quomodo autem tolli possit formido à cognitione opinatiua, & remanere solum sub ratione cognitionis probabilis? difficile apparet. Et *Caietanus* in præsenti asserit *Cognitionem dialecticam ante demonstrationem, habere rationem opinionis, postea autem non habere rationem opinionis, sed solum remanere cognitionem dialecticam cessante illa cognitione formidinis ex parte subiecti.* Quod certè debet intelligi non de eadem numero cognitione quæ antea esset opinatiua, & incerta, & obscura, postea autẽ mutaretur in claram; neque enim ista mutatio fieri potest, sine intrinseca destructione eiusdem cognitionis, neque illa cognitio fieri potest clara, nisi sit conuincens intellectum per medium euidens. Conuincere autem non

potest

potest si sit solum per medium probabile. Nec potest manere obscura ex parte obiecti,& medij : nec ex parte subiecti impediri ei potest obscuritas,quia hac ratione fides manere posset cũ scientia (quod negat *D. Thomas*) si posset manere obscuritas in se in ordine ad obiectũ,& non tribuere illam subiecto in quo ponitur.

Praterquam quod si obscuritas conuenit ipsi formæ intrinsecè,aut est modus eius intrinsecus,si inuenit in subiecto claritatem, ratione cuius repugnat,quod tribuat hunc effectum formalem subiecto; consequenter nec ipsa forma in subiecto manet,quia idem est expelli vel impediri effectum formalem in subiecto,atque expelli ipsam formam.

Relinquitur Ergo,quod eadem numero cognitio, quæ fuit opinatiua,& obscura,non potest obscuritatem amittere in subiecto, nisi intrinsecè mutetur. Quare *D. Thomas* non leuiter indicauit esse aliam cognitionem illam,quam vocat probabilem, quæ manet post demonstrationẽ acquisitam;dicit enim *Quod manet quasi consequens scientiam demonstratiuam,quæ est per causam,quia ille,qui cognoscit causam ex hoc magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus*.Cur enim *D. Thomas* simpliciter non dixit *Ex hoc magis potest manere opinio,vel cognitio, quæ ante manebat*, sed vsus est illo circuitu verborum *Ex hoc magis potest cognoscere signa probabilia, ex quibus procedit dialecticus syllogismus*? Nisi quia non voluit manere ipsum Dialecticum Syllogismum,qui antea manebat, sed altiorem, & maiorem, quam cognitionem Principiorum, ex quibus formatur dialecticus syllogismus, scilicet signorum probabilium,quæ si solum attingantur secundum se, formatur ex illis discursus, qui subiectum reddat formidolosum. Si verò attingantur ab illo,qui per demonstrationem cognouit causam intrinsecam rei,non formatur syllogismus causans in actu exercito formidinem in subiecto:hoc enim est impossibile,sed cognoscentur melius illa signa probabilia ex collatione illorum cum medio demonstratiuo, & consequenter cognoscitur melius probabilitas talis medij in suis principijs; non tamen formido, & obscuritas illius exercetur in subiecto, & hoc modo manet non opinio cum scientia,sed cognitio probabilis; id est cognitio ipsius medij probabilis; vel vt verbis D. Thom. dicam, *Cognoscuntur magis signa probabilia, ex quibus procedit syllogismus dialecticus*,non tamen ex vi illius syllomismi elicitur assensus,qui sit incertus,& obscurus.

Quod Si Dicas.Hoc modo,etiam potest manere fides cum scientia, quia habens scientiam melius cognoscit, quasi in actu signato ipsam authoritatem dicentis esse rationem credendi, vel cognoscendi veritatem.

Respondetur in primis Id nullum esse inconueniens, quia eodem modo ponimus, quod non manet fides cum scientia quantum ad assen-

sum,

sum, sicut quod non manet opinio, & scientia. Sed Addo Secundo Esse disparem rationem, quia medium fidei non est medium probatiuum veritatis, sed est ipsa nuda authoritas dicentis, quæ ratione sui inducit ad credēdum, non ratione connexionis probatiuæ, & illatiuæ veritatis. Vnde qui habet demonstrationem non magis generat vim authoritatis, quæ mouet ad credendum, quam ille, qui demonstrationem non habet. At verò signa probabilia inducunt ad veritatem quasi probando rationem connexionis probabilis, quæ connexio, & vis probatiua efficacius attingitur post demonstrationem factam, quam antea.

In Art. 4. determinat *S. Doctor* Christum habuisse scientiam acquisitam, & sumitur ibi Iy *Scientia* pro habitu, & non pro solo actu scientiæ acquisitæ, vt benè aduertit *Caietanus* in præsenti, & ipse *S. Doctor* dicit in Corpore Articuli intentum eius esse ostendere, quod non solum fuit in anima Christi scientia acquisita ex parte intellectus posibilis recipientis scientiam sibi connaturalem, quæ suo genere est acquisita, sed etiam quod habuit scientiam acquisitam ex parte intellectus agentis, quia proprijs actibus, & connaturali modo illam acquisiuit, nō autem per infusionem Diuinam supplentem vicem intellectus agentis. Vtrūque autem, scilicet quod non solum fuerit scientia acquisita, sed etiam acquisitio scientiæ probat in Christo *S. Thomas* vnica ratione in Corpore Articuli (vt omittam Argumentum, sed contra quod solum procedit de cognitione experimentali actuali.)

Probat Ergo sic, Quia intellectus Agens fuit in anima Christi, & non fuit frustra; Ergo habuit operationem propriam; & cum non fuerit impeditus, non solum habuit propriam, sed etiam principalem. Propria autem, & principalis operatio intellectus agentis est abstrahere species intelligibiles à sensu; ex quo sequitur quod illuminet, & euidentiam faciat Principiorum, ex quibus scientiam acquirit.

Cum Ergo omnes istos actus habuerit Christus Dominus, quia nullo fuit impeditus, sequitur, quod non solum habuit scientiam acquisitam in intellectu posibili, sed etiam acquisitionem eius ex parte intellectus agentis. Hæc est summa rationis *D. Thomæ*, cuius tamen Difficultates, quæ latius examen postulant sequenti Disputatione tractabuntur.

DIS-

DISPVTATIO XI.

DE SCIENTIA CHRISTI IN COMMVNI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm implicet de absoluta Potentia Increatam cognitionem communicari creato intellectui?

IN *Articulo* 1. huius Quæst. Solutione ad 1. resoluit *D. Thomas* non posse Intellectionem diuinam communicari animæ Christi, & duas eius rationes breuissimè insinuat dicendo, *Quod Dei intelligere est eius substantia: Vnde hic actus non potuit communicari animæ Christi, cum sit alterius naturæ.* Vbi prima ratio est, quia intelligere Dei, quod est actus eius, est eius substantia, *Secunda.* Quia anima Christi est alterius naturæ, & ideo intelligere Diuinum non potuit esse actus eius, & consequenter neque communicari illi. Vtraque ratio Difficilis videtur ad probandam implicationem, & tota vis præsentis Dubitationis reducitur ad duo *Primum*, An illa implicatio assignata sit sufficiens? *Secundum*, An detur absolutè talis implicatio, eo quod sunt aliqua exempla, quæ probant Deum communicare se creaturæ secundum alias rationes? Vnde assignare differentiam inter illa, & communicationem intellectionis diuinæ non parua difficultas est.

Quantum ad Primum implicatio *S. Thomæ* non videtur sufficiens; Nam quod intelligere Dei sit eius substantia, non obstat huic, quod est posse communicari, & per se ipsam supplere intellectionem nostram. *Tum*, Quia non est de ratione intellectionis, quod sit substantia, vel accidens: Genus enim intelligibile non petit per se formaliter, quod sit substantia, vel quod non sit substantia, sed id materialiter se habet respectu illius.

Si Verò dicatur esse de ratione intellectionis creatæ, quod non sit substantia, hoc nihil est; quia etiam de ratione speciei intelligibilis creatæ est, quod non sit substantia, quando est in alieno intellectu; & tamē potest Deus se ipso supplere vicem speciei in intellectu creato, quia non est de ratione speciei vt sit ex genere intelligibili; ergo idem erit de intellectione attendendo præcisè ad hoc vt sit substantia, vel accidens.

Tum Etiam, Quia esse substantiam nihil obstat communicationi formali, vt patet in Subsistentia, & Existentia diuina (vt Nos ponderabimus) in quibus se communicat quasi formaliter id quod est diuina substantia. Ergo ex hac parte præcisè non repugnabit communicari.

Tandem ratione intellectionis, & ex eadem radice apparet, quod non sit sufficiens altera ratio, scilicet, *Quia anima Christi est alienæ naturæ*; Quia instatur eisdem exemplis in communicatione Personalitatis, & Existentiæ & Speciei; hæc enim communicantur alienæ naturæ, & tamē sunt actus eius, quia actuant, & perficiunt formaliter, nam ei communicantur. Ergo ex eo præcisè, quod sit aliena natura non est efficax ratio assignata.

Si Verò dicatur, Quod implicatio non est, quod sit actus alienæ naturæ quomodocunque; sed actus procedens ab illa; non potest autem intelligere diuinum esse actus procedens ab aliena natura.

Contra Hoc Instatur, Quia intelligere non petit essentialiter, quod sit actus procedens ab intelligente, sed quod informet intellectū, (vt statim ostendemus ex *D. Thoma*, & in ipso Deo manifestum est, cum intelligere essentiale non procedit ab intelligen-

gente) cum ergo id non sit de intrinseca, & formali ratione intellectionis, Cur non poterit Deus reddere intellectum creatum intelligentem per intellectionem non procedentem ab illo, sed informantem illum?

Quantum ad secundum sunt aliqua exempla in quibus est difficile assignare rationē disparitatis. Constat enim Deum communicari humanæ naturæ per modum subsistentiæ, & secundum communem Thomistarum Sententiam infra *Quæst. 17. Art.* 2. etiam communicatur in ratione existentiæ. Similiter secundum Theologorū sententiam communicatur essentia Diuina in ratione speciei impressæ intellectui Beatorum, & secundum probabiliorem Thomistarum opinionem, etiam communicatur in ratione speciei expressæ, quibus exemplis positis, & admissis formatur difficultas in hunc modum.

Vel Implicat communicari intellectionem diuinam intellectui creato, eo quod intellectio concurrit, vt actio in genere causæ efficientis ad constituendum intellectum in actu, vel quia se habet vt actio, seu operatio procedens ab intelligente; non potest autem intellectio diuina procedere ab intellectu creato, vel quia se habet per modum formę intellectus, (Deus autem nō potest supplere vicem formæ) vel denique, quia est actus vitalis, de cuius ratione est, quod procedat à principio intrinseco vitę, se mouente, non autem per operationem alterius agatur, & formaliter intelligat. Sed omnes istæ implicationes non obstant, & ex allatis exemplis impugnantur. Quod enim intellectio concurrat in nobis in genere causæ efficientis, ad constituendum intellectum in actu, nihil obstat, quia Deus potest se solo supplere genus causæ efficiētis, si præcisè efficiens sit, & facere se solo, quod facit simul cum creatura.

Secunda Etiam implicatio non obstat. Quia intellectio apud *D. Thomam*, non cōsistit in aliqua processione, quæ requiritur ad operationem, sed in informatione; in hoc enim distinguit S. Doctor, *Dicere* ab *Intelligere*, vt patet 1. *Part. Quæst.* 34. *Art.* 1. *ad* 3. Vbi inquit, *Quod intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectam.* Ergo intelligere secundum *D. Thomam*, non importat operationem per modum procedentis, & secūdum rationem originis; sed consistit in informatione. Et manifestè patet in Intellectione Diuina essentiali, in qua nulla importatur operatio procedens: Ergo de ratione intellectionis secundum se non est processio ab intellectu, sed solum id inuenitur in intelligere imperfecto, quale est illud, quod à nobis connaturaliter fit. Non ergo ex eo implicat Deum communicari nobis suam intellectionem, quia intellectio debet procedere ab intelligente; sufficit enim quod informet.

Denique non repugnat Deum ponere, & conseruare intellectionem Petri extra subiectum; ergo etiam poterit eam vnire, & conseruare in alieno intellectu tanquam in subiecto, & tunc talis intellectus reddetur intelligens, quia habet sibi vnitam formam intelligendi, & consequenter habet effectum formalem eius. Ergo intelligere essentialiter non petit procedere ab intelligente, sed informare.

Tertia Etiam implicatio non obstat, Quia scilicet species intelligibilis se habet, vt forma intellectus, & tamen Deus se ipso potest illam supplere sine imperfectione informationis, sola vnione terminationis, vt quando vnit Se Ipsum intellectui Beatorum. Quod præsertim vrget si sit dabilis species creata repræsentans Deum; Tunc enim diuina essentia verè supplet vicem formæ creatæ intelligibilis.

Si Dicas Speciem habere se vt formam obiectiuam, non vt informantem; forma autem obiectiua non dicit imperfectionem in ratione formæ: at verò intellectio informat tanquam actus; vnde si Deus vniret suam intellectionem, deberet informare intellectum non obiectiuè, sed formaliter.

Contra Hoc Manifestè Instatur. Quia intelligere, non quomodocunque est actus intellectus, sed actus vltimus in genere intelligibili, sicut existentia in genere entitatiuo: sed Deus potest supplere existentiam in Opinione Thomistarum, quia est actus vltimus naturæ, & secundum fidem supplet subsistentiam in Humanitate. Ergo etiam supplere potest ipsum intelligere, quia est actus vltimus, ac per hoc non informans, sed determinans.

Deinde. Quia species licèt teneat se ex parte obiecti, tamen se habet vt comprincipium influens cum intellectu in actu intelligendi vitali modo, siquidem specificat actum intelligendi; specificatio autem vitalis est; de ratione autem formæ vitalis vitaliter

liter influētis est quod intrinsecè informet ipsam potentiam; alioquin si intrinseca ei non esset vitalitatem dare actui non posset. Ergo si hoc totum supplet Deus in specie intelligibili, cur non poterit supplere informationem actus intelligendi?

Quarta Denique *implicatio non obstat*, Quia non minus est de ratione Verbi, seu speciei expressæ, quod sit terminus vitalis ipsius intelligentis, quam de ratione intellectionis, quod sit actus secundus vitalis intellectus; sed Deus potest supplere rationē termini vitalis in Opinione Thomistarū, qui dicunt vniri Deum intellectui Beatorum in ratione Verbi, & speciei expressæ, de cuius intrinseca ratione est esse terminum vitalē intellectus. Ergo etiam poterit supplere per se ipsum rationem actus vitalis. *Consequentia Patet.* Quia non minus essentialiter postulat terminus vitalis, in quantum vitalis esse à principio vitæ coniuncto, quam actus vitalis; neque enim minus postulat filius, qui est terminus generationis, esse à Patre, cuius est filius, quam ipsa generatio. Ergo si primum potest Deus se solo supplere etiam & secundum.

Denique Obijci Solet *Augustinus* 4. *de Trinit. Cap. Vltim.* qui dicit *Visione beata Deū esse bonum, & beatum, & quod illa est summum bonum, cuius adipiscendi gratia agimus quidquid agimus.* Ergo Visio beata, quam nos adipiscimur est illa, qua Deus est beatus, & consequenter aliquid increatum.

Nihilominus opposita tententia est certa, etiam loquendo de potentia absoluta, sicut in præsenti loquimur; nam de facto dicere, quod suppleuerit Deus intellectionem creatam Christi per suam increatam, communiter damnatur ab Authoribus, censura temeritatis ad minus, vt videri potest in *Cabrera* hìc *Disp. 9. Art. 1. Dist. 1.* & si aliquis diceret ita fuisse vnitam intellectionem increatam in intellectu humano cōmunicatam, quod non habuerit propriam intellectionem, & operationem esset hæreticus contra Definitionem Conciliorū, qui dicunt in Christo fuisse duas operationes naturales diuina, & humana, vt in explicatione litteræ huius Articuli diximus.

Loquendo Ergo de potentia absoluta Vera Sententia est non posse communicari intellectionem increatam intellectui creato, ita vt reddat illum formaliter intelligentem, & idem est de visione beatifica increata, nam talis visio intellectio Dei est. Hæc est expressa Sententia *D. Thomæ* in præsenti *Art. ad 1. & 2. de Veritate Art. 1. in Calce Corporis*, & sequuntur cōmuniter Omnes Interpretes. Rationes autem implicationis dicimus omnes reduci, & contineri in illis, quas assignat *D. Thomas* in præsenti, ad quarum explicationem duo aduertenda sunt.

Primum est Quod intelligere est operatio vitalis, & actus secundus non essendi, sed agendi; quod si etiam sit actus secundus essendi, quia in Deo esse est intelligere, difficultas non est in præsenti, An in ratione actus secundi essendi communicari possit, cum *S. Thomas* admittat, quod esse existentiæ diuinæ potest communicari creaturæ; sed difficultas est An in ratione actus secūdi agendi, seu operandi possit cōmunicari, ita vt non solum reddat hominē existentē, sed etiam intelligentem, & operantem?

Secundo est aduertendum, Quod omnis operatio vt reddat, & constituat operantē, oportet quod sit actus operantis, & aliquid eius; sed tamen aliter comparatur operatio ad naturam à qua non distinguitur, sed est idem operans, vel operatio: aliter ad naturam, quæ est aliena, & distincta ab operatione. Vt enim operatio sit actus illius naturæ, quæ ab illa distinguitur, necesse est quod duæ conditiones cōcurrant. Altera vt procedat ab operante. Altera, quod informet, & constituat operantem. Vtraque autem conditio repugnat operationi diuinæ, quæ est substantia, & ideò profundissimè *S. Thomas* duobus verbis totum fundamentū huius implicationis assignauit, scilicet, *Quia diuina operatio est substantia, & quia anima Christi est aliena natura*, quia si illi communicatur talis operatio, debet illi communicari tanquam distincta ab ipso operante, & consequenter induere illas duas conditiones, quas diximus esse necessarias, vt aliqua operatio constituat operantem illum, qui distinguitur a se, & quas diximus repugnare diuinæ naturæ.

His Suppositis restant duo probanda, *Primū*, Quod vt aliqua operatio, quę distinguitur ab operante, reddat illum operantem in actu secundo requiruntur illæ duæ conditiones. *Secundum*, Quod vtraque conditio repugnet diuinæ operationi.

Quantum ad primū probatur requiri primā conditionē, quia operatio, quæ non est ipsa essentia & substantia rei, sed ab ea distinguitur, debet comparari ad ipsum operans non solum tanquam ad subiectum susceptiuum, quasi in genere causæ materialis, vt informabile

mabile est per operationem; sed tanquã ad principium operans in genere causę effectiuæ. Et vlterius si sit operatiõ vitalis, debet cõparari tanquam ad principiũ effectiuum se mouens; sed si compararetur ad tale principium non procedẽdo ab illo, sed purè informando illud, compararetur ad illud tãquam ad purè susceptiuum, quia solum informat, & non procedit, & consequẽter solum suscipitur, non verò agitur. Ergo non constitueret tale principium in ratione efficientis, & agentis, & multo minus in ratione se mouentis, quia si purè reciperetur, purè moueretur, & non se moueret. Igitur si operatio aliqua cõparatur ad aliquod principium operans tanquam distinctum à se, necessariò requiritur vt sit aliquid illius, quod non solum informet illud, sed etiam procedat elicitiuè ab eo.

Si Dicas Non esse necessarium, quod informet, vel eliciatur, sed sufficere quod aliquo modo dicatur aliquid illius, vel secundum relationem, vel secundum denominationem extrinsecam.

Contra Est. Quia principium operans realiter, & verè denominatur operans, & efficiens per operationem: Ergo mediante aliqua immutatione reali, quia de nouo constituitur operans per aliquid à se distinctum sine aliqua immutatione reali. Ergo in aliquo genere causæ realis, vel effectus: non in genere causæ materialis, quia operans non recipitur in operatione: nõ in genere causæ finalis; quia potius operatio est finis operantis. Et non agimus hic de modo, quo finis causat, vel finalizat, sed de modo, quo ipsum operans constituitur in ratione causæ operantis non in ratione rei finalizatæ. Restat ergo quod vt operatio sit aliquid operantis, & actus constituens illum in ratione causæ, vel sit forma illius, vel sit aliquid progrediens ab ipso in ratione efficientis, & agentis. Et hinc probata manet secunda conditio, quod non solum debet procedere, sed etiam informare, præsertim in operatione immanenti, in qua requiritur informatio intrinseca, quia intellectio est actus vitalis constituens intellectum actu videntem, & viraliter operantem.

Esse Autem viuentem in actu secundo est denominatio formalis ipsi viuẽti intrinseca, quia viuere nõ potest per extrinsecam denominationem: Ergo debet assignari aliqua forma, qua intrinsecè constituatur in tali esse, non minus quam albedine constituitur album, vel calore calidum; ergo talis forma, quæcunque illa sit, suppleri non potest, nisi per informationem intrinsecam constitutiuam illius rei, quia constitutum in ratione intelligentis aliqua intrinseca forma debet constitui, non est autem alia, quam intellectio, seu intelligere, quia vt præsuppositum, intelligere est ipsa operatio, & actus secundus intelligendi.

Quod Verò vtraque conditio repugnet diuinæ naturæ manifestũ est. De Prima quidem, quia diuina substantia non potest esse ab alio, & multo minus procedere à creatura, sic enim esset effectus. De secũda vero quia repugnat esse causam imperfectam, & dependentem, sicut esse causa formalis informans. Et vocamus *Formam Informãtem* id quo aliquid constituitur tale, siue constituatur ad agendum, siue ad essendum. Repugnat autem diuinæ substantiæ esse id quo aliquid constituitur in aliquo esse, quia id quo aliquid constituitur cõparatur ad suum constitutum tanquam *Quo*, & ad totum, quod constituitur, & componitur ex forma tanquã quod. Omne autem totum est maius sua parte, & consequenter omne constitutum, vt quod est maius suo constituente vt quo. Repugnat autem aliquid esse maius Deo; ergo repugnat id quod diuinum est se habere, vt formam informantem tanquam id quo aliquid constituitur.

Et Ideò actus purus opponitur actui informanti, quia ex hoc ipso quod informat aliquid contrahit potentialitatis. Cæterũ si forma non se habeat vt *Quo* aliquid constituitur, sed vt *Quod* cõficitur, & cõpletur nõ cõstituendo aliquẽ terminũ, sed potius trahendo ad suũ esse, & perfectionẽ tanquã ad quoddã totũ, id quod actuat, sicut subsistentia & existentia, vel quia solũ obiectiuè perficit, & cõplet, sicut species intelligibilis; talis informatio, siue actuatio non repugnat Deo, quia non est inferioris, & partis cõstituentis aliquẽ terminũ ad quem ordinetur vt ad totũ, sed vt perficientis per modũ totius, & cõtrahẽtis aliud ad suã perfectionẽ. De quo amplius Dicemus in Solutione Argumẽtorũ, præsertim ad 3. implicationem.

Igitur reducendo ad formã totã rationẽ implicationis formatur primò implicatio in generali, deinde particulariter applicatur intellectioni diuinę sic cũdũ principia posita à *S. Thoma*. Implicatio ergo in generali est, quia repugnat diuinę substãtię, seu rei diuinæ procedere ab alio, vel informare aliquid tanquam forma intrinsecè constitutiua informando.

Re-

Repugnat quidem procedere ab aliquo, quia repugnat esse effectum. Repugnat informare, quia repugnat esse causam imperfectam ordinatam ad aliquem terminū cōstituendum: Si enim talis causa non purè perficit, sed etiam perficitur, consequenter habet dependentiam.

In Particulari autem applicatur hæc implicatio ad diuinam intellectionem: Quia diuinum intelligere si esset actus, quo intelligeret anima Christi, compararetur ad illā tanquam ad naturam distinctam à se; & naturam alienā; Ergo haberet se vt actus, seu operatio distincta ab operante: omnis autē actus, seu operatio, quæ distinguitur ab operante non constituit ipsum, vt operans nisi informando illud, & procedendo ab illo. Hoc repugnat diuinæ operationi, quæ est ipsa Dei substantia, & non aliquid extra; ergo. *Minor Probatur* ex notabili posito, quia actus seu operatio non reddit aliquid operās, nisi sit actus eius, & ad ipsum pertineat; operatio autem distincta ab operante non pertinet ad ipsum per identitatem, quia est distincta; Ergo per habitudinem vel causæ, vel effectus comparatur ad ipsam, vt ad efficientem tali operatione, & sic debet ab illa procedere. Comparatur etiam vt constituens in ratione operantis immanenter, & vitaliter, & consequenter vt forma informans in ratione viuentis, & intelligentis in actu secundo.

Neque operatio se potest habere vt forma terminans, aut obiectiua; non obiectiua, quia non est id quod intelligitur, vel quod supplet vicem obiecti, sed quo intellectus operatur circa obiectum: non vt terminās, quia non se habet vt totum ad cuius esse trahatur ipsum operans; potius enim operatio trahitur ad esse operantis, & constituit illum in ratione operantis. Ergo vndique repugnat Deo communicari in ratione intellectionis, vel cuiuscunque alterius formæ informantis.

Soluuntur Obiecta.

Ad Ea Quæ obijciuntur in principio ad Primum contra rationem *S. Thomæ* Respōdetur, Quod nō probat præcisè *S. Doctor*, quod intelligere diuinum non potest communicari animæ Christi, quia substātia est, sed quia est actus, seu operatio, quæ est substantia, & comparatur ad animam Christi tāquam ad alienam, & distinctam naturam à tali operatione. Ex his enim rectè infertur repugnantia huius communicationis, quæ requiritur vt cōstituatur anima Christi intelligens per tale intelligere tanquam per operationem à se distinctam. Operatio enim distincta ab operante vt sit actus eius, & constituat illud vt operans, necessariò requirit quod procedat ab illo, vel informet illud, & hoc repugnat operationi, quæ est substantia diuina.

Fatemur ergo quod non est de ratione intellectionis secundum se, quod sit substātia, vel accidens; de ratione tamen intellectionis talis, nempè quę naturam à se distinctam constituit intelligentem, necessarium est quod vel informando, vel procedendo constituat ipsam intelligentem, quod non conuenit substantiæ.

Similiter Deo non repugnat communicari naturæ creatæ ex eo quod substātia est, sed repugnat cōmunicari tali communicatione, scilicet per modum formæ informantis, vel procedentis, quia imperfectio est; non autem alio modo communicationis, scilicet per modum formæ terminatiuæ, vel obiectiuæ, sed hæc non sufficit ad communicationem intellectionis, vt constituat intelligentem, & operantem formaliter.

Ad Secundum Verò, quod obijcitur contra alteram rationem *D. Thomæ* Respondetur, Quod etiam esse alienam naturam, præcisè non probat implicationem communicationis diuinæ vt sic, sed talis communicationis, id est, quæ est per modum operationis; vnde supponit aliam consequentiā, scilicet, Quod si anima Christi est aliena natura respectu intelligere diuini, talis intellectio comparatur ad illam naturam, non vt identificata, sed vt distincta ab illa.

Intellectio Autem in quantum est actus secundus operationis non potest separari ab eo à quo distinguitur, vt sit actus, & operatio eius, nisi procedendo à tali operante, vel informando illud, vtrumque autem repugnat Deo. At verò subsistentia, & existentia, licèt communicetur alienæ naturæ non tamen informando, vel procedendo, sed purè terminando. Et ita dicit optimè *Caietanus* in præsenti Artic. 1. *Quod quia personalitas diuina potest fieri personalitas humanæ naturæ, sine eo quod sit actus eius; intelligere autem non potest fieri actus intelligendi animæ humanæ nisi fiat actus eius. Ideò non repugnat communicari personalitas, & repugnat communi-*

cari intellectio. Dicitur autem fieri actus eius, quia fit aliquid illius, vt procedens ab eo, vel est informans illud; vnde siue *Intelligere*; vt distinguitur à *Dicere*, dicat operationem secundum rationem originis, & processionis, siue dicat informationem (de quo statim dicemus) tamen nullo modo potest conuenire intellectioni diuinæ in ordine ad alienam, & distinctam naturam, vt constituat illam operantem, nisi tale intelligere fiat, & sit actus operantis, vel informando illud, vel procedendo ab eo vt dictum est.

Ad Secundam difficultatem *Respondetur* ex allatis exemplis, illisque suppositis, & admissis; Tres vltimas Implicationes veras esse, & à Nobis defendendas, quia eliciuntur, & continentur in ratione assignata à *D. Thoma*; & sic relicta prima implicatione, quæ sola non sufficit, constat intellectionē, neque esse causam efficientem ad operationem, nec purè efficientem esse, sed formalem ordinem, & habitudinem dicere ad principium intrinsecum, quia vitalis operatio est, ac denique in præsenti non est difficultas, An possit Deus per se ipsum supplere vicem causæ efficientis se solo efficiendo sine operatione causæ secundæ effectum eius; sed An possit ipsa causa secunda efficere per operationem Dei sibi formaliter coniunctam? Hac ergo implicatione relicta.

Ad Impugnationem secundæ implicationis Respondebit Aliquis *D. Thomam* loqui de intelligere respectu diuini intellectus, quod quidem secundum se non dicit operationem procedentem, sed habitudinē ad rem intellectam, vt patet in ipso intelligere essentiali: non autem loquitur de intelligere creato, quia respectu huius debet esse actus distinctus ab ipso, & consequenter operatio non tolum informans, sed & procedens.

Cæterum quidquid sit de veritate huius doctrinæ, applicatio tamen eius non attingit mentem *D. Thomæ*: nam *D. Thomas* ibi loquitur non tolum de intelligere diuino, sed etiam creato; inquit enim, *Quod intelligere importat solam habitudinem ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, sed solum informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ. In Deo autem importat omnimodam identitatem, quia in Deo est omnino idem intellectus, & intellectum.* Vbi clarè *S. Doctor* loquitur de intellectu nostro, & in ipso nostro intellectu dicit, quod importat informationem quamdam, & non rationē originis; in Deo autem neque etiam informationem importat, sed identitatem. Igitur clarus sensus *D. Thomæ* ex ipsius verbis deducitur. Nō enim explicat habitudinem ipsius intellectionis intellectio, vt operatio est ab intelligente; sed habitudinem quam importat, & inducit inter intelligentem, & rem intellectam. Operatio enim, quæ est intellectio duo dicit, alterum secūdum communem rationem operationis, & sic in quantum actus vitalis est, solum respicit principium vitæ à quo dimanat. Alterum in quantum talis operatio est, quæ versatur circa obiectum, & ipsum intelligentem inclinat, & ordinat intellectum ad rem intellectam.

Et In Hac secunda consideratione non importat intelligere habitudinem originis, sed informationis, & vnionis ad rem intellectam in esse obiectiuo, quod in nobis fit per veram informationem, quia distinguitur res intellecta ab intellectu. In Deo autē importat omnimodam identitatem etiam obiectiuè, quia ibi non distinguitur res intellecta, & intellectus, & ex hoc inferebat euidenter *D. Thomas* differentiam inter dicere, & intelligere, quod erat intentum illius *Solutionis ad 3.* Nam *Dicere* secundum habitudinem specialem ad verbum importat rationem originis, & non informationis, quia verbum originatur, & procedit à dicente in quantum tale est: at vero intelligere secūdum specialem habitudinem ad rem intellectam non importat rationem originis, quia res intellecta non procedit ab intelligente.

Ex Hoc Autem non infertur, quod intelligere non dicat rationem operationis respectu intelligentis, vt principium vitale est, quæ quidē operatio si sit distincta ab operāte non solū informando, sed etiā procedēdo dicitur operatio, & actus causæ efficientis, & operantis. Si autē non distinguitur ab operante, vt in Deo, neque informās est, neque procedens, sed habet omnimodā identitatem, & ita instantia, quæ adducitur de intelligere diuino, non est ad rem, quia intelligere diuinum non comparatur ad naturam diuinam vt operatio distincta ab operante, sed vt identificata, & consequenter non procedit, neque informat intelligentem. In intellectu autem creato, quia est operatio distincta ab operante, & procedit, & informat; vnde si operatio diuina com-

communicaretur intellectui creato vt distincta, & non vt identificata deberet communicari vt procedens.

Ad Secundã verò Instantiã de separatione intellectionis ab intellectu Petri, & de cõiunctione eius ad alium intellectum, admisso casu, & non disputando de illo *Respõdetur*, Quod tunc non denominaret intelligentem, à quo non procedit, vel informaret illum, quia non informaret quasi vitaliter, sed quasi naturaliter, & entitatiuè Informare enim vitaliter non est præcisè inhærere alicui vt forma entitatiua, sed inhærere vt actus procedens, & supposita processione, vt à principio vitæ coniuncto.

Sunt Autem aliquæ formæ, quæ non denominant per nudam, & præcisiam inhærentiam, sed suppositа etiam alia conditione processionis, seu eggressionis ab alio, eo quod non comparantur ad subiectum, vt purè ad causam materialem, sed etiam vt ad causam viralem, quæ est causa se mouens, & efficiens. Si Deus ponat tales formas in alio subiecto erunt quidem ibi entitatiuè, & tanquam in recipiente in genere causæ materialis, non tamen erunt in eo tanquam in efficiente, & operante, aut viuente, & ideò non denominabunt illum effectiuè operans, aut viuens, sed solum entitatiuè sustentans vitam. Intellectus autem in tali casu dicetur sustentans intellectionem, sed non intelligens; sicut gratia posita in lapide, aut in bruto non denominabit illum gratum, sed sustentans formam, seu qualitatem gratiæ.

Ad Impugnationem Tertiæ implicationis benè ibi responsum est. Ad primam impugnationem *Respondetur*, Intelligere secũdum se esse actum vltimum per modum operationis, non vero secundum se importare, quod sit actus vltimus per modum existentiæ tanquam actuans in essendo, & ideò D. Thomas 1. *Part. Quæst.* 54. *Artic.* 1. loquens de operatione, quæ est intelligere dicit, *Quod operatio est actualitas virtutis, sicut esse est actualitas essentiæ.* In Deo autem licèt sit idẽ intelligere, & esse propter eminentiam actus puri, tamen in præsenti non agimus de communicatione in ratione existentiæ, sed in ratione operationis. Licet autem vterque actus operandi, & essendi dicatur actus vltimus, est tamen differẽtia, quod operatio dicitur actus vltimus, quia est vltima forma, quam intendit agens ad constituendam virtutem operatiuam in actu agendi, quod est vltimum intentum ab operante.

Existentia verò dicitur actus vltimus nõ quasi vltima forma constituens naturã, vel aliquid naturæ, sed quia est actus totius terminãs productionem in facto esse, ad quod reliqua omnia vt partes ad totum ordinantur, vnde non informat, sed determinat; neque vnitur secũdum comparationem partis ad totum, sed totius ad partes.

Vt Autem intelligamus differentiam inter *Formam Informantem*, & *Formam Terminantem*, oportet aduertere insignem doctrinam S. Thomæ *Opusculo* 2. *Cap.* 211. Vbi explicans vnionem Incarnationis inquit, *Quod Diuinitas non aduenit animæ, & Corpori per modum formæ, aut partis, hoc enim est contra rationem perfectionis, vnde ex diuinitate, & anima non constituitur vna natura, sed ipsa diuina natura in se integra, & pura existens sibi naturam ex anima, & Corpore constitutam assumpsit.* Idque explicat aliquali exemplo vnionis subiecti, & accidentis; non enim subiectum, & accidens sic vniuntur, vt ex eis constituatur aliquod tertium, cuius subiectum sit pars; sed subiectũ est integrum quoddam, & ad eius esse trahitur accidens, vt sit vnum suppositum hominis, & albi.

Ex Qua doctrina colligitur, Quod quãdo aliqua forma comparatur ad aliquid, quasi totum ad partem, quatenus ad communicationem sui esse trahit alterum, non vero se habet vt forma constituens cum altero aliquod tertium, tunc talis forma dicitur vniri non informando, sed determinando; nec talis vnio imperfectionem importat formæ, quia ex eo quod sic vniatur, non aduenit aliqua perfectio, sed ipsa se habet vt purè perficiens, & trahens ad sui communicationem, & suum esse id quod sibi vnitur. Quando autem aliqua forma quantumcumque vltima, & perfecta, non se habet quasi totum, vel actus totius, ad cuius communicationem alia trahuntur, sed vt informans cum altero vt cum illo aliquod tertium constituat; talis forma cum imperfectione vnitur, & vt informãs, non vt terminans.

Elice ex his id quod verissimum est, videlicet quod operatio non vnitur operanti vt totum, vel actus totius ad cuius esse trahatur operans, quin potiùs operatio trahitur ad esse operantis, vt ex illo operante constituatur agens in ratione agentis, & ita se habet ad suum principium, vt accidens

ad subiectum, vt albedo ad Corpus, non vt totum ad partes; & ideò non est actus vltimus terminans, sed vltimus informans.

Ad Secundam Replicam Respõdetur, Quod species intelligibilis, licèt se habeat vt principium influens in operatione, non tamen informat intellectum per modum formæ entitatiuæ, & constitutiuæ alicuius tertij, sed per modum formæ obiectiuæ, quæ se habet vt complementum, & determinatio proueniens ab obiecto in intellectu, non per modum ipsius virtutis, qua intellectus, tanquam lumine, & actiuitate operatur. Est enim supponendum id quod tradi solet 1. *Part. Quæst.* 12. *Art.* 2. Quod species licèt sit entitas inhærens in esse entis, tamen in ratione intelligibilis non informat inhærendo, neque etiam se habet, vt extrinsecùs assistens, & secundum illam assistentiam influens, simul cum intellectu in actu Visionis (vt existimauit *Pater Suarez*) sed verè, propriè, & intrinsecè species actuat intellectũ etiam in ratione intelligibilis, quia determinat illum ad producendum intrinsecè, & realiter cognitionem, quæ sit talis, vel talis speciei; specificatio autẽ sumitur ab obiecto; Ergo ab illo determinatur intellectus vt sit principium reale productiuum illius determinatæ cognitionis. Talis autem determinatio non fit sine aliqua mutatione reali intellectus, & denominatione intrinseca, quia per talem immutationem constituitur in ratione intrinseci, & realis principij elicitiui talis cognitionis determinatæ, & specificæ. Et quia illa cognitio, etiam in quantum specifica tali determinata specificatione ab obiecto desumpta, debet illam elicitiuè, & vitaliter ab intellectu participare, oportet quod ex vi principij intrinseci vitalis habeatur talis determinatio ad eliciendum vitaliter non solum actum, sed etiam specificationem actus.

Vnde Non sufficit, quod species per solam extrinsecam assistentiam influat in actu specificationem eius, quia extrinseca assistentia non fundat vitalem influentiam, neque influit vitalem specificationem in actu: neque sufficit entitatiua inhærentia, sed informatio speciei, quia ista per se loquendo non pertinet ad actuationem eius, quod est intelligibile, & vitale, vt patet in speciebus quãdo sunt in aëre aut in homine dormiente. Igitur præter entitatiuam inhærentiam, quæ per se non requiritur in specie intelligibili, vt talis est, inuenitur alia actuatio, & informatio in genere intelligibili, qualem etiam potest habere substantia respectu intellectus, vt patet in Angelo cognoscente se. Vbi substantia Angeli in ratione obiecti intelligibilis actuat intellectum. Et ista secunda actuatio non repugnat Deo respectu intellectus creati, cuius rationem reddit S. Thomas in 3. *Contra Gent. Cap.* 51. in hunc modum.

Manifestum (inquit) *est, quod essentia diuina potest comparari ad intellectum creatum vt species intelligibilis, qua intelligit, quod nõ contingit de essentia alicuius alterius substantiæ separatæ; nec tamen potest esse forma alterius rei secundũ esse naturale; requireretur enim, quod simul cum aliquo vnita constitueret vnã naturam, quod esse non potest, cum essentia diuina in se perfecta sit in sui natura. Species autem intelligibilis vnita intellectui non constituit aliquam naturam, sed perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectioni diuinæ non repugnat.* Sic D. Thomas.

Vbi Optimè *Ferrariensis* circa finem illius Capitis aduertit, Quod species intelligibili, & intellectu non constituitur aliqua natura ab vtroque distincta, sicut ex forma substantiali, & materia cõstituitur compositum ab vtroque aliquo modo distinctum, sed constituitur aliquod vnum quatenus species intelligibilis, & intellectus vniuntur ad vnam operationem, quod vnum vocamus intellectum in actu. Quare tota ratio vnde desumenda est differentia inter actuationem speciei in esse intelligibili, & informationem aliarum formarum est, quia non actuat intelligibiliter ad constituendam aliquam naturam, cuius se habeat vt pars, & ipsum constitutum vt totum; siquidem actuatio intelligibilis non ordinatur ad constituendum in esse entitatiuo, cum sint diuersi ordinis.

Omnis Autem natura, quæ constituitur, & componitur ex aliqua forma constituitur ad essendum, & habendum esse per illam in genere entis. Esse autem intelligibile supponit esse entis, quia intelligibilitas cõsequitur ad ens; igitur informatio ad esse intelligibilis repugnat quod ordinetur ad cõstituendam aliquam naturam, seu totum; & consequenter eius informatio non est imperfecta per modum partis, quia pars dicit ordinem ad totum, vnde informando non perficitur, sed perficit, & ideo non repugnat Deo.

Si Dicas Quid est illud purè perficere, & Quid est illud informare non vt pars, siquidem etiam non informat vt totum; sicut

cut

cut subsistentia, vel existentia? Quid ergo est illud?

Respondetur, Quod est informatio complens, & determinans virtutem intellectiuã complemento non constituente tertiam naturam, sed intelligibiliter determinante, & obiectiuè, quatenus per illam actuationẽ intellectus fit aliud à se; ita quod vt intelligat hominẽ fit homo, vt intelligat lapidem fit lapis intentionaliter, non entitatiuè. Illa ergo determinatio, & complementum nõ quo informatur in se, sed quo transformatur in rem, quam intelligit modo intentionali, dicitur esse determinatio intelligibilis, non entitatiua.

Et Quia obiectum quasi transformat in se intellectum constituendo illum. *V gr.* hominem, vt intelligat hominem, dicitur obiectum quasi trahere ad suum esse intellectum non entitatiuè, sed intentionaliter; & sic illa informatio reducitur ad genus informationis terminatiuæ, quatenus trahitur ad esse alterius sine constitutione alterius.

Et Nota, Quod non omne complementum dicit perfectionem: quod enim est cõplementum tanquam modus, & aliquid in se incompletum, complens tamen aliud imperfectio est: quod verò est complementum tanquam trahens ad suum esse rem aliquam, vt complendam in se, non dicit imperfectionem, sed perfectionem.

Etsi Instes. Quid dicendum sit in sententia, quod species concurrit effectiuè cum intellectu ad cognitionem? Tunc enim informat intellectum constituendo ipsum in ratione agentis.

Respondetur ex Ferrariensi citato loco §. *ad 1. horum* Quod id, quo aliquid operatur tanquam potentia operandi, vel tanquã primo, & principali principio ab operante distincto, oportet esse formam eius dantem ei esse: id autem quo aliquid operatur tanquam perfectiuo virtutis, & complemento non oportet quod sit forma eius in essendo, & forma constituens aliquod tertium, sed purè perficiens id cui vnitur, sic ergo cum species sit forma complens, & determinans obiectiuè, & intentionaliter potẽtiam, non constituit in ratione agentis, neque concurrit effectiuè per modum virtutis, aut potentiæ, sed per modum complementi, & determinationis obiectiuæ. Sic autem non repugnat, quod diuina essentia vnita intellectui concurrat effectiuè; non enim concurrit, vt subordinata intellectui tanquam virtus eius, sed vt purè perficiens obiectiuè sibi intellectum subordinans. Sicut etiam substantia Angeli non subordinatur suo intellectui ex eo quod concurrat tanquam species ad cognitionem sui; non enim est de ratione speciei subordinari intellectui, quin sit species imperfecta, & inhærens per modum accidentis.

Ad Quartam Implicationis Impugnationem Respondetur, Quod in illa sententia diuina essentia vnitur, & supplet vicem Verbi, & speciei expressæ, non quidem quantũ ad processionem ab intellectu; neque enim hoc modo potest diuina essentia esse Verbũ intellectus creati, quasi terminus processionis, & actionis, sed in ratione termini intellectionis, & obiecti intellecti intrinsecè, & formaliter, quare processionem vitalẽ, neque in ipso termino procedente, neque in ipsa operatione potest Deus supplere: neque ad hoc vnitur essentia diuina in ratione speciei expressæ, vt dicatur diuina essentia Verbum procedens ab intellectu creato, sed vt dicatur obiectum sufficienter applicatum; & vnitum, non solum in ratione principij, quod facit species impressa, sed etiam in ratione termini, & obiecti intellecti in actu, quod facit species expressa.

Duplex Ergo officium habet Verbum in nobis, & species expressa. *Alterum* respectu principij fæcundi à quo originatur. *Alterum* respectu obiecti quod repræsentat. Respectu quidem sui principij dicit rationem termini procedentis: respectu verò obiecti dicit ipsum obiectum, in ratione tamen intelligibilis, & intellecti in actu. Itaque, sicut species impressa est ipsum obiectum intelligibile per modum principij, & seminis intelligibilis, quo constituitur potentia actuata, & fæcunda ad intelligendum; ita per speciem expressam constituitur in ratione obiecti intellecti in actu, & consequenter in ratione termini intellectionis. Vnde quando obiectum non est intelligibile in actu, sed potentia (sicut res materialis) redditur intelligibile in actu per speciem impressam. Si autem non sit intellectus in actu per se ipsum redditur per speciem expressam intellectum in actu, quasi proportionatum obiectum, vt terminet intellectionem intra ipsum obiectum. At verò respectu sui principij à quo originatur verbum, seu species expressa dicit ordinem originati, & procedens vt terminus vitalis.

Sed Tamen non est de ratione speciei expressæ

preſſæ in quantum conſtituit obiectum intellectum in actu, quod ſit procedens, & originata, vt patet in ipſa diuina eſſentia, quæ ſecundum ſe eſt intelligibilis in actu puro, & conſequenter non ſolum in ratione principij, ſed etiam in ratione termini intellecti, & tamen ipſa diuina eſſentia non eſt terminus productus, & procedens; id enim conuenit Verbo diuino naturaliter procedenti. Quando ergo vnitur intellectui Beati non ſolum in ratione ſpeciei impreſſæ, ſed expreſſæ, non intelligimus quod vnitur in ratione termini vitaliter procedentis; eſſentia enim diuina non procedit: ipſum autem Verbum, quod eſt Perſona in diuinis non ſupplet perſonaliter hanc rationem Verbi, ſed per eſſentiam diuinam, quæ vnitur in ratione obiecti intellecti in actu, non accipientis intelligibilitatem ab intellectione creata, quia vnitur vt intelligibile in actu puro, & conſequenter per ſe habens rationem intellecti in actu per modum obiecti. Intellectio autem Beatorum non producit Verbum, nec dicit aliquid, ſed purè contemplatur, quia non eſt de ratione intellectionis Verbum producere, ſed ad obiectum terminari. De quo latiùs 1. *Part. Quæſt.* 12.

Ad Locum D. Auguſtini *Reſpondetur*, ex eo nihil aliud haberi quam quod nos adipiſcimur viſionem Dei increatam non formaliter, ſed obiectiuè, quia ipſa Dei viſio etiam eſt obiectū noſtræ cognitionis beatæ, & illam adipiſcimur, non vt formam cognoſcendi, ſed vt obiectum cognoſcibile. Et hæc dixerim, ſi tamen *Sanctus Auguſtinus* habet illa verba, vt referuntur, nam in eo loco in quo citatur, Ego non inuenio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Neceſſe fuerit in Chriſto ponere Scientiam Infuſam per ſe, qualis ponitur à D. Thoma?

NON *Facile* aſſignatur à Theologis neceſſitas ponendi hanc ſcientiam in Chriſto, nam in præſenti non Loquimur de ſcientia infuſa in tota ſua latitudine; dicitur enim aliqua Scientia infuſa, vel ratione obiecti, vel ratione principij effectiui infundentis. Ratione principij omne lumen, quod Deus per ſe immediatè ſuperaddit ad lumen naturale potentiæ intellectiuæ, poteſt dici ſcientia infuſa, ſiue ſit ſcientia Beata, ſiue reuelatio, ſiue ſcientia naturalis miraculosè à Deo creata, & per accidens infuſa, quia totum hoc cauſatur ex infuſione Dei, & loquendo in hac latitudine de ſcientia infuſa inflatur eſſe omnino certum, ita vt oppoſitum ſit erroneum, dari in anima Chriſti aliquam ſcientiam per ſe infuſam, ſaltem Beatam, & donum ſapientiæ, & ſcientiæ, de quo dicitur Iſaiæ 11. *Et requieſcit ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, &c.* Sed præſens Difficultas eſt de illa ſcientia per ſe infuſa, quæ eſt talis nō ſolum ex parte efficientis, ſed quaſi formaliter, & ex parte obiecti, quia reſpicitur obiectum tale, ſcilicet tali modo, quod niſi per infuſionem Dei eſt cognoſcibile. Et differt à Scientia Beata, quia non cognoſcit eſſentiam diuinam clarè in ſe, vel creaturas mediante Eſſentia diuina, ſed in proprio genere, quia eſt Scientia habitualiter permanens, & per hoc differt à reuelationibus tranſeuntibus, & à Scientia acquiſita, quia hæc attingit obiectum, vt naturaliter cognoſcibile, & ſolum per accidens poteſt eſſe infuſa.

Loquendo ergo de Scientia per ſe infuſa in prædicto ſenſu, oritur *Ratio dubitandi*, Quia nulla datur cauſa ad ponendam hanc ſcientiam, pro qua non ſufficiat ſiue Scientia Beata, ſiue reuelationes extra Verbum, ſiue ſcientia naturalis, ſiue proprijs actibus adquiſita, ſiue per accidens infuſa; nam præter authoritates Scripturæ, quæ loquuntur de ſcientia animæ Chriſti, & de plenitudine eius, poſſuntque ſufficienter intelligi de quacumque ſcientia infuſa ex parte obiecti, vt nunc in particulari loquimur, præter iſtas (inquam) Authoritates ſolum triplex cauſa excogitari poteſt, vt ponamus iſtam Scientiam in Chriſto.

Prima propter *Officium Doctoris*. Quia Chriſtus eſt Vniuerſalis Doctor omnis Creaturæ intellectualis, & conſequenter debet habere Scientiam omnium eorum de quibus poſſunt edoceri homines, & Angeli, & ad hoc reducitur officium iudicandi, quia de omnibus habet iudicare.

Secunda Ratio eſt propter actiones meritorias, quas habuit, dum eſſet Viator, quia regulari non poterant quatenus meritoriæ per Scientiam Beatam, quæ ex ſuo connaturali modo excedit ſtatum merendi: nec

per

per fidem, quia illa non fuit in Christo; & tamen requirebatur notitia supernaturalis, quia actus illi meritorij supernaturales erant; ergo requiritur Scientia infusa supernaturalis. A

Tertia Denique Ratio est, propter perfectionem Animæ Christi, vt in eo sit plenitudo omnium scientiarum, & modorum intelligendi res, non solum in Essentia Diuina, nec solum per species intellectus agẽtis, sed etiam per species modo Angelico infusas, & habitas. Quod autem nulla ex his causis sit sufficiens, sic ostenditur. B

Quantum ad primam probatur, Quia illuminatio, & doctrina de rebus supernaturalibus sufficiẽter fiunt per ipsam notitiam beatam, siue reuelationes factas extra Verbum; etenim Angeli superiores illuminãt, & docent inferiores de rebus supernaturalibus; & tamen propter hoc non ponimus in illis aliquam Scientiam infusam distinctam à scientia beata, & reuelationibus extra Verbum; ergo nec Anima Christi ad illuminandum Angelos, & homines (quod est officium Doctoris) non indiget aliqua Scientia infusa distincta à scientia beata, & reuelationibus extra Verbum. C

Secunda Etiam causa non videtur sufficiens; Nam in primis Charitas, quæ est principium meriti, non potuit regulari in Christo nisi per scientiam beatam, quia si haberet vnum actum regulatum per scientiam beatam, vt necesse est ponere, & alium regulatum per Scientiam infusam, non euaditur illud inconueniens, quod sint duo accidentia eiusdem speciei in eodem subiecto; nam charitas, & in patria, & in via eiusdem speciei est; charitas autem vt regulata per Scientiam beatam adhuc potest elicere actum meritorium, quia potest elicere actũ liberum, non quidem amando Deum in se, quia sic est actus necessarius, sed amando creaturas in Deo, quas Beati liberè diligũt, & consequenter Deum vt principium talium creaturarum, & cum connotatione ad creaturas. D E

Et Deinde Dato quod actus charitatis vt meritorij non possint regulari per Scientiam beatam. Cur non sufficerent reuelationes factæ extra Verbum, siquidem tales reuelationes natæ sunt excitare amorem in voluntate erga res reuelatas? Talis autem amor, cum esset in statu Viatoris, & non purè comprehensoris, non est dubiũ quod poterat esse meritorius; ergo ex hoc Capite superfluit Scientia infusa.

Denique Tertia Causa non videtur sufficiens, Tum quia Angeli (vt Diximus) res supernaturales extra Verbum in proprio genere cognoscunt, & docent; & tamen nõ habent Scientiam per se infusam distinctã a scientia beata, & reuelationibus; ergo sine illa potuit anima Christi esse perfecta in cognitione rerum supernaturalium in proprio genere. Tum quia ratio *D. Thomæ*, quæ procedit ex eo, quod esset imperfecta anima Christi, si careret ista scientia, eo quod esset in potentia ad omnia cognoscibilia, id non ostendit; Quia ad istam scientiam non est nisi in potentia obedientiali; potentia enim naturalis solum est ad species acquisitas virtute intellectus agentis. Carere autem aliqua perfectione pertinente ad potentiam obedientialem non infert imperfectionem, & defectum, quia non debitum est creaturæ; neque in nobis est imperfectio carere tali Scientia; ergo malè *D. Thomas* infert illam dari in Christo, quia sequeretur imperfectio.

Confirmatur illa communi Difficultate; Quia impossibile est in eodem intellectu esse duas species intelligibiles eiusdem obiecti, & duas cognitiones in actu, sicut nec duplici termino, & figura eamdem quantitatem terminari.

Nec Sufficit Dicere, Quod species Scientiæ infusæ, & acquisitæ circa idem obiectũ sunt essentialiter diuersæ, siquidem Scientia per se infusa etiam cognoscit res naturales; ergo per speciem naturalem talium rerum; ergo habet similitudines eiusdem speciei cum acquisitis, quia sunt de eodem obiecto. Dicere enim quod res naturalis cognoscitur per species supernaturales, omnino fictitium est. Quomodo enim stare potest, quod species Equi, vel Hominis in proprio genere supernaturalis sit, si res ipsa, cuius est species, supernaturalis nõ est?

Nihilominus Opposita Sententia tenenda est tanquam communis Theologorum, immo *Magister Medina supra Art. 4. huius Quæst.* addit oppositum esse temerarium, quia omnes Theologi oppositum docent. Sed ab ista censura abstinent *Magister Cabrera* in *Commentario dicti Art.* & *Vazquez Disput. 52. Cap. 1.* Alijque Recentiores, solum id tanquam verius tenentes, & oppositum tanquam minus probabile; non enim est contra omnes Scholasticos absolutè, quia aliqui Doctores solum tribuunt Christo Scientiam per accidens infusam, inter quos censentur *Nominales*, & *Alexander*, &

Bo-

Bonauent. & *Durandus*; immo & *Scotus* inclinari videtur, quatenus addit cõtra *S. Thomam*, quod si daretur Scientia infusa, & acquisita in Christo essent duo accidentia eiusdem speciei in eodem intellectu, sicut sunt Scientia infusa, & acquisita.

Quidquid Tamen sit de hoc ad defendendum causas, propter quas necesse est ponere hanc Scientiam in anima Christi, quæ inter arguendum assignatæ sunt; supponẽdum est, quod de Scientia per se infusa ex parte obiecti loqui possumus, siue quantum ad substantiam, siue quantum ad modum substantiæ. Vsus etenim Scientiæ consistit in duobus, vt infra *Quæst.* 11. apparebit, scilicet in speciebus, & in lumine, quatenus iudicatur. Sic enim *S. Thomas* 2.2. *Quæst.* 173. *Art.* 2. loquens de Prophetia inquit: *Quod circa cognitionem mentis duo oportet considerari, scilicet acceptionem, siue repræsentationem rerum, & iudicium de rebus præsentatis, &c.* Per donum autem propheriæ confertur aliquid humanæ menti supra id, quod pertinet ad naturalem facultatem quantum ad vtrumque, scilicet quantum ad iudicium per influxum luminis intellectualis, & quãtum ad repræsentationem rerum, quæ fit per aliquas species, & istæ quandoque sunt de nouo impressæ, quandoque solum de nouo ordinatæ. Sic igitur ista duo ad minus sunt de substantia cognitionis scientificæ, quæ iudicatiua est; modus autem huius scientiæ attendi potest penes hoc, quod detur per modum habitualem, siue per modũ transeuntis; prius enim explicabimus necessitatem ponendi hanc scientiam quantum ad substantiam, deinde quantum ad modum.

Prima Igitur, & principalis causa propter quam ponitur ista Scientia est illa, quæ assignatur à *Sancto Thoma Art.* 3. *cit.* vt Anima Christi sit perfecta in cognoscẽdo omni modo sibi possibili, non solũ per Scientiam Beatam, sed etiam in proprio genere. Pertinet autem ad cognitionem in proprio genere duplex modus cognoscẽdi, primus dependenter à phantasmatibus; secundus purè intelligibiliter; hic enim modus cognoscendi non est extra latitudinem cognitionis debitæ ipsi animæ Christi. Tum etiã ad cognoscendum perfectè res spirituales, & supernaturales necesse est cognoscere illas, licèt enim animæ rationali secundum se consideratæ non sit debita cognitio perfecta, & quidditatiua rerum spiritualium, & supernaturalium, tamen animæ rationali, vt elevatæ per gratiam Vnionis ad supremum officium administrandi omnẽ creaturam intellectualẽ debetur perfecta cognitio omnium supernaturalium, & spiritualiũ, alioquin non essent ei perfectè subiecta, nec de illis perfectè iudicare posset, & sic maneret in potentia anima Christi, & consequenter imperfecta, carens aliquo sibi debito, ex suppositione talis officij, & dignitatis. Quo supposito efficacissimè currit ratio *Sancti Thomæ*, Quæ tamen diminuta esset, si solum procederet de anima Christi entitatiuè secundum se considerata; sic enim non est sibi proximè debitum, quod cognoscat omnia cognoscibilia, & habeat capacitatem ad illa.

Cur Autem non sufficit Scientia Beata, sed requiritur in proprio genere? Respondetur ex *Sancto Thoma hic Artic.* 3. vbi ait: *Quia Visio Beata fit per formam excedentem proportionem creati intellectus; vnde vt intelligat iuxta proportionem suam, & connaturalem modum, requiritur quod per proprias species ipsarum naturarum cognoscat.* Pertinet ergo hoc ad perfectionẽ animæ Christi, tum propter maiorem perfectionẽ; tum simpliciter. Propter maiorem quidem perfectionem, Quia de eadem re habere plures scientias, & demonstrare aliquid pluribus modis maior perfectio intellectus est. Simpliciter autem, Quia licèt per Scientiã Beatam cognoscat anima Christi in Verbo ea, quæ cognoscit per Scientiam infusam, tamen ille modus cognoscendi propter excessiuam perfectionem, non perficit intellectum, iuxta modum suum connaturalem proportionatum. Est autem valdè inconueniens, quod intellectus maneat priuatus modo magis connaturali ex eo quod habeat excedentem; alioquin si hæc ratio aliquid probaret, etiam remouenda esset à Christo Sciẽtia naturalis acquisita, eo quod naturas cognoscibiles per hanc Scientiam videret in Verbo. Quod si non tollitur adquisita, vt connaturali modo intelligat, iuxta modum connaturalem animæ coniunctæ, cur non ponetur Scientia infusa, vt connaturali modo intelligat, iuxta modum animæ separatæ, & angelicæ? Præsertim cũ sint aliquæ naturæ, nempè spirituales, & supernaturales, ad quarum perfectam cognitionem in proprio genere, & secundũ modum proportionatum Scientia adquisita non sufficit, & Beata est nimis excessiua.

Secunda Causa propter quam ponenda est Scientia infusa in Anima Christi est non solum

solum propter perfectionem in cognoscẽdo, sed etiam ad exercendum officium supremi Doctoris omnium creaturarum intellectualium. Vt enim possit aliquis docere, & illuminare, debet communicare in doctrina cum adiscente, & ei proportionari. Vnde & Angeli superiores ad illuminãdum inferiores de veritate, quã in vniuersali concipiunt, in particulari diuidunt, & accommodant capacitati inferiorum, vt docet *Sanctus Thomas* 1. *Part. Quæst.* 160. *Art.* 1. Licet autem illuminare possint inferiores Angelos de his rationibus, quas intelligunt in essentia diuina, vt docet *Sanctus Thomas* ibidem ad 1. non tamen eos illuminant, & docent per ipsam Scientiam Beatam, sed per infusam, quia etsi Angeli, & Beati Superiores cõmunicent inferioribus ea, quæ inferiores non vident in Deo, tamen inferiores Beati non possunt proficere in ipsa Scientia Beata, ita vt in ea magis illuminentur ab aliqua creatura, nec superior Angelus, aut Beatus ipsam Visionẽ Beatificam potest diuidere in se ipsa, & accommodare capacitati inferioris, cum illa visio sit omnino immutabilis.

Vnde relinquitur, quod quando Angelus intendit illuminare inferiorem, siue Beatum, siue Viatorem de his, quæ vidit in essentia Diuina, oportet, quod conuertat se ad cognoscenda illa per proprias species, & in proprio genere extra Verbum, & sic res illas accõmodat capacitati inferioris Angeli, vt explicat, & notat *Magister Bañez* 1. *Part. Quæst.* 160. *Art* 1. *Dub.* 3. *Conclus.* 2. Aliter enim non posset res illas accommodare capacitati inferioris, quia ipsa Visio Beata est indiuisibilis, & immutabilis: nec potest capacitati inferioris accommodari, nisi inferior crescat in lumine gloriæ, & in Vnione essentiæ Diuinæ. Si ergo ad docendum alios oportet videre, & cognoscere creaturas per proprias species extra Verbũ, cum Christus debuit illuminare, & docere omnes, oportet, quod habeat cognitionem per species proprias extra Verbum: & cum posset illuminare de omnibus, tam supernaturalibus, quàm naturalibus, oportet, quod habeat species, & Scientiam infusam comprehendentem omnia ista intelligibilia.

Neque ad hoc sufficit fides, quę imperfectionem importat obscuritatis, quæ non est in Christo: nec prophetia, quia si est imaginaria est imperfecta, quia intelligit dependenter à phantasmatibus, & figuris imaginarijs. Si autem est intellectiua, quæ veritates intelligibiles sine phantasmatibus contemplatur, excedit modum prophetię propriè dictæ, vt docet *Sanctus Thomas* 2. 2. *Quæst.* 174. *Art.* 2. & 3. Ideòque magis pertinet ad Scientiã infusam. Et Denique prophetia non pertinet ad statum puri comprehensoris.

Vltima Causa propter quam ponitur Scientia infusa in Christo est, vt in hac vita possit habere actus meritorios regulatos per scientiam proportionatam ad merendum. Oportet enim quod cognitio regulatiua meriti sit supernaturalis, & non poterat in Christo esse fides propter obscuritatem, & imperfectionem suam, debebat ergo esse notitia clara; & nõ sufficiebat Sciẽtia beata. Nam quidquid sit An charitas regulata per Scientiam beatam possit mereri respectu eorum, quæ videntur in Deo, & liberè diliguntur (de quo infra *Quæst.* 19.) tamen duo non potest præstare Scientia Beata circa actum meritorium charitatis. *Primum est*, Quod non potest actus amoris Dei sistens in ipso Deo secundum se sine connotatione ad creaturas esse meritorius, quia hic actus hoc modo sumptus est necessarius, vt regulatur à Scientia Beata, & sic qui defendunt illam sententiam, tenentur dicere, quod Christus actu Charitatis, quo diligitur Deus in se ipso, & non vt principiũ creaturarum non merebatur: hoc autem est inconueniens, quia meritum principaliter consistit in principali actu charitatis; principalis autem actus est, quo amatur Diuina bonitas non vt communicatiua ad creaturas, sed vt est in ipso Deo; ex eo enim, quia amatur in se, amatur etiam vt principium creaturarum.

Alterum Est, Quod Scientia Beata non est per se propriè, & connaturaliter regula meriti, nam per se, & ex se Scientia beata constituit comprehensorem, non viatorẽ. Licet enim sit coniuncta in Christo cum statu viatoris; ipsa tamen non constituit hunc statum per se, sed statum comprehensoris quantum est de se; ergo charitas vt regulata, & descendens ab ipsa non est charitas viatoris quantum ad statum viatoris, sed comprehensoris, licèt versetur circa idem obiectum, circa quod charitas viatoris. Dicit autem *S. Thomas* infra *Quæst.* 19. *Art.* 3. Quod Christus non meruit per charitatem, quatenus erat comprehensoris, sed viatoris, scilicet quantum ad statum: ergo neque regulabatur Scientia beata, quæ de se solum est constitutiua status comprehen-

hensoris, licèt coniungi possit cum statu viatoris.

Præterquam quod ipsa Scientia infusa non solum est speculativa, sed practica, sicut fides; ergo debet regulare actus humanos supernaturaliter modo practico; sed necesse est in actibus humanis incipere ab intentione finis, & amore illius; ergo si Scientia infusa erat practica in Christo, necessario causabat amorem finis supernaturalis; hic autē est Deus, vt attingitur à charitate; ergo necesse est ponere actum charitatis regulatum à Scientia infusa circa amorem Dei.

Istæ Sunt Causæ, propter quas necessariò ponitur Scientia infusa in anima Christi, loquendo de tali scientia quantum ad substantiam. Loquendo autem de illa quantū ad modum, scilicet quod per modum permanentis, & non transeuntis est in Christo, ex eisdē principijs sumitur. Quia Christus debebat perfici illa scientia tanquam Doctor omnium creaturarum intellectualium, & secundum statum perfectum scientiæ, vt virtus intellectualis est, & secundum modum connaturalem ipsius animæ, vt docet *S. Thomas* infra *Quæst.* 11. *Art.* 6. Doctor autem debet habere scientiam modo habituali, & permanenti; intendit enim perficere adiscentem in cognitione, quam docet; adiscens autem perficitur habitualiter, & non solū modo transeunti; sic enim nihil adisceret. Incōueniens est ergo, quod Doctor non habeat scientiam eo modo, quo intendit eam discipulum habere, scilicet habitualem.

Similiter intellectus postulat perfici scientia modo habituali; inde enim denominatur aliquis *Sciens simpliciter*, quia habet scientiam in se permanenter, & independenter ab actuali cognitione, Tum vt possit illa vti, cū voluerit, & habitibus vtimur cum volumus, non reuelationibus. Tum quia scientia est virtus intellectualis; non enim quis habere virtutem dicitur in statu perfecto, nisi habeat illam habitualiter. Vt ergo Christus Dominus haberet hanc scientiam in statu perfecto, debuit illam habitualiter habere.

Sed Contra Hoc Instabis; Nam etiam Christus Dominus habebat virtutem miraculorum, vt vteretur illa cum vellet, tanquam potestatem habens; & tamen non habebat illam per modum habitualem; vt dicit S. Thomas 2.2. Quæst. 178. Art. 1. ad 1. *Impossibile est quod principium operandi*

A *miracula sit aliqua qualitas habitualiter manens in anima.* Ergo similiter poterit sine aliqua qualitate habituali perfici anima Christi ad vtendum reuelationibus, cum voluerit.

Et Confirmatur fortius ex eodem loco. Nam dicit S. Thomas, *Quod sicut prophetia se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter cognosci possunt, ita operatio virtutum se extendit ad omnia, quæ supernaturaliter fieri possunt; quorum causa est Diuina omnipotentia,*
B *quæ nulli creaturæ communicari potest: & ideò impossibile est, quod principium operandi miracula sit aliqua qualitas permanens.* Ergo sicut non datur virtus habitualis ad patranda miracula, ita neque virtus habitualis ad Scientiam infusam. *Patet Consequentia.* Nam ideo non datur prophetia per modum qualitatis permanentis; quia se extendit ad omnia supernaturaliter cognoscibilia, sicut gratia miraculorum ad omnia supernaturaliter factibilia, quod etiam dixerat San-
C ctus Thomas 2.2. Quæst. 161. Art. 2 *Scientia infusa Christi se extendit ad omnia supernaturaliter cognoscibilia per quascumque reuelationes, sicut prophetia*, vt expressè dicit *Sanctus Thomas* infra *Quæst.* 11. *Art.* 1. Ergo non potest dari illa scientia modo habituali in Christo, sicut neque prophetia.

Respondetur Esse longè disparem rationem de virtute miraculorum, & de scientia per se indita, quia ad miracula non potest cōcurrere anima Christi, vt causa principalis, sed vt merum instrumentum diuinæ omnipotentiæ, quia miracula excedunt
D totam naturam, & ideò principalis eorum causa debet totam naturam excedere, & hæc est Deus. Quod autem vtatur virtute miraculorum cum voluit, non arguit quod habeat qualitatem per modum permanentis ad producenda miracula actiuè, sed sufficit quod sit destinata permanēter ad operandum quæcumque miracula ad finem Incarnationis ordinata. Sicut destinatur
E Sacerdos, vt minister per characterem, vt ministerialiter operetur consecrationem quoties voluerit; character autem quædam participatio est Sacerdotij Christi, vt docet *Sanctus Thomas* infra *Quæst.* 63. *Art.* 3. Sacerdotium autem Christi consistit in plenitudine gratiarum in quantum est Caput omnis gratiæ, vt docet *Sanctus Thomas* infra *Quæst.* 22. *Art.* 1. *ad* 3. & per talem gratiam habitualiter destinatur ad patranda quæcumque miracula voluerit. Cæterum ad cognitionem supernaturalem non con-

currit

currit anima Christi vt instrumentum, quia cum sit actio vitalis non potest exire ab anima vt purè mota, sed vt se mouente, & consequenter vt à causa principali, quæ si modo connaturali, & perfecto existit in anima debet esse habitualis, & permanens.

Ad Confirmationem Respondetur, Quod lumen propheticum etiam est qualitas constituens intellectum, vt causam principalem cognitionis propheticæ; cæterum non existit imperfecta modo perfecto, & connaturali; atque adeò per modum permanentis quamdiu est, perfecta non habet in se radicem cognoscendi ea, quæ reuelantur: radix autem talis cognitionis est cognitio diuinæ essentiæ, quia sicut principia se habent vt radix Conclusionum, ita diuina essentia vt principium supernaturale veritatum, & ideò quando non videtur essentia diuina non potest haberi cognitio intellectualis supernaturalium veritatum in sua radice, & in suis principijs, & ideò non cognoscitur per modum permanentem, sed per modum trãseuntem. Quæ est doctrina *Sancti Thomæ* 1 7 1. *Art.* 1.

Vnde Quando postea *Quæst.* 178. dicit, Quod prophetia non datur per modum qualitatis permanentis, quia se extendit ad omnia supernaturaliter intelligibilia, iuxta superiùs dicta intelligitur in eo, qui non videt essentiam diuinam, quæ est radix, & principium supernaturalium veritatum; visa autem diuina essentia, vt Christus videbat, manet cognitio supernaturalium in proprio genere, non iam propheticè, sed scientificè dicente Apostolo, *Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt.*

Si Inquiras Quomodo scientia infusa cognoscit res in proprio genere, si habet pro principijs in quæ resoluit diuinam essentiam? *Respondetur*, Quod scientia infusa non est vna in specie, sed per distinctos habitus variata, vt docet *Sanctus Thomas* infra *Quæst.* 11. *Artic.* 6. Vnde non est inconueniens, quod per vnum habitum cognoscat res in proprio genere purè, & simpliciter, id est, tam ex parte principiorum, quàm ex parte Conclusionum sine vlla dependentia, & per alium habitum cognoscat alias res in proprio genere, sed cum aliqua dependentia, & resolutione in diuinam essentiam.

Constat Enim in omnium sententia, quod Theologia Beatorum deducit suas Conclusiones ex Deo non credito, sed A viso; & similiter veritates reuelatæ nobis per propheriam, siue per aliud luthen possunt cognosci, vt Conclusiones deductæ ex diuina essentia clarè visa tanquam ex principio, & quia ab illa deducuntur tanquam Conclusiones illatæ cognoscuntur extra Verbum in proprio genere, indigetque Beatus conuertere se ad species proprias repræsentantes tales res in proprio genere, quæ debentur Beato ex vi ipsius Beatitudinis, & sibi infunduntur à B Deo, vt ita possit ea, quæ videt communicare alijs, & in se conferre, siue per similitudines ab ipso Beato formatas cognoscantur, sicut ponit *Sanctus Thomas* 1. *Parte Quæstion.* 12. *Artic.* 9. *ad* 2. & talis cognitio manet in proprio genere quatenus habetur per species proprias; dependenter tamen à visione diuinæ essentiæ.

C

SOLVVNTVR *Argumenta.*

Ad Obiectiones factas in principio, ad Primam *Respondetur*, Quod licet authoritates scripturæ non ita expresè exprimant hanc scientiam, & omnes eius conditiones, satis tamen probabiliter ex scriptura colligitur. *Tum* propter plenitudinem, & multitudinem scientiæ, quam ponit in D Christo, quæ non ita bene saluatur per solam scientiam Beatam, quia hæc est per formam excedentem connaturalem modum intelligendi; vnde si solum haberet scientiam Beatam in modo connaturali intelligendi, maneret vacuus. *Tum*, quia ponit scientiam inditam, & infusam per dona Spiritus Sancti, quæ secundum *Sanctum Thomam* pertinet ad scientiam infusam in Christo. *Tum*, quia ponit in Christo actus, qui connaturali modo exerceri E non possunt nisi per hanc scientiam, vt Docere alios, Iudicare de omnibus, Meteri etiam in primo instanti conceptionis suæ, quando nondum habebat scientiam adquisitam. Per scientiam autem Beatam, aut exerceri non poterant, aut connaturali modo non poterant. Hæc ergo omnia indicantur in *Scriptura*, & ideò satis conformiter ad ipsam ponitur in Christo hæc scientia, quæ ad eius perfectionem, atque officij dignitatem maximè conducit.

Ad Secundum Respondetur, Quod neque Angeli ad illuminandum alios vtuntur sola scientia Beata, sed indigent conuersione ad aliquam cognitionem in proprio genere, quæ habetur per species infusas, etsi non habeat eum modum, quem habet in Christo quantum ad hoc quod est indigere habitu, & vti posse discursu. Nec habet tantam perfectionem quantam in Christo, quantum ad multitudinem cognitorum, & claritatem cognoscendi (vt infra *Quæst.* 11. dicetur) verè tamen habet scientiam aliquam infusam, & similitudines inditas naturales, siue supernaturales sine quibus illumnationes illæ fieri non possent, vt ostensum est.

Ad Tertium Respondetur Multos Thomistas sentire, quod propter actum charitatis, etiam vt regulatum scientia Beata Christus potuit mereri, secundum quod actus ille ferebatur in creaturas visas in Deo, & in Deum vt principium creaturarum. Ita tenet *Magister Aluarez* hic *Disputat.* 45. *Capreolus*, & *Asturicensis*. Alij vero etiam Thomistæ oppositum tenent (& videtur satis verisimile, idque etiam reputat probabile *Asturicensis*: nec *Sanctus Thomas* oppositum docet in locis, quæ citat *Magister Aluarez*) solumque reprobant, quod eadem charitate qua fruebatur, merebatur, id est eodem habitu. Et similiter quod erat idem motus charitatis, scilicet ex parte obiecti dilecti. Quod vero eadem regulatione esset regulatus, siue esset omnino idem, & indiuisibilis actus, quo fruebatur, & merebatur *Sanctus Thomas* non dicit, ideoque loca eius non cogunt. De his autem latiùs tractare pertinet ad *Quæstionem* 19. & ideò non possumus immorati. Solum ad Rationem factam in Argumento oppositio, (quod est præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ) est duplex probabilior solutio.

Prima, Quod actus charitatis vt regulatus scientia Beata, & infusa sint actus diuersæ speciei. *Secunda*, Quod differunt solum numero. Vtramque impugnat *Magister Alaurez*: sed explicari possunt sic. *Prima* quidem solutio dicendo, Quod actus illi sunt diuersæ speciei quasi incompletè, & secundum quid, non completè, & perfectè, sicut partes etherogeneæ, quæ informantur eadem anima, vt manus, & oculus sunt distinctæ specie incompletè. Et sicut ab eadem virtute eliciuntur actus diuersæ speciei incompletè, vt à Religione Oratio, Deuotio, Adoratio, &c. A fortitudine agredi, & sustinere, & alia similia: immo in ipsa charitate diligere Deum, & diligere proximum sunt duo actus distincti, vt expressè docet Sanctus Thomas 2. 2. *Quæstion.* 44. *Artic.* 2. *ad* 1. Vbi inquit, Quod licèt charitas sit vna virtus habet tamen duos actus, quorum vnus ordinatur ad alium vt ad finem, & ideò oportuit esse plura præcepta charitatis, scilicet de diligendo Deo, & proximo.

Igitur sicut *Sanctus Thomas* admittit intra eamdem speciem charitatis duos actus, qui vt informantur ab eodem habitu, & motiuo sunt eiusdem speciei, licet partialiter, & incompletè possint esse distinctæ speciei, cur non admittemus etiam duos actus quasi partiales diligendi Deum cognitum perfectè, & non plenè, & vt cognitum in se ipso plenè, & sic diuersimodè regulatos, & diuersimodè tendētes, quorum vnus ordinetur ad alium vt ad finem, tanquam meritum ad præmium. Et ita licet procedant ab eodem habitu, & sint eiusdem speciei quasi completè, sunt tamen diuersæ speciei quasi partialiter, & incompletè.

Et Contra hanc solutionem non militan Argumenta *Aluarez*, quæ solum probant actum charitatis vt a fide, & a visione Beata non esse diuersæ speciei adæquatè, & completè, quasi sit duplex virtus, & duplex qualitas specie distincta.

Secunda Etiam solutio explicatur ferè eodem modo. Quod duo accidentia solum numero distincta non possunt esse in eodem subiecto, nisi habeant aliquam modificationem specie distinctam, ratione cuius compati possunt. Si autem sint eiusdem speciei secundum omnimodam modificationem, non possunt esse in eodem subiecto, *Verbi gratia*, Visio duplicis albi est visio eiusdem speciei ex parte obiecti specificantis, & tamen potest esse duplex ista visio, scilicet in eodem oculo, quia potest videri vt magnum sub distincta figura, siue distantia, siue motu, quæ est distincta modificatio ab altero albo. At verò duplex visio eiusdem albi non potest poni in eodem oculo, sed necessariò debet esse in diuersis subiectis.

Sic Ergo in proposito actus diligendi

di Deum, & proximum, siue diligendi Deum clarè cognitum, aut obscurè cognitum ex parte bonitatis, & motiui, quo amatur, & habitus à quo procedunt solum numero differunt, quia etiam habent distinctam modificationem ex parte modi regulandi, aut modificandi vtrumque actum non repugnant simul esse in eodem subiecto.

Neque Obstat, quod non possunt multiplicari plures relationes ad plures filios in eodem Patre, quia generatio vnius filij, & alterius filij in hoc quod est fundare relationem Paternitatis, & ipsa relatio sic fundata, nec habet distinctam modificationem, nec distinctam specificationem, quia licèt duo filij differant indiuidualiter secundum diuersa accidentia, tamen relatio Paternitatis non terminatur ad diuersa accidentia, sed ad ipsam rationem filij, quæ eodem modo se habet in vno, atque in altero filio. Vnde non restat aliquid per quod differant illæ relationes indiuiduaC liter in eodem subiecto: quando vero accidentia diuersimodè modificantur, diuersimodè etiam indiuiduantur in eodem subiecto.

Ad Confirmationem huius tertij Argumenti *Respondetur*, Quod etiam relationes extra Verbum pertinent ad scientiam infusam, dicit enim *Sanctus Thomas* infra *Quæstion.* 11. *Artic.* 1. Quod scientia infusa se extendit ad omnia, quæ quocumque modo reuelantur à Deo; vnD de reuelatio extra Verbum non distinguitur contra reuelationem per scientiam infusam.

Ad Quartum Respondetur Angelos habere etiam scientiam infusam, id est, cognitionem extra Verbum etiam rerum supernaturalium; est enim cognitio matutina, & Vespertina, quæ distinguuntur penes hoc, quod est cognoscere res in Verbo, siue extra Verbum; vna tamen nascitur, & consequitur ex alia, sicut vespere ex mane. Immo ex hac similitudine cognitionis Angelicæ probat *Sanctus Thomas* dari in Christo scientiam infusam, sicut in Angelis cognitionem vespertinam, alioquin non possent Angeli illuminare inferiores, nisi cognoscerent supernaturalia obiecta extra Verbum, licèt in eis scientia infusa non sit tantæ perfectionis quantum ad multitudinem obiectorum, & claritatem cognoscendi, sicut scientia infusa animæ Christi, ratione cuius potest

A illuminare Angelos determinando, & confortando species eorum, vt clariùs aliquid cognoscant, siue ad aliquod obiectum se extendat ad quod antea non se extendebat, quod antea non erat eis debitum quãtumcumque habeant vniuersaliores species, quam anima Christi.

Ad Impugnationem rationis *Sancti Thomæ* Respondetur ex dictis, Quod licèt carere aliqua perfectione pertinente ad potentiam obedientialem non sit imperfeB ctio in anima considerata præcisè in statu naturali illius, considerata tamen in statu ad quem eleuata est anima Christi, sicut vt assumpta à Verbo ad supremam visionem, & supremum officium docendi omnes, esset imperfectio carere scientia infusa, & manere in potentia ad cognoscenda omnia intelligibilia in proprio genere, de quibus potest illuminari, & indicare.

Ad Confirmationem Respondetur species C intelligibiles per se infusas, & adquisitas non esse eiusdem speciei, quia licèt repræsentent idem, non tamen eodem modo, neque in eadem abstractione, & immaterialitate: neque enim est eadem abstractio eius, quod dicit dependentiam à phantasmate, & eius quod non dicit. Sicut species superioris Angeli differunt ab speciebus inferiorum, etiam circa idem obiectum, & species albi vt est in oculo differt ab specie eiusdem albi in imagiD ne sua. Neque etiam cogimur ponere species supernaturales quo ad substantiam repræsentantes res naturales, *Verbi gratia*, equum, aut hominem, si enim tales sunt supernaturales quo ad substantiam quando directè, & primo repræsentant rem naturalem, si tamen repræsentent rem naturalem quali in connotato, & obliquo, *Verbi grat.* hominem in quantum est subiectum gratiæ, gratiam autem primo & per se, tunc non repugnat per species, quæ E sunt supernaturales quo ad substantiam repræsentari rem naturalem vt subordinatam supernaturali, & tunc manifestè tales species differunt à speciebus adquisitis.

Si Autem repræsentent rem naturalem directè, & primariò, quam etiam repræsentant species adquisitæ, *Verbi gratia*, hominem, aut equum, adhuc differre possunt essentialiter à speciebus adquisitis, siue per accidens infusis ex diuerso modo essentiali tendendi in talia

obiecta, quia species adquisitæ adæquantur ipsis rebus à quibus hauriuntur; species autem per se infusæ excellentiori modo repræsentant, quia repræsentant vt deriuatæ, & exemplatæ ab Idæis diuinis. Sicut modo differunt species, quæ infunduntur animæ separatæ ad cognoscendas res naturales ab illis, quas mediante phantasmate abstrahimus ab obiectis.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Scientia Naturalis proprijs actibus fuerit à Christo adquisita?

DVPLEX in hac parte insinuatur Difficultas, Altera de ipsa re, An Christus Dominus verè acquisierit hanc scientiam proprijs actibus? Altera circa rationem *Sancti Thomæ*, qua probat acquisiuisse hanc scientiam proprijs actibus, *Ne intellectus agens esset frustra*, An vero ista ratio efficax sit?

Circa Primum Nonnulli Authores existimarunt Christum Dominum habuisse hanc scientiam per accidens infusam, licèt ex diuersis motiuis, nam Aliqui ex eo, quod putabant scientiam infusam, & adquisitam non distingui, quando versantur circa idem obiectum, id dixerunt: & in hunc modum dicendi inclinat *Durandus in* 3. *Distinct.* 14. *Quæst.* 4. *& Gabriel* ibidem *Quæst. Vnic. Artic.* 3. *Dub.* 1. Quidam etiam citant *Scotum*, sed de eius mente non ita constat in hac parte. Alij autem simpliciter, & absolutè docent scientiam naturalem fuisse per accidens infusam in Christo, ne aliquando careret hac perfectione; quæ videtur esse sententia *Sancti Bonauenturæ in* 3. *Dist.* 14. *Art.* 3. *Quæst.* 2. *in Corp. & ad* 2.

Et Videtur etiam esse plurium Authorum tempore *Sancti Thomæ*, quam, & Ipse tenuit, vt refert hic *Artic.* 4. & infra *Quæst.* 12. *Artic.* 1. Qui dicebant Christum non habuisse scientiam acquisitam secundum modum humanum, & ex parte causæ agentis, id est, quod modo humano, & per intellectum agentem adquireretur, non vero omnino explicabant, An daretur aliquis habitus distinctus ab habitu per se infuso, quasi duo habitus infusi essent in Christo, alter per se, alter per accidens, qui esset circa speciei cum acquisito, & solum differret ex parte causæ efficientis, sed magis insinuat *Sanctus Thomas* non posuisse nisi habitum per se infusum, nullum vero acquisitum.

Tandem Vero Pater Suarez hic *Disput.* 30. *Sect.* 2. distinxit inter cognitionem quasi scientificam, & quasi experimentalem, & dicit quod scientia naturalis quo ad habitus, & species necessarias ad cognitionem scientificam, & demonstratiuam fuit per accidens infusa Christo ab initio suæ conceptionis. Scientia vero experimentalis fuit proprijs actibus adquisita, non solum ex parte sensuum, quia de nouo experiebatur sensitiua cognitione obiecta, quæ ante non sentiebat, sed etiam ex parte intellectualis cognitionis, qua de nouo intellectus experiebatur aliqua obiecta. Et quia alijs difficile visum est, quod intellectus de nouo acciperet cognitionem experimentalem, non accipiendo species; si autem illas accipiebat, superfluè ponebantur infusæ per accidens, Dixerunt Christum Dominum habuisse hanc scientiam per accidens infusam quantum ad habitum, qui est lumen, seu inclinatio habitualis ad cognitionem eliciendam: at verò quantum ad ipsas species fuisse proprijs actibus à Christo acquisitam.

Omissis Autem rationibus *Durandi*, quæ procedunt ex præsuppositione, quod scientia infusa, & adquisita sunt eiusdem speciei, & sic non possunt esse simul in eodem subiecto; Varijs rationibus hanc sententiam amplificat *Suarez*, sed totum ferè pondus rationum reducitur ad hoc, Quod pertinebat ad perfectionem animæ Christi habere hanc scientiam perfectam, & non decuit aliquo tempore tali perfectione carere, nec talis carentia congruebat operi Redemptionis. Hoc autem sic probatur. *Primo*, Quia Christus Dominus secundum scientiam naturalem cognoscebat substantias separatas, & substantiam animæ suæ eo modo, quo anima separata se ipsam cognoscit; quæ cognitio independenter à sensibus habetur, & consequenter anima Christi, vt animas separatas intelligeret, debuit habere infusas: quod si habuit respectu substantiarum immaterialium, cur non respectu materialium? De vtrisque enim accipit anima separata species naturales.

Se-

Secundo, Quia Christum nulla decuit ignorantia, aut priuatio scientiæ naturaliter debitæ, etiam pro breuissimo tempore, licèt enim homini naturale sit procedere ab imperfecto ad perfectũ, tamen in Christo magis attendendum est ad debitum connaturale ipsi ministerio, & dignitati ad quam est eleuatus, quam ipsi humanitati secundum principia naturalia consideratæ. Ille autem connaturalis processus de imperfecto ad perfectum supponit imperfectionem ignorantiæ in ipsa naturali scientia; talis autem imperfectio non erat necessaria fini redemptionis, sicut aliæ imperfectiones corporales fuerunt; ergo attendendo ad finem redemptionis, & ad dignitatẽ ministerij non decuit Christum illam imperfectionem assumere.

Tertio, Quia non decuit, quod Adam ex eo quod erat Caput generis humani, careret aliquo tempore scientia naturali, vt eam acquireret propriis actibus, quia licèt ille modus sit connaturalis naturæ humanæ, tamen in primo Capite magis attenditur perfectio congrua dignitati Capitis, quam communis modus perfectionis naturæ; ergo similiter in Christo, qui erat Caput & Superior ipsi Adam, & toti naturæ, debuit poni illa perfectio scientiæ naturalis, sine hoc quod careret aliquo tempore illa, non obstante, quod modus connaturalior humanæ naturæ est adquirere illam propriis actibus, quia id non est connaturalius Capiti naturæ.

Neque Obstat, quod habebat Christus alias scientias, ratione quarum non erat simpliciter ignorans: quia neque etiam in scientia naturali debuit esse inferior Adamo, & simpliciter esse imperfectus carendo modo connaturali cognoscendi.

Quarto id Vrgetur in Virtutibus Moralibus, quas habuit Christus Dominus per accidens infusas, vt supra admisimus *Quæst. 7. Artic. 3.* Quia melius erat nunquam carere illis; ergo idem dicendum est de virtutibus intellectualibus, saltem quantum ad ipsum habitum scientiæ dato, quod quantum ad species non infunderentur sibi à principio, sed acquirerentur ministerio sensuum. *Consequentia Pater.* Tum ex paritate rationis; Tum quia positis virtutibus moralibus, debuit poni Prudentia, quæ est illarum directiua; hæc autem cum rectificet cognitionem practicam, & omnis cognitio practica oriatur ex speculatiua, supponit rectificationem speculatiuæ, quæ fit per habitus scientiarum, & virtutum intellectualium; præsertim quando prudentia est perfecta, sicut debuit esse in Christo; ergo scientiæ naturales fuerunt ei infusæ sicut Prudentia.

Denique Arguitur pro hac parte. Quia non est dubium, quod scientia naturalis, siue propriis actibus fuerit à Christo acquisita, siue per accidens infusa, debuit esse perfectissima, neque inferior ad scientiam, quam habuit Adam, vel Salomon, & consequenter debuit intelligere omnia obiecta, quæ ministerio sensuum possunt cognosci, si eis proponantur; ad hoc autem, quod omnia proponantur Christo, debent fieri non minus extraordinaria miracula, quam si per accidens infundantur species; ergo compendiosius ponitur hæc scientia per accidens infusa, ne cogamur illam ponere imperfectam in Christo, scilicet longissimo tempore acquisitam.

Assumptum Ostenditur, Quia sunt plurima sensibilia, quæ sensibus hominum non obijciuntur, eo quod homo non potest illis esse præsens, vt omnes species Piscium qui sunt in profundo maris; omnia, quæ generantur intra viscera terræ, vel quæ in aëre fiunt intra, vel extra nubes; omnes stellæ cœli, & similia; quæ si Christus ignorauit per hanc scientiam, valdè diminutam illam habuit, & non sicut decuit ei, qui erat Caput. Si autem cognouit, vtique perfectè debuit cognoscere. Quomodo ergo fuerunt illa sensibus obiecta, vt proprias eorum species, & cognitionem hauriret? Nam quod ministerio Angelorum non fuerint adducta sensibiliter ad Christum, vel Christus ad illa adductus, inde facile conuincitur: Quia stellæ cœli non poterant adduci ad Christum, vt omnes videret. Quomodo etiam omnes pisces maris, vel omnia metalla terræ fuerũt Christo adducta, & illi repræsentata? Multo minus fuit Christus ad ea adductus. *Verbi grat.* ad omnia profunda maris, & terræ, ad immensitatem cœli, &c. Quis enim hæc non tam fictitia reijciat, & miraculis superfluis plena?

Quod Etiam non sufficeret Christo vnum indiuiduum sensibus videre, vt inde alia similia cognosceret, & eius effectus comprehenderet, vt insinuat *Sanctus Thomas* infra *Quæst. 12. Artic. 1.* inde conuincitur. Quia sic multa non intelligeret

Christus perfectè, & per proprios conceptus, sed ad similitudinem aliorum, quia nec Angelus, qui naturali virtute excedit naturalem vim animæ Christi, potest per speciē vnius substantiæ perfectè cognoscere speciem alterius, aut sola specie cœli omnes eius effectus comprehendere; cum enim species rerum non sint similes in differentijs, quibus specialiter constituuntur, sed in generica natura in qua conueniunt, ex vi similitudinis solum potest cognosci illud commune in quo conueniunt, non vero proprietas illa in qua differunt.

Ac Denique ex directione, & confortatione Scientiæ infusæ non poterat Christus hæc omnia per scientiam naturalem intelligere, quia Sciētia infusa non poterat supplere propria principia scientiæ naturalis, *Verbi grat.* proprias species illius, aut proprium lumen, quia id quod præstare potest Scientia infusa solum esset supernaturale, saltem quo ad modum, quod non est accōmodatum acquisitioni scientiæ naturalis. Facilius ergo est ponere hāc Scientiā infusam per accidēs, quam tot inconuenientia, & miracula deuorare.

Circa Secundam Difficultatem, scilicet, Quomodo sit efficax ratio *Sancti Thomæ*, quæ illi propositioni innititur, *Quod non debuit otiosa esse in Christo potentia intellectus Agentis*, esset autem otiosa si non abstraheret species intelligibiles, sed illas supponeret per accidens infusas, quia hoc est proprium munus intellectus agentis.

Contra Hanc rationem instat *Scotus*, Quia etiam intellectus agens fuit in Adam, & in Beatis; & tamen non frustra, licèt non abstrahat speciem à phantasmatibus; sicut etiam nutritiua non est frustra in Beatis, licèt non reducatur in actu.

Deinde instat *Caietanus*. Quia officium intellectus agentis non est solum abstrahere species, sed etiam illustrare principia, vt illis vtatur intellectus, & ita licèt non seruierit in Christo pro primo officio abstrahendi species, potuit seruire pro secundo, quantum ad vsum illarum, & illustrationem principiorum.

Tertio instat *Vazquez Disp. 55. Cap. 3.* Quia difficile, & arduum est in Philosophia probare quod intellectus agens distinguatur à possibilj; si autem non distinguuntur ruit probatio *Sancti Thomæ*, quia non continuo erit frustra illa potentia in Christo si non ad effectum intellectus agentis, saltem ad effectus intellectus possibilis.

Deinde instat *Durandus*, Quia non decuit Christum acquirere scientiam per disciplinam ab alio homine, siue Angelo docente; ergo neque ab ipsis rebus species abstrahendo, quia sic addisceret à rebus, & penderet ab illis, vt discipulus à Magistro.

Resolutio Dubij.

Nihilominus defendenda est Sententia *Sancti Thomæ*, eiusque ratio, & fundamentum, nam hic maximè currit necessitas defendendi rationem istam, quæ ita valida iudicata est à *Sancto Thomæ*, quod propter ipsam mutauerit Sententiam, quam alibi tenuit, vt ipse perspicuè fatetur hic *Art. 4.* & infra *Quæst. 12. Art. 2.* Quare si hoc fundamentum reputatur ineffícax, periclitatur sine dubio Iudicium *Sancti Thomæ*, quia censebitur ex leui motiuo sententiam mutasse. Vnde miror *Magistrum Aluarez* hic *Disp. 53 Solut. ad 1.* affirmare, quod sine fundamento dicitur *Sanctum Thomam* retractasse sententiam, quam tenuit in 3. *Dist. 14.* Quomodo enim sine fundamento dicitur, id quod perspicuè asserit *Sanctus Doctor* hic *Artic. 4.* dum inquit? *Et ideò quamuis Aliter alibi scripserim, dicendum est in Christo fuisse scientiam acquisitam, quæ propriè scientia est secundum modum humanum, &c.* Vbi constat retractasse sententiam, quam tenuit, simulque suam explicasse, quod non solum habuerit experimentalem notitiam per sensus adquisitam, sed etiam scientiam, quæ propriè scientia est.

Quo Verbo excluſit *Sanctus Thomas* Sententiam *Patris Suarez* ponētis infusam esse per accidens Christo scientiam, quantum ad habitum, & species necessarias ad demonstrationem rerum faciendas, licèt non quo ad experimentalem cognitionem, & sententiam Aliorum, qui ponunt habitus scientiarum naturaliū infusos fuisse à Deo, sed non species intelligibiles, vtrumque enim excludit *Sanctus Thomas* dicens, Acquisiuisse scientiam, quæ propriè scientia est; hæc enim supponit pro habitu demonstratiuo, non pro speciebus, nec pro experimentali cognitione.

Quod Expressius infra *Quæst. 12. Art. 2.* explicauit *Sanctus Thomas* dum inquit, *Quod scientia hæc in Christo non solum fuit augmentata secundum experientiam, id est conuersionem specierum intelligibilium inditarum ad phantasmata; sed etiam secundum essentiam* ex-

extrahendo ipsas species intelligibiles à phantasmatibus, & postmodum alias, & alias, &c. Quare contra expressam Sententiam *Sancti Thomæ* est dicere, quod Christus habuit has species infusas ab initio, & non abstractas à phantasmatibus; siue quod habuit habitum infusum, & non species, siue quod simul acquisiuit omnem perfectionem huius scientiæ acquisitæ, sed aliquando habuit illam imperfectionem acquirendo aliquas species, deinde profecit acquirendo alias, &c.

Vt Autem pondus rationis *Sancti Thomæ* penetretur est Aduertendum, Quod intentum *Sancti Thomæ* est ostendere duo. *Primum*, Quod in Christo fuit scientia acquisita, vt distinguitur contra infusam per se. *Secundum*, Quod fuerit tali modo, & per talem viam acquisita, scilicet ministerio sensuum, non autem infusione per accidens. Et quia de primo dubitabatur apud Quosdā, & ipse *Sanctus Thomas* in hoc mutabat sententiam, vtitur ad probandum illud primū, scilicet Quod in Christo fuerit scientia acquisita ex hoc secundo, scilicet Quia tali via debuit illam adquirere, id est actione intellectus agentis sibi connaturali, & propria, ne esset frustra intellectus agens. Assumit ergo *Sanctus Thomas* quasi principium notius, quod Christus Dominus habuit talem modum acquisitionis, scilicet per operationem intellectus agentis abstrahentis species, vt inde probet, quod habuit scientiam acquisitam. Et ratio quare id supponit tanquam notius est id, quod insinuat in initio *Corporis Artic.* 4. scilicet quod Christus assumpsit in natura humana quidquid Deus plantauit in tali natura, (vt dicit *Damascenus*) & intelligitur *Quidquid plantauit* etiā quantum ad modum, & statum connaturalem, hoc enim intelligitur sub illa vniuersali, *Quidquid plantauit*. Vnde omnes potentias talis naturæ assumpsit secundum connaturalem modum operandi talium potentiarum: connaturalis autem modus, & status naturarum considerari potest, siue secundum modum, quem habuit natura in principio suæ Creationis, siue secundum modum, quem habet in communi cursu rerum, iuxta primam creationem.

In Prima quidem creatione necessarium fuit, quod omnes potentiæ haberent actus connaturales, quos modo habent, quia Deus produxit in prima creatione naturas perfectas, non solum vt essent in se ipsis, sed etiam vt essent aliorum principia in esse naturali, vt optimè aduertit Sanctus Thomas 1 *Part. Quæst.* 94. *Art.* 3. Qua ratione dicitur *Genes.* 1. Quod producit terra herbam virentem, lignumque pomiferum faciens fructum, iuxta genus suum, quia scilicet ortæ sunt plantæ, vt potentes fructificare, & generare; & similiter animantia, vt potentia crescere, & multiplicari super terram. Quare potentiæ illæ, quæ datæ sunt ad acquirendum augmentum, & perfectionem naturæ in statu primæ creationis, debuerunt vacare quantum ad hunc actum augmentandi, & perficiendi, quia ab ipso Creatore producebantur creaturæ perfectæ, vt essent principia cæterorum.

Et Hac ratione etiam Adam creatus est in corpore perfecto, ita quod potentia augmentatiua non potuit ibi exercere actum augendi, sed solum nutriendi, fuitque pro illo statu connaturale, quod augmentatiua careret tali actu, & quia homo non solum fuit creatus perfectus in natura vegetatiua, sed etiam in natura rationali, vt posset statim alios instruere, & gubernare, & præesse piscibus maris, & volatilibus cœli, &c.

Etiam necessarium fuit, quod intellectus agens, qui est quasi potentia augmentatiua, & perfectiua intellectus in esse intelligibili careret actu suo, qui est elicere species, quibus intellectus augetur, quia creabatur homo vt perfectum principium aliorum in gubernatione, & instructione scientiæ; & consequenter non vt instruendus, sed vt instructus, sicut in corpore vt augmentatus, & non vt augmentandus. Quo discursu vtitur *S. Thomas Quæst.* 94. citata.

Status Autem connaturalis naturæ, & potentiarum eius extra principium creationis est vt potentia augmentatiua habeat suum actum augendo ab infima paruitate ad perfectum augmentum: & similiter intellectus agens habeat suum actum augendi, & perficiendi intellectum speciebus abstractis à phantasmatibus. Quia ergo Christus non assumpsit naturam in primo statu, sed in secundo; non in principio creationis, sed in communi cursu naturæ, ideò in naturalibus accepit potētias, sicut eas Deus plantauit pro statu, & connaturali operatione talium potentiarum in communi cursu; atque adeò sicut assumpsit corpus, quod paulatim creuit per actum augmentatiuæ virtutis, sic assumpsit animā, quæ paulatim profecit in esse naturali per actum intellectus agentis, vtrumque enim Euangelista coniunxit dicens: *Et Iesus proficiebat*

bat ætate, & sapientia, &c. Quasi perfectus corpore secundum ætatem, & perfectus secundum sapientiam in naturalibus habuerit inter se correspondentiam, & similitudinem.

Quia Tamen Christus datus est, vt Supremum Caput in genere supernaturali, ideò in isto genere statim à principio habuit summam perfectionem, tam in scientia beata, quàm infusa, secundum quam etiam cognouit ea, quæ lumine intellectus agentis attingi possunt, vt docet *S. Thom.* infra *Quæst.* 11. *Art.* 1. Quia omnia naturalia subiecta illi sunt vt Supremo Domino, non tamen vt Capiti in esse naturali, sed supernaturali; & ideò in supernaturali modo scientiæ statim fuit perfectus; in naturalibus autem, quia venit vt descendens ab Adam, non tamen vt primum principium humanum in esse naturæ, ideò debuit assumere naturam, & eius potentias in connaturali statu, quem habent post primam creationē in communi rerum cursu. Et in hoc statu currit ratio facta â *D. Thoma*, & explicata optimè à *Caietano*, Quod perfectius est adquirere scientiam eo modo, quo per se est acquisibilis, quam eo modo, quo per accidens habetur, quia pro hoc statu id, quod est magis connaturale, & per se, non debet prætermitti propter aliquam maiorem perfectionem prouenientem ex eo, quod est per accidens, supposito quod assumpsit Christus id, quod plantauerat in natura, nō solum ex parte rei, sed etiam ex parte modi connaturalis naturæ, & sic pro isto statu frustra esset intellectus agens, quia careret proprio, & cōnaturali actu debito pro isto statu naturæ, licèt non esset debitus pro alio statu, vt in prima rerum creatione, vel pro statu gloriæ. Christus autem assumpsit naturam in eo statu, & cursu, in quo reddebat debitum intellectus agens illo actu abstrahendi species, quo si careret, frustra esset, vtpotè carens debito suo.

Nec Solum probat hæc ratio debere intellectum agentem acquirere species intelligibiles, sed etiam ipsum habitum scientiæ, quia connaturalis modus acquirendi illum habitum est mediantibus speciebus, eo quod habitus ille est lumen quoddam intelligibile acceptum, & deriuatum ab obiectis: obiecta autem sensibilia in se actu non habent habitum intelligibilem, quousque mediantibus speciebus abstractis fiant actu intelligibilia, & sic ab illis educi possit habitualis virtus, quæ est lumen intelligibile tenens se ex parte intellectus.

Neque Illi habitus, si darentur ante species redderent intellectum perfectum, & ordinatum, sicut habitus virtutum in voluntate, eo quod habitus virtutum ordinant per modum inclinationis; inclinatio autē perficit ipsam potentiam voluntatis nudā, non vero actu habens species, neque enim illarum est capax. Vnde conueniens est, quod voluntas vt sit perfecta, & rectificata secundum naturalem inclinationem habeat illos habitus, etiam antequam actus eorum possit exercere. At verò habitus intellectiui non ordinant nudam potentiam intellectus, sed species eius, vel intellectum speciebus actuatum; vnde antequam intellectus habeat species, non potest habitus ille reddere intellectum ordinatum, aut inclinatum, & ideò frustra infunderetur ille habitus non infusis, nec positis in intellectu speciebus, quæ sunt materia ordinabilis per habitum intellectiuum.

Videatur etiam *Vazquez Disp.* 55. *Cap.* 2. impugnantem sententiam *Suarez* ex eo, quod adhuc datis illis speciebus per accidens infusis Christus non poterat vti illis ab initio, quia vsus talium specierum dependebat à conuersione ad phantasmata, & ministerio sensuum; erat enim illa scientia eiusdem speciei cum nostra acquisita; & consequenter eiusdem dependentiæ. Christus autem non habuit ab initio ministeriū sensuum magis expeditum, quam alij infantes; frustra ergo erant illæ species ab initio infusæ, si ab initio illis vti non poterat. Cæterum *Suarez* negat fuisse in Christo hoc impedimentum vtendi sensibus pro vsu rationis naturalis. Quod satis significauit *Augustinus* 2. *de Peccatorum meritis Cap.* 9. sed de hoc tractare spectat ad *Quæst.* 14. & ideò supersedemus ab hac ratione.

Soluuntur Obiecta.

Ad Primum Argumentum contra primam Difficultatem *Respondetur*, Quod per hanc scientiam non cognouit Christus Dominus substantias separatas secūdum essentiam, vt expresè docet *Sanctus Thomas* infra *Quæst.* 12. *Art.* 1. *ad* 3. Licèt enim pertineat ad regularem cognitionem animæ separatæ cognoscere essentiam suam, & substantiarum separatarum; hæc tamen cognitio non potest haberi per scientiam adquisitam ministerio sensuum, quia hæc solum habet

habet pro obiecto quidditatem sensibilem.

Qua Ratione etiam negat *Sanctus Thomas* 1. *Part. Quæst.* 94. *Art.* 2. Quod Adam cognouerit Angelos per essentiam, licèt excellentiùs illos cognouerit quam nos, quia eius cognitio erat magis certa, & fixa circa interiora intelligibilia. Quod etiam scientiæ acquisitæ Christi tribuendum est; illa ergo naturalis cognitio, qua anima separata se, & Angelos cognoscit connumeranda est cum scientia per se infusa, ad quam etiam expectat omnia naturalia intelligere.

Ad Secundum Respondetur, Quod ille processus de imperfecto ad perfectum per carentiam scientiæ naturalis pro aliquo tempore in Christo non erat ignorantia priuatiua, sed negatiua, quia pro eo tempore non erat ei debita illa scientia, supposita assumptione naturæ in tali statu: sicut nec erat imperfectio quod in ætate infantili careret loquela, quia permittebat agere naturæ, quod cuiusque status proprium est, & secundum omnium sententiam etiam *Ipsius Suarez* caruit ab initio experimentali cognitione, quæ tamen carentia non erat ignorantia priuatiua, sed negatiua.

Idem Ergo dicendum est de carentia illius cognitionis scientificæ pro illo tempore: neque habere illam scientiam ab initio pertinebat ad dignitatem Capitis, quia in eo in quo erat Caput habebat omnem scientiam debitam tali dignitati ab initio, quæ est scientia supernaturalis, sicut est Caput in genere supernaturali.

Ad Tertium constat ex dictis. Quod Adamo debebatur vt Capiti naturali infusio per accidens scientiæ adquisitæ. Christo autem non, & ideò propotionatum, & connaturale erat Primo Parenti carere actu proprio, & principali intellectus agentis, non autem Christo.

Et Quando Dicitur, Quod hæc scientia naturalis non debuit esse inferior in Christo, quam in Adamo. *Respond.* Quod quidquid sit An fuerit in Christo inferior ex parte multitudinis obiectorum (de quo *Solut. ad* 5.) tamen intensiuè ex parte modi cognoscendi nullo modo fuit inferior, *Tum*, quia connaturali, & proprio modo illius scientiæ pro tali statu cognouit, & per propriam inuentionem. *Tum*, quia habuit ingenium longè excellentiùs, & ideò plenè, & efficaciùs apprehendebat Christus quidditatem rerum per species abstractas, A quam Adam per infusas, quia istæ infusæ ex parte modi repræsentandi non differebant ab adquisitis, sed tantum in modo suæ generationis, & principij à quo processerant. Vnde stante excellentiori ingenio, Christus perfectiùs intelligebat, quam Adam.

Ad Quartum Respondetur ex dictis supra *Quæst.* 7. *Disp. Vnica Art.* 3. Quod licèt connaturalis generatio virtutum moralium, & intellectualium debeat esse mediantibus B propriis actibus, quibus vtrumque genus virtutum adquiritur; est tamen maior connaturalitas, quod in Christo infundantur per accidens habitus virtutum moralium, quam intellectualium. *Tum*, quia ipsa acquisitio, & generatio virtutum moralium fit per assuefactionem potentiæ appetitiuæ exercentis se in materijs virtutum. Erat autem indecens Christo habere aliquam rectificationem appetitus mediante assuefactione, quia ex parte suppositi erat ipsa summa rectitudo, & ideò illæ potentiæ, quæ deseruiebant supposito ad rectè operandum, decebat vt haberent omnino perfectam rectificationem, ne procederent de imperfecto ad perfectum in ea adquirenda. Vnde ex hoc etiam non sequeretur, quod aliqua potentia remaneret otiosa in Christo in suo connaturali actu, quia virtutum moralium habitus non acquiruntur ex illustratione alterius potentiæ, sed ex actibus eiusdem, quibus afluerit à virtute procedendo de imperfecto ad perfectum. Conuenientius autem erat, quod ista potentia semper procederet in suis actibus perfectè, quia eorum perfectio erat perfectio pertinens ad rectificationem.

Non Autem erat inconueniens in parte intellectiua carere aliqua scientia, siue modo scientiæ, in quo non consistebat rectificatio habitualis voluntatis; & aliunde sequebatur illud alterum incõueniens, quod aliqua potentia careret suo actu connaturali, quia ex eius illustratione adquiritur hęc scientia naturalis.

Tum Secundo, Quia habitus moralium virtutum cum se habeant per modum inclinationis immediatè perficere possunt ipsam nudam potentiam voluntatis; habitus autem intellectuales non perficiunt nisi intellectum actuatum speciebus. Vnde non est connaturale habitus scientiarum infundi ante ipsas species; quę si per accidens infunderentur, tolleretur in Christo connaturalis actus intellectus agentis pro

hoc

hoc ſtatu, quod nullo modo currit in virtutibus moralibus.

De Prudentia autem Diximus ſupra *Diſput. 3. Quæſt. 1. Art. 3.* Quod fuit per accidens infuſa Chriſto, ſicut & aliæ virtutes morales, quia licèt ſit in intellectu, tamen quia non verſatur circa verum ſpeculatiuum, ſed practicum, non exiſtit intellectu vt moto præciſè ab ſpeciebus, ſed vt moto à voluntate, quatenus ex rectificatione voluntatis circa finem, (quod fit per habitus virtutum moralium) redditur intellectus diſpoſitus ad iudicandum practicè cõuenienter remedium, & quia per habitus moraſium virtutum erat voluntas Chriſti ſic habitualiter diſpoſita, conſequenter ex parte intellectus practici, quia eſt dependens à tali diſpoſitione, deberet etiam infundi habitualis diſpoſitio prudentiæ etiam antequam ſpecies infunderentur. Et in hoc magis dependet prudentia à diſpoſitione voluntatis, quam à cognitione intellectus ſpeculatiui. Sicut eadem ratione infunditur paruulo habitus fidei antequam habeat ſpecies, quia eſt habitus pendens à motione, ſiue diſpoſitione habituali voluntatis. At verò habitus ſpeculatiui non denominant intellectum, vt diſpoſitum ex motione volũtatis, ſed vt præciſè actuatum ſpeciebus circa verum, & idcò ante poſitionem ſpecierum non ponuntur iſti habitus, ſicut neque prudentia ante poſitionem, ſeu motionem voluntatis.

Ad Vltimum Reſpondetur hanc ſcientiam fuiſſe perfectiſsimè in Chriſto, non abſolutè, ſed intra ſuum genus. Genus autem huius ſcientiæ compatitur eam habere perfectam, etiamſi non omnia æqualiter cognoſcantur, nec omnia indiuidua attingantur; quia proprium, & per ſe obiectum eius eſt quidditas ſenſibilis vt abſtracta ab indiuiduis. Vnde cognitio horum indiuiduorum ſenſibilium non pertinet ad hanc ſcientiam, vt ſcientia eſt; indiuidua enim propriè cognoſcuntur per cognitionem experimentalem, non ſcientificam.

Quia Ergo propria perfectio huius ſcientiæ ſolum eſt cognitio ſcientifica rerum, quatenus habentur per diſcurſum, dupliciter poteſt intelligi, quod pertineant ad perfectionem huius ſcientiæ formare proprios cõceptus rerum: vno modo proprios quaſi ſcientificè, & demonſtratiuè, ſicut concluſiones, quæ deducuntur ex ſuis principijs: alio modo proprios proprietate ſimplicis repræſentationis per ſpecies proprias, & immediatè elicitas à tali re. Ergo ſcientia acquiſita ex perfectione ſui generis, quæ eſt cognitio ſcientifica, non poſtulat habere proprias, & immediatas ſpecies omniũ rerum, ſed quaſdam habere immediatas, quaſdam vero formare, & colligere ex alijs, vt effectus ex cauſis, & ſimilia ex ſimilibus.

Licèt Enim in Adamo fuerint infuſæ per accidens ſpecies, non tamen conſtat accepiſſe immediatas ſpecies omnium ſenſibilium, ſed accepit plures ſpecies ex quibus poterat per diſcurſum formare alias, quia hic modus eſt valdè connaturalis huic ſciẽtiæ acquiſitæ, cuius perfectio non conſiſtit in hoc, quod de omnibus habeat propriã, & immediatam repræſentationem, ſed in hoc maximè, quod induſtria propria ſciat formare, & deducere conceptum vnius ex alijs, & hoc modo perfectior fuit iſta ſcientia in Chriſto, quam in Adamo, quia per ſpecies acquiſitas immediatè ab aliquibus ſenſibilibus efficaciter potuit formare, & colligere alias propter excellentiſsimam vim ingenii, in quo excedit omnes homines.

Vnde dixit *Sanctus Thomas* infra Quæſt. 12. Art. 1. ad 2. *Quod licet non fuerint Chriſti ſenſibus ſubiecta omnia ſenſibilia, fuerunt tamen ſubiecta ſenſibus eius aliqua ſenſibilia, ex quibus propter excellentiſsimam vim rationis eius potuit in aliorum notitia deuenire.* Et in Solut. ad 1. dixerat, Quod ex virtute intellectus agentis poteſt homo procedere ad intelligendum effectus per cauſas, & cauſas per effectus, & ſimilia per ſimilia, & contraria per contraria. Ex qua doctrina conſtat allucinari oppoſitam ſententiam, quæ exiſtimat pertinere ad perfectionem ſcientiæ acquiſitæ habere ſpeciem propriam, id eſt, immediatam reſpectu cuiuſcũque rei; hoc enim non eſt dubium ſcientiæ acquiſitæ, quæ de ſe inclinat ad cognoſcendum plurima per diſcurſum, & formando proprią, & quidditatiuam cognitionẽ vnius ex alio.

Et Quando dicit *Sanctus Thomas* citato loco, Quod videndo cœlum potuit comprehendere Chriſtus eius virtutes, & effectus, quos habet in iſtis inferioribus, non intelligitur de cognitione illa comprehenſiua, quæ adæquat omnem intelligibilitatẽ rei, ſed de comprehenſione, qualis habetur per diſcurſum certum, id eſt, allequutionem per demonſtrationem. Supponimus enim Chriſtum non habuiſſe cognitionem opinatiuam, quæ habet periculum falſitatis, ſed demonſtratiuam, & perfectam, & hæc vocatur

catur etiam cognitio propria illius rei, quam assequimur per demonstrationem, licet non sit per species immediatas. Et hoc modo intelligendo propriam cognitionem in Christo, etiam respectu rerum sensibilium. Dicimus excedere scientiam Adamo per accidens infusam, etiam quo ad extensionem obiectorum.

Primo Quidem, Quia potuit acquirere species ex obiectis magis accommodatis ad intelligendum naturas rerum, easque perfectissimè acquisiuit propter optimam dispositionem sensuum, & intellectus agẽtis; vt autem hauriret species ab obiectis, quæ magis necessariæ erant ad formandas scientias, potuit vti ministerio Angelorum, vt sibi adducerent ad sensus illa obiecta, quæ iudicabat esse magis conuenientia ad accipiendas species pro perfectione scientiarum, vt docet *Caietanus* infra *Quæst.* 12. *Art.* 1.

Nec Est miraculum sine fundamento, quia sicut Corpori ministrauerunt Angeli adducendo cibos in deserto; & sicut primo homini adducta sunt omnia animalia imponenti illis nomina, ita animæ Christi ministrare potuerunt, non quidem adducendo omnia sensibilia, sed ea quæ Christus iudicabit expedire, vt haberet scientiam perfectam, nec inferiorem ipsi Adamo. Neque facilius erat infundere species per accidens, quia non erat connaturalius ne intellectus agens careret proprio actu.

Secundo propter excellentiorem vim ingenij in Christo, quam in Adamo, formauit melius discursum, & efficaciùs penetrauit, & composuit ex alijs speciebus alias, vt scientiam perfectam haberet ea perfectione, quæ intra genus suum sibi debetur, habendo aliquorum obiectorum immediatas species, aliorum mediatas; omnium tamen proprias, sed demonstratiuè eorum scientiæ deseruientes.

Soluuntur Obiecta contra Secundam Difficultatem.

Ad Impugnationes contra Secundam Difficultatem. Ad Primam constat ex dictis, quod vis rationis *Sancti Thomæ*, non fundatur super eo, quod fuisset frustra intellectus agens in Christo absolutè loquendo, sed esset frustra iuxta connaturalem modum, quem habet, & Deus in illo plantauit pro illo communi cursu, & statu rerum. In Adamo autem non erat debitum, neque connaturale pro statu primæ creationis in qua creabatur perfectus, quod haberet hunc actum intellectus agentis, quo crescit, & perficitur intellectus in scientia, & ideò non erat frustra, quia id dicitur frustra, quod caret actu sibi debito pro statu, & tempore. Qua etiam ratione in Beatis, quia non sunt in statu acquirendi scientiam, non est frustra intellectus agens; sicut neque augmentatiua, aut nutritiua, licet careant illis actibus, quos hic habent, & in illo statu non debentur.

Ad Secundam Instantiam Respondetur, Quod licet officium intellectus agentis non solum sit abstrahere species, sed illustrare principia, tamen illud primum est principale, & fundamentum Secundi, & quod amplius est connaturale, & debitum pro statu in quo Christus assumpsit naturam; vnde semper sequitur, quod esset frustra quatenus caruit principali operatione sibi debita, & connaturali, & sic non assumeretur secundum omnia, quæ Deus in illa natura plantauit, quantum ad modum proprium, & connaturalem operandi. Et hæc Responsio est sufficiens.

Nec Est necesse recurrere ad id, quod dicit *Caietanus*, quod careret intellectus agens omni operatione in Christo, supposito quod non haberet nisi scientiam infusam per se; hoc enim non supponit sententia opposita, sed solum fuisse scientiam acquisitam infusam per accidens vt in Adamo.

Ad Tertiam Instantiam Respondetur, Certissimum esse, quod intellectus possibilis, & agens distinguuntur, vtpotè potentia actiua, & passiua in ordine ad species formandas, vel recipiendas, vt probari solet in 3. *de Anima Text.* 17. & 1. *Part. Quæst.* 79. *Artic.* 3. nec modo in hoc immorari possumus, supponendum enim est, non probandum. Sed dato, quod entitatiuè essent eadem potentia, tamen officium, & actus sunt omnino diuersi, & quia vtrumque officium est connaturale animæ pro illo statu, in quo eam assumpsit Christus Dominus, adhuc currit ratio *Sancti Thomæ*, quod careret aliquo actu sibi connaturali pro hoc statu, & sic frustra esset potentia, non quidem quantum ad entitatem, sed quantum ad hoc munus, quo careret.

Ad

Ad Quartam instantiam Respondet optimè *Sanctus Thomas* infra *Quæst.* 12. *Artic.* 3 *ad* 2. Quod assumere scientiam à rebus est nobilius, quam adiscere ab hominibus; quia qui accipit à rebus quasi docetur à Deo, qui formauit creaturas, vt signa sapientiæ suæ, & sicut homo docet per voces sensibiles, ita Deus docet per res ipsas, quas creauit, & sic accipere scientiam à rebus est doceri à Deo per ipsas res, non autem à rebus ipsis. Et propterea Angelus, & homo quando docent, solum docent instruendo, hoc est non præbendo species, aut lumen intellectui, sed dirigendo, & ordinando species, vt intellectus adhibitis possit penetrare veritatem, & rectè iudicare de illa; ista autem directione, & ordinatione Christus non indigebat propter excellentissimam vim ingenij; vnde vacabat in illo omne magisterium humanum, vel Angelicum. In acquirendo autem species à rebus ipse se dirigebat, & ordinabat species, quas accipiebat, & ideò propriè non addiscebat à rebus, licèt ab illis species hauriret.

QVAE-

QVAESTIO X.

DE SCIENTIA BEATA ANIMÆ CHRISTI.

IN *Initio* huius Quæstionis aduertit *Sanctus Thomas* se non agere hic de scientia Beata Christi, in quantum est Deus; de hac enim tractatum est 1. *Part. Quæst.* 14. sed de scientia beata animæ Christi, & de hac solum ea tractat, quæ propriè pertinent ad Christum, & in quo distinguitur à reliquis Beatis. Ea enim, quæ omnibus communia sunt, vt est materia visionis beatæ, luminis gloriæ, speciei intelligibilis, &c. in *Quæst.* 12. 1. *Part.* tractata relinquit. Vnde hic solum agitur de excessu, quem anima Christi habet respectu aliorum Beatorum, qui excessus tripliciter consideratur à Sancto Thoma. *Primo* per comparationem ad scientiam increatam Dei: *Secundo* per comparationem ad Ipsum Christum: *Tertio* per comparationem ad reliquos Beatos. Respectu Dei, An perueniat ad hoc, quod comprehendat Deum ? Respectu sui Ipsius, Vtrùm cognoscat omnia, vel saltem infinita ? Respectu aliorum Beatorum, Vtrùm in perfectione, & claritate superet omnes Beatos?

EXPOSITIO LITTERÆ.

In Art. 1. determinat *Sanctus Thomas* Animam Christi non comprehendere diuinam essentiam. *Et Summa rationis est.* Quia comprehensio consistit in adæquatione cognitionis intellectus cum cognoscibilitate obiecti; sicut quidditatiua cognitio consistit in adæquatione cum veritate : potest autem aliquid finitum adæquationem veritatis habere ad aliquod infinitum cognoscendo rem vt est, vel non est ; non tamen potest adæquare cognitio finita cognoscibilitatem infinitam, quia adæquarentur in perfectione immaterialitatis, & intellectualitatis.

In Art. 2. comparat *Sanctus Thomas* cognitionem beatam Christi ad obiecta materialia, quæ in Verbo attingit, & in *hoc Art.* inquirit *Vtrùm attingat omnia?* In sequenti autem, *Vtrùm attingat infinita saltem in aliquo genere?* In hoc ergo Articulo distinguit *Sanctus Doctor* distributionem, seu collectionem de ly *Omnia* (respectu enim potentiæ continentis obiecta, quæ cognoscere, vel facere potest, idem est collectiuè, aut distributiuè teneri, quia quod distribuitur per effectus simul continetur in virtute potentiæ) potest enim distribuere ly *Omnia* pro his, quæ verè, & propriè sunt in aliqua duratione: vel potest distribuere pro his, quæ sunt, non in aliqua duratione, sed in aliqua virtute potentiæ creatæ, vel increatæ. Iuxta quam diuersitatem distributionis respondet difficultati duplici Conclusione.

Prima. Sumpta distributione primo modo Christus cognouit omnia; cum enim quilibet Beatus cognoscat omnia, quæ ad ipsum pertinent, ad Christum autem pertinent omnia, quæ quocumque modo sunt, cum sit Caput, & Iudex, & Dominus omnium, oportet quod cognoscat omnia, quæ in quacumque duratione sunt.

Secunda Conclusio. Sumpta distributione de ly *Omnia* secundo modo, scilicet pro his, quæ sunt non in aliqua duratione, sed in virtute, & potentia alicuius causæ, si loquamur de his, quæ sunt in sola Dei potentia, non cognouit Christus omnia in Verbo, quia si cognosceret totam virtutem Verbi cognoscendo omnia, quæ potest talis virtus, esset comprehendere ipsam virtutem. Si vero loquamur de his, quæ sunt in potentia creaturæ, (loquitur de creatura existente in aliqua duratione, vel aliquo alio modo cognita à Christo, non de omni creatura possibili) sic cognouit omnia, quia comprehendit omnem virtutem creaturæ.

In Solut. ad 2. infert *Sanctus Thomas* parificari scientiam Visionis Dei cum scientia Beata Christi quo ad numerum cognitorum, non quo ad modum cognoscendi in claritate, perfectione, & alijs. Quomodo verò ex hoc non sequatur comprehensio scientiæ visionis, sequatur autem ex cognitione omnium possibilium quantum ad numerum comprehensio diuinæ virtutis? Dicemus *Disputatione Sequenti.*

In Solut. ad 1. exponit *Sanctus Doctor* locum illum Marc. 13. *De die illo nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque Filius, nisi Pater,* Quo abutebantur *Arriani*, vt probarent Filium minorem esse Patre, quia aliquid ignorabat, quod Pater cognoscebat: Alij autem Hæretici, qui vocantur *Ignoitæ*, vel *Agnoitæ*, quasi *Ignorantes*, quia ignorantiam Christo tribuebant, dixerunt Christum vt hominem ignorare diem Iudi-

Iudicij: igitur omnes interpretationes, quas communiter Sancti Patres adhibent illi loco reducuntur ad hanc, quam *Sanctus Thomas* affert hic, scilicet, Quod dicatur *Filius ignorare diem illum, quia non facit scientes, sed nescientes, dum noluit reuelare, etiam cum interrogaretur. Dicitur autem Patrem scire, quia reuelat ipsi filio, & similiter Spiritus Sanctus reuelat filio vt homini.*

Aliam Tamen adhibet Solutionem *Caietanus* super Caput 24. *Matthæi*, quæ etiam placet *Vazquez* hic *Disput.* 51. *Cap.* 3. & eam tribuit *Nazianzeno*, & *Sancto Gregorio Papæ*, & Alijs, quod anima Christi non scit diem illum scientia naturali, seu considerata ex sua natura, non tamen intendit Christus dicere, quod etiam supernaturali scientia non sciat illum.

Sed Vtraque Solutio patitur difficultatem. Prima quidem, quia si Christus ideò dicitur nescire diem illum, non quia in se nesciat, sed quia alios non doceat, eodem modo dicetur de Angelis, quod non sciunt illum diem, non quia in se illum non cognoscant, sed quia alijs non reuelent. *Secunda etiam Solutio* ex eodem fundamento ruit. Quia dici potest, quod Angeli naturaliter non sciunt illum diem, bene tamen supernaturaliter; & tamen communiter intelligunt Omnes cognitionem illius diei, etiam Angelos latere.

Item Hoc modo non solum diem illum, sed etiam infinita alia obiecta dicitur Christum nescire, vt cogitationes omnium hominum; futura contingentia, & multa alia, quæ nec alijs reuelat, nec naturaliter scit.

Hanc Difficultatem sentit *Caietanus* citato loco, & dicit, Quod nescimus, An ista notitia illius diei aliquibus superioribus Angelis communicata sit; sed hoc certum esse, quod naturali notitia illum diem nescirent; vnde qui hoc inconueniens deuoraret, vt diceret Angelos supernaturali reuelatione Dei cognoscere illum diem, Christum vero solum voluisse significare illum diem ita esse occultum, vt nulla creata natura, quantumcumque excellens, possit illum inuestigare ex natura sua, non improbabiliter procederet.

In Solutione autem *Sancti Thomæ*, quæ est multorum Sanctorum Patrum *Dicendum est*, Quod illud Verbum Textus, *Nemo scit* vtrumque significat, scilicet, quod *Nemo scit* passiuè cognoscendo, neque actiuè alijs reuelando: sed non in vtraque significatione applicatur Angelis, & Filio. Angelis enim applicatur absolutè in vtraque significatione, quia non habemus fundamentum in Scriptura ad excipiendum aliquem Angelorum, qui sciat diem illum. Filio autem applicatur solum in altera significatione, scilicet, quod nesciat ad reuelandum;

ſciat tamen in ſe, quia habemus in Scriptura fundamentum ad excipiendum Filium, eo quod ipſe eſt Iudex ipſius horæ, & dici, immò quando dixit illa verba, de facto narrabat diſcipulis tunc ſe venturum eſſe in nube cum poteſtate magna, &c. Vbi ly *Tunc* deſignat tempus ſui aduentus, quem perfectè ipſe ſciebat, licèt alijs in cõmuni manifeſtaret. Quod autem multa alia poſsit dici Chriſtum neſciri, quia ſolum in ſecreto, & ſibi ſoli ſcit, nullum eſt inconueniens.

In art. 3. Inquirit *Sanctus Doctor* An Chriſtus ſciat infinita in Verbo? & Reſpondet duplici Cõcluſione. *Altera negatiua.* Anima Chriſti non ſcit infinita in actu, etiamſi accipiatur ſecundum quodcumque tempus, eo quod eſt ſtatus generationis, & corruptionis habens terminum: *Altera affirmatiua*: Anima Chriſti ſcit infinita ſecundum notitiam ſimplicis intelligentiæ, quatenus ſcit omnia, quæ ſunt in potentia creaturæ; in potentia autem creaturæ ſunt infinita; non tamen cognoſcit omnia poſsibilia, quia non comprehendit omnia, quæ ſunt in potentia Dei.

Explicatio Caietani pro prima concluſione notanda eſt, Quod quando negat *Sanctus Thomas* Animam Chriſti cognoſcere infinita in actu, loquitur de ſubſtantijs, non de accidentibus, quia illæ ſimpliciter dicuntur eſſe in actu, hæc autem ſecundum quid. Conſtat autem videre Chriſtum infinita accidentia in actu, quia videt infinitas cogitationes, & actiones, quæ fient ab Angelis, & hominibus per totam æternitatem poſt diem Iudicij; Videt enim omnia, quæ ſcientia viſionis Dei comprehenduntur.

In Reſponſionibus Argumentorum explicat *Sanctus Doctor*, Quomodo conditiones infiniti non repugnẽt cum ſcientia finita; & ſunt tres. *Prima*, Quod infinitum repugnat cognoſci, & adæquari; illud enim dicitur infinitum, cuius quantitatem accipientibus ſemper eſt aliquid extra accipere. *Secunda*, Quod infinitum requirit ſcientiam infinitam, & ſic repugnat cum ſcientia finita. *Tertia*, Quia infinito non eſt aliquid maius, ſcientia autem finita poteſt creſcere.

Et Prima Conditio explicatur *à Sancto Thoma* de Infinito, quod cognoſcitur iuxta modum ipſius cogniti, id eſt, quod ſicut ipſum infinitũ habet partem poſt partem, ita cognoſcatur etiam pars poſt partem, & ſic intelligitur definitio poſita, *Cuius quantitatem accipientibus*, & hoc modo infinitum eſt impertranſibile, ſed tamen non repugnat alio modo intelligi infinitum, ſcilicèt quatenus in aliquo finito continetur, *Verb. grat.* in potentia creaturæ.

Et Ex Hoc explicatur ſecunda conditio, Quia cognoſcere infinita, quæ in aliquo finito vniuntur, non exigit notitiam infinitam ſimpliciter, eo quod attingitur medio aliquo finito, in quo illa infinitas continetur:

Cog-

Cognitio autem dicitur infinita, vel finita ex ratione formali mediante qua attingitur obiectum; vnde rectè *Caietanus* dicit hic; Quod licet in aliquo inferiori inueniantur infinita, quorum quodlibet dicat suam perfectionem, tamen ad attingendum omnia illa, non est necessaria infinita perfectio, sed sufficit actus superioris ordinis eminenter continens inferiorem, & consequenter omnia infinita illius.

Tertia Denique Conditio explicatur sic à *Sancto Thoma*, Quod infinito non est maius aliquid, quando est infinitum simpliciter, & in omni genere: si tamen sit infinitum in aliquo genere, non repugnat inueniri aliud infinitum maius. Sicut data vna linea infinita, intra illam non potest dari aliquid, quod habeat plures partes; potest tamen dari alia linea infinita, in qua sint plures partes, quam solum in prima.

In Art. 4. determinat *Sanctus Thomas*, Quod Anima Christi videt Verbum clariùs omni alia creatura, eo quod propinquiùs ipsi coniungitur, & habet maiorem gratiam, quam omnis alia creatura. *Res est clara.*

In Solut. ad 3. Aduerte, Quomodo *Sanctus Doctor* concedit posse dari aliquem altiorem gradum diuinæ Visionis de potentia absoluta, quàm sit visio Animæ Christi. Vbi *Caietanus* frustra conatur explicare *Sanctum Doctorem*, quod potest dari maior visio, non tamen maius lumen gloriæ, quam sit in Christo, eo quod visio non solum sequitur actiuitatem luminis, sed etiam naturalem actiuitatem potentiæ; potest autem dari intellectus maior intellectu Christi, cum æquali lumine quam ipse. Sed hæc Sententia in *Quæst.* 12. 1. *Part.* communiter reijcitur, quia perfectio visionis ex sola perfectione luminis gloriæ desumitur, non ex perfectione actiuitatis potentiæ. Vide quæ supra diximus *Quæst.* 7. *Disputantes* de hac Difficultate, & expendentes hunc locum *Sancti Thomæ.*

DISPVTATIO XII.

DE SCIENTIA BEATA CHRISTI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm rectè assignet Sanctus Thomas Implicationem comprehensionis Dei ab Anima Christi?

Supponimus tanquam certum Animam Christi non comprehendisse diuinam essentiam; est enim eadem ratio de Anima Christi, & quocumque alio intellectu creato, de quo in 1. *Part. Quæst.* 12. *Artic.* 7. ostendi solet non posse Deum comprehendere. Quod de fide esse ostendit eruditè contra *Vazquez Magister Gonçalez* ibidem *Disp.* 30. Addo ita Deum esse incomprehensibilem, quod per nullam potentiam comprehensio eius possibilis est; id enim pertinet ad incomprehensibilitatem Dei, quam passim Scriptura, & Concilia tradunt, vt Hier. 13. *Incomprehensibilis cogitatu*, & Rom. 11. *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius*. Et in Concilio Lateranensi Cap *Firmiter* de *Summa Trinitate*, definitur Deum esse infinitum, immutabilem, & incomprehensibilem, vbi Concilium æquè loquitur de immutabilitate, & incõprehensibilitate; sed per nullam potentiam est mutabilis Deus; ergo per nullam potentiam est comprehensibilis à creatura.

Nec Obstat, Quod in Scriptura dicitur etiam *Inuisibilis*, & tamen diuina virtute intellectus creatus potest illum videre; ergo licet absolutè Deus dicatur *Incomprehensibilis*, tamen potest dari talis eleuatio, quæ ad comprehensionem Dei sufficiat. Hoc (inquam) non obstat, Quia de Inuisibilitate habemus ex ipsa Scriptura euidentem explicationem, quia dicitur Deus inuisibilis, nisi per gratiam velit se manifestare; apertè enim dicitur, quod in alia vita *Videbimus Deum sicuti est*. De incomprehensibilitate verò ita affirmatur incomprehensibilis, quod nunquam dicitur posse comprehendi per gratiam. Vnde testimonia scripturæ probant incomprehensibilitatem absolutè; inuisibilitatem verò comparatiuè ad virtutem propriam creaturæ, non in ordine ad gratiam.

Tota Ergo difficultas huius implicationis pendet ex ipsa explicatione comprehensionis, nam vt docet *Sanctus Thomas* Quæst. 12. 1 Part. Art. 7. ad 1. *Comprehensio sumitur dupliciter, vno modo prout est idem, quod consecutio, & opponitur inchoationi rei, iuxta illud ad Philippens. 3. Sequor si quomodo comprehendam. Alio modo sumitur comprehensio pro adæquatione, seu inclusione vnius rei in aliam, quando scilicet res aliqua, & quidquid ad illam pertinet, in altera continetur*, & sic sumitur diffinitio comprehensionis ex Augustino Epist. 112. Cap. 9. quod *Tunc aliquid comprehenditur, quando nihil eius latet cognoscentem, & cuius fines circumspici, vel circumscribi possunt à cognoscente*, & Sanctus Thomas citato loco explicat, quod *Comprehendere, est cognoscere totum, & totaliter*.

Variè Autem Explicari Solet quid requiratur, & per quid constituatur illa ratio comprehensionis. Nam Aliqui solum illam explicant penes id quod tenet se ex parte cognitionis: Alij penes id, quod tenet se ex parte rei cognitæ: Alij autem penes adæquationem vtriusque. Primi explicant comprehensionem, vel per hoc quod sit cognitio perfectissimi cognoscentis, vt *Nominales*, & sic soli Deo conuenit comprehensio, etiam minimæ creaturæ. Vel quia sit perfectissima cognitio rei in intensione, & claritate, vt dicit *Scotus*, & sic vel intensio cognitionis potest crescere in infinitum, vel non: si potest crescere in infinitum, non dabitur perfectissima cognitio

tio creata nisi sit infinita. Si autem non potest crescere in infinitum, non dabitur cõprehensio alicuius rei, quantumcumque minimæ, nisi respectu supremi intellectus creati: neque in ipsa comprehensione admittetur latitudo, ita quod vnus comprehendat perfectiori modo, quam alter, sicut Angelus superior perfectius, quã inferior; immo posita cognitione supremi Angeli, cum possit à Deo produci alius superior, si ille produceretur, desineret cognitio Angeli supremi esse comprehensio, quia desineret esse perfectissima cognitio.

Secundi Explicant comprehensionem ex parte obiecti, non ratione intensionis ipsius cognitionis, sed ratione extensionis obiecti, quia totum ad quod obiectum se extendit, attingitur. Quod videtur sequi *Magister Cabrera* in præsenti *Quæst.* 10. *Art.* 1. *Disput.* 1. Et Aliqui vtramque conditionem, scilicet ex parte obiecti extensionem, & ex parte cognoscentis intensionem requirunt, quanta necessaria est ad penetrandum obiectum in se, & extensionem eius. De quo videri potest *Pater Suarez* 1. *Tom.* 3. *Part. Disput.* 26. *Sect.* 2. *& Pater Arrubal* 1. *Part. Quæst.* 12. *Art.* 7. *Disp.* 83. *& Magister Gonçalez* ibidem *Disp.* 30. *Sect.* 1.

Tertij Denique explicant comprehensionem penes adæquationem cognitionis obiecti, ad quod materialiter, & per accidens se habet intensio, vel remissio cognitionis, vt significat *Magister Cabrera*. Cæterum hæc adæquatio diuersimodè explicatur. Quidam enim volunt, quod comprehensio dicat adæquationem cognitionis cum obiecto in genere entis, quod est absurdum; quia aliàs cognitio Angeli non comprehenderet formicam, quia cognitio eius est accidens, & obiectum substantia.

Alij Quod sit adæquatio in genere intelligibili, id est, quod sit tanta perfectio in ratione cognitionis, sicut in obiecto est cognoscibilitatis: cum autem aliquid sit pluribus modis cognoscibile (aliter enim cognoscitur lapis ab homine, aliter ab Angelo, aliter à Deo) restat explicare cui cognoscibilitati adæquari debet cognitio, vt dicatur comprehensio; nam Aliqui volunt, quod vt sit comprehensio, ita debet æquari cognoscibilitati, quod non solum attingat cognoscibilitatem, quam fundant res secundum suam naturam, sed etiam quam fundat secundum potentiam obedientialem.

Alij Verò, Quod sufficit ad comprehensionem, quod adæquentur cognitio, & cognoscibilitas secundum eam cognoscibilitatem, quam ex natura sua res fundare potest, & hoc est verum.

Pro Cuius Explicatione Dico; Quod adæquatio comprehensionis non sumitur inter cognitionem, & obiectum secundum conformitatem vnius cum alio præcisè, sed inter modum cognitionis, & modum cognoscibilitatis, ita quod perfectio, & actualitas cognitionis sit talis, quod sufficiat exhaurire quidquid cognoscibilitatis res aliqua fundare potest secundum suam naturam, siue in se, siue in his, quæ connectuntur, & dependent, aut ordinantur ad se.

Itaque præsupponit comprehensiua cognitio quidditatiuam, & claram cognitionem rei, per adæquationem cognitionis claræ cum esse rei, vel non esse; quæ adæquatio pertinet ad veritatem, quæ quidditatiuè attingitur; comprehensio autem addit aliam adæquationem, quæ est inter modum cognitionis, & modum cognoscibilitatis propriæ obiecti, quod pertinet ad adæquationem perfectionis in esse intelligibili, ita quod cognitio non solum attingat veritatem, sed etiam exhauriat cognoscibilitatem, quam fundat obiectum; & cum tam cognoscibilitas, quàm cognitio fundentur in immaterialitate, & segregatione à potentia, necesse est ad istam adæquationem comprehensionis, quod nulla sit immaterialitas fundata in obiecto, quæ non sit etiam in cognitione, alioquin cognitio non poterit exhaurire modum cognoscibilitatis obiecti, & hoc est, quod dicit *Sanctus Thomas* cit. loco 1. *Part. Solut. ad* 3. quod ly *Totaliter* dicit modum obiecti, non quidem ita quod totus modus obiecti non cadat sub cognitione, sed quia modus obiecti non est modus cognoscentis.

Requirit Ergo Sanctus Doctor talem correspondentiam inter obiectum, & cognitionem, vt detur comprehensio, quod modus obiecti, ad quod pertinet cognoscibilitas fundata in immaterialitate, sit etiam modus cognitionis, id est, habeat eamdem immaterialitatem in cognitione. *Et hoc manifestum est.* Quia si comprehensio exhaurit totam cognoscibilitatem obiecti, quam obiectum ex sua natura fundat, necesse est, quod tantum possit cognitio illuminare, quantum obiectum illuminabile est ex sua natura: Cum autem lumen in spiritualibus sumatur penes immaterialitatem,

tem, si cognitio esset inferior in modo immaterialitatis cognoscibilitate obiecti, non plenè illam illuminaret. Quod si cognitio fuerit non solum æqualis, sed etiam excedens cognoscibilitatem obiecti, tanto perfectior erit comprehensio: illa tamen non requiritur, sed sufficit, quod sit æqualis, ita quod exhauriat, & adæquet totum, quod ex sua natura fundat cognoscibilitas obiecti, non autem quod potest fundare secundum potentiam obedientialem, quæ respicit Agens supernaturale, & consequenter extra fines naturæ est. Vnde cum comprehensio saluetur per hoc, quod fines alicuius circumspiciantur, quidquid cognoscitur attingendo omnes fines naturæ, comprehenditur.

Ex Hoc Autem apertè deducitur implicatio comprehensionis diuinæ à creatura. Implicat enim cognitionem creatam, quãtumcumque præstet in perfectione (etiamsi habeat lumen infinitum) si tamen manet intra limites luminis creati, non distare infinitè à perfectione Dei, atque immaterialitate, & cognoscibilitate, quam fundat eius essentia; ergo implicat, quod comprehendat Deum. *Antecedens manifestum est*, Quia si cognitio est creata, omnis eius perfectio creata est; ergo debet infinitè distare ab omni perfectione increata, & esse inferior illa: ergo etiam distare à cognoscibilitate increata, quæ consequitur ad eius immaterialitatem. *Consequẽtia vero Probatur*. Quia hoc ipso, quod cognitio distat in perfectione, & actualitate à cognoscibilitate obiecti, non adæquantur inter se, sed vna excedit aliam; non cognitio cognoscibilitatem, quia cognitio creata est; ergo cognoscibilitas cognitionem; ergo in eo in quo excedit, non includitur, neque exhauritur ab illa, neque adæquatur illi, & consequenter ille excessus latet cognoscentem.

Dices: Excedit cognoscibilitas increata cognitionem creatam entitatiuè, sed non cognoscitiuè, & intelligibiliter, eo modo quo de specie creata diuinæ essentiæ solent aliqui Philosophare.

Sed Contra est. Quia si intelligibiliter adæquat cognoscibilitatem Dei; ergo in genere intelligibili non exceditur ab illa; aut si exceditur in genere intelligibili, non solum entitatiuè, sed etiam intelligibiliter excedit, & consequenter in eo in quo excedit, non comprehenditur, sed latet cognoscentem; si ergo non excedit, in genere intelligibili, ergo neque in fundamento generis intelligibilis, quod est immaterialitas; ergo adæquabit cognitio creata immaterialitatem Dei, hæc autem est actus purus; ergo cognitio creata in genere intelligibili erit actus purus, quod est esse Deum, quia implicat aliquid esse actum purum in aliquo genere, & esse coniunctum entitati habenti potentialitatem, sic enim non esset actus omnino segregatus, & purus.

Et Confirmatur. Quia si aliqua cognitio creata comprehenderet Deum, aut cognitio increata perfectius illum comprehenderet, aut non; si non; ergo erunt æquales cognitio creata, & increata, quod est omninò repugnans. Si perfectiùs comprehendit; ergo cognitio increata nõ solum adæquat, sed etiam superat cognoscibilitatem diuinam, nam creata, quæ comprehendit, adæquat illam, alioquin non comprehenderet; ergo si increata superat, & perfectiùs comprehendit, non solum adæquat, sed etiam superat: implicat autem, quod cognitio diuina sit maior, quam cognoscibilitas diuina, cum vtraque fundetur in eadem immaterialitate. Ergo.

Proponuntur Argumenta.

Obijcies Primo contra prædictam resolutionem. Nihil eorum, quæ sunt formaliter in Deo latet animam Christi; ergo comprehẽdit id, quod formaliter est Deus. *Antecedens est manifestum*. Quia si aliquid esset formaliter in Deo, siue perfectio, siue modus, siue quodcumque prædicatum lateret animam Christi, non videret simpliciter Deum, quia id quod lateret, Deus esset, vtpotè formaliter in Deo; ergo nihil eorum, quæ in Deo formaliter sunt latet videntem.

Nec Potest Dici, Quod non cognoscit omnia possibilia, quæ sunt eminenter in Deo, & sic illum non comprehendit. *Nam contra est*. Quia ea, quæ sunt eminenter in Deo, vel sunt ipsa diuina essentia, vel extra illam: si ipsa diuina essentia; ergo videntur ab anima Christi vidente totum, quod est essentia: si sunt extra diuinam essentiam, non pertinent ad comprehensionem Dei, vel saltem non pertinent ad comprehensionem eius, quod est formaliter in Deo: ipsa autem virtus in qua continentur res creatæ est formaliter in Deo, & ita cognoscitur ab anima Christi.

Secundo. Nulla est cognoscibilitas in Deo,

Deo, quæ possit excludi à continentia su-
tra intellectum creatum; ergo neque collec-
tio omnium cognoscibilitatum; ergo ne-
que comprehensio. *Antecedens Probatur.* Quia Deus est visibilis ab intellectu creato infinitis modis, quia nullus est assignabilis, quo Deus se non possit manifestare, & quo non possit crescere lumen gloriæ; ergo omnes illi continentur in potentia intellectus, si enim potest Deus illos dare, intellectus potest recipere. *Prima Consequentia Probatur* Quia si omnis illa cognoscibilitas diuisiuè continetur in intellectu creato; ergo continetur tota collectio, sicut enim ad hoc, vt potentia diuina possit diuisiuè infinitas cognoscibilitates dare, simul continetur in virtute actiua Dei, & collectiuè, ita ad hoc vt possit intellectus illas recipere simul & collectiuè continet omnes illas in potentia passiua.

Secunda Vero Consequentia Patet. Quia illi modi infiniti sunt omnes modi, quibus Deus cognosci potest, ita quod amplius cognoscibilis non est; ergo est totalis cognitio Dei, quæ est comprehensio.

Et Confirmatur. Quia ex eo quod Deus potest diuisiuè facere infinita, est probabile, quod etiam potest collectiuè facere infinitum in actu; ergo similiter erit probabile, quod si potest infinitos modos cognoscibilitatis diuisiuè ponere in intellectu creato, etiam erit probabile, quod posset illos collectiuè ponere in actu, sicut & producere lumen infinitum; ergo ita probabile est, quod Deus possit comprehendi, sicut est probabile, quod possit facere infinitum in actu.

Tertio Arguitur Ad probandum, quod non consistat comprehensio in adæquatione modi cognitionis cum modo cognoscibilitatis, sed in aliqua intensione, vel perfectione tenente se ex parte cognoscentis. Nam quantumcumque aliquod obiectum quo ad omnem modum, & rationem in se inuentam attingatur, ex eo solum non cõprehenditur, quia non attingitur ea claritate, & intensione, quæ sibi adæquata est, aut superexcedens; ergo in ista perfectione, & intensione claritatis, consistit ratio comprehensionis. *Antecedens Probatur exemplis.* Primo in Angelo inferiori respectu superioris, quem non comprehendit, non quia non attingat in eo omnem rationem, & omne prædicatum, & modum, quem habet, sed solum quia non attingit ea claritate, & intensione, qua ipse Angelus se attingit, aut à superiori attingitur.

Secundo in Essentia diuina: Si videretur secluſa omni creatura non comprehenditur ipsa Deitas secundum formale id quod habet, solum ex eo quod ea claritate non attingitur, qua attingitur à Deo, nam omnis modus, & prædicatum illius attingitur. Et similiter si videretur vnum attributum sine alio, *Verbi grat.* Idea Equi, & non hominis; Scientia Visionis, & nõ simplicis intelligentiæ; attributum Misericordiæ, & non Iustitiæ; etiam si quis cognosceret omnes effectus misericordiæ, & omnia obiecta Scientiæ visionis adhuc non comprehenderet non solum diuinam essentiam, sed neque etiam ipsum attributum misericordiæ, aut Scientiæ visionis, quod solum potest esse, ex eo quod non tanta claritate, & intensione attingit illa attributa, sicut ipse Deus.

Confirmatur. Quia etiam in Opinione Eorum, quod creaturæ non videntur ex vi visionis Verbi, Deus in se est incomprehẽsibilis, secluso omni respectu eminentiali ad creaturas, & non ex eo, quod aliqua res, vel modus existens in Deo lateat videntẽ; ergo solum ex eo, quod non ea claritate, & intensione cognoscitur, qua cognoscitur à Deo.

Quarto Sequitur, quod nulla res sit comprehensibilis vnica cognitione, nam comprehensio est cognitio alicuius obiecti omni modo, quo cognoscibile est, sed posita cognitione rei etiam perfectissima, adhuc alio modo cognoscibilis est, vel à superiori cognitione, vel ab inferiori; ergo nulla cognitio exhaurit omnem modum, quo res aliqua cognoscibilis est.

Confirmatur. Quia secundum *Sanctum Thomam* ad comprehensionem non sufficit quod aliquid totaliter cognoscatur totalitate se tenente ex parte rei cognitæ, sed quod modus totalis obiecti teneat se ex parte cognoscentis, vt patet 1. *Part. Quæst.* 12. *Art.* 7. *ad* 3. & 8. *de Veritat. Art.* 2. *ad* 2. Ergo non sufficit ad comprehensionem attingere omnem modum cognoscibilitatis rei, sed sub omni modo quo cognoscens cognoscere potest.

Vltimo potest argui Omnibus argumentis, quibus *Articulo Sequenti* probabitur, quod nõ sequitur ex cognitione omnium possibilium comprehensio diuinæ essentiæ, aut posse dari comprehensionem alicuius actus, vel virtutis, sine hoc, quod cõprehendantur termini ad quos ordinãtur,

vt

vt comprehensio visionis beatæ sine comprehensione sui obiecti; ergo non repugnabit dari comprehensionem diuinæ essentiæ, sine comprehensione omnium, quæ potest facere.

Soluuntur Obiecta.

Ad Primum Argumentum Respondetur, Quod omnia, quæ sunt formaliter in Deo videntur à Beatis, & non latent secundum se, & latent secundum virtualitatem suam plus, vel minus, prout plus, vel minus penetratur ipsa diuina essentia. Et adhuc ista virtualitas, vt est aliquid formaliter in Deo non latet; vt autem se explicat in ea, quæ virtualiter continet, latet. Et explicatio virtualitatis huius nihil aliud est, quam manifestatio illius comparatæ ad ea, quæ continet, non vt in se absolutè est quædam res. Sicut Angelus habet speciem cogitationis cordis alterius, & tamen prout se explicat, & procedit à corde non attingitur ab Angelo: & videns voluntatem diuinam, videt entitatem actus liberi, non tamen explicationem eius liberam in suum obiectum, quare res diuina videtur vt constituens, & pertinens ad intrinsecum esse Dei, non autem videtur vt se explicat, & comparatiuè se habet ad ea à quibus participabilis est.

Ad Instantiam Argumenti Respondetur, Quod ea, quæ eminenter sunt in diuina essentia, obiectiuè sunt extra, & virtualiter sunt intra diuinam essentiam, hoc est, sunt virtus diuina, & tota diuina essentia videtur secundum quod absoluta entitas est; non tota videtur, vt est virtus explicata, & comparata ad sua obiecta, & sic latet respectiuè, videtur absolutè. Et ipsę res, quæ sunt extra Deum non pertinent ad comprehensionem Dei, *Distinguo*. Si considerentur absolutè, & secundum se, *Transeat*. Si considerentur vt terminus in quem se explicat virtus, & sine quo non se explicat virtus diuina, *Nego*.

Ad Secundum omissis solutionibus, & sententijs oppositis inter *Magistrum Ledesma*, & *Cabrera*, Respondetur Negando simpliciter antecedens; aliqua enim est cognoscibilitas Dei, quæ non continetur in intellectu creato, scilicet cognoscibilitas adæquata Dei secundum totum quod fundatur in natura Dei, quæ non est collectio plurium cognoscibilitatum finitarum; sic enim per plures finitas cognitiones, etiamsi in infinitum multiplicentur, Deus est incomprehensibilis; sed est vnica simpliciter excedens totum genus finitarum cognoscibilitatum Dei, nam etsi intra genus finitæ cognitionis de Deo contineantur infiniti modi cognoscendi, tamē omnes cum sint intra genus creatæ cognitionis distant in infinitum à genere cognitionis increatæ, & consequenter à cognoscibilitate increata, atque adeò illam non adæquant, neque comprehendunt.

Et Ad Probationem Antecedentis Dicitur, Quod Deus infinitis modis est cognoscibilis intra genus creatæ, & limitatæ cognitionis, quæ nunquam possunt peruenire ad modum cognitionis increatæ, atque adeò illa infinitas, & collectio omnium cognitionum creatarum de Deo non adæquat omnem modum cognoscibilitatis diuinæ, quia semper restat alius modus in genere increato solum attingibilis ab immaterialitate increatæ cognitionis, quæ est actus purus; & consequenter solū adæquat cognoscibilitatem actus puri. Et sic intelligo nostrum intellectum respicere ens in tota sua latitudine, scilicet sub modo finito, & vt attingibile est creatè, An vero omnes illi infiniti modi videndi Deum creatè possint collectiuè poni in actu in aliquo intellectu, pendet ista Quæstio ex alia, An possit dari infinitum in actu, *Verbi grat.* infinitum lumen gloriæ, & qualitas alia infinita, quod in sententia Sancti Thomæ 1. *Part. Quæst.* 7. omninò negandum est.

Sed Tamen hoc dato, adhuc Dicimus, Quod tale lumen infinitum infinitate creata Deum non comprehenderet, ob rationem dictam, licèt ab Aliquibus soleat pro inconuenienti deduci, quod si daretur lumen infinitum, sequeretur vtraque contradictoria, & quod Deus comprehenderetur, & quod Deus non comprehenderetur.

Ad Confirmationem Respondetur, Quod ex eo, quod sit probabile Deum posse facere infinitum in actu, solum sequitur quod sit probabile posse facere infinitum lumen, & infinitos modos cognoscendi Deum, non tamen sequitur posse efficere, quod Deus comprehendatur, quia adhuc illi infiniti modi, & infinitum lumen habent infinitatem in genere creato, & sic non adæquant infinitam cognoscibilitatem Dei, quæ non adæquatur à qualibet infinitate, sed ab infinitate actus puri.

Quomodo Autem cum hoc stare possit con-

consequentia, quam facit *Sanctus Thomas Art. 2. huius Quæst.* Quod si cognoscerentur omnia possibilia, sequeretur comprehensio Dei? Sequenti Articulo disquiretur. Nunc solum Dicimus, Quod *Sanctus Thomas* facit illam consequentiam de cognitione omnium possibilium, non quomodocumque, sed in Verbo, ex cuius penetratione, si omnia possibilia cognoscerentur, comprehenderetur Deus, quia non potest sic penetrari Verbum nisi per cognitionē actus puri; totum enim genus cognitionis creatæ de Deo non potest attingere omnia possibilia. An vero etiam ex cognitione possibilium extra Verbum sequatur comprehensio Dei, *Sanctus Thomas* ibi non disputat; sed si hoc sequitur, ideò est, quia cognitio omnium possibilium intelligi non potest, quod ponatur in re, nisi in Verbo videantur & per cognitionem, quæ sit actus purus.

Ad Tertium Respondetur, Quod adæquatio in qua constitit comprehensio, etiam requirit claritatem, & intensionem cognitionis, quantum necessaria est ad penetrandum omnem cognoscibilitatem obiecti, & eam adæquandam: si verò semel adæquatur cognoscibilitas obiecti, quæcumque maior intensio, vel claritas non requiritur ad rationem comprehensionis. Vnde Angelus inferior non ex defectu intensionis præcisè, & claritatis cognoscendi non comprehendit Angelum superiorem, sed quia perfectio in modo cognoscendi non adæquat omnem modum cognoscibilitatis Angeli superioris, siue id proueniat ratione minus intēsæ cognitionis, siue aliundè; & licèt videat omnem modum, & prædicatum Angeli superioris, quatenus absolutè illi conuenit, illumque constituit, non tamen omnem eius virtualitatem penetrat, secundum quod explicabilis, & comparabilis est ad omnia, quæ potest Angelus superior.

Et Similiter Dicimus de Essentia Diuina, quod secluſa cognitione creaturarum ipsa Deitas est incomprehensibilis in eo, quod formaliter constituit ipsam, quia licèt videatur totum, quod formaliter est in Deo secundum quod constituit Ipsum, tamen hoc ipsum formale non explicatur secundum omnem virtualitatem suam, & secundum quod imitabilis, & participabilis est ipsa Deitas, & ita manet quasi inuoluta, & latens ipsa formalis Deitas, vt fundat virtualitatem explicabilem per comparationem ad alia, licèt sit apparens, & manifestà secundum quod est constitutiua Deitatis. Et qui cognoscit omnia obiecta scientiæ visionis, non ideò comprehendit illam, quia non penetrat omnia, quæ cōueniunt illi scientiæ ex parte virtutis, & perfectionis scientiæ, in qua est idem cum scientiâ simplicis intelligentiæ, sed ex parte visionis, quæ est denominatio attingendi obiecta libera tantùm.

Similiter Etiam dato per impossibile, quod aliquis cognosceret omnes effectus vnius attributi, *Verbi grat.* Misericordiæ, adhuc non comprehenderet illud, quia ad comprehensionem non sufficit attingere aliquid secundum cognoscibilitatem præcisam nostri conceptus, sed secundum cognoscibilitatem, quam habet in re, secūdum quam identificatur cum alijs attributis. Præter quam quod nullum attributum est in Deo, quod concurrat solum ad aliquos effectus, & non ad alios, sed omnes effectus, qui continentur sub vno attributo, continentur etiam sub alio, licèt sub diuersis rationibus: quidquid enim facit Omnipotentia sub ratione executiuæ virtutis, facit Misericordia sub ratione subleuandi à miseria, & à nihilo, seu tollendi defectus; & Iustitia sub ratione distribuendi vnicuique quod proprium ipsi est; & sic de reliquis Attributis.

Ad Confirmationem Respondetur, Quod in illa Opinione, quod non videntur creaturæ in essentia diuina ex vi visionis, adhuc explicatur incomprehensibilitas Dei, per ordinem ad cognitionem creaturarum, non formaliter ex vi visionis, sed causaliter, & mediante alia cognitione, quam infert, & causat visio diuinæ essentiæ, vt tradit *Vazquez* 1. *Tom.* 1. *Part. Disp.* 60. *Cap.* 4. *num.* 16. Quare omnes intelligunt comprehensionem Dei requirere aliquam explicationem virtualitatis essentiæ diuinæ in ordine ad creaturas, siue id fiat ex vi visionis formaliter, siue causaliter, licèt minus benè illam explicent, qui solum causaliter dicunt videri creaturas in Verbo.

Ad Quartum Negatur Sequela. Quia quando dicitur ad comprehensionem requiri, quod cognoscatur res omni modo, quo cognoscibilis est, intelligitur omni modo cognoscibilitatis orto, & fundato in ipsa propria natura, & ratione obiecti: si autem sit modus cognoscendi ortus ex maiori excellentia cognoscentis, vel imperfectione non valentis totaliter attingere

re obiectum, talis modus ad comprehensionis adæquationem non pertinet.

Ad Confirmationem Respondetur *Sanctum Thomam* in illis locis solum requirere adæquationem cognitionis cum cognoscibilitate obiecti, ita quod tam immaterialis, & perfectus sit modus cognoscendi, quod possit euoluere, & explicare omnem modũ cognoscibilitatis obiecti, quæ in eius propria natura fundatur, & hoc est modum cognoscibilitatis tenere se etiam ex parte cognoscentis.

Ad Vltimum Respondebitur *Art. Sequẽti.*

ARTICVLVS II.

Vtrùm Repugnet videri in Verbo, vel extra Verbum omnes Creaturas Possibiles?

Ipse Titulus Supponit vnum, & inquirit aliud. Supponit dupliciter posse cognosci creaturas, scilicet in Verbo, & extra Verbum. Et extra Verbum nullus negat creaturas cognosci, cum hoc ipsum experiamur: In Verbo autem cognosci formaliter, & eadem Visione, qua Deus videtur, negauit *P. Vazquez* 1. *Tom.* 1. *Part. Disp.* 50 *Cap.* 6. & solum admisit illas videri causaliter, id est mediante reuelatione causata extra Verbum ex Visione diuina; eo vel maximè, quia essentia diuina est omninò absoluta in se, nec potest esse medium ductiuum ad creaturas, cum sit ab illis prorsus independens, & absoluta: nec continet illas in se formaliter cum creaturæ in Deo sint ipse Deus, vnde viso Deo non videntur creaturæ, vt sunt distinctæ à Deo.

Et Dato quod viderentur ex vi visionis, non esset maior ratio, vt viderentur aliquæ potiùs quam aliæ, sed vel omnes viderentur, vel nullæ, nam essentia ipsa diuina æqualiter continet omnes, & sic æqualiter repræsentat omnes; lumen autem gloriæ est in omnibus eiusdem speciei, solumque variatur penes maiorem, vel minorem intensionem; maior autem, vel minor intensio non facit apparere diuersa obiecta, sed idem perfectius, & melius intelligi; ergo ex diuersitate luminis non prouenit, quod videantur diuersa obiecta in Deo.

Nihilominus Quæstio ista hic suppo-

A nenda est, non tractanda, quia proprius eius locus est in 1. *Part. Quæst.* 12. *Art.* 8. sed breuiter Dico, Quod diuina essentia vt cognita potest esse ratio cognoscendi creaturas, nam Deus ipse sic cognoscit illas, eo quod attingit creaturas, vt obiectum secundariũ, quia immediatè non possunt creaturæ specificare, aut mouere cognitionem diuinã: debet ergo supponere obiectum primarium prius cognitum, & non solum vt rationem cognoscendi, quia obiectum pri-

B marium alicuius cognitionis non verificatur solum de ratione sub qua cognoscendi, sed de re cognita, eo quod in constituendo obiecto primario concurrunt ratio *Quæ*, & ratio *Sub qua*, vnum tanquam formalis ratio, aliud tanquam materialis Ergo non potest sola ratio formalis *Sub qua* dici obiectum primarium, & ratio *Quæ* secundarium. Vnde cum creaturæ se habeant, vt obiectum secundarium, & essentia diuina vt primarium, oportet quod ipsa diuina

C Essentia non solum vt ratio formalis *Sub qua*, sed vt res cognita, sit ratio cognoscendi creaturas.

Præterea. Quia diuinus intellectus format Ideas creaturarum, quatenus cognoscit se, vt participabilem, & imitabilem à creaturis, non enim creaturæ cognitæ sunt ideæ, cum creaturæ sint res ideatæ, & exemplatæ à Deo; si ergo cognoscuntur vt creaturæ, cognoscũtur vt ideatæ, & exemplatæ; ergo ipsæ vt cognitæ non possunt

D esse exemplar, & idea. Est ergo idea ipsa diuina essentia cognita vt imitabilis à creatura; & consequenter ipsa diuina essentia vt cognita ita est ratio cognoscendi creaturas, sicut Idea est ratio cognoscendi ideatum; ergo similiter diuina essentia manifestata Beatis, & cognita, potest esse ratio cognoscendi creaturas, & consequenter ex vi Visionis diuinæ debet illas attingere, quia illa visio attingens creaturas, attingit

E illas vt obiectum consecutum, & secundarium respectu diuinæ essentiæ. Ergo debet prius attingere ipsam essentiam diuinam, & mediante ipsa attingere creaturas, quia ista obiecta ordine quodam se habent, & non æquè immediatè; ergo ex vi vnius fit transitus, & attingentia ad alterum, sicut inter primarium, & secundarium immediatè, & mediatè cognitum.

Nec Aliquid obstant Fundamenta *Vazquez* Nam Essentia diuina licèt sit omnino absoluta quantum ad dependentiam ab effectibus, quos continet, non tamen est absoluta

soluta à continetia, quin potius virtus eius maximè est contentiua effectuum. Vnde maximè est medium ductiuum ad ea, quæ continet, tanquam virtualiter eminenter ad illa se habens: & licet formaliter in Deo creaturæ sint ipse Deus, tamen virtualiter sunt in Deo creaturæ vt termini, & obiectum talis virtutis, & sic videntur vt terminus Omnipotentiæ, & non vt creatrix essentia.

Et Ad Secundum multis alijs omissis Dicitur, Quod intensio luminis non facit apparere diuersa obiecta, sed idem perfectius intelligi, quando illa obiecta sunt omnino disparata, & non contenta in isto priori. Si autem in eo virtualiter contenta sint, ex vi intensionis luminis, quo perfectius attingitur tale obiectum virtualitas eius magis explicatur, & cognoscitur, atque adeò secundarium obiectum magis attingitur. Quomodo autem lumen hoc ex sua intensione determinet tales, vel tales creaturas videndas, siue ex possibilibus, siue ex futuris, An id necessariò faciat, An verò ex aliqua voluntate, & reuelatione Dei sic dirigente lumen, non est præsentis loci, sed spectat ad *Quæst.* 12. 1. *Part.* & aliquid etiam attingetur *Art. Sequenti.*

Tota Ergo Difficultas præsens ad hoc deuoluitur, vt explicemus vim consequentiæ *Sancti Thomæ*, qua in *Art.* 2. *huius Quæst.* infert comprehensionem Dei ex cognitione omnium creaturarum possibilium: infert enim quod Christus non cognouit omnia possibilia, quæ continentur in potentia Dei, quia sic comprehenderet omnia, quæ Deus potest facere; ergo comprehenderet diuinam virtutem, & per consequens diuinam essentiam. Quam consequetiam probat, Quia virtus quælibet cognoscitur per cognitionem omnium in quæ potest talis virtus. Vbi diligenter aduerte probationem huius consequentiæ; cum enim intulisset *Sanctus Thomas*, quod cognoscendo omnia, quæ Deus potest facere, comprehenderet virtutem diuinam, in probatione consequentiæ non dicit, quod virtus quælibet comprehenditur per cognitionem omnium, quæ potest, sed dicit, *Quod virtus quælibet cognoscitur*, quia videlicet in hac probatione voluit *Sanctus Thomas* præuenire euasionem dicentium, quod posset cognosci terminus, seu obiectum alicuius virtutis, sine hoc quod cognoscatur ipsa virtus in se quidditatiuè, & consequenter neque comprehendi.

Vnde Ad Præcludendam hanc euasionem videtur *Sanctus Thomas* dixisse in illa probatione, *Quod virtus cognoscitur*, & non dixit *Comprehenditur*, quasi dicat, quod hic est modus, & Via cognoscendi quidditatiuè aliquam virtutem. Vnde ex cognitione omnium creaturarum rectè infertur tam cognitio quidditatiua virtutis, quàm comprehensio, quia vt diceretur comprehensio cognitio omnium effectuum, solum restabat videre, an talis cognitio, quia est cognitio effectuũ non esset cognitio quidditatiua ipsius causæ, & virtutis, eo quod solum esset cognitio eorum, quæ sunt extra virtutem. Quare *Sanctus Thomas* quasi pro comperto reliquit, quod talis cognitio omnium possibilium erit comprehensiua, si etiam fuerit quidditatiua ipsius virtutis, quia cognitio obiecti à quo virtus specificatur pertinet ad quidditatiuam cognitionem, & explicatio omnium in quæ potest, deseruit ad comprehensionem.

Consequentia Ergo quam facit *Sanctus Thomas* patitur quadruplicem instantiam ad quam tota difficultas huius controuersiæ reducitur. *Prima instantia est*, Quia ex eo, quod cognoscantur omnia possibilia etiam in ipso Verbo, adhuc non cognosceretur Deus omni claritate, & intensione, qua ipse Deus se cognoscit, quia illa visio esset creata, & consequenter minoris perfectionis, quam increata ex parte immaterialitatis, in qua non adæquaret cognoscibilitatem obiecti; ergo non esset comprehensiua, vt patet ex his, quæ diximus *Artic. Præcedenti*, Vnde si talis cognitio repugnat, ex alio Capite repugnabit, quam ex comprehensione Dei.

Et Confirmatur in ipsa scientia visionis, Nam Anima Christi secundum *Sanctum Thomam* in *Art.* 2. *huius Quæst.* adæquat ipsam scientiam visionis quantum ad numerum, & extensionem obiectorum, quæ per illam videntur, & tamen non comprehendit ipsam scientiam visionis, quia non videt illa obiecta ea claritate, qua Deus videt; ergo similiter hic non sequitur comprehensio Dei, ex eo quod cognoscantur omnia possibilia, si non cognoscuntur ea claritate, & modo, quo ipse Deus cognoscit.

Secunda Instantia Est, si loquamur de cognitione omnium possibilium in se ipsis extra Verbum, ex tali enim cognitione, non sequitur quod ipse Deus videatur in

se; ergo multo minus quod comprehendatur, *Antecedens Patet.* Quia cognitio omnium creaturarum extra Verbum fieret per species in proprio genere; ergo non supponit Vnionem essentiæ diuinæ in ratione speciei; ergo non infert cognitionem Dei in se, sed in suis effectibus. *Et Secundo.* Quia benè stat cognosci omnia obiecta alicuius potentiæ, *Verbi grat.* Cognosci omnes colores, nec tamen videri Oculũ; possent enim colores esse producti, & non oculus; ergo visio omnium obiectorum non infert Visionem ipsius potentiæ, vel virtutis in se.

Et Tertio Quia cognitio omnium possibilium extra Verbum versatur circa cognoscibilitatem creatam, & finitam, & attingit omnia illa, vt continentur sub aliquo finito, scilicet sub genere entis creati; ergo non adæquat alterum genus entis increati. Vnde *Sanct. Thom. 3 contra Gent. Cap. 56. in fin.*, dicit, *Quod maius est videre Deum quo ad ea, quæ sunt in ipso formaliter, quam videre omnes effectus possibiles in se ipsis, & multo perfectiorem esse illam cognitionem, quam istam*; sed cognitione comprehensiua Dei nulla est maior, vel perfectior; ergo consequentèr debet dicere *Sanctus Thomas*, quod cognitio omnium possibilium in se ipsis non est comprehensio Dei.

Tertia Instantia Est, Quia quando aliqua virtus non solum est productiua aliquorum effectuum quasi analogicè, sed aliorum quasi vniuocè, non sequitur ex eo quod comprehendantur omnes effectus analogici, quod comprehendatur absolutè illa virtus, quia effectus vniuoci non videntur; sed in Deo datur virtus ad producendas omnes creaturas possibiles, quasi effectus analogicos, & datur virtus ad producendum Personas ad intra, quæ sunt quasi processiones vniuocæ; ergo ex eo quod videantur omnes creaturæ non sequitur, quod comprehendatur omnis virtus Dei, etiam quo ad processiones vniuocas; & consequentèr neque ipse Deus comprehenditur.

Vltima Denique Instantia Est, Quia quicunque cognoscit quidditatiuè aliquam essentiam, debet cognoscere omnia illi essentialia, sine quibus, vel sine quorum aliquo non potest stare talis quidditas; aliàs non cognosceret illam quidditatiuè; ergo qui cognoscit Omnipotentiam Dei quidditatiuè, debet cognoscere omnes creaturas possibiles etiam in particulari, quia cũ singulis ita cõnectitur, quod qualibet creatura particulari deficiente deficeret hæc omnipotentia, & esset alia; ergo quidditatiuè cognoscens omnipotẽtiam hanc debet cognoscere omnes particulares creaturas possibiles, sine quarum aliqua non erit hæc omnipotentia, & tamen non comprehendet illam (vt probatum est *Articulo Præcedenti*) ergo deficit consequentia *D Thomæ*, quod ex cognitione omnium possibilium in particulari sequitur comprehensio.

In Hoc Puncto certum est ferè apud Omnes non esse possibilem cognitionem omnium creaturarum possibilium, siue in Verbo, siue extra Verbum; hoc enim tenẽtur concedere omnes, qui negant posse dari infinitum in actu, siue in quantitate, siue in qualitate, quia reuera illa cognitio requireret infinitatem in lumine, & cognitione saltem in genere creato, cum non esset dabile maius lumen generis creati, & sicut omnis collectio creaturarum est infinita infinitate creata, sic cognitio adæquans illam esset infinita infinitate creata.

Sed Difficultas Est, Vtrùm repugnet ex eo quod sequeretur esse comprehẽsionem Dei, vt *S. Thomas* affirmat hic, & plures hic negant, præsertim si viderentur creaturæ possibiles extra Verbum: sed tamen cum vna ex implicationibus, quæ afferuntur ad negandum infinitum in actu sit, quia exhauriretur potentia diuina, quod est quasi comprehendi in producendo, & non exhauriretur, quia in se ipsa est inexhausta, & infinita, sic non incongruè possemus dicere, & omnes difficultates euadere Dicendo, quod ex cognitione omnium possibilium, siue in Verbo, siue extra Verbum vtrumque sequitur, & comprehensio Dei, quia cognoscitur virtus diuina resoluendo illam in omnem modum, & rationem qua participabilis est; & non sequitur comprehensio, quia diuina virtus in sua cognoscibilitate increata inadæquabilis est.

Et Nomine Creaturarum Possibilium (ne in hoc puncto possit excogitari aliqua euasio) intelligimus omnes effectus possibiles nullo excepto, siue in genere naturali, siue supernaturali, siue substantias, siue accidentia. Ex quo obiter infertur, quod qui cognosceret sic omnem effectum possibilem, non solum videret omnem creaturam quo ad numerum, sed etiam comprehenderet omnem creaturam, quia si videt omnem effectum possibilem, debet etiam

etiam videre omnia, ad quæ potest se extendere quæcumque creatura, quia omnia ista sunt participabilia à Deo; ergo qui videt omnes effectus Dei, videt etiam omnes effectus, & rationes in quas potest se explicare quæcumque creatura. Et ideò *Sanctus Thomas* optimè intulit, quod *Qui videret omnia, quæ continentur in potentia Dei, comprehenderet omnem creaturam*, & ita infert inde, *Quod comprehenderet omnia in quæ potest virtus diuina.*

Igitur abstrahendo etiam ab implicatione proposita, quod ex cognitione omnium possibilium, sequeretur Deum comprehendi, & sequeretur non comprehendi, adhuc quasi per locum intrinsecũ ostenditur talem cognitionem, siue in Verbo, siue extra Verbum, vel esse comprehensiuam Dei, vel necessariò esse coniunctam comprehẽsiuæ cognitioni Dei. Potest enim cõsiderari dupliciter cõprehensio, sicut & duplex cognitio quidditatiua. Vna à posteriori; altera à priori. Et cognitio quidditatiua à posteriori quando attingit omnes effectus, & rationes per quas potest participari aliqua virtus, non solum sistit in quidditatiua cognitione virtutis, sed peruenit ad cõprehensionem eius in quantum virtus, & causa est. Quod si talis virtus in quantum virtus, & causa non distinguatur ab ipsa substantia rei, & essentiali eius ratione, tunc non potest dari comprehensio à posteriori, nisi etiam sit à priori, vel illi necessariò coniuncta.

Ex Hoc ergo formatur sic Implicatio. Quia causa in esse causæ, & virtutis essentialiter definitur per adæquationem suorum effectuum, quia licet in esse entis non sit dependens ab effectibus, tamen in ratione virtutis, & actiuitatis omnis eius participabilitas includitur, & comprehenditur in adæquatione, & collectione omnium effectuum, quia omnes effectus sunt omnis participatio talis causæ; ergo exhauriunt omnem participabilitatem eius; ergo qui comprehendit omnes effectus, comprehendit omnem participabilitatem causæ, sicut & omnem participationem; ergo & omnem actiuitatem causæ comprehendit, quia actiuitas causæ, & virtutis æquiualet participabilitati causæ. Non ergo potest videri totũ genus entis creati, & omnes rationes effectuum comprehendi, nisi videatur actiuitas causæ, quæ est extra totũ genus entis creati, quia actiuitas, quæ potest in omne genus entis creati, creata esse non potest. Si ergo comprehenditur tota actiuitas, & ratio causæ ex adæquatione omniũ effectuum, & ipsa actiuitas, & ratio causæ in Deo formalissimè est idem quod actualitas Dei, & essentia eius, comprehensio virtutis in esse causæ, & virtutis, est comprehensio in ratione essentiæ.

Item. Si videntur omnes creaturæ possibiles, videtur omnes modi, quibus Deus est imitabilis, quod est exhaurire omnes Ideas diuinas; & cum illæ non possint videri, vt reducibiles ad aliquid finitum, in quo omnis imitabilitas creaturæ cõtineatur, oportet vt exhauriatur, & comprehendatur aliquid infinitum, in quo omnis illa imitabilitas contineatur, & hoc est Deus.

Quod Si Dicas: Quod possint videri omnes creaturæ possibiles, vt contentæ sub genere entis creati, vel sub Prædicamento determinato, quod est aliquid finitum.

Contra est. Quia vt cõtentæ sub ente creato analogico, vel sub aliquo Prædicamẽto videntur vt exhaurientes omnẽ imitabilitatem diuinã; ergo non attinguntur vt cõtentæ sub aliquo imitabili determinato, & finito, sed sub omni genere imitabilitatis, qua imitari potest aliquid infinitum, quod est Deus, & sic cõprehendunt Deũ, hoc ipso quod exhauriunt omnẽ eius imitabilitatẽ, & omnes Ideas. Si autẽ videretur aliquis quod solũ postularet finitã, & determinatã imitabilitatẽ, sub quo tamen continerẽtur infinita participantia illud genus, sicut si videretur genus Animalis, sub quo possunt esse infinita animalia, talis cognitio infinitorũ, quia est contentũ, & reducibile ad aliquid finito modo imitabile, non infert cõprehensionem Dei. Cæterũ si videtur omne genus imitabilitatis ipsius Dei, non habet aliquid in quo contineatur, & ad quod reducatur, nisi ad ipsam diuinam essentiam; exhauritur ergo per talem cognitionem omnis imitabilitas Dei, & omnis Idea diuina. Idea autem est Essentia diuina cum respectu ad imitabilitatem creaturæ; ergo idem est exhaurire omnes Ideas diuinas, & omnem essentiam diuinam.

Dices: Non sequitur; videt aliquis terminũ adæquatum alicuius potentiæ; ergo cõprehẽdit illã; Instatur enim in visione Verbi, quod est terminus adæquatus generatiuæ potentiæ, & tamen qui videt illum non sequitur, quod comprehendat potentiam generatiuam Patris; ergo similiter licet videatur adæquatus terminus potentiæ creatiuæ, nõ sequitur, quod cõprehẽdatur ipsa.

Respondetur, Quod terminus adæquatus potentiæ generatiuæ videtur quidē à Beatis, sed non cōprehenditur, quia non totaliter videtur; si autē comprehēderetur, etiā potentia generatiua comprehenderetur. In casu autem præsenti non solum videtur adæquatus terminus potentię creatiuæ, sed etiam comprehenditur, quia totum genus creaturæ comprehenditur; vnde adæquatur, exhauriturque potentia creaturæ.

Ex Dictis Autem colligitur, quod impossibile est dari omnium possibilium cognitio extra Verbū. Non Dico quod in Verbo sit possibilis, sed quod si posset dari talis cognitio, non posset esse extra Verbum; nō enim potest dari aliqua species, quæ totum genus entis creati adæquet, esset enim infinitæ repræsentationis, quia repræsentaret res infinitas, scilicet omnem creaturā possibilem; possibiles autē sunt infinitæ creaturæ; vnde tam infinita esset in genere repræsentatiuo, quàm omnes creaturæ sunt infinitæ in esse reali. Et sicut repugnat dari infinitum in esse reali, etiamsi sit creatum, ita repugnat dari vnicam speciem totam illam infinitatem creatam adæquantem. Si autem essent plures species ad cognoscēda omnia possibilia, vel illæ essent finitæ, vel infinitæ, & in numero indeterminato; si infinitæ sequitur idem inconueniens, quod detur infinitum in actu. Finitæ esse nō possunt, quia si darentur, *Verbi grat.* Centum, aut decem species, aut quælibet illarum repræsentaret res finitas, vel infinitas, id est, species, seu quidditates finitas, aut infinitas; si finitas, cum finitum additum finito non faciat infinitum, sequeretur quod omnes species, seu quidditates rerum repræsentatæ per illas species essent finitæ, & sic omnes species creabiles à Deo finitæ essent, nec Deus esset infinitis modis imitabilis. Si infinitæ species per quamlibet repræsentarentur, sequitur idem inconueniens, ac si repræsentarentur omnia infinita per vnam speciem; ergo dicendum est, quod per solā essentiam diuinā repræsentabiles sunt omnes creaturæ possibiles, quia sola diuina essentia continet imitabilitatem omnium creaturarum, & sic si videntur omnes creaturæ, necessariò debet videri ipsa essentia diuina.

Nec Obstat, quod aliquis Angelus potest per speciem vnius generis repræsentatiuā, *V. g.* animalis, videre omnes species animalis; nā nō potest videre infinitas species creabiles à Deo sub illo genere, sed solū creatas, & pertinentes ad ipsum Vniuersum; quæ autē continentur in potentia Dei, non potest vnica species Angelica cōprehendere, sed solū cum relatione ad ea, quæ de facto pertinent ad Vniuersum. Nunquam autem in aliquo Vniuerso possunt dari infinitæ species in actu alicuius generis.

Soluuntur Argumenta.

Ad Primam Instantiam Dicitur, Quod licet cognitio omnium creaturārū in Verbo solum dicat explicitè, & formaliter infinitam extensionem; illatiuè tamen, & virtualiter infert infinitam intensionem, quia non potest penetrari virtus infinita, & infinitè participabilis sine infinita claritate, & intensione, quia hæc sola sufficit ad resoluendum omnem modum, quo virtus illa infinita participabilis est, siquidem tāto intensior, & clarior est cognitio, quanto magis occulta potest reuelare; vnde si nihil manet occultum in infinita virtute, infinitè clara est talis cognitio.

Ad Confirmationem Respondetur, Quod licet cognoscantur omnia obiecta scientiæ Visionis, non tamen ipsa comprehenditur, quia nō penetratur tota eius virtus, licet tota denominatio, & modus visionis attingatur. Virtus enim illius scientiæ, cum sit eadē cum virtute scientiæ simplicis intelligētiæ ad plura se extendit virtus illius scientiæ, nempè visionis, quā ipsa denominatio intuitionis, & visionis. Anima ergo Christi attingit omnia ad quæ se extendit denominatio visionis, & intuitionis; nō tamē omnia ad quæ se entendit virtus illius scientiæ. Vnde etiā intēsio, & claritas, qua videt anima Christi non adæquat omnē cognoscibilitatem, & rationē scientiæ visionis etiā respectu illorum obiectorum, quæ videt, nam in illis obiectis existentibus multæ latent rationes secundum potentiā obedientialem, quæ possent à Deo fieri, quæ omnia nō est necesse cognosci ab eo, qui videt tales creaturas existentes. Et ideò rectè *Sanctus Thomas* ex eo quod claritas, & lumen animæ Christi est minus, quam lumen, quo Deus cognoscit illa obiecta rectè infert, quod non adæquatur scientia animæ Christi scientiæ visionis Dei. Non autem currit similis ratio, si viderentur omnia possibilia nullo excepto.

Ad Secundam Instantiam Respondetur, Quod cognitio omnium possibilium in se

se ipsis dupliciter potest sumi. Vno modo, A quod ly *In se ipsis* determinet rationem motiuam cognoscẽdi, id est, quod res cognoscantur per species proprias, & sic hypotesis Argumenti est impossibilis, quia (vt Diximus) non est possibile, quod tota collectio creaturarum intelligatur per vnam speciem creatam, neque per aliquas in numero finito, neque per infinitas, quia dabiles non sunt. Alio modo potest sumi ly *In se ipsis*, terminatiuè, id est, quod cognitio terminetur ad omnia possibilia abstrahendo, seu non explicando, quod fiat in Verbo, vel extra Verbum, sed tantummodo inquirendo, An ex hoc quod cognitio aliqua terminetur ad omnia possibilia sequatur comprehensio Dei? B

Et In Hoc sensu Dicimus, Quod non fiat cognitio omnium possibilium quocumque modo ad illa terminetur, quin sequatur comprehensio Dei, licet illam quasi à posteriori colligamus arguendo à terminatione cognitionis, quæ terminatur ad C omnem creaturã ad principium talis cognitionis, quod debet esse penetrando virtutem creatiuam, ita quod nihil eius lateat cognoscentem in ratione virtutis creatiuæ. Si autem ponatur, quod detur in re cognitio omnium possibilium, & tamen extra Verbum, inuoluitur implicatio in adiectis, quia hæc duo non sunt compossibilia, & ideò ex suppositione talis hypotesis non est mirum, quod non sequatur comprehensio Dei. D

Ad Secundam Probationem Dicitur, Quod si omnes colores cognoscuntur secundum omnem modum, quem habent, sic necesse est, quod comprehendatur potentia visiua, quia comprehenditur omnis visibilitas; non tamen est necesse, quod videatur ipsa potentia visiua, vt existens, & producta, quia comprehensio creaturæ abstrahit ab actuali existentia, quæ non est de eius essentia. Virtus autem creatiua si comprehenditur debet attingi eius existentia, quia hoc E est essentia eius. Si autem cognoscerentur omnes colores non attingendo omnem modum visibilitatis vt terminabiles sunt à potentia visiua, tunc non fit æqua comparatio cum cognitione omnium possibilium, quia cognitio omnium possibilium, includit tam omnem creaturam, quàm omnem modum creaturæ, quia hoc ipsum ad creaturam pertinet, vnde exhaurit omnem participabilitatem virtutis creatiuæ, quod est ipsam comprehendere.

Instabis: Hoc ipsum conuenire potest cuique Beato cognoscenti quidditatiuè creatiuam Dei potentiam; ergo amplius requiritur ad comprehensionem. *Antecedens Probatur*, Quia videns creatiuam potentiam debet videre specificatiuum eius, quod est omne creabile, & non sufficit videre illud in communi, ergo in particulari. *Minor Probatur*, Specificatiuum eius est omne creabile vt cadit sub potentia executiua, sed non est exequibile in communi, & in confuso, sed in particulari, ergo si videt illud, vt exequibile, videt illud in particulari, & non in communi.

Respondetur, Quod potentia executiua respicit creabile vt exequendum in communi, ita quod ly *In communi* non est conditio tenens se ex parte obiecti exequendi, sed ex parte tendentiæ ipsius potentiæ ad obiectum. Sicut Dicimus, quod potẽtia visiua specificatur à colore in communi, non quia possit terminari ad colorem habentẽ in se modum vniuersalitatis, sed quia tendentia illius specificatiua non est ad istum colorem tantum, vel ad illum, sed cõmuniter ad omnem, & ideò dicitur tendere ad colorem in communi. Vnde videns potẽtiam executiuam Dei sufficit, quod in ipsa cognoscat tendentiam communiter se habentem ad omne creabile, licèt non videat omne creabile in particulari.

Ad Tertiam Probationem Respondetur ad consequentiã, Quod cognoscibilitas omnium possibilium secundũ se, & quasi formaliter non adæquat cognoscibilitatẽ increatam: virtualiter autem & quasi illatiuè illã adæquat, quatenus stare non potest omnium creaturarum cognitio, nisi cognoscendo omnem participationem virtutis creatiuæ, quod per nullã speciem creatam cognosci potest, sed per ipsam essentiam diuinam, & sic requirit adæquationem cognoscibilitatis diuinæ, quia non habet amplius, quod cognoscatur si in essentia diuina videtur omnis eius participatio.

Et ad locum *D. Thomæ* Respondetur. Ipsum non dicere absolutè, quod *Maius est videre Deum, quam omnes effectus possibiles*, sed dicit quod *Maius est intelligere diuinam substantiam, quam quidquid aliud præter ipsam, quod in se ipso cognosci potest*. Vbi à contratio sensu, si tota collectio possibiliũ in se ipsa cognosci non potest præter Deũ, talis cognitio non est minor, quã cognitio, immò & cõprehensio essentiæ diuinæ: quod etiam ibi satis insinuat *D. Thomas*.

Ad Tertiam Instantiam Respondetur, Quod si posset comprehendi virtus creatiua Dei seorsum, & separatim à cognitione virtutis generatiuæ, illa prima solum non esset comprehensio sed tamen illa comprehendi non potest, nisi concomitanter comprehendatur potentia generatiua, eo quod virtus creatiua est ipsa Dei essentia, & non potest omnis creatura attingi extra ipsam Dei essentiam, & consequenter neque extra partem generatiuam.

Sed Adhuc Obijcies: Anima Christi comprehendit suam vnionem Hypostaticam, & ipsam naturam, seu quidditatem Visionis beatificæ; ergo attingit omnia individua Visionis, & omnia quæ potest mereri Vnio Hypostatica; sed omnia individua Visionis beatificæ sunt omnes Visiones possibiles; ergo respiciũt omnem modum, quo Deus potest cognosci, & creaturæ in ipso; ergo qui comprehendit omnes visiones possibiles comprehendit omnes creaturas visibiles in Deo. *Similiter* Vnio hypostatica potest mereri aliquid pro omni creatura, cum habeat meritum infinitũ; ergo qui comprehendit omnia, quæ potest mereri illa vnio comprehendit omnem creaturam.

Respondetur Christum Dominum comprehendere suam Vnionem hypostaticam quantum ad id, quod in illa creatum est, & quantum ad omnes effectus sibi possibiles, eo modo quo possibiles sunt, & qui sunt quasi connaturaliter possibiles. Sunt autem possibiles infiniti effectus diuisiuè, & sincathegorematicè, non collectiuè, & in actu, quia infinitum in actu non est possibile. Vnde non potest tangere omnes creaturas possibiles collectiuè, licet circa quamlibet diuisiuè possit meritum suum extendere. Et similiter connaturales effectus, quos potest vnio hypostatica sunt illi, qui diuino decreto ei taxantur, quia in istis formis supernaturalibus, quæ sunt immediatæ participationes Dei, non datur alia connaturalitas in augmento, vel extensione, aut effectibus, quam quæ sibi à Deo definiuntur. Vnde ad cõprehensionem Vnionis sufficit cognoscere omnes illos effectus, qui sibi quasi connaturaliter debentur ex Decreto Dei; non omnia, quæ de absoluta potẽtia potest mereri, quia ad comprehensionem cuiuscumque formæ sufficit cognoscere ea, quæ secundum connaturalem statum illi conueniunt, non quæ de potentia absoluta.

Similiter Dico de Visione beatifica, licet etiam Aliqui dicant non comprehendi ab Anima Christi Visionem beatificam, tamẽ etiam si eius quidditatem, & speciem comprehendat, non est necesse comprehendi omnia individua, præsertim quæ de potentia absoluta fieri possunt, sed solum, quæ connaturaliter sub illa continentur ex Decreto Dei. Nam etiam Angelus comprehendit Solem, & intellectum suum, vel inferioris Angeli, & tamen non potest cognoscere omnia individua, quæ Sol potest efficere, vel intellectus de potentia absoluta; sed sufficit cognoscere illos effectus, quos potest efficere Sol connaturaliter prout pertinent ad hoc Vniuersum; neque est necesse, quod omnia individua vnico actu attingantur.

Ad Vltimam Instantiam (quæ Aliquibus difficilis visa est) variæ assignantur solutiones. Quidam dicunt, quod illa propositio est falsa videlicet, quod Qualibet creatura possibili deficiente deficeret hæc omnipotentia, sicut quamuis aliquod visibile particulare redderetur inuisibile non ideò deficeret potentia visiua, & idem est de intellectiua, & similibus. *Et Ratio est*. Quia potẽtia solum specificatur à ratione formali visibilis in communi, quæ non variatur per variationem huius, vel alterius materialis, vnde stante ratione formali non deficit potentia, quæ illam essentialiter respicit, quãuis deficiat aliquod materiale. Hanc doctrinam applicant ad propositum, & Respõdent, quod quamuis deficeret hæc creatura particularis possibilis, non deficeret ratio communis possibilitatis, quæ est ratio formalis termini Omnipotentiæ, & per consequens nec deficeret hæc omnipotentia.

Hæc Solutio non potest admitti; nititur enim falso Fundamento. Quia vt diximus 1. *Parte* in Materia de Visione *Disp.* 45. *Art.* 3. *ad* 1. & de Trinitate *Disp.* 15. *Art.* 2. specialiter *ad* 3. *Probationem*, si redderetur aliqua creatura particularis, quæ modo est possibilis, impossibilis non esset eadem omnipotentia, quę modo est, neque eadem diuina essentia, quæ nunc est, quia non esset participabilis eodem modo, quo nunc est, & hoc non quia diuina essentia dependeat à possibilitate creaturarum, sed quia illas in se continet, ita quod sit ab illis participabilis, etsi aliqua singularis creatura redderetur impossibilis, illa non contineretur in potentia Dei, nec ab illa diuina essentia esset participabilis, quia solum est participabilis

bilis ab illis, quæ potest producere, & solum potest possibilia, & ideò ex transitu creaturæ de statu possibili ad impossibilem, arguitur transitus potentiæ diuinæ de potenti illam producere ad non potentem, & de continente illam ad non continentem, & de repræsentante illam per Ideam ad non repræsentantem, quia creatura possibilitatem positiuam non habet nisi à potente illam producere, licet negatiuam, hoc est non repugnantiam habeat per non implicationem suorum prædicatorum; & eo ipso, quod ponitur impossibilis vtraque possibilitas deficit, quia vna ex alia infertur.

Exemplum de Potentia Visiua non habet paritatem, quia potentia visiua non facit obiectum esse visibile, sed supponit eius visibilitatem, quam habet ante potentiam, & ideò sicut obiectum ex se est visibile antequam fiat potētia, manet visibile quamuis potentia destruatur; vnde solum potentia respicit illud vt specificatiuum secundum rationem communem, qua solum deficiente deficiet potentia, & non deficiente hoc, vel illo materiali, quia materialia non continentur in potentia visiua, nec ab illa habent esse visibilia, nec ex defectu illorum arguitur variatio potentiæ, sicut dictum est de Omnipotentia respectu possibilium.

Alij Respondent ad cognitionem quidditatiuam Omnipotentiæ, non requiri necessariò cognoscere singulares creaturas possibiles, sed solum communem possibilitatem, quia terminus formalis est solum, qui pertinet ad quidditatem potentiæ, non materialis, & creatura particularis non est terminus formalis, sed solum ratio communis possibilitatis, & sic sufficit ad quidditatiuam cognitionem diuinæ Omnipotentiæ attingere rationem communem possibilitatis, & non est necesse attingere particulares.

Hæc Solutio licet contineat ex parte doctrinam veram, scilicet quod ad quidditatiuam cognitionem Dei non requiritur attingere aliquam creaturam particularem, sed solum possibilitatem entis creati in cōmuni, quam Nos in *Materia de Visione* latè explicuimus (Vide *Disp. 13. Art. 4.*) nihilominus tamen ad intentū est insufficiens, relinquit enim insolutum Argumentum, *Tum*, Quia licet terminus formalis potentiæ sit possibilitas in communi, & creatura particularis sit terminus materialis, tamen

A potentia Dei non solum cum termino formali, sed etiam cum materiali ita connectitur, vt qualibet creatura particulari deficienti, Verb. grat. *Hac Formica* secundum conditiones indiuiduantes à possibilitate non esset hæc omnipotētia, vt contra præcedentem solutionem dictum est, in quo nititur præsens argumentum, & ad hoc debet applicari solutio, & reddi ratio quare non debeat necessario cognosci creatura particularis per cognitionem quidditatiuam, quamuis cum illa connectatur potentia indissolubiliter propter quam connexionem intendit argumentum, quod debeat cognosci, licet sit terminus materialis.

B *Tum Quia* non est ita materialis terminus huius indiuidui Omnipotentiæ creatura particularis, quod non conducat ad distinctionem eius respectu alterius potentiæ, quæ resultaret, si hæc particularis creatura redderetur impossibilis, quia supponimus, quod potentia, quæ de facto est, & illa alia, quæ in tali hypotesi verè, & realiter resultaret, conuenirent in vera, & reali ratione potentiæ diuinæ potentis producere omnes creaturas, quantum ad genera, & species, & indiuidua præter hoc vnum indiuiduum assignatum *Huius Formicæ*, & eamdem speciem in alijs indiuiduis. Ergo ex nullo alio Capite potest oriri distinctio, nisi ex mutatione huius creaturæ particularis. Ergo ad istam distinctionem non materialiter concurrit, sed formaliter, & argumētum intendit, quod qui hanc indiuidualem omnipotentiam quidditatiuè cognoscit, debet cognoscere illam particularem creaturam, sine qua desinit esse hæc omnipotētia, & per quam ab alia distinguitur.

C *Tum Quia* illa alia omnipotentia, quæ in tali hypotesi supponitur verè, & realiter resultare, quidditatiuè, & realiter distingueretur ab ista, quæ nunc est, quia esset alia natura diuina, & etiam alius Deus. Ergo mutaretur ratio formalis potentiæ, quia diuersa potentia essentialiter diuersam rationem formalem debet habere; ergo sicut ex defectu rationis possibilitatis in communi, quæ est terminus formalis arguretur immediatè variatio potentiæ, ita ex defectu huius creaturæ particularis, quæ est terminus materialis, arguitur saltim mediatè variatio rationis formalis, quia arguitur variatio huius omnipotentiæ, quia ex variatione indiuidui arguitur variatio rationis quasi specificæ, sicut etiam cōtingit in Angelis

gelis in doctrina *D. Thomæ*. Debet ergo assignari ratio quare creatura particularis nō debeat necessariò attingi per cognitionē quidditatiuam potentiæ, cum qua ita essentialiter connectitur, quamuis sit terminus materialis eius; quod in hac solutione deficit.

Alij Dicunt, Quod ad cognitionem quidditatiuam alicuius indiuidui non est necesse cognoscere omnia principia indiuiduationis eius tam intrinseca, quàm extrinseca, sed solum intrinseca, quasi ex quibus cōponitur; sicut ad cognoscendum quidditatiuè *Hoc Granum Tritici* non est necesse indiuidualiter cognoscere pluuiam, ex cuius aqua terra fœcundata illud protulit, & Philosophi habuerunt scientiam de Motu cœli, & de hoc Mundo, & non cognouerunt tempus in quo incœpit, existimantes fuisse ab æterno; & tēpus pertinet ad indiuiduationem, & sic de alijs. Et Isti dicunt, quod quia creatura possibilis est quid extrinsecum potentiæ Dei, vt consideratur distincta à Deo quamuis in Deo, ideò potest cognosci Omnipotentia quidditatiuè nō cognita creatura in particulari.

Hæc Solutio pluta inuoluit in quibus non est in præsenti commorandum, sufficit ostendere, quod non satisfacit intento argumenti. *Tum*, Quia non magis intrinseca est possibilitas in communi respectu potentiæ, quam possibilitas huius creaturæ, respectu huius indiuidui omnipotentiæ. *Tum*, Quia Argumentum procedit de Diuina potentia secundum virtutem, & virtualitatem, secundum quam est potens producere hanc creaturam, & illam in se virtualiter continere, & per Ideam repræsentare, quæ omnia intrinseca sunt potentiæ. Et si cognoscantur omnia hæc secundum quod comparantur ad omnes creaturas possibiles in particulari arguit *D. Thomas* comprehensionem; & argumētum intendit, quod illa virtualitas debet cognosci, & penetrari per cognitionem quidditatiuam per comparationem ad omnes creaturas in particulari, siquidem ex defectu cuiuscumque illarum deficit quidditas potentiæ, quæ quidditatiuè cognoscitur, & quod consequentia *D. Thomæ* deficit. Vnde hæc solutio non tetigit punctum Argumenti.

Quarto Denique Alij respondent Argumentum deficere, quia transit de genere entis ad genus intelligibilis intendendo, quod quia potentia deficeret in genere entis, si deficeret hæc creatura à possibilitate in re, ita si deficeret creatura à cognitione quidditatiua deficeret etiam ipsa potentia: quæ consequentia nulla est, quia bene possunt aliqua ita essentialiter connecti in essendo quorum vnum sine alio persistere nequeat, & non connecti in cognoscendo, quia cognitio est actio præcisiua, & potest attingere vnum, & non aliud.

Hæc Solutio etiam deficit, & non satisfacit si amplius non addatur, Quia vniuersaliter non est verum, quod semper sit mala consequentia à genere entis ad genus cognoscibilis, quia in Deo non potest vnum attributum sine alio videri, neque Essentia sine Personis propter connexionem essentialem, quam habent inter se per cognitionem quidditatiuā videntium Deū in se (vt probauimus in Materia de Visione *Disp.* 15. *Art.* 1.) Vbi est bona cōsequentia à genere entis ad genus cognoscibilis; debet ergo assignari aliud principium ratione cuius deficiat consequentia in præsenti, quo addito poterit hæc solutio sustineri vt statim videbitur.

Vera Solutio colligitur ex doctrina tradita tam in *Hoc Articulo*, quàm *In præsenti*, scilicet, Quod comprehensio supponit, & includit cognitionem quidditatiuam, & addit, quod sit adæquata obiecto; & adæquatio consistit in eo, quod penetrat totaliter virtutem, & omnes effectus, qui sunt in eius potentia, & sicut D. Thomas 1. *Part. Quæst.* 12. *Art.* 7. distinguit duplicem comprehensionem, alia quæ est rigurosa, & est quæ totaliter penetrat obiectum, alia quæ solum est apprehensio, & dicitur comprehensio comparatiuè ad insecutionem viæ, & hæc est omnis visio beata creata; sic distinguenda est duplex cognitio quidditatiua Dei in se, vna adæquata, quæ est comprehensio, quæ non potest negari esse quidditatiuam, siquidem penetrat quidditatem, & eius virtutem, & est ipsa visio increata Dei; alia inadæquata, & hæc est omnis visio creata Dei in se, & dicitur inadequata cōparatiuè ad comprehensionem, & in eodē sensu, quod sicut comprehēsio est adequata, quia omnem virtutem penetrat, ita inadequata dicitur, quia non penetrat omnem virtutem potentiæ, neque omnes effectus, qui solum sunt in potentia virtualiter, non quia aliquod prędicatum formaliter in Deo existens absolutum, vel relatiuum illam lateat; iste enim modus inadequationis ponitur à *Scoto*, & Alijs asserentibus, quod potest vnum attributum sine

alio,

alio, & essentia sine relationibus videri à Beato, quem nos impugnauimus 1. *Part. in Materia de Visione Dei p.* 15. *Artic.* 1. Igitur respectu solum possibilium, quæ solum sunt in potentia, vel in virtute causæ procedit hæc distinctio quidditatiuæ cognitionis per adæquatam, & inadæquatam. Per quod etiam excluduntur futura, cum quibus non est connexio, & quamuis omnia futura deficiant, non deficeret hæc potentia, & ideò non sunt ad intentum Argumenti.

Ex His ad Argumentum patet solutio negando illam propositionem in qua nititur, scilicet, videns quidditatiuè diuinam potentiam debet cognoscere omnia, cum quibus ita connectitur, quod sine illis, vel sine aliquo illorum non esset hæc omnipotentia, quia ista propositio absolutè est falsa; vel potest distingui, si quidditatiuè, & adæquatè cognoscat omnipotentiã, *Concedo*. Si quidditatiuè inadęquatè, *Nego*. Et est dicere si quidditatiuè comprehensiuè, *Concedo*. Si solum quidditatiuè, *Nego*. Vel aliter si ly *Omnia* solum extendatur ad ea, quę formaliter sunt in Deo, *Concedo*. Si distribuat ad omnia, quę sunt in potẽtia, *Nego*. Et quamuis cum illis ita connectatur, quod quolibet possibili deficiente deficiat hęc potentia, non benè infertur, quod vt videat quidditatiuè hanc potẽtiam debeat videre omnia possibilia in particulari, cuius contrarium intendit Argumentum; sed nec probat, nec probari potest. Stat enim benè quod hanc omnipotentiam quidditatiuè videat aliquis, & non penetret totaliter illam; & Ratio huius est illud principiũ *D. Thomæ*, quod infinitum nequit à finito adæquari; benè tamen infinitum potest à finito attingi. Sic infinitum cognoscibile, quale est potentia Dei, potest quidem attingi à visione quidditatiua, & non adæquari.

Sicut Dicentes, quod vnum attributum sine alio, vel essentia sine Personis potest videri quidditatiuè à Beato concedunt, quod videretur hoc indiuiduum attributũ, vel ista indiuidualis essentia alio attributo, vel Personis non visis, quamuis ita connectantur, quod vnum attributum sine alio non possit persistere, neque ista essentia sine istis Personis à parte rei; sic multo melius Nos dicimus, quod potest videri hæc omnipotentia non visa hac, vel illa creatura possibili, qua deficiente non esset hæc omnipotentia, sicut qui cognoscceret Solem quidditatiuè, non deberet cognoscere omnia, quæ in terra potest producere, vel sicut qui cognoscceret Petrum quantum ad septem conditiones indiuiduantes, *Quas non habet vnus, & alter* cognoscceret illum quidditatiuè, & indiuidualiter, & non tamen ideò deberet cognoscere omnes filios, quos potest generare, qui sunt in virtute, vel in potentia eius. Propter quod *D. Thomas* hic *Art.* 2. & 1. *Part. Quæst.* 12. *Art.* 8. *in Corpore* negat, quod videntes Deum per essentiam videant omnia, quæ sunt in eius potentia, & simul vtrumque componit negare cognitionem omnium possibilium, & affirmare visionem Dei in se indiuidualiter.

Hæc Solutio potest etiam explicari ex eo quod quando aliquod obiectum est cognoscibile secundum plures inæquales gradus cognoscibilitatis, potest secundum vnum gradum quidditatiuè cognosci, & non secundum alium, quia ex cognitione inferioris non infertur cognitio superioris; non enim qui potest ad minus potest ad maius. Hæc autem est differentia inter perfectiones formaliter existentes in Deo, & inter virtualiter existẽtes, quod omnia, quę in Deo sunt formaliter habent eamdem cognoscibilitatem, quia sunt eiusdẽ actualitatis actus puri, & eiusdem indiuisibilis esse propter quod probauimus non posse vnum sine alio videri 1. *Part. Quæst.* 12. *Disput.* 15. *Art.* 1. Quę vero sunt virtualiter habent diuersam cognoscibilitatem, quia iuxta inęqualem perfectionem creaturę possibilis inæqualis cognoscibilitas distinguitur in virtute, seu potentia, in qua virtualiter existunt; & qui perfectiorem creaturã, vel plures penetrat in diuina virtute debet habere perfectiorem visionem, & perfectius lumen. Propter quod sępè *S. Thomas* docet magis beatum plures cognoscere ex possibilibus, vt 1. *Part. Quæst.* 12. *Artic.* 8. Argumentum ergo deficit dum intendit probare quemlibet Beatum omnia possibilia debere cognoscere; hoc enim est conari, quod sint ęquales omnes cognitiones quidditatiuę Dei, quod est absurdum, & quod non sit inęqualitas inter perfectiorem, & inter imperfectiorem creaturam quantum ad cognoscibilitatem, quod est contra rationem; & quod non magis reluceat virtus Diuina in pluribus, & perfectioribus creaturis, quam in vna solum, quod adhuc in causis creatis constat esse falsum.

Secundo Posset Responderi ad Argumentum Distinguendo aliter illam Propositionem,

nem, Qui cognoscit quidditatiuè omnipo- A
tẽtiam debet cognoscere omnia sine quo-
rum aliquo hæc omnipotentia non esset,
Distinguo. Si illa omnia essent cognoscibi-
lia intuitiuè, *Concedo*. Si solum abstractiuè,
Nego. Et licet visio Beata sit intuitiua respe-
ctu aliquorum vt formaliter insistentium
in Deo, tamen respectu possibilium non
est nisi abstractiua, quia possibilia non ha-
bent existentiam requisitam ad intuitio-
nem. Cum autem cognitio abstractiua sit
precisiua, ideò potest inter possibilia, B
quamuis cum illis connectatur omnipo-
tentia, præscindere, & vnum sine alio cog-
noscere, & potentiam sine pluribus illo-
rum, & cum hoc addito potest sustineri
quarta Solutio.

Hæc Solutio vt firma sit debet ad præ-
cedentem reduci, & eodem fundamento
fulciri, *Tum* Quia iam inuoluit differen-
tiam immediatè positam inter ea, quæ for-
maliter existunt in Deo, & quæ virtualiter
solum existunt, vt possibilia, quod est intui- C
tiua illorum, & istorum abstractiua, *Tum*
Quia si inquiras quare visio beata creata,
quæ abstractiuè attingit rationem cõmu-
nẽ possibilium, non potest ab illa præscin-
dere. *Respondebitur*, Quod quia cõnectitur
cum ratione potentiæ formaliter in Deo
existente, & ideò videndo rationem for-
malem potentiæ non potest non attingere
rationem communem possibilium cum
illa essentialiter connexam; particularia
vero possibilia solum habent connexio- D
nem cum virtualitate, quæ non videtur,
nec penetratur quo ad omnia. Etsi iterum
inquiras, Quare non penetratur, siquidem
cognitio Dei quamuis abstractiua pene-
trat, & necessariò omnia particularia cog-
noscit, solum respondent, quod quia ab-
stractiua increata est adæquata, & compre-
hensiua, quia infinita, creata vero, quia fini-
ta est inadæquata; ex quo constat, quod hæc
solutio in substantia non distinguitur à no-
stra nisi in modo loquendi. E

Dices: Qui videt quidditatiuè hanc di-
uinam potentiam, & essentiam videt illam
non quomodocunque, sed *Vt hanc*, hoc est
vt distinctam ab illa alia, quæ esset, si aliqua
particularis creatura possibilis deficeret; er-
go cognoscit illam creaturam particula-
rem. *Antecedens Probatur*, Quia ex vi visio-
nis Beatus posset formare iudicium, quod
hæc Omnipotentia non est illa alia, quæ in
tali casu esset. *Consequentia Probatur*, Quia
nequit cognosci aliquid vt distinctum ab
allo, si non cognoscatur distinctiuum, quia
esse distinctum est effectus formalis distin-
ctiui, & quia distinctiuum in eodem sensu
est constitutiuum, est de essentia, & quidd-
tate talis rei; ergo nequit quidditatiuè cog-
noscì vt distincta sine illo distinctiuo.

Nec Sufficit Respondere, quod statim se
offert, scilicet, quod alia Omnipotentia est
ens chimericum, & fictitium; hæc vero,
quæ de facto videtur est ens verum, & ad
cognoscendam hanc vt distinctam ab alia
sufficit cognoscere rationem entis veri, B
quia per hanc rationem primò, & immè-
diatè distinguitur ab ente chimerico con-
tento sub eadem ratione analoga commu-
ni: sicut ad cognoscendum *Petrum*, vt di-
stinctum à lapide non est necesse cognos-
cere conditiones indiuiduantes Petri, sine
quorum aliqua non esset Petrus, sed suffi-
cit cognoscere rationem sensibilis, per quã
primò distinguitur à lapide insensibili sub
ratione communi Corporis.

Hoc Inquam non sufficit. *Tum*, Quia li-
cet alia Omnipotentia, vel essentia diuina,
quæ tunc esset, de facto sit ens chimericum,
& fictum, & si absolutè proferatur existens,
esset fingere chimeram; tamen ex hypotesi
Argumenti, non est chimera, nec ens fi-
ctum, quia Argumentum supponit, quod
in tali casu esset ens verum Diuinum; &
quamuis suppositio sit impossibilis, tamen
semel admissa suppositione iam admitti-
tur vt possibilis, & vt vera, aliàs non admit-
titur casus, sicut cum inquiritur si Spiritus
Sanctus non procederet à Filio, si distingue-
retur ab illo, licet de facto excogitare Spi-
ritum Sanctum non procedentem à Filio
sit chimera, tamen sub conditione si non
procederet benè respondetur, quod non
distingueretur à Filio, vt respondet *Sanctus
Thomas*, & in tali casu esset ens verum si-
quidem esset idem cum Filio. Etsi in-
quiratur distinctiuum, non benè respon-
debitur, quod est ratio entis veri, & ficti, quia
in tali casu vterque ponitur ens verum, E
qui modo est, distinctus à Filio propter ve-
ritatem, & qui in tali casu non distingue-
retur à Filio, quia esset idem ens quod Filius.
Sic in præsenti.

Tum, Quia licet alia potentia sit ficta, ta-
men ista creatura particularis possibilis ita
pertinet ad hanc omnipotentiam, quod de-
ficiente creatura deficeret potentia à parte
rei, hoc admittitur; ergo in tali casu, vel re-
solueretur in nihil potentia, vel in nõ ens,
vel transiret, & transmutaretur in aliam

po-

potentiam, vel ad desitionem huius alia potentia resultaret vera, & realis, aut nulla; si esset alia vera, & realis de illa procedit Argumentum, quod distingueretur tanquam ens verum, & propter defectū huius creaturæ si esset nulla potentia, & pœnitus resolueretur in nihil ista, quæ de facto est, adhuc est idem Argumentum. Per quid, vel per cuius defectum amisit esse, si propter defectum huius creaturæ, vt supponitur; ergo hæc creatura pertinet ad veram existentiam huius potentiæ: restat ergo respõdere quare qui hanc potentiam quidditatiuè videt, non cognoscit creaturam sine qua resoluitur in nihilum potentia.

Respondetur Igitur (omissa hac solutione) quod illa propositio est falsa, Qui videt quidditatiuè hanc omnipotentiam debet illam videre *Vt hanc*; vel distinguenda est si ly *Vt* sumatur specificatiuè, *Concedo*. Si reduplicatiuè supra radicem distinctionis, *Nego*. Ad Probationem, *Cõcedo*, quod Beatus formet iudicium, quod hæc omnipotentia non est illa, quæ esset in tali casu, sed *Nego*, quod ad hoc iudicium sit necesse cognoscere creaturam pœnes quam sit distinctio. Quod patet, quia nos in via formamus idem iudicium solum propter Fidem, vel Theologiam, & Dicimus, quod hæc potentia, quam credimus, nõ esset illa alia, quæ deficiente creatura posibili esset; sufficit ergo ad cognitionem quidditatiuam huius potentiæ cognoscere absolutè, seu specificatiuè illam, quamuis non penetretur totaliter eius virtus, vt explicatum est.

Pro Cuius maiori euidentia notandum, quod hæc Omnipotentia æqualiter desineret esse si deficeret hæc creatura, aut alia, vel alia, & sic de singulis posibilibus, quia eadem est ratio de omnibus, & similiter illæ potentiæ inter se distinguerentur. Itaque tot Omnipotentiæ essent distinctæ inter se, & ab ista, quæ modo est, quot creaturæ posibiles deficient, & cum creaturæ posibiles sint infinitæ sincathegorematicè, ita in infinitum posset poni conditionalis si ista, vel ista, &c. deficeret in infinitum, alia, & alia potentia esset. Ex quo patet, quod si esset necessarium cognoscere hanc potentiam vt hanc, hoc est, vt distinctam ab illa, quæ esset deficiente hac creatura posibili, similiter esset necessarium cognoscere illam vt distinctam ab omnibus alijs infinitis potentijs, quæ essent, si singulæ posibiles creaturæ deficerent; & sicut infertur quod deberet cognoscere hanc

A creaturam posibilem, similiter infertur, quod deberet cognoscere infinitas creaturas posibiles propter eamdem rationem, & cum finita cognitio hoc non posit, vt patet ex dictis, constat quod Vis Argumenti deficit.

Supponit Enim, quod visio est finita, & creata, & intendit quod cognoscat infinita inæqualia in perfectione, & cognoscibilitate, quia probando de vna creatura, vt distinctiua, probat similiter de omnibus posB sibilibus. Præterea inuoluit aliam falsitatem, quia supponit, quod videns hanc omnipotentiam cognoscit omnia alia posibilia, in quibus hæc omnipotentia conueniret cum alia, si deficeret hæc sola creatura posibilis: asignata Verbi grat. *Hæc Formica* penes quam solum distinguerentur; quod tamen est falsum, immo & imposibile, quia illæ sunt innumeræ creaturæ; &

C prope infinitæ, & finita, & limitata cognitio non potest illas attingere.

Etsi dicatur, Quod hoc non supponit; deficit Argumentum à principio, quia à principio intendebat, quod cognoscebantur omnes creaturæ posibiles, vt probaret, quod non sequitur comprehentio ex illarum cognitione, & ad hoc vtebatur hoc medio, quod solum ista creatura deficeret, & conatur probare, quod debebat illam cognoscere propter connexionem; quia deficiente illa deficeret potentia. Vnde cõstat, quod supponit quod omnia alia posD sibilia cognoscebantur.

ARTICVLVS III.

Qua Ratione Anima Christi omnia futura cognoscat in Verbo?

E DVAS difficultates inuoluit hic Articulus scitu dignas, Altera est, vt ponderemus rationem *Diui Thomæ* in *Articulo 2.* asignantis animæ Christi Visionem omnium Futurorum in Verbo, eo quod quilibet Beatus videt ea in essentia diuina, quæ pertinent ad suum statum; hæc enim causalis vulgarem illam, sed non leuem continet difficultatẽ, Quomodo pertineat ad visionem cuiuslibet Beati ea videre in Verbo, quæ pertinent ad suum statũ, cum posint pertinere

ad

ad ſtatum inferioris Beati plura, quam ad ſtatum ſuperioris; vnde ſequitur, quod inferior Beatus plura videat in Verbo, quam ſuperior, quod eſt eſſe magis beatum.

Altera Difficultas Eſt, Qua ratione lumen gloriæ habeat manifeſtare futura, quæ pendent ex libero Decreto Dei; Decreta autem libera non poſſunt cognoſci ex vi penetrationis Eſſentiæ diuinæ, vt quidditas, & virtus effectiua eſt, ſicut neque ex penetratione alicuius creaturæ rationalis videri poſſunt cogitationes cordis, ſed indiget aliqua reuelatione ſpeciali, qua Deus manifeſtet Beato ſuam voluntatem. Vnde difficile eſt explicare, quid datur lumini gloriæ, vel quid requiratur, vt ex vi Viſionis videantur libera decreta Dei, & communiter res futuræ?

Circa Primam Difficultatem duplex eſt Sententia, & multiplex explicatio. Prima Sententia eſt Beatos videre in Verbo ea, quę pertinent ad ſuum ſtatum in ſenſu cauſali, non formali, id eſt non videre ipſam formalem viſionem Dei in Verbo, ſed ex illa viſione cauſari talem cognitionem, eo quod ex vi viſionis illius debetur Beato, vt fiant ei reuelationes extra Verbum de his, quæ pertinent ad ſuum ſtatum, vnde poteſt illa cognoſcere ſucceſsiuè, quia poſſunt in diuerſis temporibus fieri iſtæ reuelationes, neque eſt neceſſe, quod à principio omnia ei reuelentur. Quæ ſententia habet duplicem limitationem, aliam à *Caietano* hìc *Art.* 2. aliam à *Patre Suarez* hic *Diſp.* 26. *Sectione* 3.

Caietanus aſſerit, quod omnia, quæ pertinent ad ſtatum Beati pro eo tempore, quo illi confertur beatitudo, videt formaliter in Verbo; quæ vero deinceps ſucceſſura ſunt ſolum per reuelationes extra Verbum cognoſcit; quæ tamen ex vi viſionis beatificæ eis debentur dicuntur videri per viſionem beatificam cauſaliter, non formaliter.

Pater Suarez inquit, quod Beati ex vi viſionis formaliter in Verbo vident omnia, quæ pertinent ad ſuum ſtatum in ea quantitate, quæ correſpondet lumini dato ex meritis ſuis, quod ſi ad videnda omnia illa, quæ ad ſuum ſtatum pertinent, non ſufficiat lumen datum ex meritis ſuis, non videbit omnia formaliter, ſed ſolum præcipua, reliqua vero cauſaliter: & quia Chriſtus Dominus habet viſionem diuinam ſine meritis titulo hæreditatis naturalis, & ſi ex meritis habuiſſet, adhuc illa perfectio, & multo maior eſſet illi debita, ſi ad illam merita ſua ordinaſſet, ideò per ipſam viſionem Dei formalem videt omnia, quæ ad ſuum ſtatum pertinent, quæ ſunt omnia ſimpliciter.

Secunda Sententia eſt Beatos videre ea, quæ ad ſuum ſtatum pertinent ex vi viſionis diuinæ formaliter, & in ipſo Verbo. Vnde communiter vident illa ſtatim à principio ſuæ beatitudinis, quia in viſione diuina non poteſt dari aliqua mutatio, vel augmentum. Hanc ſententiam communius ſequuntur Expoſitores *Diui Thomæ*, & videri poteſt *Magiſter Medina* hìc, & *Cabrera Artic.* 2. *Diſput.* 3. Et ſumitur ex ipſo *Diuo Thoma* aſſerente Beatos videre in Verbo Orationes, quæ ad ipſos funduntur, vt patet in 2. 2. *Quæſt.* 83 *Art.* 4. *ad* 2. *& 3. & in* 4. *Diſtinct.* 25. *Quæſt.* 3. *Art.* 1. Vbi poſtquam docuerat Beatos videre in Verbo Orationes, in Solutione ad vltimũ diſtinguit de reuelatione per viſionem Verbi, vel alio quocumque modo, dicendo quod Deus per ſe ipſum nouit cogitationes cordis, alij vero Deo reuelante per viſionem Verbi, vel alio quocumque modo. Vbi diſtinguit reuelationem in Verbo ab ea, quæ alio quocumque modo fit, id eſt, extra Verbum. Ergo ſignum eſt, quod quando in *Corpore Articuli* dixerat Beatos videre in Verbo Orationes Sanctorum, loquebatur de viſione formali Verbi, vt diſtinguitur ab alijs reuelationibus.

Et Ratio Diui Thomæ hoc conuincit, Inquit enim, quod quia Diuina eſſentia eſt ſufficiens medium cognoſcendi omnia, quod patet ex hoc, quod Deus videndo ſuã eſſentiam omnia intuetur, non tamen ſequitur, quod quicumque eſſentiam Dei videt, omnia cognoſcat, ſed ſolum, qui eſſentiam comprehendit, ſicut nec principio aliquo cognito cõſequens eſt omnia cognoſci, quæ ex principio conſequuntur, niſi tota virtus principij comprehendatur; cum ergo animæ Sanctorum non comprehendant diuinam eſſentiam, non cognoſcunt omnia, quæ per diuinam eſſentiam cognoſci poſſunt, ſed vnuſquiſque Beatus tantum de alijs rebus neceſſarium eſt vt in eſſentia diuina videat, quantum perfectio beatitudinis requirit. Requirit autem perfectio beatitudinis vt homo habeat quidquid vellit, ſi inordinatè non vult, alioquin non haberet fœlicitatem, ſi aliquid illi deeſſet de his, quæ rationabiliter vult: ſed iuſta voluntate quilibet vult, vt cognoſcat ea, quæ

ad

ad ipsum pertinent; ergo ex his, quæ ad ipsum pertinent omnia cognoscit in Verbo, quia quicquid recta voluntate desiderat scire ipsa beatitudine formali debet cognoscere, quia ipsa beatitudo est impletiua omnis iusti desiderij, iuxta illud Psalmi 20. *Desiderium animæ eius tribuisti ei, & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.* Quæ ratio *Diui Thomæ* pro captu huius Materiæ probabilissima, & conuenientissima est, nec aliud principium habere possumus ad intelligendū, quid Beati videant in Verbo, quā hoc, quod ponitur à *Diuo Thoma*. Nam si quid in Verbo vident ex his, quæ in Verbo manifestari possunt, maximè debet esse illud, quod rationabiliter aliquis desiderat videre, & scire tanquam ad se pertinens: sicut enim debet videre se ipsum in Verbo, sic etiam omnia, quæ ad se ipsum pertinent, cum sint quasi aliquid sui.

Circa Difficultatem Autem, quæ obstat huic Sententiæ, scilicet, Quomodo possit Beatus videre in Essentia diuina omnia, quæ ad se pertinent nisi ex vi penetrationis diuinæ essentiæ, & consequenter si plura penetret melius videbit Deum, quam ille ad cuius statum tam multa non spectant, & consequenter minus penetrabit de virtute essentiæ diuinæ, quod est esse minus beatū. Variè respondent Authores, & inter se dissident. Cæterum ferè omnes vno, aut duobus modis saluant hanc difficultatem.

Quidam Enim ad hoc præcipuè intendunt, vt nunquam parificetur minus Beatus cum magis beato, sed quātumcumque minus beatus videat plura pertinētia ad suum statum, tamen aliunde vincitur à magis Beato, quia vel perfectiorem aliquam creaturam videt, quod est plus quam videre multa, quæ pertinent ad statum inferioris Beati; vel si videt easdem creaturas in illis videbit plures rationes, vel intensiori modo, & claritate, quam inferior Beatus, vnde semper facienda est recompensatio aliqua, ratione cuius, qui est magis beatus perfectiùs videat, etsi non tam multa in numero videat, quàm inferior beatus.

Alij Vero ad hoc intendunt maiorem, vel minorem beatitudinem non mensurari penes plura, vel pauciora obiecta, quæ videntur, si illa plura videantur, quasi materialiter, & per accidens, sed ex pluribus quæ per se, & formaliter videntur secundum plures rationes intelligibiles, vel ex vi maioris luminis prout correspondent maioribus meritis; non autem quia videantur plura individua contenta sub aliquo genere visō in Essentia Diuina propter communem rationem status beatifici, & conditionem tenentē se ex parte subiecti videntis, & postulantis, vt videantur illa, quæ pertinent ad eius statum. Et ad istos duos modos reducuntur omnes alij, qui in hac parte multiplicantur ad expediendā istam difficultatē.

Quare Ex Illorum explicatione maiori sumenda est plena Resolutio huius Difficultatis. *Et Dico*, Quod benè stat inferiorem Beatum videre plura quantum ad numerum, & extensionem in diuina Essentia, quam superiorem Beatum, & tamen alterum perfectiùs videre diuinam essentiam, quia vel videt perfectiorem effectum aliquem, qui petit maiorem efficaciam luminis, & maiorem penetrationem causæ; vel in eisdem effectibus, quos videt inferior Beatus videt superior plures rationes intelligibiles, & maiorem participationem causæ, & penes hoc mensuratur maior, vel minor beatitudo, non penes maiorem numerum rerum, quæ videntur.

Et In Hac Parte est aduertenda alia differentia, quæ magnum habet pondus, nam plures creaturæ possunt cognosci in essentia diuina quo ad *An est*, & quātum ad quidditatem, nec tamen penetrari, & comprehendi quantum ad omnès rationes quas participant à Deo. Facilior autem, & minus occulta est cognitio rerum quo ad *An est*, & quantum ad simplicem definitionem quidditatis, quam illa, quæ comprehendit totam quidditatem, & intrinsecas, ac latentes rationes cuiuscumque effectus in sua causa. Et sic omnes beati vident totum hoc Vniuersum in Deo, & Mysteria gratiæ, quæ crediderunt in via, non tamen penetrāt æqualiter omnes rationes mysteriorū gratiæ, nec omnes rationes effectuū naturalium, vnde Angeli inducuntur interrogantes Christum de Mysterio Incarnationis, & particularibus eius rebus, quas ab ipso adiscunt, vt testatur *S. Dionysius 7. Capit. Cœlestis Hyerarchiæ.*

Tota Autem hæc doctrina optimè confirmatur, & explicatur ex verbis *Diui Thomæ Quæst. 8. de Veritate Artic. 4. Solutione ad 1.* Vbi sic inquit, *Ad Primum Dicendum, Quod sicut Magist. dicit in 2. Sentent. cum dicitur, Angeli in Verbo vident omnia antequam fiant, hoc non intelligitur de omnibus Angelis, sed fortè de Superioribus. nec illi omnia etiam perfectè vident,*

sed fortè in communi, & quasi implicitè tantum aliqua sciunt. Vel dicendum quod de vna re cognoscibili possunt intelligi plures rationes, sicut de Triangulo plures demonstrationes fiunt, & potest esse quod aliquis sciat triangulum quid est, qui nescit omnia, quæ de triangulo sciri possunt. Aliud igitur est scire omnes res, aliud autem scire omnia intelligibilia de rebus: satis autem probabile videtur, quod omnes videntes Deum per essentiam omnes creaturas cognoscant secundum species suas ad minus, & hoc est, quod Isidorus dicit, quod sciunt in Verbo omnia antequam fiant, fieri enim rei est intelligibilis rationis, non autem oportet, quod Angelus sciens aliquam rem sciat omnes rationes intelligibiles de ipsa, & si forte sciat omnes proprietates naturales, quæ comprehensione essentiæ cognoscuntur, non tamen scit eam secundum omnes rationes, quibus subsistat ordini diuinæ prouidentiæ, qua vna res ordinatur ad varios euentus, & de his rationibus inferioribus Angeli à Superioribus, vel supremis illuminantur. Et hoc est, quod dicit Dionysius, quod superiores Angeli docent inferiores scibiles rationes rerum. Ita D. Thomas.

Ex Qua Doctrina, quæ singularis est ad præsens punctum; Dicimus Vnumquemque Beatum ad rationem sui status solum postulare, quod videat omnia, quæ ad se pertinent, & hoc saluatur si videat illa, quoad an est, vel secundum simplicem quidditatem, non tamen necesse est, quod ea quæ ad se pertinent comprehensiuè videat, penetrando omnes rationes intelligibiles eorum, vnde licet plura cognoscat etiam à principio suæ beatitudinis, quæ superior beatus non attingit, non sequitur, quod melius videat diuinam essentiam, quam ille maior beatus, quia licet pauciores creaturas videat, videt tamen in illis plures rationes intelligibiles, magisque eas comprehendit, quam inferior Beatus. Simpliciter autem perfectius est pauciores creaturas perfectiores videre, aut imperfectas perfectiori modo plures rationes intelligibiles in eis penetrando, quam plures solum quoad an est, aut quoad simplicem quidditatem. Et hac ratione licet omnes Beati videant in Deo mysteria fidei, quæ hic crediderunt, non tamen æquales sunt etiam in visione eorum mysteriorum, quia non æqualiter vident omnes rationes istorum mysteriorum, neque excellentiorem habent beatitudinem; quia tam excedentes effectus in Deo vident, quia vident ipsos quasi quoad an est, & secun-

A dum quod sunt in hoc Vniuerso, non tamen Omnes comprehendunt perfectè omnes rationes intelligibiles talium mysteriorum, penes quod appreciatur maior, vel minor beatitudo.

Et Sic Manet Explicata Ratio causalis, quam assignat *Sanctus Thomas*, Quare anima Christi videat in Verbo omnia: pertinent enim ad statum suum, cum omnia subiecerit Deus sub pedibus eius taliter, quod vt ait Apostolus ad Hebræos 2. *Nihil dimisit non subiectum ei.* Vnde secun-
B dum quod omnia illi sunt subiecta perfectè, omnia perfectè videt, quod nulli alij intellectui creato conuenit, quia vt ibi argumentatur Apostolus, *Non subiecit Angelis Deus Orbem terræ futurum*, de quo loquitur; vnde sicut nulli conuenit habere subiectum Orbem terræ sicut Christo, ita nulli conuenit videre omnia sicut Christo.

Quod Si Dicas, Quia sic necesse est, quod
C anima Christi videat infinita in Verbo, siquidem videt omnia, quæ pertinent ad Orbem terræ futurum, hoc est per totam æternitatem duraturum: supra autem diximus *Præcedenti Articulo*, quod non possunt infinita videri per vnicam speciem. Ergo.

Respondetur, Nos non fuisse locutos ibi de visione in Verbo, sed extra Verbum; videntur autem infinita in Verbo quatenus
D continentur in ipso finito modo viso; infinita autem reducta ad vnum, bene possunt videri. Ex parte etiam rei visæ videntur illa infinita, vt contenta in aliquo finito, scilicet vt sunt effectus pertinentes ad Vniuersum, & in aliquo genere determinato contenti, scilicet in genere cogitationum, vel actionum per totam æternitatem succedentium.

Ex Quo Fit, Quod nec illa visio est infinita simpliciter, licèt infinitas res attingat, sed solum secundum quid eo modo quo
E res superioris ordinis dicitur infinita secundum quid, quia non perfectione superat infinita individua inferioris ordinis, vt notat *Caietanus* hic *Artic.* 2. Nec obstat obiectio *Patris Suarez* hìc *Disput.* 26. *Sect.* 3. Quod omnes visiones beatæ sunt eiusdem speciei, & ordinis, vnde vna non continet ea, quæ pertinent ad aliam, sicut res superioris ordinis, ea quæ sunt inferioris ordinis, & sic si vna visio peruenit ad cognoscendum infinita in se debet esse infinita

Respondetur, Quod licet vna visio non sit

su-

superioris ordinis, quam alia formaliter, & quantum ad suam speciem, ex parte tamen diuinæ Essentiæ, quæ illi vnitur in ratione speciei, habet æquiualenter esse superioris ordinis vna visio respectu alterius, quantum ad hoc quod vnitur Essentia diuina respectu vnius visionis secundum aliquam eminentiam, & virtualitatem, secundum quam non vnitur pro alia visione, & illa eminentia, & virtualitas continet omnia illa, quæ sub obiecto per aliam visionem à tacto cõtinentur, etiam si infinita sunt: & sic visio animæ Christi, quia attingit Deum vt finito modo visum, sub eminentia superiori, quam visionis aliorum beatorum, dicitur repræsentare infinita sub aliquo superiori contenta, quæ finito modo videntur.

Circa Secundam Difficultatem, qua quæritur vnde habeat lumen gloriæ manifestare creaturas futuras, & existentes? Supponenda est communis Responsio, Quod futura videntur in Decreto libero Dei à quo pendent in quantum futura; possibilia autem videntur in penetratione virtutis, quatenùs continet omnes effectus possibiles. Ex hoc autem nascitur difficultas proposita. Nam lumen gloriæ ex vi, & efficacia sua solum habet manifestare ea, quæ formaliter sunt in Deo, & pertinent ad eius quidditatem, & virtutem; quæ verò purè libera sunt ex vi cognitionis quidditatis Dei non possunt penetrari, sicut neque ex cognitione quidditatiua alicuius creaturæ intellectualis videntur actus liberi, & cogitationes cordis. Inde enim argumentatur *Apostolus* 1. *ad Corinth.* 2. Quod sicut nemo horum nouit, quæ sunt hominis nisi spiritus hominis, qui in ipso est, ita ea, quæ Dei sunt nemo cognouit nisi spiritus Dei. Quare ex vi solius conditionis quidditatiuæ Essentiæ diuinæ, & penetrationis virtutis eius non cognoscuntur liberi actus Dei, nisi ip e voluerit reuelare. Hæc autem reuelatio vel fit intra Verbum, vel extra? Si extra Verbum, ruit fundamentum *Diui Thomæ*, Quod videat Anima Christi in Verbo omnia præsentia, & futura: Si intra Verbum, cum omnis reuelatio fiat medio aliquo lumine, vel illud est lumen gloriæ, vel aliud: Quod sit aliud non potest dici; quia sic ad videndum aliquid intra Deum poneretur aliud lumen præter lumen gloriæ, quod est inauditum: si medio lumine gloriæ, reddit eadem difficultas, quomodo lumen gloriæ, quod de se manifestat solum quidditatem diuinæ Essentiæ, possit sine noua perfectione luminis, & noua illustratione, ex sola vi, & efficacia sua penetrare actus liberos Dei?

Plura De Hac Difficultate tractat *Pater Suarez Lib.* 2. *de Attributis Negatiuis Cap.* 24. & 27. Explicando Quomodo Beati vident actus liberos Dei; licet non ita vrgeat punctum difficultatis propositæ. Et suppono contra Nominales posse creaturas etiam existentes videri in Verbo; quod etiam negauit *Durandus* in 4. *Dist.* 49. *Quæst.* 2. & Alij; sed immeritò, Quia Verbum Diuinum, non minus est ratio, & principium continens in se creaturas futuras, vel vt existentes, quam vt possibiles, siquidem per solam determinationem suæ voluntatis redduntur futuræ, quæ possibiles erant: sicut ergo potest videri in ipso Deo determinatio voluntatis eius, ita & obiecta, quæ redduntur futura ex tali determinatione: ea videt Deus in se ipso videt res vt futuras, & non extra se, ita ipso Deo manifestabiles sunt alijs Beatis.

Suppono Etiam non omnia futura contingentia libera, nec omnia Decreta videri per quamcumque visionem; sic enim quilibet beatus videret omnia indiuidua futura per totam æternitatem, quod soli animæ Christi conceditur à *Diuo Thoma*, & Theologis hic *Art.* 2.

Denique Suppono, Quod entitas actuum liberorum, cum sit formaliter in Deo, & idem quod ipse actus necessarius, non minus debet formaliter videri in Deo, quam quæcumque alia attributa. Quomodo autem videndo totam entitatem actus liberi lateat Beatos obiectum liberè volitum per talem actum, pendet ex illa difficultate de Constitutione actus liberi in Deo, & distinctione ab actu necessario, quæ tractari solet 1. *Part. Quæst.* 19. Sed breuitèr Dico, Quod ille actus propter suam eminentiam, ita est formaliter in Deo, quod eminenter attingit obiectum liberum, sine aliqua necessaria connexione, aut dependentia ab ipso; vnde obiectum primarium talis actus non est obiectum liberè volitum, sed primarium obiectum est diuina bonitas non vt absolutè amabilis in se, sed secundum respectum ad obiectum creatum, quod ex illa deriuatur, & ad quod se extendit. Quare sicut stat benè videri totam formalitatem diuinæ potentiæ, & virtutem

eius vt absolutè est in se; & latere eamdem potentiam, & virtutem sub habitudine respectiua ad creaturas possibiles, quas virtualiter includit (vt *Art.* 1. Diximus) sic multo à fortiori stat benè, quod videatur actus diuinæ voluntatis secūdum suam absolutam entitatem, & tamen sub habitudine ad obiectum, cum quo non habeat necessariam connexionem, sicut habent creaturæ possibiles cum Omnipotentia, omnino latere possit, nisi Deus illud reuelet; quia si ad cognoscendam virtualem continentiam sub respectu ad creaturam possibilem requiritur penetratio virtutis, & non sufficit simplex visio quidditatis, multo melius ad cognoscendum obiectum futurum, quod eminenter continetur in actu voluntatis sine connexione tamen necessaria ad illud, requiretur specialis Dei reuelatio, & non sufficit simplex visio quidditatis diuinæ.

Quod Si Dicas Hoc Multum Probare, scilicet, quod neque ex vi visionis Deo reuelante possit videri actus liber, vt liber est secundum quod tangit obiectum liberum; quia sic non est aliquid reale, sed respectus rationis, quem addit super actum necessarium; respectus autem rationis non potest videri ex vi visionis diuinæ, quia nihil est.

Respondetur, Quod respectus rationis non est res, quæ videtur ex vi visionis diuinæ, sed videtur actus realis voluntatis, qui tantam eminentiam realem habet supra obiectum creatum, quod non reali relatione, & dependentia respicit illud, sed potius obiectum dependet ab actu realiter, & videre illud sub hac dependentia reali ex parte obiecti, quæ rationis est ex parte actus, est videre actum liberum, vt tangit, *Respectum* rationis, vel obiectum sub respectu rationis.

Itaque actus liber Dei, etiam vt liber, non dicit aliquid rationis, sed aliquid reale est, sola tamen ratione distinctum ab actu necessario, & solo respectu rationis respiciēs obiectum, propter absolutam realitatem suam, & independentiam ab obiecto. Et sicut potentia etiam vt respicit hanc, vel illam creaturam possibilem aliquid reale est, & continentia talis creaturæ possibilis realis virtus est, licet respectus ad creaturam rationis sit, propter eminentiam, & independentiam talis realitatis, sic dicendum est de actu voluntatis respectu obiecti liberi.

Ad Difficultatem Ergo Propositam, An sit necessaria noua reuelatio, vel perfectio in lumine gloriæ, vt videat liberum decretum Dei, quatenus liberum est, Respōdent Aliqui, quod non est necesse variari lumen intrinsecè, sed extrinsecè ex parte obiecti cogniti; neque est necesse infundi nouum lumen, aut gradum luminis, vel nouā speciem, sed solum perfici penes maiorem extensionem ex parte obiecti liberi, quæ extensio non se tenet ex parte obiecti primarij, à quo habet substantialem rationem illa visio, sed quatenus essentia fundat respectum rationis ad creaturas. Ita *Magister Gonzalez* 1. *Part. Quæst.* 12. *Disp.* 32. *Sect.* 3. & circa finem.

Sed Vrget contra hanc resolutionem, validum Argumentum. Quia etiam creaturæ possibiles sunt obiectum secundarium diuinæ visionis, & ad illas habet diuina Essentia solum respectum rationis, & tamen ad videndum plures creaturas possibiles in Deo necesse est visionem ipsam substantialiter variari, quia id debet fieri per maiorem penetrationem diuinæ virtutis, & consequenter per diuersum modum intelligendi ipsum obiectum primarium, quatenus est ratio manifestandi obiectum diuersum secundarium, & consequentèr alio modo debet penetrari, & cognosci, quam si aliud obiectum secundarium, vel nullum videret; ergo similiter ad videnda futura, licet sint obiectum secundarium, tamen quia in penetratione diuinæ essentiæ cognoscuntur, oportebit crescere lumen, & mutari ipsam visionem aliter attingendo diuinam Essentiam, quam si non viderentur futura: & sic currit difficultas proposita, An sufficiat crescere lumen gloriæ in ratione luminis; An in aliqua ratione reuelationis, & per quod lumen fiat talis reuelatio? Neque est aliqua differentia quantum ad hoc inter creaturas possibiles, & futuras, quia tam istæ, quàm illæ pertinent ad obiectum secundarium, & videntur in vi penetrationis diuinæ Essentiæ.

Quare Existimo, Quod lumen gloriæ ex sua specie, & natura est sufficiens, non solū ad cognoscendam quidditatē Dei, & quidquid in Deo est formaliter tanquam ens necessarium, sed etiam ipsos actus liberos, vt liberi sunt, non per aliud lumen, nec per aliam speciem, sed per ipsum lumē gloriæ, & diuinam Essentiam, quæ repræsentatiua est non solum quidditatis, sed etiam libertatis suæ, quia continet in se actum liberū, & potest illum manifestare, dummodo Essentia diuina vniatur intellectui sub illa ratione,

tione, & modo quo intelligitur, vt continentiùs, & repræsentans actum liberum, sicut etiam ipse Deus per suam essentiam cognoscit liberum actum suum.

Ex Parte etiam luminis requisiti ad cognoscendum, non requiritur reuelatio facta per aliud lumen, quam lumen gloriæ, quia lumen gloriæ est sufficiens pro omni reuelatione intra Verbum, etiam respectu actus liberi, ita quod lumen gloriæ non solum est cognoscitiuum diuinæ Essentiæ, quantum ad connexiones necessarias, sed etiam eminenter est lumen reuelationis, mediante quo Deus intra Verbum reuelare potest quid-quid voluerit, applicando, & vniendo essentiam suam illi lumini, sub eo modo quo tepræsentatiuà est eius; quod Deus reuelare vult. Si enim potest Deus manifestare Decretum suum, & voluntatem per lumen infusum extra Verbum, sicut cognoscimus per fidem, & Prophetæ per lumen propheticum multa de Voluntate Dei cognouerunt, à fortiori intra Verbum potest Deus reuelare ea, quæ pertinent ad liberam voluntatem, non per aliud lumen, quam quod est cognoscitiuum Dei intra Verbum, quod propter suam eminẽtiam æquiualet reuelationi diuinæ; & ad hoc (vt diximus) non requiritur nisi quod ipsi lumini proportionato diuina Essentia vniatur, vt tepræsentans hoc, vel illud Decretum suum. Sicut ad videndam aliquam creaturam possibilem determinatè, necesse est quod vniatur diuina essentia, sub ea ratione qua continet talem creaturam, potiùs quam aliam, & lumen in ea dispositiue, aut intensione dati, quia proportionatum sit ad penetrandum continentiam talis creaturæ;

QVAESTIO XI.

DE SCIENTIA INDITA, VEL INFVSA ANIMÆ CHRISTI.

EXPLICATIO LITTERÆ.

ORDO *Huius Quæstionis* ad præcedentem supra *Quæst.* 9. notatus est, cùm tractauimus de Scientia Christi in communi, & diuersitate scientiarum, quas habuerat, quarum prima est *Scientia Beata* : Secunda *Infusa per se* ad cognoscendum extra Verbum. Tertia *Acquisita*, & connaturalis homini in hac vita; & sic expedita consideratione de Scientia Beata, agit nunc de Scientia per se infusa. In ea vero considerat tria, scilicet *Obiectum*, *Actum*, & *Habitum*. De *Obiecto* agit *Articulo* 1. inquirens, An Christus per hanc scientiam sciat omnia; vel ad quæ obiecta se extendat? De Actu, inquirit tribus sequentibus Articulis, explicando perfectiones, quas habet actus huius scientiæ, cum enim excedat scientiam acquisitam, & humanam oportet imperfectiones Scientiæ acquisitæ ab ea remouere, & explicare perfectiones Angelicæ scientiæ, vnde inquirit in *Articulo* 2. Vtrùm habuerit hæc scientia dependentiam à phantasmatibus? Et in *Articulo* 3. An habuerit necessitatem discurrendi? Et in *Articulo* 4. An sit inferior cognitione Angelica? Per quæ explicantur omnes perfectiones exercendi, & vtendi hac scientia. Denique de habitu illius inquirit in *Articulo* 5. & 6. An solum fuerit hæc scientia habitualis, & vtrùm vnius, vel plurium habituum?

Circa Primum explicat *D. Thom. in Artic.* 1. ea ad quæ se extendit ista scientia, & supponit tanquam certum Principium hanc Scientiam fuisse in Christo perfectam, quod intelligitur de perfectione intensiua, & extensiua : nam quod fuerit extensiuè perfecta ostendit in Argumento *Sed contra*, ex eo quod sacra Scriptura ponit in Christo ea dona Spiritus Sancti, quæ comprehendunt omne genus cognoscibilis, scilicet *Sapientiam*, & *Scientiam*, *Intellectum*, & *Consilium*; siquidem *Sapientia* est cognitio diui-

diuinorum omnium, *Intellectus* rerum immaterialium, *Scientia* omnium Conclusionum, seu scibilium; *Consilium* omnium agibilium, sub quibus generibus omnia cognoscibilia comprehenduntur. Ergo ad omnia se extendit scientia Christi.

Intensiuè Etiam fuit perfecta, ita quod non habuit hæc dona Spiritus Sancti in ea limitatione, qua dantur cuilibet existenti in gratia, sed in ea perfectione qua debent esse in Capite omnis gratiæ, *Cui non dat Deus spiritum ad mensuram*, vt dicitur *Ioann.* 3. sed venit tanquam *Doctor omniũ*, & *Magister à Deo*, vt ibidem dicitur. Oportet ergo quod ista dona sic cõprehendentia omne genus cognoscibilis ita sint in Christo, quod possint etiam ad alios deriuare doctrinam, illosque instruere tanquam suprema regula, & Magister.

Hac Autem suppositione facta discurrit *D. Thomas* ostendendo quid sit necessarium vt scientia perfecta sit, scilicet, vt potentialitas intellectus sit reducta in actum, & cum in intellectu sit duplex potentialitas, scilicet respectu agentis naturalis, & respectu supernaturalis, oportet quod scientia infusa vt sit perfecta, vtramque potentialitatem tam naturalem, quàm obedientialem reducat in actum, directè quidem, & per se, potentiam obedientialem, quia scientia ista per se est supernaturalis; accessoriè autem, & ex consequenti potentiam naturalem, secũdum quod naturalia omnia ministrant supernaturali fini.

Qua Ratione etiam *D. Thomas* infra *Quæst.* 59. *Art.* 4. extendit Iudiciariam potestatem Christi ad omnes res humanas, quia accessoriè, & ministerialiter homini deseruiunt; oportet ergo quod per hanc scientiam Anima Christi cognoscat omnia tam supernaturalia extrà Verbũ, quàm naturalia, vt requiruntur ad supernaturalia, & licet naturalia ipsa alio modo cognoscat per scientiam infusam, quam per modum naturalem scientiæ acquisitæ, tamen *Diuus Thomas* non agit hic de modo cognoscendi Obiecta, sed de numero Obiectorum ad quæ scientia ista se extendit.

Et Quando Dicitur *Cognosci omnia, quæ per potentiam obedientialem cognosci possunt*, non debemus intelligere *Omnia* absolutè, sic enim obedientialis potentia inexplebilis est, sed intelligenda sunt *Omnia* secundum ordinem diuinæ sapientiæ, ad quam solum pertinet præfigere limitem, & ordinem supernaturalibus, & potentiæ obedientiali. Quomodo autem præfigat Deus terminum, & mensuram supernaturali isti scientiæ, nobis ignotum est: videtur tamen proportionatum, quod per illam intelligat Anima Christi omnia supernaturalia, quæ in hoc rerum ordine inueniantur, & ad hoc Vniuersum spectabũt; de cæteris autem, quæ in alio rerum ordine fieri possunt, quantum, aut quid intelligat Christus per hanc scientiam, non potest ab aliquo definiri. Quomodo autem per hanc scien-

scientiam intelligat omnia singularia, & futura, in Disputatione disquiretur.

In Artic. 2. incipit *S. Thomas* determinare de Scientia Infusa quantum ad perfectiones actus remouendo illius imperfectiones, & prima imperfectio est *Dependentia à phantasmatibus*, quæ scientiæ infusæ non cõuenit, neque ratione sui, in quantum infusa est, cum à phantasmatibus nõ oriatur, sed ab agente supernaturali; neque ex parte subiecti in quo est, quia anima in tantum indiget phantasmate, in quantum est aliquo modo Corpori subiecta in suis operationibus, neque ipsi plenè Corpus subiectũ est. Vnde quando anima perfectè dominabitur Corpori per redundantiam gloriæ in ipsum, illudque perfectè sibi subijciet, tunc poterit intelligere independenter à phantasmatibus.

Ex Quo Fit, quod radix vnde habet anima non dependere à phantasmatibus est, quod sit beata, licet per accidens ex dispensatione Corpus non sit glorificatum, sicut in Christo; habet tamen in se potentiam subijciendi Corpus, & non dependendi ab eo in cognitione, & ita potuit non vti phantasmate tam ex parte scientiæ infusæ, quatenus infusa est, quàm ex parte intellectus habentis statum comprehensoris. An vero Scientia infusa ex sua natura sufficiat de obligare intellectum à phantasmatibus, & etiam si puro viatori detur? Ex littera hac præcisè non decernitur, sed postea id inquiremus.

Addit D. Thomas Solut. ad 3. Quod potuit vti phantasmate per hanc scientiam infusam si vellet; quod difficultatem habet inferiùs discutiendam.

In Artic. 3. Agit de alia imperfectione scilicet de *Discursu* inquirendo, An ista scientia fuerit collatiua? Et facilem habet ex dictis solutionem, nam discursus, seu collatio, & compositio ad duo possunt requiri, vel ad acquirendam scientiam, vel ad vtendum acquisita. Ad acquirendum, manifestum est non potuisse hanc scientiam habere discursum, cum fuerit per se infusa, & non actibus acquisita: ad vtendum verò ipsa iam habita dicit *D. Thomas* potuisse vti discursu, si Christo placeret, quia ex parte subiecti, cui infunditur habet modum cognoscendi per discursum; & ista scientia, non ita eleuatè infunditur, quod etiam modum connaturalem operandi destruat, ita quod non possit illi aliquo modo proportionari; potest nihilominus simplici intuitu multa cognoscere, præsertim quæ per discursum propriè non sunt cognoscibilia, sicut spirituales substantiæ, & alia spiritualia mysteria.

In Art. 4. Comparat *D. Thomas* perfectionem huius scientiæ infusæ cum scientia Angelorum, & distinguit *D. Thomas* de his, quæ conueniunt scientiæ infusæ ex ea parte, qua respicit causam influentem (intellige tam

cau-

causam effectiuam, quàm obiectiuam) ad cuius proportionē infunditur lumen, & de his, quæ illi conueniunt ex ea parte, qua respicit subiectum cui accommodatur. Ex parte ergo causæ influentis superat hæc scientia scientiam Angelorum, tam quo ad extensionem, seu numerum obiectorum, quàm quoad intēsionem, id est, claritatem luminis, & certitudinem cognitionis; in his enim maior est hæc scientia, quia lumen supernaturale gratiæ est perfectius lumine naturali Angeli.

Si Dicas hoc solum probare, quod excedit naturalem cognitionem Angeli, non tamen supernaturalem, quam habent Angeli extra Verbum.

Respondetur, directè quidem, & expresse id probare, at verò virtualiter, etiam probare, quod excedat supernaturalem scientiam, si quam habent Angeli extra Verbum, quia in hoc genere supernaturali Christus est Caput omnis gratiæ, etiam respectu Angelorum, vt relinquitur probatum *sup. Quæst.* 8. & ita potest illos illuminare in genere gratiæ, atque adeò superat illos in scientia. Si vero attendamus modum huius scientiæ ex parte subiecti, dicit *D. Thomas*, quod est inferior scientia Angelorum; eo quod licet sit supernaturalis scientia, tamen accommodatur propositioni, & modo subiecti, sicut alia dona gratiæ. Solum enim Visio beatifica, quia attingit Deum in se ipso, eleuat creaturam ad operandum vltra modum proprium; hæc igitur scientia retinet modū operandi connaturalem animæ humanæ, qui est inferior modo Angelico, & potest vti, si velit, phantasmate, & discursu, quod non potest Angelus, habetque species in minori vniuersalitate, quam Angelus, vt dicetur *Art.* 6.

In Art. 5. incipit agere *D. Thomas* de Habitu huius scientiæ, & in primis inquirit, An fuerit habitualis? Et potest hoc in duplici sensu accipi. Primo, Vtrum indiguerit habitu ad hanc sciētiam? Secundo, An hæc sciētia fuerit semper in actu, & non in habitu tantum? Et in primo sensu non est difficultas alicuius momenti, cum etiam ad sciētiam beatam indiguerit habitu, qui est lumen gloriæ; ergo etiam ad hanc sciētiam infusam habitu opus fuit, quia fuit scientia supernaturalis. In secundo autem sensu præcipuè disputatur à *D. Thoma*, & *Respondet*, Quod fuit sciētia habitualis, quia data est iuxta proportionē modi operādi animæ humanæ, cuius modus est, vt quandoque sit in potentia, quādoque in actu, & consequenter hæc scientia etiam hoc modo se habet, quod est esse habitualem.

Ex Quo Intelliges, Quod quando dicit *D. Thomas* in Solutione *ad* 1. dari hanc Scientiam secundum modum proportionatū humanæ naturæ, non voluit negare, quod hæc scientia sit supernaturalis, & per se infusa, cū statim subdat, quod cognoscit res per species diuinitùs inditas, sed contraponit illam Scientiæ Beatæ, quæ non accommodat se modo cognoscendi subiecti, sed illud eleuat ad operādum vltra modum suum immutabili,

tabili, & æterno genere intelligendi. Hæc autem scientia cum sit extra Verbum, iuxta modum subiecti se accommodat.

Similiter Quando vocauit hanc scientiam perfectissimam in genere cognitionis humanæ, non intelligit nomine *Cognitionis Humanæ* cognitionem homini connaturalem, sed cognitionem extra Verbum modum cognoscendi humanum admittentem, & ei se proportionantem.

In Solut. ad 2. negat *S. Thomas* hanc scientiam reductam esse ad actum quo ad omnia, quæ cognoscere potest quasi simul, & cathegorematicè, quia hæc sunt infinita, sed pro imperio voluntatis reduxisse in actum id, quod congruebat debito fini secundum exigentiam negotiorum, & temporis; nec ideò frustra erat habitus potens se extendere ad infinita, quia sufficit quod ad quodlibet ex infinitis possit se extendere, licet non ad infinita cathegorematicè. Sicut etiam non est frustra infinita Dei potentia, licet infinita cathegorematicè non possit facere, quia sufficit quod possit sincathegorematicè, scilicet ex infinitis quodlibet quod voluerit.

Sed Dicit P. Suarez esse creditu difficile, quod non potuerit Christus exhaurire omnia obiecta huius scientiæ per actus ab ea elicitos, & ideò adhæret alteri solutioni à Caietano insinuatæ, quod per infinitos actus, seu species potest percurrere omnia obiecta huius scientiæ sub qualibet specie infinita considerando. Cæterum *D. Thomas* de hoc non tractauit, sed solum dixit, quod licet non pertransierit omnia, quæ ab hac scientia tangi possunt vnum post aliud cogitando, non tamen esset frustra talis scientia, licet non tendat in omnia actualiter, dummodo actualiter tendat in id, quod conuenit loco, & tempori. Quare *D. Thomas* solum fuit solicitus respondere ad ly *Frustra*, & soluit dicendo, quod non sequitur esse frustra scientiam de infinitis, etiam si non percurrat omnia actualiter, quæ potest percurrere. An vero de facto percurrat omnia, noluit *D. Thomas* definire, sed nec negauit.

In Art. 6. inquirit *S. Doctor*, An hæc scientia fuerit distincta per plures habitus? Et Respondet *Affirmatiuè*, & Fundamentum deducit ex pluralitate specierum, quæ infunduntur ad hanc scientiam, eo quod anima humana recipit species magis multiplicatas, & minus vniuersales, quam Angeli: ex multiplicatione autem specierum debent multiplicari habitus scientifici, quando repræsentant diuersa genera scibilium. Quomodo autem ex multiplicatione specierum inferatur ista diuersitas luminis scientifici, & distinctio habituum, grauis Difficultas est, & longiori Disputatione infra tractabitur.

DIS-

DISPVTATIO XIII.

DE OBIECTO AD QVOD SE EXTENDIT SCIENTIA INFVSA CHRISTI DOMINI.

ARTICVLVS I.

An Potuerit Per Hanc Scientiam cognosci euidenter Mysterium Trinitatis quo ad an est?

VAzquez hic *Disput. 55. Cap. 1. & Tom. 2. Prim. Part. Disp. 135. Cap. 2.* & *Lorca* hic *Disp. 50.* negant per hanc scientiam Christum Dominum cognouisse Mysterium Trinitatis quo ad an est. Fundamentum est Primo in *D. Thoma*, Qui in hac *Quæstione Art. 1.* aflerit, quod Essentiam diuinam per hãc scientiam non cognouit Christus, sed solum per primam, scilicet per Beatam, quod testimonium, ita exagerat *Pater Vazquez*, vt dicat, quod Thomistæ, qui oppositum docent hæc verba non legisse videantur, quia si Christus cognouit per hanc scientiam Mysterium Trinitatis, vtique cognouisset diuinam essentiam, quia essentia Trinitatis est ipsa essentia Dei; nec potest dari euidens illius cognitio, nisi essentiæ diuinæ euidentia detur. Ergo si *D. Thomas* negat cognosci hac scientia infusa diuinam essentiam consequenter debet negare, quod cognoscatur ipsa quidditas.

Secundum Fundamentum est ex ratione, Quia non datur aliquid mediante quo possit euidenter cognosci Mysterium Trinitatis; omnis enim cognitio, vel est rei in se ipsa, vel in alio. Constat autem, quod Mysterium Trinitatis in se ipso videri non potest nisi per sciẽtiam beatam; in alio autem videri non potest nisi sit aliquis effectus, vel causa, vel aliquid cum quo habeat necessariam, & intrinsecam connexionem tale Mysterium: quia omnis euidentia demonstratiua fundatur in aliqua intrinseca connexione rei scitæ cum principijs sciendi; nullum autem horum potest concurrere ad efficiendam euidentiam Mysterij Trinitatis, nam hoc Mysterium non potest sciri per aliquam causam, cum nullam habeat ipsa Trinitas, quæ increata est, nec potest haberi per effectum, cum nullus effectus ad extra possit esse effectus Trinitatis, vt Trinitas, sed vt Vnitas est, eo quod omnis effectus debet procedere per diuinam potentiam, quæ est vna.

Nec Potest cognosci in aliquo, quod respiciat ipsam Trinitatem, vt obiectum, vel terminũ, sicut Visio beatifica, vel Actus fidei, aut modus vnionis Hypostaticæ, nam ista solum se habent vt media extrinseca, & attingentia rem ipsam non in ratione rei, sed in ratione cogniti, vel extrinsecus terminantis, nam ad cognitionem visionis beatificæ sufficit cognoscere illam esse visionem Dei in se, licet non cognoscatur in particulari, quid videat in ipso Deo: & ad cognitionem Vnionis hypostaticæ sufficit cognoscere, quod terminatur ad diuinam subsistentiam, licet non cognoscatur in particulari, ad quam subsistentiam terminetur, præsertim in Sententia probabiliori, quod vnio ad quamcumque Personam est eiusdem speciei.

Quod Si Dicas Cognosci Mysterium Trinitatis per euidentiam testificationis diuinæ, *Contra hoc est Argumentum*: Quia licet possit in testificatione diuina admitti euidentia quo ad attestantẽ, non tamen quo ad rem testificatam; potest enim dari euiden-

tia,

tia, quod aliqua reuelatio sit à Deo, & non à Creatura; implicat tamen quod si aliquid cognoscitur in vi testificationis tanquam per medium cognoscendi res testificata clarè cognoscatur quia testimonium dicentis semper est extrinsecum, & solum habens vim authoritatis in dicendo; ergo non potest rem ipsam, quam dicit demonstrare, nisi authoritatiuè: omnis autem authoritas solum reddit rem creditam, & obscuram: si autem aliquid amplius habet, quam testificari per authoritatem, iam non solum erit testimonium, sed lumen quo aliquid videatur; cum ergo Christus Dominus per hanc scientiam non cognouerit aliquid obscurè, & per fidem, sed euidenter, non potuit habere cognitionem Mysterij Trinitatis euidenter mediante testificatione.

Nihilominus Communior Sententia est inter Theologos oppositа, quæ affirmat per hanc Scientiam cognouisse Christum Mysterium Trinitatis euidenter quo ad an est. Tenet *Caietanus* hìc *Art.* 1. *Ferrariens. 3. Contra Gent. Cap.* 625. §. *Ad id quod Vlt.* Et communiter Recentiores Thomistæ. Et videri potest *Magister Cabrera* hic *Disp.* 5. §. 5. & *Suarez Disp.* 27. *Sect.* 5. Et à fortiori eam tenet *Schola Scoti*, quia admittit posse dari cognitionem quidditatiuam abstractiuam Dei, quæ non sit beatifica, & non solum quo ad an est.

Et Quod attinet ad *D. Thomam* Miror *Patrem Vazquez* ita fuisse hallucinatum, vt hanc sententiam non viderit in *Duio Thoma* hoc ipso loco, quem citat pro se, id est *Art.* 1. *huius Quæstionis*; vnde oportet omnia verba *D. Thomæ* colligere, quæ sic se habent. *Secundo vero per hanc scientiam cognouit Christus omnia illa, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcumque donum Spiritus Sancti: omnia enim hæc abundantiùs, & pleniùs cæteris cognouit anima Christi, ipsam tamen Dei essentiam per hanc scientiam non cognouit, sed solum per primam.* Si ergo cognouit Christus per hanc scientiam omnia, quæ alijs donis Spiritus Sancti cognoscuntur, siue per prophetiam, siue per fidem, &c. per prophetiam autem, & alia dona Spiritus Sancti cognoscitur Mysterium Trinitatis quo ad an est; ergo Christus per hanc scientiam illud cognouit, alioquin non cognouisset omnia, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt. Quando ergo excipit *D. Thomas* diuinam essentiam, loquitur de cognitione diuinæ essentiæ in se, seu de cognitione Dei per essentiam, & non per suos effectus; alioquin sequitur, quod non solum Mysterium Trinitatis, sed etiam cognitionem Dei, vt est vnus, ab hac scientia excideret. Nam *D. Thomas* non excepit Mysterium Trinitatis, sed essentiã Dei, quæ supponit pro conceptu absoluto, & consequenter pro Deo, vt est vnus; nemo autem negat Christum per hanc scientiam cognouisse Deum, vt est vnus, nec potest negari, cum cognoscat effectus Dei naturales, & supernaturales, quibus euidenter ostenditur Deum esse, & eius attributa manifestantur. Ergo vel *D. Thomas* negaret Christo omnem cognitionem Dei, etiam vt est vnus, quod nullus dicet, vel cognitionem Trinitatis quo ad an est, non excipit ab illa vniuersali cognitione eorum, quæ per dona Spiritus Sancti cognoscuntur, sed solum excipit cognitionem diuinæ essentiæ, id est cognitionem Dei per essentiam.

Fundamentum Huius Sententiæ Est, Quia per scientiam inditam cognouit Christus omnia Mysteria gratiæ, ita vt per hanc scientiam perfectè potuerit illa docere, & illuminare alios: sed multa Mysteria gratiæ cognosci non possunt perfectè sine cognitione Trinitatis, & ordine ad illam; ergo debuit per hanc scientiam non ignorare illud Mysterium. *Minor Probatur.* Nam Sacramentum Baptismi datur per inuocationem Trinitatis, & consequenter sine eius cognitione cognosci non potest. Similiter Opus Incarnationis perfectum est per Spiritum Sanctum, & ipse apparuit super Apostolos in igne, & super Christum in specie Columbæ, & ipsa adoptio filiorum per gratiam est conformis imagini Filij Dei naturalis; & ipsa naturalis filiatio in Christo cognosci non potest non cognita Persona Filij, sine qua non datur naturalis filiatio. Et alia multa sunt in Mysterijs gratiæ, quæ dependent à cognitione Mysterij Trinitatis, quæ omnia diminutè, & valde imperfectè cognoscerentur à Christo, si Mysterium Trinitatis ignoraretur.

Nec Obstat, Quod cognoscat illud per scientiam beatam, hoc enim non sufficit, vt dicatur quod illa cognitio infusa sit perfecta intra suum genus, sed ipse cognoscens erit perfectus. Est autem magnum inconueniens, quod ipsa scientia infusa ex suo genere, & propria ratione formali diminutè, & imperfectè attingat tam multa Mysteria

steria gratiæ, quæ dependent à cognitione Mysterij Trinitatis, quod in Sententia opposita nullo modo cognoscitur per talem scientiam; negat enim, quod euidenter cognoscatur; obscurè autem constat apud Omnes, quod non cognoscitur à Christo.

Nec Dici Potest, quod adiuuatur à scientia Beata ipsa scientia infusa, vt attingat hoc mysterium; eadē enim est difficultas, quomodo possit scientia beata adiuuare infusam; nam vel scientia infusa sic adiuuatur à Beata, vt verè attingat hoc mysterium, vel non: si nō attingit, frustra dicitur adiuuare vt attingatur; si verò attingit, vel per aliquod lumē extra Verbum, vel intra: si intra Verbum, est scientia beata, non infusa; & sic nunquam verificatur, quod attingitur hoc mysterium per scientiam infusam. Si extra Verbū, iam habemus, quod possit dari cognitio euidens huius mysterij per aliquod lumen extra Verbum, quod vtique pertinet ad scientiam infusam. Et certè satis absurdum est, quod per scientiam infusam, qua Christus constitutus est vniuersalis Doctor Angelorum, & hominum, non possit instruere aliquem in Articulis fidei, quæ precipuè agūt de Personis Diuinis, nec Theologicos discursus, quos formamus in Materia Trinitatis cognoscere, quia omnia ista sine cognitione Mysterij Trinitatis non attinguntur, cum tamen per scientiam inditā in illa Opinione nullo modo tale mysterium attingatur, nec clarè, nec obscurè.

Deinde Etiam Probatur, quasi à Priori ostendendo, quomodo possit hoc mysterium cognosci euidenter quo ad an est. Supponimus enim, quod Christus Dominus cognoscit per scientiam infusam quidditatiuè visiones beatificas omnium Beatorum, siquidem cognoscit naturam gratiæ per hanc scientiam, & ea quæ ex gratia cōsequuntur, ergo & gratiam consummatā, quæ est visio beata: pertinet autem ad cognitionem quidditatiuam alicuius visionis cognoscere proprium immediatum specificatiuum illius, à quo intrinsecè dependet in sua quidditate; neque enim potest cognosci quidditatiuè specificatum ignorato specificante, quia licet extrinsecum sit, dependentia tamē ab illo omnino intrinseca est; obiectum autē specificatiuum visionis beatæ est ipse Deus in se, non solum prout Vnus, sed etiā prout Trinus; ergo cognita visione beata quidditatiuè, sicut non potest ignorari specificatiuum eius, ita neque ignorari Mysterium Trinitatis.

Dices Ex Patre Suarez vbi supra, quod sufficit cognoscere illam visionem attingere Deum in se, non tamē opus esse, quod cognoscatur existere in tribus Personis. *Nam contra hoc est*, Quia si intelligit quidditatiuè ipsam visionem beatificam; ergo cognoscit quid requiratur intrinsecè ad talem visionem, & quid non requiratur. Sicut etiam nos per discursum indagamus eius naturam, sed pertinet ad quidditatem visionis beatificæ cognoscere, vtrum sit de intrinseca eius ratione ita cognoscere Essentiam, & Personas, vt non possit videre diuinam essentiam non visis Personis; ergo Christus Dominus per scientiam infusam poterit hanc difficultatem penetrare, & resoluere, quæ pars sit vera, alioquin non perfectè cognosceret quidditatem visionis beatificæ. Non potest autem resolui, quod visio beata ex sua ratione formali exigat cognitionem Personarum, vel non exigat, si totaliter ignoratur dari Mysteriū Trinitatis; ergo illud debet cognosci per hanc scientiam.

Adhuc Tamen Respondet Vazquez 2. *Tomo Primæ Partis Disput.* 135. *Cap.* 4. Quod relatio notitiæ intuitiuæ ad obiectum proprium visum non potest cognosci nisi cognito ipso obiecto per proprium, & intuitiuum conceptum, eo quod nemo posset discernere, an ista notitia esset intuitiua talis obiecti, nisi videret propria, & intuitiua notitia ipsum obiectum, cum quo intuitiuam notitiam, quam alius habet de eodem obiecto, posset conferre. Vnde tandem in 3. *Part. Disput.* 53. *Cap.* 1. significat quod vt aliquis clarè videat beatificam visionem existentem in intellectu alicuius beati necesse est vt ipsum Deum clarè videat.

Sed Contra Hoc Est. Quia hæc Solutio nō soluit replicam factā. Quia pertinet ad cognitionem quidditatiuam visionis beatificæ cognoscere an sit de illius quidditate, & formali ratione, quod possit per ipsam cognosci Essentia Diuina sine Personis, vel si hoc nō est de eius quidditate, ex quo principio illi conueniat de facto videre Personas, licet de absoluta potentia possit nō videre, hoc enim totū Nos inquirimus, quādo modo agimus de natura talis visionis: ergo multo melius id intelliget scientia infusa, quæ multo pleniùs cognoscit naturā illius visionis. Totum autem hoc non po-

test inquiri, & disputari, si non habetur aliqua notitia, vel clara, vel obscura de ipso Mysterio Trinitatis quo ad an est; ergo si scientia infusa, etiam præcisså Scientia Beata, potest cognoscere quidditatem visionis beatificæ, potest etiam hanc difficultatem resoluere, & cognoscere.

Præterea vt discernatur, quod aliqua notitia sit intuitiua nō requiritur, quod videatur ipsa relatio intuitionis, & obiectum ad quod terminatur eodem modo, sed sufficit videre relationē, vt est in ipsa visione subiectiuè, licet terminus ad quem tendit talis relatio non videatur intuitiuè in se: nam vt *Ipse Vazquez* concedit benè stat intuitiuè videri relationem, & non terminum, vt patet in relatione creaturæ ad Creatorem, quā intuitiuè videt Angelus sine hoc quod videat intuitiuè ipsum Deum. Ergo similiter poterit cognosci relatio intuitionis sine hoc quod intuitiuè videatur terminus talis relationis. *Consequentia Probatur*, Quia non minus tendit relatio creaturæ ad terminum existentem, & præsentem, quam relatio intuitionis, cum relatio realis necessariò exigat terminum existentem. Similiter potest Angelus discernere hanc relationem esse creaturæ ad Creatorem, illamque conferre cum alia relatione simili ad eumdem Creatorem, sine hoc quod ipsum videat in se ipso; ergo nulla est differentia, quam ponit inter cognitionem aliarum relationum ad Deum, & relationes intuitionis.

Quod Autem Negat Vazquez videri visionem beatificam non viso ipso Deo in se, est negare quod illā cognoscat per scientiam infusam, & consequenter non cognoscet quidditatiuè, & perfectè gratiam, cum non videat gratiam consummatam, quæ est visio Dei; nec poterit per hanc scientiam perfectè discernere merita cuiusque Beati, cum non possit discernere præmia, quæ sunt visiones beatificæ.

Denique Idem Argumentum fieri potest de cognitione Vnionis hypostaticæ, vt de facto contigit in hac humanitate: neque enim Christus solum cognouit Vnionē hypostaticam in communi, & in confuso per hanc scientiam; sic enim sufficit cognoscere, quod terminetur ad subsistentiam Dei vt sic, sed cognouit hanc Vnionem hypostaticam in indiuiduo, & secundum omnes circunstantias suas, secundum quas de facto terminata est ad Hypostasim Verbi, & non ad aliam Personam.

Vnde Immeritò Negat P. Suarez vbi supra, non cognosci per hanc Vnionē Mysteriū Trinitatis, seu personam relatiuam, quia ex sua ratione ista vnio solum requirit terminum incommunicabilem, non vero determinatè relatiuum, vel absolutum; hoc enim verum est loquendo de cognitione vnionis in suo genere, & in communi: cæterum per hanc scientiam cognita est hæc vnio in indiuiduo, & vt executioni de facto mandata est. Nam eo modo cognouit hanc vnionē per scientiā infusam, quo nos per fidem illā credimus. Nos autem credimus vnionē vt terminata est ad secundam Personā Trinitatis, & non ad aliā; ergo sic cognoscit illā Christus per scientiam infusam. Et licet nō sit necesse ad cognitionem vnionis, etiam si facta esset ad tres Personas diuinas cognoscere illam vt ad tales Personas in particulari terminatur (*vt inquit Vazquez loco citato Primæ Partis*) tamen hoc est verum cognoscendo ipsam vnionē solum in genere, & in communi. Si autem cognoscatur, vt de facto cōtingit, & prout in indiuiduo ista vnio terminata est ad singularem, & determinatam Personam, sic etiam necesse est quod ipsa determinata Persona attingatur.

Et Hoc Confirmatur Amplius. Quia bene potest reuelari per scientiā infusam, quod est possibilis vnio ad omnē Personam diuinā, & quod est impossibilis ad plures quam ad tres, quia in re nō est possibilis ad plures, & tota hæc possibilitas est aliquid creatum; ergo inde euidēter colligitur dari tres Personas relatiuas in Deo, & non plures, nec pautiores. Quod certe debuerat attendere *P. Vazquez* vbi supra; sic enim nō negaret, quod etsi possent cognosci tres Personæ per illas tres vniones, adhuc tamen lateret an plures Personæ darentur in Deo: hoc enim euidenter constaret, cum manifestaretur esse possibilem vnionem ad tres Personas, & impossibilem ad plures.

Sed Obijcit P. Vazquez 3. *Part. Disp.* 53. *Cap.* 1. Quod talis cognitio Mysterij Trinitatis, est cognitio per effectū, & discursum; ergo nō pertinet ad scientiā infusam, sed acquisitam, quæ comparatur discursu: notitia autem per se infusa est propria, & quidditatiua cognitio rei; ergo non per alienas species, sed ex discursu comparatur.

Sed Hæc Obiectio in doctrina *Diui Thomæ* admittente discursum in hac scientia Christi Domini locum non habet; neque enim cognitio Mysterij Trinitatis, dato quod haberetur per discursum, acquireretur per illum,

illum, sed species omnes, & lumen infundantur à Deo, tantum vero vsus illius esset penes aliquem discursum. Sed præterea instatur manifestè Argumentum *Vazquez* in cognitione diuinæ Essentiæ vt vna est, & quantum ad prædicata absoluta; hæc enim cognoscitur à scientia infusa per effectus, quia in se ipsa solum videtur per Beatam, & tamen nō sequitur quod talis cognitio Dei vt *Vnus* est sit acquisita eo modo, quo habetur per scientiam infusam; ergo idem prorsus dicendum est de Deo, vt est Trinus, qui cognosci potest per cognitionem alicuius Beati, cuius species à Deo infunditur, & tamen non erit per scientiam acquisitam.

Denique ad summum sufficit concedere discursum virtualem, & ex parte obiecti se tenentem, quo in ipsa cognitione visionis beatificæ, & vnionis hypostaticæ sine aliquo discursu attingatur quo ad an est mysterium, quod quasi in obliquo, & connotato attingitur cognita Vnione, aut Visione beatifica, sine hoc quod ponatur discursus formalis, & acquisitus, licet possit illo vti, si vellit anima Christi per hāc scientiā.

Soluuntur Obiecta.

Ex Dictis Manent Soluta, quæ à principio obiecta sunt contra hanc Sententiam, nam quod attinet ad *D. Thomā* satis Ostendimus stare pro nostra sententia. Et quando dicit per hanc scientiam non cognosci ipsam diuinam essentiam, sed per beatam, manifestus sensus est, quod non cognouit per hanc scientiam Deum per essentiam.

Ad Secundum Respondetur non cognosci Mysterium Trinitatis per aliquem effectū, qui respiciat ipsam Trinitatem, vt efficientem quatenùs Trinitas, sed quatenùs potētia vna est. Sed tamen iste effectus sic productus à Deo, quatenùs vnus est respicit ipsam Trinitatem quatenuùs obiectum, vel terminus illius est: sicut tota Trinitas efficienter operata est Mysteria Incarnationis per ipsam Omnipotentiam, quatenùs est vna, & tamen producta est vna vnio, quæ ad solam Personam Filij terminata est.

Et Ad Replicam Respondetur hoc mediū cognoscēdi non esse extrinsecum, nam de Vnione hypostatica constat intrinsecè esse vnionem Personæ, & sic per eius cognitionē necessariò attingit Personam tanquam terminum eius, sicut per cognitionē vnionis animæ, & Corporis attingitur quo ad an est ipsa anima; & quia non cognouit Christus Dominus vnionē solum in cōmuni, & in confuso, sed in individuo, prout facta est ad hanc Personam, debuit etiam nō solum in communi, sed in particulari cognoscere ad quam Personam sit terminata.

Similiter Visio beatifica ex sua specie intrinseca, & essentiali respicit tanquam obiectum determinatum, & per se specificans Deum vt Trinum, & Vnum, & sic non est medium omnino extrinsecum, cum ab illo obiecto pendeat in sua extrinseca specificatione, in quo differt Visio beata à Testificatione diuina testificāte hoc mysterium, nam etiam si aliquis euidenter cognoscat dari tale testimonium, adhuc tamē ex vi illius non cognoscit euidenter obiectum testificatum, quia testificatio diuina non specificatur formaliter ab obiecto testificato; est enim per accidēs, & quasi materiale obiectū respectu diuinæ testificationis, quod reuelet hoc, vel illud mysterium: cadē enim specifica reuelatione testificatur Deus, quod sit Trinus, & quod sint septē Sacramenta, & quod Dauid fuerit Rex, & alia similia; vnde ex hoc quod cognoscatur euidēter testificatio Dei, solum infertur, quod cognoscatur obiectum illius vt testificatum, non autem absolutè in se: visio autem beatifica respicit Trinitatem vt determinatum, & per se specificatiuum suæ rationis formalis.

Et Aduerte Duo. Primum quod non asserimus Christū cognouisse hoc mysteriū per euidentiam in attestante, vt Multi asserunt; & videri potest *Cabrera* hìc *Disp.* 6. §. 5. licet in §. 8. nostrum modū dicendi secutus fuerit, quia nulla datur reuelatio testificationis, quæ rem testificatā illuminet euidēter; licet enim ipsa testificatio possit euidēter esse cognita passiuè, nō tamē potest esse ratio cognoscendi rē testificatā, nisi authoritatiuè, quia si plus habet, quā authoritatē nō iam erit testificatio, sed infusio alicuius luminis, aut specierum, quibus obiectum manifestetur, vnde quantumcumque coniungatur visioni beatificæ in eodem subiecto, quia tamen nunquam amittit essentialem rationem testimonij, nunquam clarè illuminat rem testificatam.

Denique semper præ oculis est habendum, quod ita concedatur cognosci euidēter hoc mysterium quo ad an est, quod nūquam cognoscatur, quomodo est per hanc scientiam; vnde licet cognoscatur, quod sint tres Personæ, & quod sit processio

vnius ab alijs, non tamen quomodo procedat, & sic attingitur existentia huius mysterij quasi in actu signato, quod non in actu exercito; sic enim non solum quo ad an est attingeretur hoc mysterium, sed intuitivè videretur.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Per Hanc Scientiam cognoscantur Futura contingentia, & Cogitationes Cordium; & Quomodo Christus dicatur Propheta?

QVOD per hanc scientiam infusam Christus Dominus Futura cognouerit, non magna Cõtroversia est apud Theologos, sed quomodo ea cognouerit; sed quia Aliqui etiam non recusant negare per hanc scientiam Christum Dominum cognouisse futura contingentia; breuiter probandum erit, quod supponẽdum erat. Ratio ergo quare per hanc scientiam cognoscit hæc futura, ea est; quia vt dicit *D. Thomas* in Art. 1. *Per hanc scientiam cognouit Christus Dominus omnia, quæ quomodolibet per diuinam reuelationẽ hominibus innotescunt, siue per donũ prophetiæ, siue per donum sapientiæ, siue per aliud quodcumque donum Spiritus Sancti*: Sed per donum prophetiæ hominibus innotescunt futura contingentia; ergo illa debent cognosci per hanc scientiã à Christo. *Consequẽtia* indubitata est, & solum potest negari ab eo, qui alterã ex præmissis negauerit; vtraque autem est expressa D. Thomæ. *Maior* quidem *Propositio* habetur hic *Artic.* 1. & *Minor* in 2. 2. *Quæst.* 171. *Art.* 3.

Pro His Vero, qui expressas *Diui Thomæ* Propositiones negant, *Minor* probatione non indiget, cum constet ex *Scriptura* Prophetas cognouisse, & prænuntiasse futura contingentia, vnde solum potest negari *Maior*, quæ sic probatur. Nam hæc scientia infusa ponitur in Christo ad cognoscenda omnia mysteria gratiæ cognitione extra Verbum ita perfecta, quod possit per illam omnes ordines instruere, immo & illuminare Angelos; vnde omnia dona gratiæ excellentissimè, & supremo modo debuit participare: vnum autẽ ex donis gratiæ est Prophetia, per quã nõ solum Christus Dominus debet cognoscere ea, quæ prophetice reuelantur, sed etiam potest discernere inter verum, & falsum Prophetam, & de illis iudicare; ergo debuit cognoscere futura cõtingentia, & cordis cogitationes, quia hæc omnia à Prophetis possunt attingi.

Denique Christus Dominus habuit donũ Consilij in summa perfectione; maximè autẽ est perfecta prudentia, & gubernatio, quæ de futuris potest ferre iudicium, vt ea præcaueat, aut dirigat; ergo cum in Christo Domino sit suprema gubernatio, & prudẽtia secundum donum Consilij Spiritus Sãcti, oportet quod per donum Consilij perfectè cognoscat futura; & non debet illa cognoscere obscurè, & imperfectè, quia hoc non compatitur cum statu perfectissimo animæ Christi; ergo euidenter.

Circa Modum autem cognoscẽdi ista futura est duplex Difficultas satis grauis. *Prima*, de Medio per quod cognoscuntur ista futura, An vt repræsentata in se ipsis immediatè, An in aliquo alio, vt in causa, vel effectu? *Secunda*, An cognoscantur hæc futura intuitivè, vel abstractiuè? Quod si intuitivè, An in propria mensura, An in superiori, in qua continentur, scilicet indeterminatè?

Sed Primam Difficultatem Plerique recurrunt ad euidentiam in attestante, seu reuelationem diuinã, in qua dicunt cognosci hæc futura. Quem modum dicendi prosequitur *Suarez* hic *Disp.* 27. *Sect.* 2. nec displicet *Patri Lorca* hic *Disp.* 50. *num.* 13. & *Cabrera Disp.* 3. *Conclus.* 2. Non enim appareret quomodo determinatio voluntatis diuinæ cognosci possit, nisi per reuelationẽ. Non potest autem aliquid cognosci vt futurum, nisi cognita determinatione diuinæ voluntatis à qua totaliter futuritio pendet.

Cæterum in hoc Modo dicendi illud semper est difficile, quod in *Præcedenti Articulo* iam Diximus. Quia vel ista reuelatio euidens tollit obscuritatem infundendo aliquod lumen, & species per quas clarè repræsentetur obiectum, vel nullas species, & lumen infundit, sed ipsa reuelatio est ratio cognoscendi rem reuelatam. Si primo modo non est ipsa reuelatio ratio formalis cognoscendi, sed ipsa infusio luminis, seu specierum, quæ est reuelatio actiua. In hoc sensu non loquimur de reuelatione hic, sic enim reuelatio actiua communis est omni infusioni supernaturali producenti lumen, vel species repræsentatiuas obiecti.

Si Secundo Modo, scilicet, quod reuelatio sit ratio formalis cognoscendi non mediante

diante alio lumine, vel speciebus, sed ipsa
A revelatio est, quæ habet rationem luminis,
& medij, sequitur quod solum se habeat, vt
testimonium loquentis; nec enim aliter
revelatio est formalis ratio cognoscendi
rem revelatam, nisi quatenùs dicit, & testi-
ficatur illam, supposito quod nullum aliud
lumen, aut repræsentationem infundit;
& hoc est habere se solum, vt testimo-
nium rei revelatæ. Testimonium autem
non potest evidenter rem testificatam ma-
nifestare, sed solum authoritatiuè, & in vi
B ipsius loquentis, licet ipsa testificatio evi-
denter sit cognita, quod sit à tali attestan-
te, quod est revelationem ipsam esse ma-
nifestam, non tamen esse rationem mani-
festandi clarè, & evidenter rem testifica-
tam. Et licet possit colligi per discursum,
quod si est evidens hanc testificationem
esse à Deo, & consequenter rem testi-
ficatam ita esse, quia Deus falli non po-
test, tamen iste discursus cum assumat pro
C principio, quod testificatio ista est à Deo,
& hæc testificatio licet in se passiuè sit
clarè cognita, tamen ipsam rem testifica-
tam attingit obscurè, & in vi authorita-
tis tantum, oportet fateri in Christo fuis-
se revelationem aliquam obscurè repræ-
sentantem rem testificatam, licet per
alium discursum ab illa revelatione di-
stinctum fiat evidens consequentia circa
rem testificatam. Est autem magnum in-
conueniens ponere in Christo revelatio-
D nem obscuram respectu rei revelatæ, etiam
si illa ponatur vt principium ad discurren-
dum circa tale obiectum per evidentem
consequentiam. Præter quam quod illa cō-
sequentia ex evidentia testificationis dedu-
cta non constat, quod tollat obscuritatem
fidei, quia non facit evidentiam rei, vt res
est, sed vt testificata, vt in Materia de Fide
ex Caietano diximus.

Alius Ergo Modus dicendi est *Domini Caietani* hìc *Artic.* 1. *ad* 2. dubium, Quod
E cognoscuntur hæc futura per species pro-
prias repræsentantes illa; sed statim occur-
rit Difficultas, Quia vel ista species repræ-
sentat tantum naturam, & quidditatem
obiecti, vel etiam futuritionem ipsam; &
primum non sufficit, quia hic non inqui-
rimus de specie repræsentante quiddita-
tem, sed de specie repræsentante futu-
rum. Secundum autem repræsentari non
potest, quia vel repræsentatur futuritio in
ipsa re in se ipsa, vel in sua causa. In se ipsa
repræsentari non potest, cum in se ipsa sit
A contingens, & indeterminata ad existen-
dum: in causa sua repræsentari non potest,
quia omnis causa proxima contingenter,
& indeterminatè hoc futurum continet;
causa autem diuina à qua pendet futuritio,
& in qua continetur determinatè, non po-
test repræsentari per aliquam speciē creā-
tam, nec tale futurum potest videri in pro-
pria mensura, cum in illa nondum sit; nec
in mensura æternitatis cum species creata
non possit æternitatem repræsentare; ergo
B nullo modo potest videri futuritio per re-
præsentationem speciei.

Nihilominus sustinenda est Opinio *Domini Caietani*, & dicendū est posse dari spe-
ciem repræsentantem futurum, etiā quan-
tum ad rationem futuritionis, quæ non re-
præsentantur, nisi per habitudinem ad cō-
cursum Dei ad extra, qui dabitur in tali tē-
pore, in quo illud futurum producitur; &
probatur hoc, Quia tam res, quàm sua fu-
turitio est aliquid creatum; ergo repræsen-
C tabile est per aliquam speciem creatā; im-
plicat enim, quod aliquod ens, eo modo
quo est ens, non sit cognoscibile, & conse-
quenter repræsentabile intentionaliter: sed
futuritio illa in ordine ad aliquam causam
etiā diuinam determinata est, & in quantū
sic determinata adhuc est aliquid creatum,
siquidē est determinatum à Deo tanquam
producēdum ab ipso; ergo vt sic est repræ-
sentabile per aliquam speciem creatam.

Et Confirmatur, Quia futuritio rei, vt cō-
D iecturabilis, & probabilis scilicet per ordi-
nē ad causas proximas contingentes, cog-
noscibilis, & repræsentabilis est; ergo etiā
futuritio in ordine ad causam infallibilem
repræsentabilis erit; benè enim potest re-
præsentari aliqua relatio creaturæ ad Deū,
etiā si non attingatur ipse Deus in se, vt pa-
tet in cognitione creaturæ existētis, & actu
depēdentis à Deo, quæ dependētia attingi-
tur ab Angelo cognoscente creaturā esse
effectū Dei, sine hoc quod attingatur ipse
E Deus in se: ergo similiter potest dari aliqua
species repræsentans dependentiam futu-
rā alicuius rei à concursu diuino repræsen-
tando etiā ipsum diuinum concursum ad
extra, per quem talis res producetur in esse,
sine hoc quod repræsētetur ipse Deus in se.

Dices: Etiam ipse concursus Dei est fu-
turus, & ipsa prædeterminatio physica
causæ in qua continetur futurum illud
contingens, est aliquid futurum; ergo
non poterit repræsentari per aliquam
speciem determinatè, & certò; aut si

potest idem dicendum erit de ipsa re futura, quæ repræsentabitur per ipsam sine ordine ad concursum diuinum tanquam futura.

Respondetur esse disparem rationem de concursu diuino, seu prædeterminatione, atque de ipsa re futura, quia prædeterminatio ipsa, & concursus, licet sint aliquid ad extra, non tamen sunt aliquid indeterminatum, & contingens, cum potius ad hoc detur à Deo, vt tollant indeterminationem, & suspensionem causæ contingentis creatæ, vnde non currit in illis ratio, quæ in ipsis effectibus futuris, quia non habent indeterminationem, & contingentiam, quam illi, & ita sunt in se repræsentabiles, etiam vt futuri, quia repræsentari possunt secundum quod dabuntur à Deo pro tali tempore, & cum connotatione ad illud tempus repræsentari possunt, cum totum hoc sit aliquid creatum, & consequenter aliqua species propria illi potest correspondere. At verò res ipsa futura sine ordine ad talem concursum, vel prædeterminationem repræsentari non potest, vt futura determinatè, quia in se solum habet indeterminationem, & contingẽtiam; determinatè autem concipitur per ordinem ad talem causam determinantem, quæ est Deus.

Instabis. Nam modo in speciebus Angelicis reperitur huiusmodi repræsentatio, & tamen non cognoscunt futura contingentia, vt cum *D. Thoma* 1. *Part. Quæst.* 57. Docẽt Theologi; ergo non sufficienter explicatur per hoc cognitio futurorum in Christo. *Maior Probatur.* Quia species Angeli repræsentant res, vt dependentes à diuino concursu quando existunt, ergo habent speciem diuini concursus circa talem rem, non de nouo infusam quãdo illa producitur; ergo à principio habitam, & consequenter per illam poterant cognoscere futurum. *Respondetur*, Quod species Angelorum non repræsentant concursum diuinum determinatè quousque effectus ipse ponatur in re, quia solum repræsentant res prout sunt partes Vniuersi; neque enim est debitũ ipsis quod extra Vniuersum est, vnde quando futurum non spectat ad hoc Vniuersum, quia nondum est productum, non debetur Angelis repræsentatio talis futuri, nisi prout continetur in sua causa creata, quæ causa pertinet ad Vniuersum, vnde neque debetur Angelo species repræsentans concursum diuinum in se ipso, prout descendit à Deo, & seorsum à concursu aliarum causarum, sed prout est aliquid coniunctum, & requisitum ad hoc, vt causæ naturales causent; quia Angelo solum debetur naturaliter cognitio rerum naturalium, & mediantibus illis cognoscit Deum, vel concursum diuinum requisitum ad causationem talium causarum naturalium. Vnde quamdiu causæ naturales sunt indifferentes, non cognoscit concursum diuinum nisi in quadam indifferentia, quia sic debetur illis causis pro illo statu. Cognoscere autem diuinum concursum prout descendit à Deo, & determinatè datur ad tollendam indifferentiam causæ inferioris, excedit debitum naturale, & solum pertinet ad species supernaturaliter infusas, quia non cognoscit talem concursum prout tenet se ex parte causæ naturalis, sed prout descendit à Deo.

Ad Fundamentum Oppositæ Sententiæ Respondetur, Speciem illam repræsentare posse durationem rei futuræ determinatã, & non solum sub indifferentia, & contingentia, quia repræsentat illam, vt determinatur à concursu diuino tollente indifferentiam, & indeterminationem. Nec verum est speciem creatam non posse repræsentare aliquem effectum creatum in ordine ad causam increatam, quia licet causa increata non sit repræsentabilis in se absolutè, est tamen repræsentabilis ordo effectus ad illam, & concursus, ac prædeterminatio eius, quæ sunt aliquid extra illam, & in illius repræsentatione determinata futuritio rei contingentis cognoscetur: ipsa autem prædeterminatio, & concursus immediatè in se possunt repræsentari, quia dicunt determinationem rei contingentis; non autem manent sub indifferentia indeterminationis sicut res futuræ, si in se ipsis considerentur.

Circa Secundam Difficultatem, scilicet, An ista scientia de futuris sit dicenda *Intuitiua*, vel *Abstractiua*? Est aduertẽdum, quod ista difficultas potest oriri ex duplici Capite. Primo ex diuersitate Sententiarum circa notitiam intuitiuam, dum Quidam existimant, ad notitiam intuitiuam non sufficere, quod cognitio attingat existentiam rei, vt obiectiuè cognitã, sed requiri, quod existentia rei sit coexistens mensuræ cognitionis; ita quod existentia physica rei cognitæ, & existentia cognitionis simul sint. Alij vero existimant sufficere ad notitiam intuitiuam, quod cognitio respiciat existẽtiam rei obiectiuè, non autem secundum phy-

physicam coexistentiam. De hac autem Controuersia hic agendum non est, quia non est huius loci; sed si hæc sententia vera est, præsens Quæstio caret difficultate; siquidem hoc ipso, quod scientia infusa euidenter attingit durationem, seu existētiam rei, sub ratione existentiæ sibi obiectiuè præsentis, erit cognitio intuitiua, quia respicit pro obiecto, non quidem rei essentiã, & naturam, prout abstrahit ab omni existentia, & terminat simplicem cognitionē, sed vt concernit existentiam, & durationē, & sic habet obiectum intuitionis, quod est existentia rei. In qua sententia communiter Dicendum est, quod intuitiua, & abstractiua cognitio differunt specie in ratione cognitionis, quia differunt ex parte obiecti specificantis: vna habet pro obiecto quidditatem; alia existentiam; non autem differunt penes aliquid accidentale, scilicet penes coexistentiam physicam, quæ est aliquid extra genus cognitionis, & pertinens ad genus entitatiuum

In Prima Ergo Sententia solum potest præsens Quæstio habere difficultatem; est autem hæc Sententia conformior *D. Thomæ*, quia vt dicit in Quæstione 3. de Veritate Art. 3. ad 8. *Notitia simplex dicitur ad excludendum admixtionem eius, quod est extra genus notitiæ, sicut est existentia rerum, quam addit scientia visionis, vel ordo voluntatis ad res scitas quem addit scientia approbationis.* Si autem intuitiua cognitio differret ab abstractiua penes diuersum obiectū, scilicet, quia vna respicit existentiam, alia quidditatem, non diceret *D. Thomas*, quod visio addit supra simplicem cognitionem aliquid extra genus notitiæ, sed aliquid intra genus notitiæ, quia ea quæ differunt penes diuersum obiectum, differunt penes diuersam rationem intra genus notitiæ.

In Hac Ergo Sententia oritur Difficultas, ex eo quod futurum solum potest habere duplicem mensuram suæ durationis, scilicet propriam in qua solum existit quando producitur, non quando futurum est, & alienam sibi supereminentem, in qua omnia futura, & præsentia immutabiliter existunt, scilicet æternitatem diuinam. Non est autem difficultas, quod si res futura solum cognoscatur secundum coexistētiam suæ propriæ mensuræ, non potest intuitiuè videri per scientiam infusam, quia secūdum hanc durationem propriam mensuræ non coexistit cognitioni præsenti physicè, vnde supposito quod intuitiua cognitio postulat coexistentiã physicam sui obiecti, nullo modo stare potest, quod futurum vt futurum est in propria mensura intuitiuè attingatur.

Respectu Ergo Mensuræ Superioris Difficultas est, An possit dari intuitiua visio futurorum, secundum quod in illa mensura superiori existunt, & sic coexistunt cognitioni præsenti, quæ datur de talibus futuris per species exemplatas à Deo, & ab existētia rerum in sua æternitate: sicut etiam Visio Beata cognoscit intuitiuè futura in Verbo, licet ipsa visio non mensuretur æternitate ipsa essentiali, in qua futura coexistunt, sed æternitate participata, quæ est distincta mensura ab æternitate essentiali, cum sit mensura creata. Inde enim sumitur Argumentum, quod si sufficit distincta mēsura ex parte cognitionis ab ea, quæ est ex parte rei cognitæ ad intuitionem, nulla est ratio cur scientia infusa non possit videre futura secundum durationem, & coexistentiam in æternitate, licet cognitio ipsa mensuretur alia mensura creata inferiori ad æternitatem.

Et Habet Fundamentum hęc Sententia in *Domino Caietano* hic *Artic. 1. in Calce Solutionis Secundi Dubij* dum inquit, *Quod intuitiuè videt Christus per hanc scientiam res præteritas, & futuras, quia sunt species eius exemplatæ à diuina essentia, prout communicat rebus istis existentiam, & durationem.* Alij non reputant incōueniens, quod aliqua mensura præter æternitatem essentialem contineat secundum physicā coexistentiam ipsa futura, ita vt mediante tali mensura coexistat cognitio existentiæ rei futuræ, & hæc mensura est ęternitas participata, qua cognoscuntur naturalia modo supernaturali, & secundum elevationem super omnem naturam creatam.

Nihilominus tanquam verius tenendum est Futura contingentia non attingi per hanc scientiam intuitiuè suppositā Sententia à Nobis approbata, quod requiratur coexistentia physica rei visæ cum ipsa visione, vt dicatur intuitiua, licet quantum ad perfectionem cognoscendi tam perfecta sit cognitio istorum futurorum, ac si intuitiuè viderentur. De hac Conclusione videatur *Magister Medina* hic *Art. 1.* & *Magister Cabrera Disp. 4.* Itaque quantum ad claritatem, & certitudinem cognoscendi futura, eodem modo cognoscit illa Anima Christi per hanc scientiam, quasi intuitiuè videret illa, solum vero deest illi modus in-

intuitionis, qui pertinet ad coexistentiam physicam obiecti visi. Sicut Deus tãta claritate, & certitudine videt per scientiam simplicis intelligentiæ res possibiles, sicut per scientiam visionis res existentes, & tamen illa scientia non dicitur visionis sicut hæc, solum quia res possibiles non coexistunt physicè Deo, sicut res futuræ. Quod etiam est satis manifestum signum ad confirmandam sententiam supra indicatam, de distinctione inter notitiam intuitiuam, & abstractiuam, quod non distinguuntur specificè in ratione notitiæ, sed accidentaliter ratione alicuius quod est extra genus notitiæ, siquidem eadem claritas, & certitudo potest esse in vna atque in alia, & differunt solum penes illum extrinsecum modum coexistentiæ physicæ.

Probatur Ergo Hæc Sententia, Quia scientia infusa, neque ratione luminis, neque ratione specierum, quibus vtitur habet coexistentiam physicam cum rebus, vt sunt in æternitate, sed solum respicit illas, vt in propria mensura futuras, vel præsentes; ergo solum respicit illas intuitiuè, quãdo sunt productæ, & existentes; abstractiuè vero quando sunt præteritæ, aut futuræ. *Consequentia est certa*, Quia propria earum mensura non coexistit physicè mensuræ huius scientiæ, nisi quando de facto existit; ergo non induit modum requisitum ad notitiam intuitiuam, quamdiu est in statu futuritionis, quia prout sic non habet coexistentiam physicam. *Antecedens vero Probatur*, Quia tam lumen scientiæ infusæ, quàm species, quibus vtitur tendunt in obiectum creatum, non vt cõtinetur in Deo, sic enim attingitur à scientia beata, sed prout in se sunt aliquid extra Deum, tanquam obiectum primarium, & immediatum; ergo tale lumen, & species prout sic attingunt obiectum creatum, vt est in se extra Deum, non vero vt existit in æternitate. *Consequentia Probatur*, Quia non possunt videri res, vt coexistentes physicè in æternitate, nisi ipsa æternitas videatur, quia si videntur vt existentes in aliqua duratione, ipsa duratio videri debet prout afficit tales res, & reddit illas actu durantes, & existentes; alioquin propria duratio non videtur, neque ipsæ videntur durare, sed abstrahunt à duratione, & existentia; ergo si scientia infusa non videt æternitatem, quia hæc est ipse Deus, non potest videre res durantes, & existentes in æternitate.

Nec Sufficit cognoscere ex parte obiecti, quod res illæ existũt in æternitate, quasi quo ad an est; Quia ad notitiam intuitiuã non sufficit cognoscere existentiam obiectiuã, sed quod cognoscatur res vt coexistens pro eadem duratione, qua durat cognitio; ergo si non attingitur ipsa æternitas in se vt reddens hanc rem coexistentem non attingitur intuitiuè. Sicut etiam si ex effectibus cognoscam Deum esse Trinum, quia non manifestatur mihi ipsa existentia Dei, prout reddit illum existentem, & coexistentem cognitioni meæ non video illum intuitiuè.

Confirmatur, Quia mensura illius scientiæ infusæ, & specierum, quibus repræsentantur eius obiecta, est mensura creata, & non ipsa essentialis æternitas; hæc enim solum est mensura propria, & adæquata entis increati, & infiniti omnino immutabilis. Cætera autem entia, quia creata sunt, & mutationi alicui subiecta necessariò postulant mensuram cum aliqua duratione mutabili; ergo in sua mensura non continent res futuras secundum coexistentiam physicam, quia nulla duratio creata, etiamsi sit perfectior alia, continet physicè illam antequam sit in propria mensura, sicut Æuum non continet tempus, aliàs Angelos in æuo suo videret omnes res futuras; sed omnis duratio, & mensura creata, hoc ipso quod est limitata, & finita non coexistit alteri mensuræ nisi quando illa est, non autem antequam sit. *Cuius ratio est*, Quia ideò æternitas continet omnes mensuras, & durationes, etiam ante quam in se existãt, quia est omnino immutabilis, ita quod non potest aliquam successionem habere, etiam in mensurando; & ex alia parte est mensura ita eminens, quod continet omnes inferiores tanquam causa illarum, & quæ verè mensurat res omnes inferiores, tanquam mensura inadæquata, & superior. Quæ conditiones deficiunt in quacumque mensura creata, nam nulla earum, quãtumcumque superior, est causa inferiorum durationum, neque continet illas, nec est omnino immutabilis, etiam in mensurando, & coexistendo, ita vt nullam omnino successionem admittere possint. Quare non est aliquod principium vnde attribuamus alicui mensuræ creatæ perfectionem ita arduam, & difficilem explicatu, sicut continere immutabiliter, & physicè omnes mẽsuras, & durationes inferiores, etiam antequã sint in se, quod vix in æternitate propter summam eius immutabilitatem, & infinitam

nitam comprehensionem in mensurando, possumus intelligere; quanto magis in alijs mensuris limitatis, qualis est illa, qua mensuratur cognitio scientiæ infusæ.

Etsi Dicas: Quomodo ergo visio beatifica intuitiuè videt futura, cum ipsa visio sit creata, & mẽsuretur mensura quadam, quæ vocatur Æternitas participata? *Respondetur*, Quod visio beatifica vtitur specie mensurata ipsa æternitate, quæ est essentia diuina, & ipsam æternitatem videt clarè in se, vnde consequenter attingere potest futura, vt mensurata tali duratione æternitatis, quam videt, & qua mensuratur species, qua videt solum essentiam diuinam.

Quod Si Instes. Per scientiam infusam videtur existentia rerum futurarum, & non sola quidditas; nec videtur existentia per modum rei, & in actu signato; sic enim videretur per modum quidditatis; ergo nihil ei deest vt videatur intuitiuè, siquidem videtur res illa, vt existens existentia exercita, & non signata. Quod autem existentia illa sit futura parum interest, dummodo videatur vt existens, & res vt vestita duratione; nam etiam Deus videt rem esse faturam respectu propriæ mensuræ, & tamen intuitiuè illam videt.

Respondetur, Quod res futura videtur, vt existens existentia adhuc absenti, & non præsenti secundum coexistentiam physicam: ad intuitiuam autem cognitionem non sufficit cognoscere rem existentem, sed etiam præsentem, non quidem præsentia obiectiua, qua etiam res non existentes, & absentes, præsentes fiunt personæ, sed præsentia reali. Res autem futura, licet videatur vt existens pro aliqua duratione, illa tamen duratio videtur vt absens, & non vt præsens, vnde licet cognoscat rem nõdum experitur illam: intuitiua autem notitia est quasi notitia experimentalis. Sicut Angelus videt demõstratiuè Eclypsim futuram, & nondum experitur illam, intuetur inquam, quamdiu futura est, quia non habet experimentum illius, nec præsentiam realem.

Nec Obstat, Quod species illæ scientiæ infusæ sint exemplatæ ab Essentia diuina, vnde possunt tantam perfectionem participare, quod repræsentent res futuras, sicut repræsentantur in essentia diuina, scilicet cum experientia, quæ ad intuitionem sufficit, & ita determinatè, ac distinctè, sicut per experimentalem scientiam cognoscuntur.

A Cur ergo non poterit intuitiuè videre per illas res futuras sub ratu futuritionis?

Respondetur, Quod species illæ, ex eo quod sint exemplatę à diuina essentia cum summa illa perfectione habent repræsentare rem, & durationem eius, ac futuritionem determinatè, & non sub indifferentia; & contingentia, sicut species Angelicæ, sed tamẽ deficiunt à suo exemplari in hoc, quod non mensurantur ipsa æternitate secundum se, ita quod contineant physicè B mensuram rei futuræ, & ex hac parte deficiunt à ratione intuitionis, ad quam requiritur commensuratio cum existentia, & duratione rei cognitæ. In hoc enim impossibile est species exemplatas à diuina essentia adæquari ipsi exemplari, ita quod habeant eamdem durationem, & mensuram; ita continentem, & immutabiliter mensurantem res futuras, sicut æternitas ipsa.

Quod Attinet autem ad distinctionem; ac determinationem cognitionis, habent C tantam certitudinem, & claritatem, sicut si intuitiuè viderentur futura, quæ certitudo, & claritas pendet ex lumine, & repræsentatione, non ex coexistentia physica obiecti. Sicut etiam Deus ita clarè cognoscit res possibiles, atque futuras, & tamen illas abstractiuè, istas intuitiuè videt.

Quid de Christo vt Propheta?

Restat Explicare, Quomodo per istam cognitionem Futurorum possit Christus D Dominus dici Propheta? De quo egit *D. Thomas* supra *Quæst. 7. Art. 7.* & remisimus ad hunc locum, quia ex his, quæ dicũtur de cognitione futurorum per scientiam infusam manifestè pendent. Communiter ergo Expositores *Diui Thomæ* tenẽt Christum Dominum verè, & propriè fuisse Prophetam contra Abulensem, qui id negauit in *Cap. 11. Numer. Quæst 64.* Constat E enim in Scriptura Christum simpliciter appelari Prophetam Deuteron. 18. *Prophetã sicut me suscitauit sibi Dominus*, qui locus de Christo Domino explicatur Actor. 9. & 7. Et ipse Dominus de se dixit Lucæ 4. *Non est Propheta sine honorem nisi Patria sua*, & Lucæ 7. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Quæ omnia Sancti Patres explicant communiter de vera, & propria prophetia, neque est aliquod inconueniens vt id negemus, aut in improprios sensus diuertamus verba sanctæ Scripturæ. Nec verum est

pro-

prophetiam exigere cognitionem obscuram, nec etiam de necessitate exigere ænigmaticam, aut imaginariam visionem, cum sint plures gradus prophetiæ; quædā enim imaginaria est, & fit secundum visiones factas in imaginatione, & in hac magis propriè, & vsualiter inuenitur prophetia. Quædam est intellectualis, quæ veritatem ipsam intelligibilem, absque imaginaria visione contemplatur: de qua distinctè videri potest *S. Thom. 2. 2. Quæst. 174. Art. 2. & 3.* Vnde ad intellectualem prophetiam, ænigmatica visio, quæ secundum imaginariam visionem fit, nō requiritur; ipsa etiam prophetia secundum se exigit ex parte iudicij firmitatem omnimodam, quod reuelatio sit à Deo, & fortassis etiam habet aliquam euidentiam in attestante, vt *Caietanus Sentit. 2. 2. Quæst. 171. Art. 5.*

Ex Parte Autem specierum requirit, vel nouam earum intusionem, vel saltem ordinationem talem, quod in eis repræsentetur id quod ipsis reuelatur tanquam in imagine quadam, aut speculo præsens ipsi fiat secundum visionem imaginariam; de quo videatur *D. Thomas* loco citato *Quæst. 171. Artic. 2.* quod si iudicium prophetiæ non detur per reuelationem, sed per euidens lumen supernaturale, tanto perfectiùs, & meliùs saluatur ratio prophetiæ.

Cæterum cum ad rationem prophetiæ requiratur, quod res cognita sit procul à cognoscente, quia de his, quæ præsentia sunt nemo dicitur prophetare, restat vidēdum, Quo modo saluetur illa conditio in prophetia Christi. Potest tamen dupliciter saluari, vno modo ratione cognitionis, quia scilicet datur in Christo Domino aliqua cognitio respectu cuius res dictæ sunt procul; alio modo ratione status, quia licet omnia Christo sint præsentia, quia beatus erat, tamen adiuncto statu Viatoris, illamet cognitio beata, aut etiam infusa accipiebat denominationem prophetiæ, quatenus res illæ de quibus prophetabat erant procul ratione status, & eorum cum quibus pro illo statu degebat, etsi non essent procul ratione cognitionis. Vtrumque autem modum prophetiæ in Christo saluare possumus, iuxta litteram *Diui Thomæ* supra *Quæst. 7. Art. 8. Solut. ad 1.* vt in explicatione dictæ solutionis significat *Dominus Caietanus.*

Duas Enim solutiones ponit ibi *Sanctus Thomas*, seu insinuat. *Prima.* Quod licet non haberet Christus Dominus aliam cognitionem, quam comprehensoris, tamen illa sufficit ad denominandum Prophetam adiuncto statu viatoris, tanquam conditione necessario requisita, & tunc nō dicitur cognitio ipsa prophetica, sed cognoscens dicitur Propheta, quia cognitio illa clara, & aperta, nec procul distans à rebus cognitis est in subiecto habente statum viatoris perfectum, qui status procul est à rebus ipsis, & ideò quasi extrinsecè dicitur esse procul, non intrinsecè, scilicet ratione status subiecti, non ratione cognitionis, & sic cognitio cū tali statu denominat Prophetam extrinsecè, id est ratione status extrinsecè adiuncti, & ex parte subiecti se tenente: hac enim conditione extrinseca adiuncta ipsa cognitio comprehensoris, siue sit scientia beata, siue infusa (vtraque enim inuenitur in statu comprehensoris) Prophetam denominat licet in se intrinsecè non sit cognitio prophetalis, sed cognitio cum conditione status prophetici. Et quādo *Sanctus Thomas* docet non conuenire beatis gradum aliquem prophetiæ, *2. 2. Quæst. 134. Artic. 5.* Loquitur de visione beatifica in statu beatifico, non in statu viatoris.

Secunda Solutio, Quam insinuat *D. Thomas* est, quod fuerit in Christo Domino cognitio prophetica intrinsecè, & essentialiter, quatenus in parte imaginatiua formabantur similitudines propheticæ, quibus speculari poterat diuina. Vbi intellige, quod cum duo cōcurrant ad prophetiam, præsertim imaginariam, alterum ex parte intellectus, quod pertinet ad iudiciū, quod Propheta format de rebus reuelatis; alterum ex parte imaginationis quantum ad similitudines imaginarias, quibus res reuelatæ inuoluuntur; in Christo Domino non fuit lumen propheticum ex parte intellectus quantum ad Iudicium, quia lumen illud intellectus, quo ferebat iudicium de rebus reuelatis, erat per se independens à phantasmatibus, & consequenter pertinebat solum ad scientiam infusam, vel beatam, non autem ad aliquod tertium lumen prophetale, quod vel testimonio dicentis inniterertur, vel à repræsentatione phantasmatum dependeret. Ex parte autem similitudinum partis imaginatiuæ, ad quas poterat se cōuertere Christus, si volebat formabantur similitudines propheticæ, in quibus speculari poterat diuina, & talis speculatio dicitur intrinsecè prophetia, non ex parte iudicij, sed ex parte imaginariæ repræsentationis, vnde sequitur, quod in ipso iudicio nullam

nullam obscuritatem, vel imperfectionem habeat prophetia in Christo; ex parte autem imaginationis, habet communem imperfectionem cognoscendi per phantasmata, quæ naturam humanam consequitur.

Sed Tunc Restat Duplex Difficultas. Prima, Quia non est de ratione prophetiæ illa coniunctio ad imagines sensibiles, siquidem supremus gradus est prophetiæ intellectualis, quæ diuinas veritates speculatur sine visione imaginaria, vt *Sanctus Thomas* docet 2.2. *Quæst.* 174. *Art.* 3. Ergo cum in Christo debeat poni summus gradus prophetiæ non oportet, quod per ordinem ad imaginarias similitudines sumatur in eo ratio prophetiæ. *Secunda*, Quia si sufficit conuersio ad formas imaginarias, vt dicatur cognitio intrinsecè prophetia, sequitur, quod modo Christus Dominus in statu beatifico sit Propheta, & similiter post resurrectionem aliqui beati, siquidem formant phantasmata, & imaginarias similitudines, in quibus speculari possunt diuina, & tamen in illo statu non datur aliqua prophetia, dicente Paulo 1. Corinth 23. *Siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt.*

Soluuntur Argumenta.

Ad Primum Respondetur, Quod coniunctio ad imagines sensibiles cum dependentia ab ipsis informando Iudicio importat imperfectionē in cognitione prophetica; si autem formetur iudicium intellectuale per lumen de se independens ab istis sensibilibus, tamen vtens illis, quia vult, & quando vult accommodando se connaturali modo cognoscendi in hac vita, nihil derogat de perfectione cognitionis, nec reddit illam intrinsecè ænigmaticam, id est, dependentem ab ænigmate, sed superiorē ænigmate, & illo vtens ad libitum, tanquam sibi ministrante, sicut potest vti scientia infusa discursu, & phantasmate, vt *S. Doctor* docet hic *Art.* 2. & 3. Et sic illa prophetia Christi simpliciter est intellectualis, quia ex parte iudicij, & luminis est independens ab imaginaria visione; habet tamen multum imaginariæ prophetiæ, quatenùs vtitur similitudinibus imaginatiuæ, quod imperfectionem non importat.

Ad Secundum Dicitur, Quod in statu beatifico post Resurrectionem non vtentur beati formis imaginarijs eo modo, quo in statu viæ, quia tunc repræsentabuntur sensibilia; non vt deseruiunt discursiuæ cognitioni, qua diuina, quasi in speculo videmus ex effectibus abstractiuè colligendo, sed repræsentabuntur corporalia quatenùs coniunguntur intellectui intuenti in illis præsentiam diuinam, sicut dicit *Sanctus Thomas* 1. *Part. Quæst.* 12. *Artic.* 3. *ad* 2. Quod statim visis corporibus diuina præsentia ex eis cognoscetur per intellectum: vnde in statu beatifico, quia phantasmata non deseruiunt abstractiuæ cognitioni diuinorū, sed solum coniunguntur intuitiuæ, non deseruiunt ad formandas similitudines propheticas, quæ sunt procul à diuinis. Quia tamen in Christo pro statu viæ formabantur phantasmata, vt deseruiunt viatoribus ad speculandum diuina, quasi abstractiuè. & in speculo, ideò similitudines imaginariæ in Christo viatore deseruiebant cognitioni propheticæ.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Res Naturales per hanc Scientiam cognoscantur?

TRibui solet *Scoto, & Durando in* 3. *Dist.* 14. quod negauerint Christum cognoscere per hanc scientiam res naturales, non quia eas exemerint à cognitione scientiæ infusæ, sed quia non distinxerunt scientiam infusam ab acquisita quantum ad cognitionem rerum naturalium, existimantes scientiam solum dici infusam ratione causæ efficientis, quia est infusa vt est producta à Deo; non ex parte rationis formalis, quasi sub alia ratione cognoscat scientia infusa, quam acquisita. Et quod scientia infusa non cognoscat res naturales per se loquendo; in eo fundari videtur, Quia scientia per se infusa non conuenit animæ, secundum potentiam naturalem, sed secundum obedientialem, quia ipsa in se supernaturalis est quo ad substantiam, & sic non potest conuenire intellectui secundum naturalem potentiam: ad cognoscendas autem res naturales intellectus est in potentia naturali, cum sint obiecta sibi proportionata; ergo non indiget scientia, quæ sit per se infusa, & quantum ad substantiam, & rationem formalem cognoscendi.

Quod Si Dicatur, res naturales esse quidem cognoscibiles naturali lumine, sed non eo modo, quo per scientiam infusam, *Contra est*, Quia sic illa scientia erit infusa quo ad modum, non quo ad substantiam, siquidem solum habet cognoscere res naturales alio modo.

Ceterum aliunde magis potest instari ex doctrina *Patris Vazquez* 3. *Part. Disp.* 52. *Cap.* 1. Quia species repræsentantes res naturales in Scientia infusa non possunt esse supernaturales ex parte obiecti, & rationis formalis repræsentandi, sed solum ex parte modi, quia à solo Deo sunt infusæ effectiuè: Ergo & ipsa scientia simpliciter est ordinis naturalis. *Antecedens Probatur*, Quia species repræsentantes rem naturalem, *Verbigrat.* hominem, aut leonem, non habent ex parte obiecti aliquid supernaturale, quod repræsentēt, sed habent pro immediato, & proprio obiecto rem ipsam naturalem, alioquin si rem supernaturalem repræsentarent simul cum naturali, non possent per hanc scientiam cognosci res naturales distinctè, & seorsum à supernaturalibus. Nec potest intelligi quomodo detur species supernaturalis quo ad substātiam repræsentans solum hominem, aut leonem; quidquid enim repræsentat rem naturalem tanquam proprium, & adæquatum obiectum species naturalis est. Si autem species naturales sunt quātum ad substantiam ipsa scientia, quæ tales res naturales cognoscit per has species, non erit supernaturalis quo ad substantiam, nec per se infusa, siquidem penes species distinguuntur habitus istius scientiæ, vt *D. Thomas* docet in hac *Quæstione Art.* 6.

Præterea. Vel istæ species infusæ repræsentantes res naturales sunt vniuersaliores, quam species Angelicæ repræsentātes easdem res naturales, vel minus vniuersales. *Primum Dici non potest* ex Sententia *Sancti Thomæ*, qui hac *Quæstione Artic.* 6. expressè ponit, quod species infusæ in Christo sunt minus vniuersales, quam species Angelicę. *Si Dicatur Secundum*: Ergo illæ species infusæ magis limitatæ sunt quam species Angelicæ, & cum species Angelorum solum repræsentent res naturales, non poterant species infusæ Christi repręsentare aliquod naturale, & supernaturale simul, sic enim minus limitatæ essent, & consequenter magis vniuersales.

Præterquam quod in hoc modo dicendi, quod species sint minus naturales, non sufficienter explicatur, quomodo Christus Dominus cognouerit singularia; nam vel cognoscit singularia in naturis specificis, aut generícis, & sic habet species æquè vniuersales, atque Angeli; aliqui enim Angelorum saltem inferiores non vident singularia nisi in naturis specificis, vel pro quolibet singulari habet speciem repræsentatiuam illius, & sic præterquam quod ponitur infinita ferè multitudo specierum, non congruit hoc modo cognoscendi intellectui, qui respicit res in vniuersali, & nō in singulari. Vel denique cognoscit singularia per reflexionem sicut nos, quod est imperfectè cognoscere, & dependenter à phantasmatibus, non per species exemplatas à Deo.

Denique cognitio singularium non est Christo necessaria propter perfectionem intellectus speculatiui, quia ad ipsum non pertinent singularia, sed propter perfectionem intellectus practici; ad hoc autem sufficit cognoscere omnia singularia agibilia, nō autem omnia indiuidua in Vniuersum, *Verbigrat.* Omnes arenas maris; omnia quæ sunt in visceribus terræ, &c. Hæc enim ad prudentiam, vel ad artem non spectant; omnia autem agibilia reducuntur ad artem, & ad prudentiam; per hæc enim duo diuiduntur adæquatè habitus practici.

Contraria Sententia est apertè *D. Thomæ in hac Quæstione Artic.* 1. dum inquit, *Quod per hanc scientiam inditam cognouit Christus quidquid ab homine cognosci potest per virtutem intellectus agentis, sicut quæcumque pertinent ad scientias humanas.* Constat autem per scientias humanas, & virtutem intellectus agentis cognosci res naturales; ergo si scientia ista per se infusa cognoscit omnia, quæ pertinent ad scientias humanas, & ad virtutem intellectus agentis, necesse est quod cognoscat res naturales. Et *Diuum Thomam* sequuntur communiter omnes eius Expositores super hunc Articulum; videri potest hic *Cajet. Suarez Disp.* 27. *Sect.* 1. *Cabrera Disp.* 2. *Lorca Disp.* 44. & Alij.

Et Quidem quod attinet ad aliquas res naturales, quæ nullo modo possunt concipi quidditatiuè per scientiam acquisitam, & ministerio sensuum, sicut sunt naturæ spirituales, non est dubium, quod per hanc scientiam infusam debent intelligi, alioquin careret Christus Dominus perfecta, & quidditatiua cognitione illarum extra Verbum.

Deinde

Deinde Probatur Vniuersaliter de omnibus rebus naturalibus, quia Christus Dominus debet intelligere res naturales, non solum eo modo, quo intelliguntur ab anima coniuncta, sed etiam ab anima separata; neque enim est ratio cur careat eo modo cognoscendi, quo anima separata cognoscit, cum ad id habeat naturalem potentiam, & de facto quando fuit separata anima Christi sic intellexit: neque erat cõueniens tunc de nouo ei infundi illam scientiam, sed à principio debuit esse plenus omni scientia. Anima autem separata intelligit res naturales per species infusas eo modo, quo infunduntur Angelis, quia tunc caret sensibus, quibus acquirat species; habuit ergo Christus Dominus sciẽtiam per se infusam respectu rerum naturalium, excellit autem hæc scientia infusa eam, quæ communiter infunditur animabus separatis, aut etiam Angelis, quia clariùs, & certiùs illis intelligit res naturales, immo in ipsis rebus naturalibus plura intelligit, quam nec anima separata, nec Angeli per suas species naturales cognoscere possunt; vnde species infusæ animæ Christi excedunt omnem naturalẽ modum aliarum specierum, vt explicauimus *Solutione ad* 2. Quod est habere species supernaturales respectu rerum naturalium, & hæc probatio desumitur ex *D. Thoma Artic.* 1. huius *Quæstionis Solutione ad* 2. adiuncto *Art.* 5:

Denique Probatur Hæc Sententia, Quia Christus perfectissimè cognoscit per sciẽtiam infusam totum ordinem gratiæ, cui subordinatur totus ordo naturæ; ergo ad intelligẽdum perfectè ordinem gratiæ necesse est intelligere res naturales, tum illas, quæ possunt esse subiectum gratiæ, tum illas, quæ subordinari possunt ordini gratiæ, & circa quas potest operari ordo gratiæ, faciendo miracula, aut illis vtendo ad finem supernaturalem. Extenditur autem gratia miraculorum ad omnem naturam, quia vt determinat *Diuus Thomas* infra *Quæst* 13. *Art.* 2. Anima Christi vt instrumentũ Verbi potest facere immutationes circa omnes creaturas, quæ in cœlis sunt, siue in terris. Ergo oportet quod omnia illa cognoscat, quorum naturas potest immutare; vnde ex vi cognitionis totius ordinis supernaturalis, debet cognosci ordo rerum naturalium, sicut per lumen superius cognoscuntur inferiora.

Soluuntur Obiecta.

Ad Primum à Principio Respondetur, Quod licet scientia infusa detur intellectui secundum quod est in ipsa potentia obediẽtiali ex parte subiecti recipientis, tamen ex parte obiecti, non solum se extendit ad obiecta potentiæ obedientialis, sed etiam ad obiecta potentiæ naturalis, modo tamen altiori, & supernaturali, & secundum altius lumen. Neque ex hoc sequitur, quod solum sit supernaturalis quo ad modum, sed etiam quo ad substantiam, quia ille diuersus modus intelligendi, pertinet ad diuersam rationem formalem tendendi in obiectum; & exigit diuersum lumen, licet versetur circa idem obiectum materiale. Sicut etiam diuerso modo intelliguntur creaturæ in Verbo, & extra Verbum, & tamen ille modus intelligendi creaturas est supernaturalis, & diuersum lumen exigit, quam modus intelligendi in proprio genere.

Ad Secundum Resp. Species per se infusas animæ Christi, etiam respectu rerum naturalium, esse supernaturales, & à Deo authore supernaturali infusas, quatenus scientia ista consequuta est ad Vnionem hypostaticam, vt eius perfectio, & ornamentum, & ratio formalis huius scientiæ, & repræsentationis specierum habet esse supernaturalis ex duplici Capite. *Primo*, Quia excedit omnes alias species repræsentantes res naturales in claritate, & certitudine, & in eo quod plures rationes repræsentat in obiectis naturalibus; illæ enim species sciẽtiæ infusæ Christi exemplantur à Deo ad repræsentandum res naturales, etiam sine ordine ad hoc Vniuersum, sed supra omnem ordinem Vniuersi, in quo superant modum naturalem, quo species Angelorum exemplantur à Deo, quia solum repræsentant res prout coordinantur huic Vniuerso, & sunt partes actu ad illud pertinentes, & ideò nec futura cõtingentia, nec cogitationes cordium possunt Angeli cognoscere per suas species, quia vtrumque nõ coordinatur Vniuerso; futura quidem contingentia, quia nondum habent esse determinatum in se, nec in causis creatis pertinẽtibus ad hoc Vniuersum. Cogitationes autem Cordis, quia non habent esse naturale, sed liberũ, & morale, & in nulla causa pertinẽte ad Vniuersum continentur, aut ab illa pẽdent, sed à solo Deo immediatè operãte

intra voluntatem. At verò species infusæ Christo Domino omnia ei repræsentant, quia ita sunt exemplatæ à Deo, quod non solum repræsentant ea, quæ pertinent ad hoc Vniuersum, & illi coordinantur, sed etiam quæ à solo Deo pendent, & per solũ eius concursum fiunt, aut in eius potentia continentur, & non solum à causis secũdis.

Secundo Dicuntur illæ species supernaturales ex alio Capite, quia repræsentare possunt res naturales non absolutè, sed cum respectu, & habitudine ad ordinem supernaturalem, atque ex vi talium specierum, non solum videt Christus potentiam naturalem creaturarum, sed etiam potentiam obedientialem in ordine ad plura miracula, vel secundum habitudinem ad supernaturales formas, & ad ordinem gratiæ, cui subordinari possunt. Species autem naturales, quæ purè naturales sunt, repræsentant rem naturalem, & potentiam naturalem, non obedientialem, nec secundum habitudinem, & ordinem ad formas supernaturales, & ad ordinem gratiæ.

Vnde Patet ad id quod dicebat *Vazquez*, scilicet non posse intelligi, nec dum explicari quomodo naturalis species hominis differat à supernaturali; cõstat namque plurimum differre, tum quia potest supernaturalis species repræsentare rem naturalem cum aliqua habitudine, & ordine ad finem, vel ministerium supernaturale: tum quia repræsentat rem naturalem independenter à coordinatione cũ hoc Vniuerso, & causis eius, quod nulla species naturalis repræsentare potest, licet ex parte hominis repręsentati, quasi idem homo materialiter vbique repræsentetur; sicut etiam species repræsentans album in oculo, aut in phantasia, aut in imaginatione omnino differunt.

Ad Tertium, Plura Dicemus *Disp. Sequenti*. Procedit enim illud Argumentum non solum contra cognitionem rerum naturalium in Christo, sed etiam contra cognitionem supernaturalem; vtrobique enim currit eadem difficultas, quomodo intelligat anima Christi per species minus vniuersales, quam Angeli, vt dicit *D. Thomas in hac Quæst. Artic.* 6. Sed nunc breuiter Dicimus, quod species infusæ animæ Christi dicuntur minus vniuersales, quam species Angeli, non quantum ad rationem minus abstractam, & immaterialem, sic enim purior, & abstractior est ratio repræsentandi in speciebus infusis, quia sunt ordinis supernaturalis, & excedunt modum naturalem repræsentandi specierum, sed dicuntur minus vniuersales quantum ad extensionem, eo quod quælibet species ad pauciora se extendit, & minus vnita est in repræsentando plura, quam species Angelicæ, nam propter perfectiorem virtutem luminis intellectualis, sicut potentia Angeli operatur magis vnitè, ita species proportionabiliter tali potentiæ infusæ magis vnitè repræsentant plura obiecta, ita quod clarè, & distinctè plura percipit per vnicam speciem. At verò quando animæ separatæ infunduntur similes species repræsentantes naturas rerum communium in communi, confusè intelligunt per tales species vt dicit *Sanctus Thomas* 1. *Part. Quæst.* 89. *Artic.* 1. Vnde si species infusæ animæ Christi faciunt distinctam, & explicitam cognitionem, id erit per multiplicationem specierum, quibus non solum quidditas rei in communi, sed etiam diuersæ proprietates, aut accidentia, & reliqua ex quibus integratur perfecta, & distincta rei cognitio: & in hoc semper manet superior, & vniuersalior species Angelica, etiam si solum repræsentet naturam specificam pro qualibet specie, quia ad cognoscẽdum distinctè quicquid conuenit tali naturæ specificæ non indiget additione alterius speciei, sicut anima.

Et Quando Instatur, Quod si ita est non poterit species illa animæ Christi repræsentare aliquid supernaturale, & naturale, sed tantum aliquid naturale.

Respondetur, Quod directè, & ex æquo non repræsentat vnica species naturale, & supernaturale, sed dicitur species supernaturalis, quia repræsentat rem naturalem cũ aliqua habitudine, & connotatione ad finem supernaturalem, ita vt faciat sibi debitam speciem aliam repræsentantem rem supernaturalem ex vi talis scientiæ: & similiter quia rem illã naturalẽ repræsentat sine dependentia ab hoc Vniuerso, & coordinatione cum causis eius secundis, sed solũ prout à Deo immediatè, & ab eius concursu. Cæterũ ad intelligẽdum directè formas supernaturales distincta specie indigebat.

Neque Ex Hoc Sequitur, quod de necessitate debet intelligere cõponendo, aut discurrendo, quia cõpositio, & discursus non consistit in quocũque vsu plurium specierũ, sed in vsu cõparatiuo, & collatiuo, quando scilicet cõuenientia prædicati, & subiecti nõ aparet in simplici inspectione vnius, vel plurium specierum, sed in cõparatione vnius

vnius ad alterum; nam etiam Angelus potest vti pluribus speciebus inadæquatè se habentibus ad aliquam cognitionem sine compositione, & simplex apprehensio nostra videt hominem album per speciem albedinis, & hominis antequam comparet conuenientiam vnius ad alterum.

Ad Vltimum Respondetur. Quod ad prudentiam regiminis humani non pertinet videre omnia indiuidua in Vniuerso, sed solum in singulari, & vt agibilia ab homine; ad prudentiam autem, & regimen totius Vniuersi tam hominum, quàm Angelorum pertinent omnia indiuidua totius Vniuersi, quia circa omnia potest homo, vel Angelus aliquo modo operari, vel cognoscere, vel imaginari. Christo autem data est omnis potestas in cœlo, & in terra, & omnia subiecta sunt pedibus eius tam quo ad homines, tam quo ad Angelos.

DISPVTATIO XIV.

DE MODO, ET MEDIO COGNITIONIS SCIENTIÆ INFVSÆ.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Hac Scientia potuerit Christus Dominus vti cum Discursu, & sine Discursu: Conuersione ad Phantasmata, & sine illa?

PErspicua est Sancti Thomæ Sententia in hac parte in hoc *Art. 2. Solutione ad 3.* & *Art. 3.* & *4.* Quod scientia infusa in sui acquisitione nullo modo est dependens à phantasmatibus, neque acquisita per discursum. Similiter in suo vsu, neque à phantasmate dependet, neque à discursu; potest tamen vtroque vti si voluerit accommodando, & proportionando se subiecto in quo est. Cæterum *Pater Vazquez* hic *Disp. 52. Cap. 2.* licet conueniat cum *Diuo Thoma* in primo puncto, scilicet quod scientia infusa non sit dependens à phantasmate, carpit tamen rationem *Diui Thomæ*, neque eam probat, solũ quia anima Christi non erat in statu puri viatoris, sed habebat etiam statum comprehensoris, qui totaliter dominabatur Corpori, & sic erat deobligatus ad vtendum phantasmate. Qua ratione (inquit *Vazquez*) probatur animam Christi in aliquo genere cognitionis non egusse phantasmate, nisi id probetur peculiariter, scilicet visione clara Dei, non tamen probatur, quod tali genere cognitionis, quæ scilicet habetur per scientiam infusam, non indiguerit phãtasmate, nisi id probetur ex propria, & essentiali ratione talis scientiæ, quia scilicet erat scientia independens à sensibus, nec vllo modo comparabilis per ipsos, nec affinitatem habens cum speciebus sensibilibus, vnde nullo modo indigebat conuersione ad phantasmata, quia nullo modo ex illis cognitionem accipiebat.

In Secundo Etiam Puncto, Quod vti potuerit hac scientia conuertendo se ad phantasmata, si vellet, dissentit *Vazquez à D. Thoma*, eo quod cognitio per conuersionem ad phantasmata non consistit in eo solum, quod quando aliquis intelligit concomitanter vtatur phantasmate: sic enim posset etiam dici, quod visio beatifica fit per conuersionem ad phantasmata, quia potest aliquis simul tempore cum videt Deum formare aliquod phantasma de his, quæ in Deo videt; non ergo sufficit quasi cõcomitanter habere illam duplicem cognitionem intellectus, & phantasiæ, sed requiritur aliqua dependentia, & coordinatio vnius ad aliud. Cum autem scientia infusa omnino sit independens à speciebus sensibilibus, nec habeat cum eis aliquam coordinationem, & affinitatem, nullo modo potest vti conuersione ad phantasmata, præsertim in cognitione substantiarum separatarum, & rerum spiritualium.

Quod Attinet Ad Discursum, similiter sentit *Vazquez* contra *D. Thomam* in loco citato *Cap. 3.* eique adhæret *Pater Suarez* hic *Disput. 28. Sectione 2.* Et Fundamentum est. Quia Christus Dominus cognoscit per hanc scientiam infusam, sicut Angeli, qui vnica specie, & vnico conceptu simul plura attingunt, & ideò non discurrunt: deinde etiam si hæc scientia infusa de vnaquaque re formet suum conceptum, sicut nos per scientiam acquisitam, adhuc tamẽ non discurrit, quia quilibet conceptus est æquè euidens, & quidditatiuus de obiecto, quod concipit; ergo vnum non potest esse ratio cognoscendi aliud; & consequenter tales conceptus non deseruiunt ad discursum in quo requiritur, quod vnum notificetur per aliud ex quo infertur.

Denique Instat Suarez, Quia proprius mo-

modus cognoscendi per hanc scientiam est per simplicem intuitum, siquidem ex natura sua non est scientia collatiua, nec per discursum acquisibilis; ergo nunquam poterit intellectus vti isto habitu ad cognoscendum discursiuè, esset enim vti habitu ad suum modum oppositum connaturalem: sicut nunquam potest intellectus vti habitu principiorum ad discurrēdum. Nec sufficit ad discursum vti aliqua specie inadæquatè, & quantum ad aliquam veritatem, & ex illa procedere ad aliam veritatem pertinentem etiam ad talem speciem; hoc enim solum est cognoscere vnam veritatem post aliam, non illatiuè vnam ex alia; sic autem etiam Angelus cognoscit vnum post alium, nec tamen discurrit: ergo hoc solum non sufficit ad discursum.

Neque Etiam potest se accommodare modo operandi ipsius subiecti, sicut vtitur phantasmate hæc scientia propter accommodationem, quam habet ad subiectum, quia vsus phantasmatis non ponit integrā imperfectionem in scientia, sed solum concomitantiam operationis inferioris potentiæ; discursus autem integram imperfectionem importat in ipsu actu scientiæ; supponit enim discursus, quod vna cognitio non plenè attingit omnes veritates in suo obiecto contentas, & illi connexas, & ideò indiget ad explanandum, & inferendum illas alia cognitione.

Nihilominus Sententia D. Thomæ, in vtroque Dicto vera est, & de illa videri potest *Magister Lorca* hìc *Disput.* 51. *Membro* 2. & *Cabrera* super *Articulum* 2. *huius Quæstionis Disput.* 2. Et communiter Thomistę. Et quidem quod attinet ad rationem *Sancti Thomæ*, qua probat non indigere hanc scientiam cōuersione ad phantasmata, miror non aduertisse *Patrem Vazquez*, quam clarè, & breuiter difficultatem, quam ipse obijcit, euacuauerit *Caietanus in Præsenti Artic.* Etenim *D. Thomas* breuitati, & formalitati studens non curauit nisi tantum attingere punctum difficultatis. Non erat autem aliqua difficultas in hoc, quod scientia infusa ex genere infusionis non sit dependens à phantasmate, cum ex ipsis terminis sit per se notum, quod si scientia ista est infusa, non est acquisita per phantasmata, & sensus, sed supra illos eleuata: & si est infusa per se, per se est independens à sensibus quantum est ex genere suo. In quo tamen probando consumit tempus *Vazquez*; vnde in hoc difficultatem non sensit *Diuus Thomas*. Sed si aliqua difficultas posset esse in hac parte erat ratione subiecti; licet enim scientia infusa ex ipso genere scientiæ eleuata sit, & exempta ab omni dependentia à phantasmate, tamen quia subiectum ipsum, scilicet intellectus, in hac vita est astrictus, & vinculatus ad phantasmata, ex hac parte poterat esse difficultas, An scientia infusa induat modum ipsum subiecti, siquidem vnumquodque recipitur ad modum recipientis? Et ideò *Sanctus Thomas* solum fuit solicitus ostendere quomodo ex parte subiecti, scilicet intellectus, licet sit vnitus Corpori, non sequatur, quod de necessitate sit astrictus phantasmati, quia licet hoc habeat intellectus vnitus in statu viatoris, tamen intellectus vnitus in statu comprehensoris nō est obligatus ad vtendum phantasmate, quare ratione illius status, quem habet intellectus in anima Christi, quia non erat solum viator, sed etiam comprehensor, optimè probauit *D. Thomas* scientiam infusam ex parte subiecti in quo est non necessitari ad vtendum phantasmate. Ex ipso autem connaturali modo, quem habet scientia infusa ex suo genere, per se notum erat non esse astrictam ad vtēdum phantasmate, & sic ex omni parte manebat probatum scientiam infusam non necessitari, nec dependere à phantasmate; sed *D. Thomas* solum adhibuit probationē ex ea parte, qua poterat esse aliqua difficultas, scilicet ex parte subiecti. *Vazquez* autē adhibuit probationem ex ea parte, qua non est difficultas, sed per se notum ex terminis, scilicet quod scientia infusa ex suo genere non dependet à phantasmate.

Circa Secundum Punctum, scilicet quod poterat intelligere per hanc scientiam cōuertendo se ad phantasmata si vellet, in primis hoc non oportet intelligere respectu omnium obiectorum huius scientiæ infusæ, quomodocumque cognoscantur; non enim Substantiæ separatæ, & res spirituales cognosci possunt proprio, & quidditatiuo conceptu per cōuersionem ad phantasmata; nam hoc ipso quod intelligeretur cum conuersione ad phantasmata, intelligerentur res illæ spirituales conceptu connotatiuo, scilicet importante ordinē ad res sensibiles, de quibus formātur phantasmata. Solū ergo loquimur de his rebus, quæ possunt cognosci propriè, & quidditatiuè stante ordine ad phantasmata, & ad res sensibiles, quia res ipsæ cognitæ sensibiles sunt, & ita stante quidditatiuo, & proprio

conceptu talis rei potest fieri conuersio ad phantasmata. Et Dicimus, quod saluari potest in hac scientia talis conuersio ad phantasmata, quatenùs formantur ex ipso imperio scientiæ infusæ, & vt illi ministrantia ad vsum suæ cognitionis, licet non tãquam principia, vnde desumat species repræsentatiuas obiectorum, sed tanquam terminus formatus ex imperio intellectus, vt in illo speculetur obiectum, quod aliàs sine illo cognoscere etiam potest, eo modo quo *D. Thomas* dixit supra *Quæst. 7. Art. 8. ad 1.* Quod *Licet Christus habuerit plenam, & perfectam notitiam, quantum ad partem intellectiuam, habuit tamen in parte imaginatiua quasdam similitudines, in quibus etiam poterat speculari diuina, in quantum non solum erat comprehensor, sed etiam viator.* Ita Diuus Thomas.

Eodem Ergo Modo potest ex imperio, & dominio intellectus supra phantasiam formari phantasma aliquod de eodem obiecto, de quo habet speciem per se infusam, & vti illa specie non vt absolutè repræsentat suum obiectum, sed vt repræsentat illud cum aliqua comparatione, & connotatione ad illud phantasma, ita quod etiam phãtasma speculetur, quatenùs comparabile cum obiecto illo sic repræsentato per speciem, & ex eius ordinatione, & imperio formatum; sic enim habet aliquam coordinationem, & comparationem cum phantasmate, non coordinationem dependentiæ vt à principio à quo desumat species, sed ministrationis, & inferioritatis, quatenùs illi deseruit phantasma, vt terminus in ordine ad quẽ possit comparare obiectum repræsentatum per species, & non solum absolutè illum cognoscere.

Quod Vero hoc sufficiat ad conuersionem ad phantasma probatur. Nam hoc sufficit, vt dicatur intellectus speculari phantasmata; ergo sufficit vt dicatur cõuerti ad phantasmata. *Consequentia Patet*, Quia conuersio ad phantasmata nõ fit quando primo per actionem intellectus agentis educuntur species à phantasmatibus, sed quando ipsa cognitio, & speculatio intellectus possibilis tendit in suum obiectum speculando illud cum proportione, & ordine ad phantasmata. *Antecedens autem probatur.* Nam tunc intellectus intelligit compositionem obiecti per speciem infusam repræsentati in phantasmate, & videt proportionem, quam habet cum illo, & connotationem ad tale phantasma; ergo speculatur illud dum intelligit obiectum non absolutè, vt repræsentatur per speciem infusam solum, sed cum comparatione, & coordinatione ad phantasma formatum ex imperio talis scientiæ, non ex necessitate. Non tamen eodem modo vti poterit phantasmate ad cognoscendum Angelum quidditatiuè, vel Deum clarè visum, quia respectu istorum obiectorum cognitio quidditatiua, & clara non compatitur conuersionem ad phantasmata, quæ illam obscurat, cum in tantum res spirituales cognoscantur quidditatiuè, in quantum cognoscuntur ex [illegible] omne sensibile.

Quod Attinet Ad Discursum, eodem modo philosophandum est, scilicet non solum quantum ad acquisitionem huius sciẽtiæ non fuisse acquisitam per discursum, sed per infusionem habitam, sed etiã quantum ad vsum talis scientiæ, non necessitari Christum ad vtendum discursu; potuisse tamen illo vti. *Prima Pars Probatur.* Quia illæ species infusæ perfectè repræsentabant obiecta cum suis prædicatis; ergo poterat formare iudicium de illis per immediatam repræsentationem, & non solum per discursum. *Item.* Quia per illam scientiam poterat illuminare Angelos, siquidem erat scientia maior scientia Angelorum; non poterant autem Angeli illuminari per cognitionem discursiuam. Ergo.

Secunda Ergo Pars Probatur. Quia per istas species non solum repræsentantur veritates immediatæ in se, sed etiam connexio vnius veritatis cum alia, ratione cuius vna veritas est illuminatiua alterius; nam hoc etiam species Angelorum repræsentant, ideòque licet formaliter non discurrant, quia propter perfectissimum modum operandi subiecti, non possunt diuidere cõceptus, tamen ex parte obiecti discursum cognoscunt, & connexionem prædicatorum scientificam. Vnde si circa veritates sic connexas inter se posset Angelus diuidere cõceptus, & intelligere illas veritates præcisè in ratione connexionis, qua vna infert aliam sine dubio discurreret; cum ergo anima Christi per hoc quod habeat sciẽtiam infusam non amittat modum connaturalem operandi ex parte potentiæ, ita quod non possit diuidere conceptus, sicut Angelus, & vti speciebus illis inadæquatè ex ea parte, qua manifestant veritates ratione connexionis, & non solum quatenùs simplici repræsentatione illas intelligunt, manifestè deducitur, quod potest anima

Christi

Christi vti vero, & formali discursu per scientiam infusam.

Quare repræsentatio per species non obstat discursui, si aliàs intellectus ipse non habeat modum intelligendi ita perfectum, quod non possit diuidere conceptus, & inadæquato modo vti speciebus, sicut intellectus Angelici. Si autem modus intelligẽdi sit talis, quod possit conceptus diuidere, & inadæquatè vti speciebus etiam infusis, quia lumen talis scientiæ datur in minori vniuersalitate, quam Angelis, vtpotè accommodatum animæ rationali, quæ ad cognoscendum res distinctè indiget lumine magis diuiso, & particulariçato, consequenter in tali scientia infusa relinquuntur omnia principia vt possit discurrere.

Quia Tamen D. Thomas in Probatione huius discursus per scientiam infusam vtitur illo testimonio *Matth. 17.* vbi Christus Dominus ratiocinando intulit, *Ergo liberi sunt filij*, oportet vim huius testimonij expendere. Videtur enim parum vrgens, eo quod non constat ex Scriptura nisi quod Christus Dominus protulerit voce illum discursum; quod vero interiùs in mente vsus fuerit discursu, non constat. Sicut etiã Deus quando loquitur homini non format discursum, licet exteriùs proferat illum. Et dato quod Christus Dominus discursu mẽtali vsus fuerit, vnde constat, quod per sciẽtiam infusam, & non per acquisitam illum elicuerit?

Cæterum valde efficaciter vtitur *Sanctus Thomas* isto testimonio: nam quod Christus vsus fuerit discursu vocali constat ex ipso Textu de fide. Inde vero infertur, quod etiam mentali discursu vsus fuerit, quia illum discursum proferebat tanquam verus homo, & non vt Deus in natura diuina; ergo eo modo, quo proferebatur in voce, formabatur in mente, vt omnino conformaretur veritas mentis veritati locutionis. Neque enim aliunde poteramus colligere Christum verè discurrisse in mente, tanquam hominem rationalem, nisi ex locutione; vnde si in locutione discurrebat, nõ vero in mente, deficiebat nobis probatio, vnde constaret Christum verè discurrisse aliquando in mente; si enim in isto loco quamquã discurrebat vocaliter, non tamẽ mentaliter, eadem ratio erit de omnibus alijs locis, in quibus loquebatur cum discursu, & sic non restat nobis aliqua via ad probandum ex locutione exteriori Christi, quod verè aliquando discurrerit.

Dicere Autem quod in alijs locis quando vocaliter discurrebat, etiam mẽtaliter, in isto vero non; est plane voluntariè dictum, & merè diuinare; non licet autem sine magno fundamento proprietatẽ Scripturæ inuertere, & cum simpliciter Scriptura dicat Christum discurrisse, & illius discursum narret, diuertere ad solum discursum vocalem, & non mentalem. *Quare recurrendum est* ad Secundam Solutionem, scilicet quod tunc vsus fuit discursu per scientiam acquisitam, & non per infusam.

Sed Hæc Solutio multo facilius euertitur, Quia Conclusio illata per istum discursum fuit aliqua veritas supernaturalis, scilicet, *Ergo liberi sunt filij*, in qua Conclusione iuxta omnium Expositiones, intendebat Christus, quod ipse, qui erat Filius Dei naturalis erat liber à Tributo, & similiter Ecclesia, quæ repræsentabatur in Petro. Sed quod Filius Dei sit liber à Tributo, & similiter Ecclesia ex priuilegio diuino, non est aliqua veritas naturalis, sed supernaturalis cum non contineatur in principijs naturalibus; ergo concluſit per illam consequentiam Christus Dominus aliquid supernaturale: sed per scientiam acquisitam, solum intelligebat naturalia, quæ per sensus subministrantur, per scientiam autem infusam mysteria supernaturalia cognoscebat; ergo ista consequentia pertinuit ad scientiam infusam, & nullo modo ad acquisitam.

Soluuntur Obiecta.

Ad Fundamenta Patris Vazquez. Ad Primum contra rationem *Diui Thomæ*, iam est explicata eius efficacia.

Ad Secundum Dicitur, Quod conuersio ad phantasma non dicit meram concomitantiam cognitionis intellectus, & phantasiæ; sed coordinationem vnius operationis cum alia, non tamen coordinationem dependentiæ, qua cognitio intellectus depẽdet à phantasmate, sed coordinationem quasi extensionis cuiusdam, quatenùs intellectus non sistit in repræsentatione absoluta per speciem infusam, sed vlteriùs per suum imperium facit formari phantasmata, vt comparatiuè ad ipsa cognoscat, & speculetur obiectum, & sic coordinatur ipsi phantasmati, nõ vt à quo accipiat cognitionem, sed in quem redunder cognitio, & quasi per extensionem in ipso phantas-

mate

mâte speculetur; sicut, & superiori virtute imperante fiet redundantia in inferiorem.

Neque Ex Hoc sequitur posse etiam visionem beatificam fieri per conuersionem ad phantasmata, quia visio beatifica est intuitiua, & quidditatiua visio rei in se, vnde non potest cognosci cum aliqua connotatione, aut extensione ad rem sensibilem, quia hoc ipso non plenè videretur in se, cum visio quidditatiua, & clara rei spiritualis, totaliter debeat esse denudata à connotatione rei sensibilis.

Ad Fundamenta *Patris Suarez, & Vazquez* contra Secundum Punctum de Discursu. *Ad Primum Respond.* Quod per hanc scientiam Christus intelligit, sicut Angeli ex parte ipsius scientiæ, non tamen ex parte modi cognoscendi potentiæ: est enim connaturale animæ rationali vti discursu, & ideò licet eleuetur ad intelligendum, sicut Angeli ex parte rei cognitæ, & claritatis cognoscendi, & repræsentationis specierum, tamen non omnino transmutatur modus connaturalis potentiæ, vt scilicet possit vti discursu, quo Angelus vti nõ potest, etiamsi velit, quia repugnat connaturali modo sui intellectus. Nec tamen obligatur anima Christi ad discurrendum, quia anima nostra ita est discursiua, quod etiam multa intelligit sine discursu, vnde potest perfici ad hoc, vt vtroque modo intelligat, & cum discursu, & sine illo, quando non extrahitur à modo operandi connaturali.

Ad Secundum Respondetur, Quod species infusæ habent vtramque eminentiam, & simplicis repræsentationis quidditatiuæ, & connexionis principiorum cum Conclusione, & vtroque modo potest illis vti intellectus cognoscendo res euidenter, & propter connexionem, & propter simplicem, & quidditatiuam inspectionem; sed vlterius noster intellectus, quia est discursiuus, & potest conceptus diuidere, & vti speciebus inadæquatè, scilicet pro ea parte, qua repræsentant euidentiam connexionis solam, & tunc formaliter discurret, quia non æquè euidenter repræsentantur obiecta per vtrumque conceptum, seu speciem sic inadæquatè applicatam, sed vnum obiectum accipiatur, vt illuminans, & aliud vt illuminatum ex vi talis connexionis, quod est repræsentari eo modo, quo requiritur ad discursum.

Ad Tertium Dicitur, Quod proprius modus cognoscendi huius scientiæ infusæ, quantum est ex genere scientiæ, est sine discursu, & per simplicem intuitum; ex parte autem scientis, seu subiecti permittit discursum etiam circa obiecta huius scientiæ, quæ scibilia sunt. Et est dispar ratio inter habitum scientiæ infusæ, & habitum primorum principiorum, quod prima principia etiam ex parte subiecti excludunt discursum, quia prima principia sunt illa vnde oritur discursus; vnde si ipsa possint per discursum cognosci exigerent alia principia, per quæ cognoscerentur, & sic esset processus in infinitum. At verò scientia infusa, licet ex parte scientiæ non habeat discursum, quia nec per discursum acquiritur, tamen respectu obiectorum, quæ per discursum sunt cognoscibilia, quia non tollit modum connaturalem subiecti, qui discursiuus est, ideò permittit quod possint intelligi per discursum talia obiecta, vtendo inadæquatè repræsentatione specierum, & diuidendo cõceptus. Neque hoc est solum vti discursu secundum successionem, sed etiam secundum causalitatem, quia facta tali inadæquata applicatione, potest ex vi connexionis necessariæ vnum cognosci per aliud, & non solum in vi simplicis inspectionis vnum cognosci post aliud.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Species Scientiæ Infusæ sint Vniuersaliores, & Perfectiores quam Angelicæ?

Sententia S. Thomæ est in *Art.* 4. huius *Quæstionis*, Quod scientia infusa animæ Christi est perfectior scientia Angelorum, & quantum ad extensionem, & quantum ad intensionem. Quantum ad extensionem, quia plura obiecta cognoscit; quantum ad intensionem, quia clariùs. Caterum quãtum ad modum cognoscendi ex parte subiecti imperfectior est, quatènus vti poterat conuersione ad phantasmata, & discursu. In 6. autem *Articulo* inquit *S. Thomas*, quod est connaturale animæ humanæ, vt recipiat species in minori vniuersalitate, quam Angeli, ità solum quod diuersas naturas specificas per diuersas species intelligibiles cognoscat, & sic fuerunt infusæ animæ Christi.

Hinc Ergo nascitur Triplex Difficultas. *Prima*, Quomodo species infusæ animæ Christi

Christi fuerint minus vniuersales, quam species Angelorum? *Secunda*, Quomodo fuerint perfectiores in claritate, & certitudine? *Tertia*, Quomodo se habebant erga compositionem, & diuisionem cum alijs speciebus ad cognoscendas plures veritates, & præsertim ad cognoscenda singularia?

De Prima Difficultate.

Ad Primam Difficultatem Respond. Quod absolutè loquendo, & indistinctè, siue quo ad species repræsentantes res supernaturales, siue repræsentantes res naturales tanquam immediata obiecta, species infusæ animæ Christi sunt minus vniuersales, quam species Angelorum. Quæ assertio est expressa *Sancti Thomæ* hic vt citauimus, & Thomistarum communiter, licet contradicat *Pater Suarez* hic *Disputat.* 29. *Sect.* 1. Et adducit pro se *D. Thomam in* 3. *Distinct.* 14. *Artic.* 3. *Quæst.* 4. Sed tamen *D. Thomas* in hac 3. *Parte* apertè mutauit sententiam, cum ibi determinauerit scientiã infusam distinctam per diuersos habitus, & ita habuisse species magis vnitas, & vniuersales, quam quælibet creatura; hic autem ex oppositio, fundamento concluſit oppositum, scilicet quod habuerit species minus vniuersales, & ideò distincta fuit hæc scientia per plures habitus, vt patet in *Art.* 6. huius *Quæstionis.*

Et Fundamentum Huius Sententiæ est. Quia quotiescumque intellectus aliquis inferior illuminatur à superiori, non illuminatur per hoc, quod eleuetur ad intelligendum ita vnitè, & vniuersaliter sicut superior intellectus, sed potius veritates ipsæ particulariçantur, & accommodantur intellectus, inferiori vt illas possit distinctè percipere, vt constat ex *D. Thoma* 1. *Part. Quæst.* 106. *Artic.* 1. Ergo cum intellectus animæ Christi immediatè illuminetur à Deo de omnibus veritatibus, quas intelligunt Angeli, & multo pluribus, non fiet illuminatio per hoc quod eleuetur modus operandi animæ Christi supra omnem modum operandi Angelorum, sed quod omnes illæ veritates proportionentur modo operandi animæ Christi attingendo illas magis diuisè, & particulariter, quam Angeli.

Neque Enim est ratio aliqua, cur dicamus alias illuminationes reformari per hoc, quod veritates illuminatæ diuidantur, & accommodentur capacitati, & modo intelligendi inferiori, in ista vero non sic esse factum. *Et Regula Generalis est*, Quod in omnibus illis, quæ certa fide non constant illud sit verisimilius, quod magis conforme est naturis rerum; natura autem illuminationis hoc habet, quod descendat à superiori ad inferiora accommodando veritates illuminatas modo intelligendi inferiori, non vero modum intelligendi inferiorem eleuando ad modum intelligendi superiorem, hoc enim minus connaturale est. Vnde si possumus in scientia infusa saluare, quod eleuetur anima Christi ad cognoscendum clariùs, & perfectiùs, quam Angeli, & plura obiecta, conseruando modum connaturalem operandi ipsius animæ quantum possibile fuerit, conformior veritati erit assertio. Qua conformitate ductus *D. Thomas* sententiam, quam tenuerat in 3. *Sentent.* mutauit, eo quod in istis supernaturalibus ita debemus procedere, quod quantum possibile fuerit, minus mutetur ipse modus naturalis, eo quod gratia non destruit, sed perficit naturam.

Nec Obstat, Quod illæ species ex genere suo non dantur modo discursiuo, cum tamẽ modus discursiuus sit connaturalis animæ humanæ; hoc (Inquam) non obstat, quia vt *Præcedenti Articulo* Diximus, anima rationalis non solum est discursiua, sed aliqua etiam intelligit sine discursu, & ita respectu diuersorum obiectorum poterit ei conuenire, & cõuenit vterque modus cognoscendi cum discursu, & sine illo, vnde nõ est omnino contra naturalem modum animæ, quod in his in quibus propter debilitatem luminis discurrit, cõfirmato lumine non discurrat; id enim non est absolutè cõtra modum operandi animæ, sed cõtra imperfectum modum operandi prouenientẽ ex imperfectione luminis. Quod vero eleuetur ad operandum ita vnitè, & vniuersaliter sicut Angelus, est plane supra omnem modum cognoscendi animæ rationalis, excepta visione beatifica, in qua homo, & Angelus perficãtur, quia vterque extrahitur à modo connaturali cognoscẽdi, & secũdum potentiam obedientialẽ intelligit.

Sed Instat Pater Suarez vbi supra: Nam multa in hac scientia ponenda sunt, quæ non sunt cõnaturalia humano modo cognoscendi, sed super illum; cur ergo hoc etiam non ponetur, scilicet quod habeat spe-

ſpecies vniuerſaliores, & minus diuiſas quam Angeli? *Antecedens Probatur*, Nam ipſa met ſcientia ſuper naturam eſt, & extendit ſe ad obiecta ſupra ipſam naturam Angelicam, vnde perfectiones omnes ſupernaturales excellētiori modo recipiuntur in anima Chriſti, quam in Angelis; ergo cum hæc ſcientia ſupernaturalis ſit, perfectius tribuetur Chriſto, quam Angelis.

Item. Quia Chriſtus per hanc ſcientiam clariùs intelligit quolibet Angelo, non ſolum res naturales, ſed etiam ipſos Angelos, & res ſpirituales, quod tamen ſuperat modum naturæ humanæ; ergo etiam poterit ſuperare in modo intelligendi vnitè, & vniuerſaliter pluſquam Angeli.

Denique. Ipſæ ſpecies animæ Chriſti ſunt in ſua entitate perfectiores, quam quælibet ſpecies Angelorum, præſertim quia vt precedenti Quæſtione Diximus ſunt ſpecies ſupernaturales attingentes etiam res naturales altiori modo, quam ſpecies naturales Angeli; cur ergo non poterunt etiam eſſe perfectiores in hoc modo vniuerſalitatis?

Reſpondetur Omnes iſtas perfectiones pertinere ad ſcientiam infuſam ex parte obiecti, & ex parte cauſæ influentis illam, in quo ſcientia iſta ſuperat ſcientiam Angelorum, vt *Sanctus Thomas* docet in *Art.* 4. Non tamen pertinet ad ſcientiam infuſam ex parte ſubiecti accipientis; quod enim taliter infundatur hæc ſcientia, quod etiam modum connaturalem operandi ſuperet, aut deſtruat, non videtur conueniens connaturalitati infuſionis; quod vero ex ſuo genere, & formali ratione ſuperet ſcientiam Angelorum omnino neceſſarium eſt.

Vnde Ad Primam Inſtantiam Dicimus, Quod multa ſunt ponenda in hac ſcientia, quæ non ſunt connaturalia animæ humanæ, ſcilicet omnia illa, quæ pertinent ad naturam, & genus talis ſcientiæ, cum ſupernaturalis ſit, non vero quæ pertinent ad modum receptionis in ſubiecto; ſi enim dona gratiæ, excepto lumine gloriæ, ita infunduntur ſubiecto, quod licet reddant actum in ſubſtantia ſupernaturalē, in modo tamen operandi ſe accommodant modo operandi ſubiecti, cur hic negabimus hoc iſti ſcientiæ ſupernaturali? Quod vero perfectiones ſupernaturales altiori modo datæ ſint Chriſto, id verum eſt de altiori modo ex parte ipſius gratiæ, & ſubſtantiæ donorum ſupernaturalium; ex parte autem modi recipiendi ſe in ſubiecto, non altiori modo recipiuntur, quam in Angelo.

Ad Secundam Inſtantiam Dicimus, Quod perfectiùs comprehendit hæc ſcientia res naturales, & ſupernaturales, quam Angeli, quia totum hoc pertinet ad ipſam ſpeciem luminis, & perfectionem ſubſtantialem ex parte obiecti, & rationis formalis attingendi, non admodum recipiendi ex parte ſubiecti; ex quo prouenit quod magis, vel minus vnitè recipiantur ſpecies, quare totum hoc ſuperat modum naturæ humanæ ex parte obiecti attacti, & ex parte ipſius ſcientiæ, non ex parte ſubiecti recipientis, cuius modus connaturalis operandi non mutatur ex infuſione huius ſcientiæ.

Ad Vltimam Inſtantiam Dicimus, Quod illæ ſpecies infuſæ Chriſti, ſunt perfectiores ſpeciebus Angelorum ex parte obiecti repræſentati, & modi repræſentandi, quia ſupernaturales ſunt, non tamen ex parte modi operandi ſubiecti, quod ſolum magis, vel minus vnitè, & vniuerſalirer cognoſcat per illas.

De Secunda Difficultate.

Ad Secundam Difficultatem Communiter Theologi ſupponunt clariores, & certiores fuiſſe has ſpecies infuſas animæ Chriſti, quam ſpecies Angelorum. Et ſumitur ex *D. Thoma* hic *Artic.* 4. Et quidem quo ad obiecta ſupernaturalia non eſt difficile explicare, quomodo fuerunt clariores, & perfectiores iſtæ ſpecies, quia lumen ſupernaturale infuſum Chriſto intenſius, & perfectius eſt, & ſpecies ipſæ repræſentantes, plures rationes repræſentant de myſterijs ſupernaturalibus, quam Angelis. Cum enim Angeli non ſit debitum plenè cognoſcere res ſupernaturales, ſed quantum Deus voluerit reuelare, plenius reuelat Chriſto, dando illi pleniorem repræſentationem, & efficacius lumen ad penetrandum plus de illis obiectis, & cognoſcendas plures rationes, quam Angelis; quo ad obiecta autem naturalia, ſuppoſita ſententia quam docuimus in *Præſenti Quæſtione*, quod ſpecies infuſæ ſunt ſupernaturales, etiam reſpectu rerum naturalium, ferè nulla reſtat difficultas; quia clariùs, & perfectiùs repræſentare poſſunt eo quod ſub puriori, & perfectiori ratione repræſentant, quam ſpecies naturales Angelorum, vnde & plures rationes diſtinctæ repræſentant in obiectis naturalibus, quæ Angelis manent confuſæ, ſicut

sicut est repræsentare res contingentes sub futuritione, & repræsentare omnes causas quantumcumque occultas & liberas, & ita repræsentant cogitationes Cordis.

Si Autem species illæ sint purè naturales tunc vel dicendum est, quod redduntur clariores, quasi ab extrinseco, scilicet per reuelationem diuinam ei superuenientem, quod tamē valdè difficile intelligitur, cum claritas speciei consistat in repræsentatione, quæ illi intrinseca est, nec mutari possit, aut perfici per extrinsecam reuelationem. Vel dicendum est, quod claritas, seu distinctio repræsentandi non sumitur ex vniuersaliori, & abstractiori ratione, qua magis vnitè tendit species in sua obiecta, sed ex maiori adæquatione, & conformitate cum re repræsentata, vnde sumitur maior expressio. Potest autem fieri quod plures species, quarum quælibet repræsentant suam perfectionem, aut prædicatum obiecti viuacius, & efficacius repræsentent totum, quod est in obiecto, quam vnica species, quæ procedit sub ratione abstractiori, & vniuersaliori. Quod ex Solutionibus Argumentorum magis explicabitur.

Soluuntur Obiecta.

Obijcies. Vel modus operandi subiecti confert rationem virtutis naturalis ad perfectiùs, & clariùs cognoscendum obiectū, vel non? Si non confert, sequitur quod in hac scientia cognoscat Christus solum secundum potentiam obedientialem, & non naturalem, vnde tam Angelus, quàm anima in cognoscendo per scientiam infusam parificantur, & sic ruit fundamentum, quo ponimus accōmodari species infusas modo connaturali subiecti, siquidem solum operatur iuxta potentiam obedientialem eleuatam, ac proinde sicut per lumen gloriæ eleuatur intellectus vltra omnem modum connaturalem operandi, sic in scientia infusa. Immo sicut lumen gloriæ habet actum mensuratum æternitate, non autem mensura subiecti elicientis, sic actus scientiæ infusæ mensurabitur æternitate participata, quia ordinis supernaturalis est. non vero mensura sui obiecti, ita vt possit discurrere, &c. Si vero modus operandi subiecti conferat ad clariùs, & perfectiùs cognoscendum, infirmatur Fundamentum ad ponendum, quod Christus Dominus clariùs quolibet Angelo videat, saltem rem naturalem, quia lumen Angeli naturale excedit quasi proportionabiliter naturalem virtutem animæ, præsertim in Angelis Supremis, vnde efficacia sua poterit supplere quidquid efficacitatis, & claritatis est in speciebus infusis.

Secundo Arguitur, Quia non apparet in quo consistat hæc maior claritas in speciebus infusis Christi, quam Angelorum: Angelus enim habet species repræsentantes res naturales quidditatiuè, & comprehensiuè, nullumque illarum prædicatum, aut accidens prætermittit, quod non euidenter, & quidditatiuè repræsentet: nihil ergo restat, quod clarius sit repræsentabile à speciebus animæ Christi, nec potest certius iudicare de obiectis anima Christi, quam Angelus, cum Angelus comprehensiuè, & quidditatiuè de illis iudicet, & per scientiam, seu lumen abstractius, & immaterialius; ergo non est aliquid quod magis certificet animam Christi, quam Angelum.

Denique. Non stat quod species Angelicæ sint magis vniuersales, & minus claræ, aut certæ respectu rerum naturalium, quia hoc ipso, quod vniuersaliores sunt habent vnitè in se ipsis quidquid in inferioribus est dispersum, & multiplicatum; ergo si species multiplicatæ repræsentant rem clare, & distinctè, species superiores, quæ altiori, & formaliori lumine procedunt, totam illam repræsentationem, & conformationem speciei cum obiecto, superiori modo continebunt, & consequenter clariùs, & distinctiùs: hæc enim vniuersalitas cum sit formalis, & non potentialis, vtpotè maioris immaterialitatis, quanto vniuersalior est tanto perfectior, in continendo inferiorem repræsentationem.

Ad Primum Resp. Quod virtus naturalis intellectus nihil confert, vel addit ad maiorem claritatem, & perfectionem cognitionis supernaturalis scientiæ infusæ, quia cognitio ista respectu rerum supernaturalium, tam ex parte luminis, quàm ex parte specierum supernaturalis est, nec vtitur speciebus naturalibus sicut Fides, vel Prophetia; vnde ex omni parte conuenit subiecto secundum potentiam obedientialem; vnde ad eius perfectionem, & claritatem, siue ex parte speciei repræsentantis, siue ex parte luminis indicantis nihil confert naturalis vis secundum se, sed prout eleuata. De quo videri potest *Lorca* hic *Disput.* 51. *Memb.* 2. *in fine.*

Constat Enim quod quando totus actus eli-

elicitus ab aliquo actu secundum substantiam supernaturalis est, oportet quod tota vis, & ratio efficiendi supernaturalis sit, siquidem actus in sua substantia, & specie assimilatur suo principio, & rationi producendi; oportet ergo quod si tota substantia actus supernaturalis est, tota ratio operandi supernaturalis, & eleuata sit, ita quod intellectus nō operetur nisi vt eleuatus. Est enim obseruanda differentia inter Lumen gloriæ, & Visionem beatificam, & inter reliquas visiones supernaturales attingentes obiecta sua, quod Visio beatifica in sua intrinseca natura solum potest perfici vnica specie, siue in Angelo, siue in homine, siue plura, siue pauciora obiecta cognoscat, quia semper obiectum eius primarium est vnicum, scilicet Diuina Essentia. Reliqua autem obiecta, siue sint multa, siue pauca, cognoscit tanquam obiecta secundaria in isto primario; vnde in tali visione beatifica nullo modo potest multiplicari cognitio, nec accommodari modo operandi subiecti, quia tota ratio multiplicandi, & diuidēdi cognitiones oritur ex multiplicatione, & diuisione specierum, saltem expressārum, quæ sunt conceptus: in visione autem beatifica solum datur vna species impressa, & expressa.

Et Hac Ratione ostendit *Diuus Thomas* 1. *Part. Quæst.* 12. *Artic.* 10. Quod omnia, quæ cognoscuntur in Deo simul, & vnitè cognoscuntur; at verò in alijs cognitionibus supernaturalibus extra Verbum obiecta repræsentata non conueniunt in vnica specie, immo ex natura rei quodlibet obiectum postulat suam speciem, quia naturaliter omni obiecto aliqua species propria correspondet, vnde de se non repugnat tales species multiplicari, & magis vel minus esse vnitas, & vniuersales iuxta proportionem subiecti. Vnde stat solidum fundamētum *Diui Thomæ*, quod licet infundantur iuxta potētiam obedientialem istæ species, tamen quia ex suo genere, & ex parte obiecti multiplicitatem habent, & non omnimodam vnitatem, sicut in Visione beatifica in diuina essentia, ideò non repugnat istas species multiplicari, & accommodari modo operandi subiecti, licet tota virtus, & repræsentatio earum supernaturalis sit; repugnat tamen id Visioni beatificæ.

Ad Secundum & Tertium Argumentum, in nostra Sentētia nulla est difficultas; cum enim species repræsentantes res naturales, supernaturali modo repræsentent, habent plures singulariores, & certiores, clarioresque rationes: clariores quidē quia plures, & occultiores res repræsentant in ipsis rebus naturalibus, quas non repræsentant species Angelicæ, sicut est repræsentare ipsam futuritionem contingentem, & cogitationes cordis, quod est repræsentare in istis obiectis occultissimas rationes causarum à quibus pendent. Sunt autem certiores, quia supernaturali lumine innituntur, & sic reducunt iudicium suum ad altius, & firmius principium, scilicet ad ipsam Causam Primam, & ad eius concursum.

Quod Autem dicitur de vniuersalitate specierum Angelicarum, nihil obest, quia quantumcūque species Angelicæ sint vniuersales, quia tamen sunt ordinis naturalis, non continent in se perfectionem specierum supernaturalium, quæ important lucem alterius ordinis, quantumcumque supernaturales sint multiplicatæ, & Angelicæ sint vnitæ.

In Alia Autem Sententia, quod species infusæ repræsentantes res naturales, *Verbi grat* Hominem, vel Equum, sint purè naturales. *Dicimus*, Quod sunt clariores, & certiores species animæ Christi, non quia plures rationes repræsentent in obiecto, quam species Angelicæ, sed quia quamlibet rationem intensiùs, & efficaciùs repræsentant: in ipsa enim quidditatiua cognitione rerum naturalium datur latitudo, sicut patet, quod Angelus superior clariùs, & perfectiùs comprehendit lapidem, quam Angelus inferior; & sic non est tantum vnicus modus repræsentandi quidditatiuè, & comprehensiuè rem, & ita potest Christus Dominus habere species, quæ quidem non tam multa vniant, sicut species Angelicæ, sed tamen illud quod quælibet species repræsentat, intensiùs repræsentet. Sicut lux Solis perfectè illuminat parietem, si autem auferatur illa lux non plura, quæ antea erant occulta manifestabit, sed illa clarius.

Quod Autem dicitur de vniuersalitate speciei Angelicæ, quę continet ea, quę sunt dispersa in inferioribus. *Respondetur*, Quod continet dispersa in inferioribus ex parte obiecti repręsentati, non tamen ex parte modi clarioris repręsentandi, quia speciebus inferioribus diuisis, & multiplicatis, potest Deus sic augmentare claritatē repręsentationis, quod respectu sui obiecti vnaquęque excedat in intensione modum claritatis Angeli, licet in vniuersalitate, & extensione lumen Angelicum sit altius, & immia-

immaterialius. Et præterea refunditur noua claritas illis speciebus ex eo quod Deus per specialem repræsentationem manifestat futuritionem rerum, & ordinem ad causas occultissimas, ex quibus redundat maior claritas in naturalibus obiectis repræsentatis, quam in tota continentia vniuersaliori specierum Angelicarum, quæ ad illa occulta, & in certa cognoscenda peruenire non potest.

De Tertia Difficultate.

Ad Tertiam Difficultatem Resp. Quod sicut species infusæ animæ Christi ex suo genere non exigunt discursum, licet illum permittant, ita neque compositionem, & diuisionem. Ad excludendam autem compositionem, & diuisionem non est necesse excludere multiplicitatem specierum, sed collationem, & comparationem; ex eo enim datur compositio in nobis, non quia per plures species aliquid cognoscimus, sed quia plures species, vel obiecta earum comparamus, & faciendo comparationem, cognoscimus conuenientiam, vel disconuenientiam vnius ad aliud. Si autem pluribus speciebus intellectus vtatur, nullam faciendo comparationem, aut collationem, sed simplici inspectione, & apprehensione formando cõceptum ex illis, nullo modo dicitur componere; vt patet quando per primam apprehensionem formamus terminum complexum, vt *homo albus*, ex specie albedinis, & hominis, vbi tamen nondum datur compositio, quæ est secunda operatio, quia deest comparatio. Et similiter quando Angelus per speciem naturalẽ cognoscit hominem, & deinde per speciem supernaturalem cognoscit ipsum habere gratiam, vel aliquam perfectionẽ supernaturalem, tum necesse est, quod vtatur noua specie supernaturali, si cognoscit gratiam clarè, & euidenter, quia sola species naturalis hominis non sufficit illam repræsentare, & tamen non facit compositionem. Ergo non sufficit, quod vtatur intellectus pluribus speciebus ad hoc, quod dicatur componere, aut diuidere, sed vlterius requiritur collatio, & comparatio vnius ad aliud.

Vnde dicit optimè *D. Thomas in Quæst.* 16. de Malo *Artic.* 6. *ad* 1. 2. *loco positum*, Quod ratio quare simplex intellectus Angeli non componit, aut diuidit est, quia dispositio subiecti est principium cognoscendi inhærentiam prædicati ad ipsum; quandocumque ergo in ipsa dispositione subiecti, siue per vnicam, siue per plures species cognoscitur conuenientia prædicati ad ipsum compositio non est. Si vero in ipsa dispositione subiecti non videatur conuenientia prædicati, sed indigeat collatione, & comparatione vtriusque, tũc erit compositio, aut diuisio; talis autem comparatio non consistit in solo simplici vsu plurium specierum, & simplici inspectione obiectorum.

Quare Licet Scientia Infusa non habeat species magis diuisas, & multiplicatas, quam Angeli; ex duplici tamen Capite non indiget compositione vti. Primo, quia eũ sint species exemplatæ ab Ideis diuinis, licet vnaquæque non repræsentet nisi vnicam specificam naturam (vt dicit *Sanctus Doctor Articulo* 6. *huius Quæstionis*) tamen repræsentantur omnia prædicata, & omnia singularia talis naturæ, quæ illi conueniunt, siue à Deo Authore naturali, siue supernaturali, vnde ad cognoscenda talia prædicata non indiget compositione talis speciei.

Secundo non format compositionem, etiam si pluribus speciebus vtatur, quia vtitur illis vt coniunctis sine collatione, & comparatione, sed simplici inspectione vtriusq; quidditatis, vnaquæque enim species ita clarè, & euidenter repræsentat suũ obiectum, & quemcumque ordinem, vel coordinationem, quam habet cum alia, vt sola simplici inspectione vtriusque speciei videatur conuenientia, vel disconuenientia vnius ad aliud, sine hoc quod per comparationem, vel collationem eliciatur, sicut in simplici apprehensione coniunguntur obiecta, quando facimus terminum complexum. Et hac etiã ratione, licet Angelus neget vnum obiectũ repræsentatum per vnã speciem, de alio obiecto repræsentato per aliam, Verbi grat. *Homo non est lapis*, non tamen dicitur diuidere, aut componere, quia diuisio non est quæcumque separatio, aut negatio vnius de alio, sed separatio collatiua, & comparatiua, quatenus ex ipsa comparatione obiectorum elicitur disconuenientia, & negatio vnius de alio.

Cæterum sicut potest anima Christi vti discursu in hac scientia infusa, vtendo speciebus illis, non in tota sua adæquatione, quia simpliciter quidditatem, & naturam rei repræsentat, vt est in se, sed inadæquatè

ex parte, qua repræsentant vnum deduci per collationem,& connexionem cum altero; ita potest formare compositionem, aut diuisionem vtendo pluribus speciebus, non vt simpliciter,& absolutè repræsentãt, sed vt repræsentant rem aliquã inadæquatè, & præcisè quatenus comparabilem cum alia,& ex vi comparationis vnibilem, vel separabilem ab alia,quod est repræsentare cum compositione,aut diuisione.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Scientia Infusa distinguatur per Plures Habitus?

VAzquez *super hanc Quæstionem Disp.*54.*Cap.* 2.existimat de mente *S.Thomæ*,præsertim *Art.*6. *huius Quæstionis* in scientia infusa non esse ponendum aliud lumen præter ipsas species, quæ simul cum intellectu eliciant cognitionem circa sua obiecta sine alio lumine,quod vocamus *Habitum*,quasi virtutem intellectui superadditam, atque ita quando *S.Thomas* docet hanc scientiam esse diuisam per distinctos habitus, id verificari ratione plurium specierum, quæ ad hanc scientiam Christo infunduntur.

Hanc Sententiam esse probabilem asserit *Magister Medina* hic, qui etiam dicit hanc eamdem ab Aliquibus Authoribus Thomistis esse approbatam,qui in scientijs non distinguebant habitum scientiæ ab ipsis speciebus ordinatis; de quo videri potest *Soncinas* 6.*Meth.Quæst.*9. & *Caiet.*1.2. *Quæst.*54.*Art.*4.

Præcipuum huius Sententiæ Fundamentum desumitur ex ratione *S.Thomæ in Art.* 6. *huius Quæstionis*, qua vtitur ad probandum,quod hæc scientia sit distincta per plures habitus;facit enim hanc cõsequentiam. In Christo sunt species minus vniuersales, quam in Angelis; sed ex hoc dantur diuersi habitus scientiarum, quia sunt diuersa genera scibilium; ergo scientia indita animæ Christi distincta est secundum diuersos habitus.Hac autem consequentia nullam habet vim,si procedit de qualitate, vel lumine â speciebus distincto, quia vnum lumen, & vnus habitus habet multas species coordinatas, quibus vtitur, ergo ex multiplicatione earum in maiori numero, & minori vniuersalitate, quam in Angelis, non infertur diuersitas, & multiplicatio in habitu,qui est lumen.Si ergo *D.Thomas* infert diuersitatem, ideò est, quia existimat non distingui habitum scientiæ à speciebus coordinatis.

Alio Fundamento vtitur *Vazquez*, quod deducit ex traditis ab Ipso 1. *Part. Disput.*43.*à Cap* 7. scilicet,Quod in Visione beatifica non requiritur diuina essentia loco speciei impressæ, & lumen ex parte potentiæ tanquam virtus intellectus, sed alterum istorum superfluit; sufficit enim species in intellectu ad eliciendam visionem, aut lumen ipsum, quod confortet intellectum. Et quod in scientia infusa sufficiat intellectus cum specie repræsentatiua sine alio lumine, ex eo probat, Quia in cognitione scientiæ infusæ tantum est ratio cognitionis quasi generica, & ratio talis cognitionis, scilicet quod sit cognitio talis obiecti propria, & euidens: quo ad primum sufficiens principium est ipse intellectus, omni alio habitu, seu lumine remoto, eo quod in tantum aliquid dicitur cognitio, seu notitia in quantum est ab intellectu; esse ergo ab intellectu est sufficiens ratio, & principiũ cognitionis, vt cognitio est. Quo ad secundum autem sufficit species propria illius rei, & ideò intelligit quidditatiuè, & euidenter, quia habet propriam, & quidditatiuam speciem illius; ergo nulla est ratio cur ponamus aliud lumen, seu habitum præter intellectum ipsum, & species.

At Verò P.Suarez hic *Disput.*29.*Sect.*3. supponens, quod hæc scientia est lumen, seu habitus distinctus à speciebus, existimat non esse diuidendum per plures habitus, sed esse vnum habitum tantum, & citat pro se *Diuum Thomam in* 3. *Distinct.*14.*Articulo* 3. *Quæstiuncula* 4. Vbi id expressè docet: & in hac *Quæstione Articulo* 6. *ad* 3. vbi tamen id non docet. Et Fundamentum est. Quia si distinguerentur isti habitus scientiæ infusæ, maximè vt dicit *Sanctus Doctor in* 6.*Articulo* propter diuersa genera scibilium, quæ diuersos habitus postulant;hæc autem non sufficiunt distinguere diuersos habitus,& diuersa genera scibilium in ratione luminis infusi,etsi consideretur tanta diuersitas,quanta est inter obiecta naturalia, & supernaturalia; etenim res naturales cognoscuntur per hanc scientiam, vt subsunt lumini supernaturali, & per species supernaturales,

rales, vt supra diximus; ergo quantum ad rationem formalem sunt eiusdem rationis cognitio obiectorum naturalium, & supernaturalium, siquidem vtraque cognoscuntur modo, & medio supernaturali. Omnis autem distinctio scientiarum sumitur ex diuersa ratione formali sub qua res redduntur diuersimodè scibiles; ergo si conueniunt res naturales, & supernaturales in eadem ratione formali cognoscendi, scilicet luminis supernaturalis, non est aliqua ratio distinguendi istos habitus.

Et Confirmatur exemplo Fidei, & Charitatis, quæ quia versantur circa obiecta sua sub altiori motiuo, scilicet supernaturali, non distinguuntur penes diuersas res, quas attingunt, sed vnicum lumen sufficit ad omnia credibilia; ergo & vnica scientia ad omnia scibilia lumine supernaturali. Similiter hoc lumen est altius lumine Angelico, vtpotè superioris ordinis; ergo poterit sub vnica ratione superioris ordinis complecti omnia obiecta, quæ pertinent ad lumen Angelicum, & quæ pertinent ad ordinem supernaturalem, sicut lumen intellectuale superius vnit sub vnica ratione superiori ea, quæ pertinent ad intellectus inferiores: & sensus superior ea, quæ pertinent ad sensus inferiores.

Nihilominus Contra Patrem Vazquez Dico Primo. Necessarium est ponere lumen, seu habitum distinctum à speciebus infusis in hac scientia, vt mediante illo tanquam virtute eleuante intellectus supernaturaliter intelligat. Hæc Conclusio est communior inter Thomistas; de qua videri potest *Caietanus* supra, & super *Articulum* 6. huius *Quæstionis*; *Medina* hic *Cabrera super hunc Articulum Disputat.* 4. *Suarez Disputat.* 29 *Sectione* 2. *Lorca super hunc Artic.* 6. *Disputat.* 51. Et elicitur ex *D. Thoma*, tum in hac *Quæstione*, tum in 1. 2. *Quæstione* 54. *Articulo* 4. Quem locum nullo modo possunt Aduersarij euincere.

In Hac quidem *Quæstione*, quia probat *Articulo* 4. quod scientia indita animæ Christi est excellentior scientia Angelorum, quia lumen spiritualis gratiæ est in Christo excellentius lumine Angelico; ergo supponit in hac scientia aliud esse lumen, quam species, quia ex parte specierum dicit in *Articulo* 6. quod sint minus vniuersales, quam species Angelorum; ergo quando dicit, quod ex parte luminis est perfectior scientia Angelorum, intelligit lumen esse quid distinctum à speciebus.

Similiter *Articulo* 6. *Solutione ad* 3. docet quod lumen infusum diuinitus, est communis ratio intelligendi ea, quæ diuinitus reuelantur, sicut & lumen intellectus agentis eorum, quæ naturaliter cognoscuntur, & idcò oportet esse in anima Christi proprias species singularium rerum ad cognoscendum cognitione propria vnumquodque; & secundum hoc oportuit esse diuersos habitus scientiæ in anima Christi, vbi præter species infusas docet poni lumen diuinitus infusum, quod est ei ratio communis intelligendi.

Cæterum non videntur ista Loca plenè conuincere intentum. Nam in *Articulo* 4. non distinguit *Sanctus Thomas* inter Lumen, & Species, sed dicit scientiam Christi esse excellentiorem scientia Angelorum ex parte causæ influentis, & minus perfectæ, seu vniuersales ex parte modi recipientis: constat enim quod illæ species clariùs, & efficaciùs repræsentant, quam species Angelorum, cum sint supernaturales, & *Diuus Thomas* solum ex modo connaturali animæ, cui infunduntur colligit esse minus vniuersales, quam in Angelis. Non ergo ex hoc loco colligitur, quod scientia sit lumen distinctum à speciebus.

Et Quando addit ibi Diuus Thomas, *Quod lumen spiritualis gratiæ excellentius est in Christo, quam in Angelis*, non conuincit loqui de lumine scientifico distincto à speciebus, quia lumen gratiæ etiam comprehendit ipsas species supernaturales: in secundo autem loco quando dicit, *Quod lumen diuinitùs infusum est communis ratio intelligendi ea, quæ diuinitùs reuelantur*, non loquitur de habitu scientifico distincto à speciebus, sed de ipsa ratione quasi scientifica, & communi ad omnem cognitionem supernaturalem. Descendendo autem ad particulares, & specificas cognitiones, dicit quod indigent propriis speciebus ad cognoscendum res cognitione propria, & secundum hoc dantur diuersi habitus, loquitur ergo de habitibus pro speciebus, non pro lumine à speciebus distincto.

Quare Ista Loca vt efficacia sint debent roborari ex Loco citato 1. 2. vbi *S. Doctor* agnoscit habitum scientiæ distinctum ab speciebus, vnde consequenter *in*

hoc Articulo cum agit de scientia infusa loquitur in eodem sensu, quo ibi locutus fuerat de scientia. Ibi autem fatetur, quod scientia est vnus habitus simplex, etiamsi ad multa se extendat, taliter quod generato habitu per demonstrationem, si aduenial noua demonstratio, non acquiritur nouus habitus, sed præcedēs fit perfectior: sed constat plures species diuersorum obiectorum requiri ad vnam scientiam, quæ species non sunt vna simplex qualitas, & quando acquiritur noua demonstratio nouæ species acquiri possunt repræsentantes noua obiecta; ergo non potuit *D. Thomas* intelligere, quod scientia esset vna simplex qualitas, etiamsi se extendat ad nouas demonstrationes, nisi intelligendo quod est distincta â speciebus, siquidem istæ species sunt plures qualitates, quare rectè nomine *Scientiæ* intelligit Sanctus Thomas *Qualitatem*, seu *Habitum* distinctum à speciebus.

Aliud Fundamentum sumitur ex Doctrina *Diui Thomæ* 1. *Part. Quæst.* 12 *Art.* 2. & 5. Vbi requirit ad videndum Deum, præter Essentiam diuinam per modum speciei impressæ, lumen aliquod confortans potentiam, & dans illi virtutem, & proportionalitatem ad vtendum essentia diuina tanquam specie; ergo supponit *Sanctus Thomas* solam speciem cum intellectu non sufficere ad scientiam, seu cognitionem habendam, sed requiri aliquod lumen per modum virtutis ex parte potentiæ; ergo fundamenta, quæ affert *Vazquez* de Visione beatifica omnino sunt contra *D. Thomam.*

Nec Exponi Potest Sanctus Doctor, Quod requirit similitudinem ex parte obiecti distinctam à lumine, loquendo de similitudine expressa, non impressa. Etenim *Sanctus Thomas* in illa *Quæst.* 12. *Artic.* 2. loquitur generaliter de his, quæ requiruntur ad omnem visionem tam sensibilem, quàm intellectualem, scilicet specie, & virtute; sed in sententia *D. Thomæ* visio sensibilis non fit per similitudinem expressam, vt constat ex *Quæstione* 8. *de Veritate Articulo* 5. & *Opusc.* 14. & aliis multis locis; ergo loquitur de specie impressa.

Et Certè Mirum est, quod nolint isti Authores concedere, quod diuina essentia gerit vicem speciei expressæ, & tamen quod *D. Thomas*, licet ibi ponat Essentiam diuinam vniri per modum formæ intelligibilis præter lumen requisitum ex parte potentiæ per modum virtutis, dicunt dixisse, & intelligendum esse de forma intelligibili per modum speciei expressæ, & non impressæ.

Denique Fundamentum pro hac Sententia contra *Vazquez* ex hoc sumitur, Quod repræsentatio specierum, licet determinet intellectum ad cognitionem obiecti, non tamen præbet intellectui inclinationem, & determinationem ad vtendum speciebus, & ordinandum illas; hæc enim duo ad scientiam exiguntur, assimilatio ad res, quæ fit per speciem, & determinatio, seu virtus ad discernendum, quæ fit per habitū, vt benè *Caietanus* notat 1. 2. *Quæst.* 54. *Art.* 4. Et in supernaturalibus habitus iste reddit potentiam proportionatam ad vtendum speciebus; non ergo est sufficiens principium species sola in intellectu sine lumine superaddito.

Antecedens Sic Probatur, & explicatur; Nam in scientijs acquisitis intellectus de se est potentia indifferens ad eliciendum actū talis, vel talis scientiæ. *Verbi grat.* Philosophiæ, aut Mathematicæ, vel Metaphisicæ, nec sufficienter determinantur per species ab obiectis desumptas, siquidem etiam ipsæ species indifferenter se habent ad hanc, vel illam scientiam; eadem enim specie repræsentante Corpus, aut quantitatem vtitur Philosophia, & Mathematica; neque enim aliam speciem Corporis habet Mathematicus, aliam Philosophus, alioquin non possent in eodem subiecto esse simul Philosophia, & Mathematica, si non posset eadem specie Corporis vtraque vti, sed vnaquæque haberet suam speciem seorsum; non enim distinguerentur illæ duæ species Corporis nisi numero, cum repræsentarent idem obiectum, & sic non possent esse simul in eodem subiecto. Requiritur ergo aliud principium determinans ad scientias præter species, nec sufficit sola specierum ordinatio, nam ordinatio passiua in ipsis speciebus supponit principium actiuum ordinans; intellectus autem cum sit de se indifferens ad ordinandum hoc, vel illo modo, non potest sine aliquo principio superaddito determinatè ordinare species, sicut requiritur ad talem, vel talem scientiam; & licet intellectus quando primo scientiam acquirit, per se ipsum ordinet illas species in prima demonstratione, tamen in hoc patitur difficul-

cultatem, & vix potest vnam, vel alteram demonstrationem facere, & species disponere, & quanto magis illis vtitur, tanto magis facilitatur; ergo acquirit per hanc consuetudinem aliquod, quo facilius disponit, & ordinat species, & hoc vocamus *Habitum*, qui est qualitas per modum virtutis superaddita intellectui ad operationem ipsam faciliùs, & promptè faciendam.

Denique In Supernaturali Cognitione, & iudicio id meliùs apparet; Nam intellectus non solum debet habere species repræsentantes res supernaturales, aut modo supernaturali, sed etiam virtutem proportionãtem intellectum ad vtẽdum illis speciebus, & iudicandum de illis; licet enim possit aliquando sufficere lumen supernaturale sine speciebus supernaturalibus, quia sufficit quod lumen supernaturale ordinet, & disponat species naturales modo supernaturali, & sic vtatur illis, sicut fit in lumine Fidei, & idem agnoscit *D. Thomas* in lumine Prophetico 2. 2. *Quæstione* 173. tamen è conuerso numquam potest dari, quod species supernaturales sine lumine supernaturali concurrant ad cognitionem supernaturalem, quia cum notitia pariatur ab obiecto, & potentia, si obiectum, seu species est supernaturalis, oportet quod potentia sit elevata supernaturaliter, aliàs non esset proportionata obiecto, & consequenter non pateret notitiam, quia vbi non est correspondentia, & proportio vtriusque causę, effectus exire non potest. Quare cum species teneat se ex parte obiecti, & vice obiecti concurrat ad cognitionem, oportet quod in ipsa potentia, quæ illi proportionata non est, detur aliqua elevatio, seu virtus, qua proportionata reddatur obiecto, seu speciei, & hæc non potest esse ipsa species, cum species sit id, cui proportionari debet potentia.

Dico Secundo. Habitus iste, seu lumen in scientia infusa non est vnicum, sed sunt plures habitus. Hæc est contra *P. Suarez* vbi supra, sed sine dubio est mens *Sancti Thomæ Artic* 6. huius *Quæstionis*, idque communiter sequuntur Thomistæ. Est tamen difficile explicare rationem *Sancti Thomæ in Artic.* dum colligit dari diuersa genera scibilium, ex eo quod dantur diuersæ species repræsentantes diuersas naturas specificas. Instatur enim hæc consequentia in nostris scientijs acquisitis, in quibus species, quas habemus repræsentant diuersas naturas specificas, & tamen diuersa genera scibilia non commensurantur diuersitati specierum repræsentantium naturas, siquidem in vno genere scibili. *Verbi grat.* in scibili physico, aut metaphysico includuntur diuersæ species repræsentatiuæ naturarum; ergo ex sola diuersitate specierum non benè colligitur diuersitas scibilium, siquidem possunt stare plures species sub vno genere scibili. Quod si sub vno, cur non omnes species infusæ sub vno genere scibili supernaturali continebuntur, atque adeò sub vno habitu, quia habitus sequitur scibilitatem, non repræsentationem specierum? Penès diuersam enim scibilitatem obiectorũ distinguuntur scientiæ, non penès diuersitatem specierum repræsentantium.

Et Ex Hoc Magis Clarescit, quod *Diuus Thomas*, loquitur hic de habitu scientifico, vt distinguitur à speciebus, quia diuersitatem habituum desumpsit, non ex diuersa repræsentatione, sed ex diuerso genere scibili, id est, ex diuersa scibilitate, seu modo sciendi; ergo non loquebatur de diuersis speciebus tantum, sed de diuersis habitibus scientificis, qui à speciebus distinguuntur.

Respondetur Ergo illam Consequentiam *D. Thomæ* in hoc consistere, Quod ad diuersum genus scibile multiplicandum, necessariò præsupponitur species repræsentatiuas esse multiplicatas, & hoc ipso, quod multiplicantur species repræsentatiuæ non absolutè, sed secundum modum connaturalem animæ humanæ, vt expressè dicit *Sanctus Thomas in Corpore Artic.* 6. Sequitur necessariò, quod debet multiplicari diuersũ genus scibile, ex quo desumitur diuersus habitus scientificus. Hoc autem ex eo patet, quia hoc ipso, quod species repræsentatiuæ multiplicantur iuxta connaturalem modum animæ humanæ, sequitur quod non solum debent repræsentare obiecta simpliciter, sed etiam connexionem veritatum cum suis principijs. Ex eo autem resultat diuersum genus scibile, id est, diuersus modus scientifice cognoscendi, quia resultant diuersa principia non reducibilia in vnum; ad hoc autem quod non sint reducibilia in vnum requiritur, quod illæ species minus vnitè repræsentent, & consequenter ex eo quod species animæ Christi sint magis diuisæ, & minus vniuersales, quã species Angelicę, sequitur quod principia cognoscendi veritates minus reducãt in

vnum principium, & consequenter magis diuidantur in genere scibili, seu in modo procedendi scientificè.

Sed Inquires, Quæ sunt ista principia, quæ constituunt diuersum genus scibile, & multiplicari faciunt habitus in genere scientifico?

Respondetur, Quod principia scientifica propriè sunt Definitiones, quia cum in scientifico processu ex natura, seu essentia probentur passiones, definitio quæ declarat naturam rei, deseruit pro principio ad colligendas passiones; vnde cum ratio formalis in scientijs sumatur ex principijs, seu medijs, quibus probantur, & scientificè manifestantur Conclusiones, inde est, quod diuersa ratio formalis scibilis, quæ est idē, ac distinctum genus scibile, seu distinctus modus sciendi, reducitur vltimatè ad diuersum modum definiendi naturas, seu essentias rerum, vt optimè tradit *D. Thomas in 6. Meth. Lect.* 1. Vnde ex eo quod in Scientia Naturali diuerso modo res definiūtur, quam in Mathematica, quia cum minori abstractione à materia, inde est, quod omnes naturæ, quæ conueniunt in illo modo definiendi induunt idem genus scibile, & eamdem scibilitatem philosophicam, & hoc est rationem formalem scibilis reduci ad rationem formalem principiorum, id est, Definitionum, quia Definitiones in scientijs sunt tanquam principia.

Ex Quo Sequitur Manifestè, Quod quia species repræsentatiuæ in scientia infusa propter modum connaturalem animæ in qua recipiuntur, repræsentant cum minori vniuersalitate, quam species Angelicæ, id est, modo minus simplici, & vnito, oportet quod non solum repræsentent res sub simplici modo repræsentationis, sed etiam sub ratione scibili, id est, repræsentando veritatem, vt deducibilem ex principijs; & quia vnamquamque rem, seu naturam specificam adæquatè repræsentāt, ideò cum vnaquaque specifica natura habent illæ species adæquatam definitionem, ita quod modus definiendi vnam quidditatem non communicat cum modo definiendi alteram, eo quod repræsentant, & definiunt quamlibet naturam adæquādo se illi: & cum quælibet natura sit species distincta ab alia, si quælibet natura habet definitionem sibi adæquatam, quia species ita repræsentant illam quidditatiuè, quod totaliter illi adæquantur, consequenter habent definitionem ita sibi adæquatam ex ipso modo definiendi, quod in tali modo non communicat alia definitio. Vnde sequitur quod principium sciendi vnam naturam non communicat cum principio sciendi aliam, & cōsequenter fundantur diuersa genera scibilium, quod totum reducitur ad illū principium, quia species repræsentatiuæ naturarum in Christo, ita sunt adæquatæ ipsis rebus in se, quod ex parte rei, & ex parte modi non habent eumdem modum definiendi.

Vnde Colligo iuxta mentem *Caietani* 1. 2. *Quæst.* 54. *Artic.* 4. quem sequitur *Magister Cabrera* hic super *Art.* 6. *Disput* 6. *num.* 22. Quod secundum sensum *Diui Thomæ*, quælibet species infusa, quæ repræsentat naturam specificam quidditatiuè distinctè ab alia, fundabit distinctum genus scibile, & consequenter distinctum habitum scientiæ; quælibet enim natura specifica si perfectè, & quidditatiuè intelligatur quantum est de se fundat distinctam scibilitatem, & scientiam ab alia, eo quod si illa cognitio illi quidditati perfectè adæquatur, distincto modo definit vnam quidditatem, ac aliam, siquidem vnaquæque quidditas distinctam speciem, & differentiam habet ab alia, & consequenter si ipsa cognitio scientifica, cui libet quidditati perfectè adæquatur, habet distinctum, & adæquatum modum definiendi, & demonstrandi passiones, quam alia cognitio, quæ alteri quidditati adæquatur.

Ex Quo Fit, quod in hac scientia infusa habitus scientificus non est operatiuus specierum, sicut scientia acquisita in nobis, nō enim hoc est de intrinseca natura habitus scientifici, sed solū conuenit habitui scientifico imperfecto, qui sumit cognitionem à rebus, & sub diuersa abstractione, & habitudine attingit ipsas res; vnde omnes illæ naturæ, seu obiecta, quæ talem abstractionem, & habitudinem induunt, pertinent ad eumdem habitum scientificum, quia sub eadem ratione formali continentur, id est, sub eadem abstractione, & immaterialitate. At verò in scientia infusa non procedit hoc modo, sed vnaquæque natura specifica repræsentatur quidditatiuè, & definitur secundum suam propriam, & adæquatam rationem, in qua differt à reliquis naturis; vnde vnaquæque fundat suam scibilitatem distinctam ab alia.

Nec Oportet quod ibi habitus ordinet, & colligat diuersas species, quia non respicit plures naturas, quæ per diuersas species re-

repræsentantur, quatenus vniuntur in aliqua abstractione, vel habitudine scientifica secundum quam, vnaquæque natura inadæquatè solum attingitur per talem scientiam. Scientia vero infusa cum plenè, & adæquatè vnamquamque naturam intelligat, etiam in eo in quo distinguitur ab alia, idque per species singulares, & minus vniuersales, quarum quælibet suæ naturæ adæquatur, ideò non ex collectione plurium specierum consurgit vna scientia, sed in qualibet specie, & natura sua scientia inuenitur.

Quod Si Dicas: Ergo non potest Christus Dominus vti hac scientia secundum discursum, & collationem, quia collatio, & discursus est ordinatio specierum, & ex eo probauimus *Art.1. huius Quæstionis*, quod potest discurrere per hanc scientiam infusam, quia potest vti inadæquatè speciebus.

Respondetur, Quod ad discursum sufficit ordinatio, & distinctio conceptuum, nõ specierum. Vnde consultò ibi non Diximus, quod potest vti inadæquatè speciebus, sed specie, vel speciebus; vnde cum vnica species in Christo Domino repræsentet naturam specificam cũ omnibus suis prædicatis, & accidentibus; & similiter connexionem, quæ est inter vnum prædicatum, & aliud, potest vti illa specie secundũ quod præcisè per connexionẽ repræsentat prædicatum, & diuidendo conceptus repræsentatiuos prædicatorum, ex vi connexionis inferre vnum ex alio, & tunc formaliter discerneret diuidendo plures conceptus, deductos tamẽ ex eadem specie inadæquatè considerata.

Soluuntur Argumenta.

Ad Fundamenta P. Vazquez. Ad Primum constat ex dictis de efficacia rationis *D.Thomæ*, illa enim Consequentia, Quod dantur plura genera scibilium, vbi dantur species minus vniuersales, & ex hoc distinguuntur habitus scientifici, quia dantur diuersa genera scibilium, non potest tenere nisi procedat de habitu distincto à speciebus, quia habitus, qui sequitur diuersum genus scibilis, est habitus distinctus â speciebus, & licet vnus habitus scientificus possit habere multas species coordinatas, quibus vtitur, non tamen habet multa genera scibilium, sed omnes illæ species ad vnum genus scibile reducuntur, vnde quamdiu in vnaquaque specie inuenitur ratio scibilitatis distincta, non oportet multas species coordinare ad vnum genus scibile, vnde *D.Thomas* non intulit diuersitatem habituum ex diuersitate specierum, sed ex diuersitate generis scibilium.

Sed Dices. Quomodo *D.Thomas* ex eo quod species scientiæ infusæ sunt minus vniuersales, quam in Angelis, intulit dari in eis diuersitatem generis scibilium? Nam etiam in Angelis quãtumcumque habeant species magis vniuersales, si tamen habent plures species, habebunt plura genera scibilium, licet in minori numero, quam sint in scientia infusa Christi; vnde ex eo quod habeat species in minori vniuersalitate, non sequitur, quod habeat diuersa genera scibilium, sed solum, quod habeat illa magis diuisa, quam Angeli, & sic plures habitus scientificos habebit, tamen etiam Angeli aliquos habebunt.

Respondetur, Quod species Angelorum ita repræsentant obiecta sua, vt descendunt ab Idæis diuinis, & connexionem Prædicatorum, & veritatum inter se, quod tamẽ non possunt fundare diuersos habitus scientificos, eo quod lumen naturale in ipsis nõ habet indifferentiam aliquam, & potentialitatem ad cognoscendas res naturales, sed de se postulat esse in actu respectu eorum, quæ naturaliter cognoscere potest. Respectu autem supernaturalium indiget quidẽ habitu, quia indigẽt virtute, & lumine proportionante intellectum ad cognitionem supernaturalem, non tamen est lumen diuisibile per varios habitus, quia recipiunt illud lumen conformiter ad lumen naturale sine aliqua indifferentia determinabili per diuersos habitus, sed tanquam lumen omnino simplex. Et in hoc consistit vniuersalitas illius luminis, & specierum, non solũ quia plura repræsentant extensiuè, sed quia ex parte modi ipsius subiecti recipientis illud lumen est simplex, non habens aliquã indifferentiam respectu suorum obiectorum, quæ determinetur per diuersos habitus. At verò species infusæ animæ Christi, non ideò dicuntur minus vniuersales, quia solum ad pauciora obiecta se extendant, sed quia ipsi modo luminis naturalis accõmodantur, importando aliquam indifferẽtiam determinabilem per varios habitus. Vnde cum ex parte obiecti repræsentati species habeant talem limitationem, quod repræsentant scibilitatem obiecti distincto modo per vnam speciem, quam per aliam,

&

& ex parte subiecti se accommodent ipsi modo connaturali, quo subiectum habet lumen scientificum; ideò ex minori vniuersalitate specierum tam ex parte obiecti repræsentati, quàm ex parte modi connaturalis subiecti, in quo recipiuntur; intulit *D. Thomas*, tam in *Corpore Art.* quàm in *Solut. ad* 2. dari diuersa genera scibilium, & diuersos habitus scientificos.

Ad Secundum Fundamentum P. Vazquez Dicitur, Quod determinatio, quam ponunt in potētia, est solum determinatio ex parte obiecti; cum autem ad cognitionē non solum concurrat obiectum, sed etiam virtus potentiæ, oportet quod ista sit proportionata ipsi obiecto, si obiectum non sit supernaturale; & vlterius determinata, & non indifferens ad ordinandum, & disponendum de ipsis speciebus facilè, & prōptè, si scientia acquisita sit, & naturalis; vnde pro vtroque genere indiget habitu superaddito potentiæ, & distincto à speciebus.

Ad Fundamenta P. Suarez. Ad Primum ex authoritate *D. Thomæ in* 3. *Sent.* Dicitur apertissimè mutasse sententiam in *hoc Art.* 6. vt etiam *Caietanus* aduertit 1. 2. *Quæst.* 54. *Art.* 4.

Ad Fundamentum ex Ratione Respondetur, Concesso quod per hanc scientiam infusam tam res supernaturales, quàm naturales cognoscuntur supernaturali modo, & supernaturali lumine, nihilominus *D. Thomas* dicit in *Solut. ad* 3. Quod iste modus cognoscendi supernaturaliter est cōmunis ad diuersa genera scibiliū, & diuersos modos scientificè cognoscendi tā res supernaturales, quàm naturales, eo quod vnaquæque species repræsentans naturam specificam sibi correspondentem, ita adæquatè se habet ad illud obiectum, quod sub alio modo cognoscit, & tendit ad illud, quam alia species ad suum obiectum, & naturam specificam; vnde quælibet species est adæquatum principium cognoscendi naturam specificam sub propria distincta scibilitate correspondente tali naturæ; & cum ex parte subiecti modus connaturalis illius sit habere lumen diuisibile per varios habitus, hoc ipso quod ex parte subiecti repræsentantur diuersæ scibilitates, seu modi adæquati sciendi ex parte subiecti correspondent diuersi habitus scientifici, si connaturaliter ad modum subiecti infundantur.

Ad Confirmationem Respondetur ex *Diuo Thoma* in hoc *Art.* 6 *ad* 2 Quod Fides ideò est vnus habitus, quia eius ratio formalis est vna, scilicet attestatio diuinæ authoritatis; fides enim solum inclinat ad credere, non ad scire, & ideò stante eadem authoritate per accidens se habet omnis diuersitas rerum credendarum. At verò scientia infusa inclinat ad cognitionem scientificam, & quidditatiuam rerum, & non ad credendum per authoritatem extrinsecam; vnde si iuxta diuersas quidditates dantur diuersæ species illis adæquatæ, & repræsentantes diuersa principia, & connexionem scibilitatis obiecti, consequenter variantur rationes formales habitus scientifici, quæ sunt genera scibilium.

Ad Id Quod Additur de Lumine Superiori Respondetur, Quod hoc lumen est superius, quam lumen Angelicum superioritate ordinis, quia est supernaturale, & in vnaquaque re etiam naturali, aliquid supernaturalitatis repræsentat, saltem secundum habitudinem ad ordinem, & finem supernaturalem, vel ordinem ad causas naturaliter occultas, vt in superioribus explicatum est, ratione cuius etiam futuritionem repræsentant, ac cogitationes cordis, &c. Cæterum in modo tendendi hoc lumen est inferius Angelico, quia accommodat se modo naturali subiecti, in quo recipitur, & ita diuiditur vnaquæque species iuxta vnamquamque naturam specificam. Intellectus autem superior alio intellectu, & sensus communis superior sensu externo, sunt potentiæ superiores etiam in modo tendendi magis vnitè, & vniuersaliter, vnde non est simile.

QVÆ-

QVAESTIO XII.

DE SCIENTIA ACQVISITA CHRISTI.

PRÆCIPVA *Difficultas*, quæ in hac Quæstione disputari solet scilicet, Quomodo ista scientia fuerit acquisita proprijs actibus, & circa quæ obiecta se extenderit; supra à Nobis tractata est *Quæstione 9. Disputatione* de Scientia in communi *Art. 3.* Neque est quod amplius addatur.

Solum Circa Artic. 4. In quo *Sanctus Doctor* inquirit, An Christus aliquid didicerit ab Angelis? Exponendum breuiter est, Quomodo intelligi debeat, quod dicitur *Lucæ 22.* Confortatum fuisse Dominum ab Angelo instante passione sua? Pro quo est considerandū, quod tripliciter potest illa cōfortatio Angeli intelligi. Primo impropriè ita vt cōfortatio sit idē quod *Laudatio*, seu *Magnificatio* alicuius. Secundo sumitur confortatio propriè pro eo quod est *Consolationem impendere alteri*, ipsiusque infirmitatem subleuare, & hoc dupliciter, vel ex parte animæ proponendo obiecta consolatoria, vel ex parte Corporis fouendo illud, & ministrando necessitati corporali.

Vazquez ergo hìc *Disp. 56. Cap. 6.* dicit, Quod confortatio in Christo solum facta est primo modo, sicut docet *Epiphanius Hæresi 59.* & *Chrysostomus Tomo 3.* in *Sermone quodam de Trinitate.* Neque enim quasdam rationes posset Angelus afferre Christo, quas ipse multo melius antea non cognouisset, ac per hoc nihil solatij ex illis recipiebat. Quod etiā Scriptura insinuat, quæ postquam dixit apparuisse Angelum confortantem, subdit, quod *Factus in agonia prolixius orabat.* Ergo si mansit in agonia, non est consolatus. Et hoc vltimum etiam sequitur *Pater Suarez* in *Commento Articuli 4.* dum dicit Angelum quidem de se obtulisse consolationem, sed Christum non recepisse.

Nihilominus verè fuisse confortatum Christum, absolutè docet *Sanctus Thomas Artic. 4.* huius *Quæstionis ad 1.* Et est expressa Sententia *S. Hieronymi Dialogo 2. aduersus Pelagianos*, *S. Cyrili Epistola 9.* *S. Damasceni 3.* de Fide *Cap. 20.* & Aliorum Patrum, vt etiam *Vazquez* fatetur.

Dico

Dico Ergo fuisse Christum confortatum secundo, & tertio modo. Secundo quidem, non quia nouas rationes ei proponeret Angelus, quas Christus nesciret, sed quia easdem proponebat, quasi compassionem, & societatem illi ostendens, nam & in hoc magna ex parte consistere solatium, in *Psalmo* 68. ex Persona Christi significatur, dum dicitur, *Et sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit; consolantẽ me quæsiui, & non inueni.* Ipsa ergo si multas, & societas Angeli compatiẽtis, & eamdem tristitiam ostendentis, erat genus quoddam solatij. Et *Epiphanius*, ac *Chrysostomus* illum modum confortandi per laudationem ponunt, secundum vero non negant. Immo hoc ipso, quod Angelus laudabat Christum ei societatem faciendo, consolationem adhibebat, sicut nos sæpè consolationem accipimus ab amicis, per hoc solum quod videamus eos compati nobis, & societatẽ facere, atque approbare, & laudare rationes, quas ipsi nouimus.

Quod Autem Scriptura dicit *Factum esse in agonia* planus sensus est, quod tunc quando erat in agonia, & sudore sanguineo apparuit Angelus ad confortandum, licet prius Apparitionem narret Scriptura, quam agoniam.

Denique Tertio Modo intelligi potest ista confortatio, quia reuera ipsum Corpus Christi erat lassum, & debilitatum tanto sanguine fluente, vnde Angelus confortauit ipsum, vel sanguinem abluendo, vel aliquo sensibili modo fouendo Corpus, vt *Caietanus* significat *in Calce Commentarij huius Articuli* 4. & est saltem rationi consonum, quia licet hoc Christus per se ipsum facere posset, ad ostendendam tamen veritatem carnis, voluit externo ministerio vti, sicut etiam voluit à Matre nutriri gestari, & inuolui.

QVAESTIO XIII.

DE POTENTIA ANIMÆ CHRISTI.

IN *Art.* 1. Inquirit *D. Thomas*, Vtrùm Anima Christi habuerit Omnipotentiã simpliciter? Et Respondet vnica Conclusione, videlicet, Impossibile esse quod Anima Christi habuerit omnipotentiam; eo quod omnipotentia vt hic tradit *D. Thom.* est potentia actiua cuiuslibet rei factibilis; sed anima Christi non habet potentiam actiuam cuiuslibet rei factibilis, cum creare non possit, nec se ipsam producere; ergo non habet omnipotentiam simpliciter.

In Art. 2. Inquirit, Vtrùm Anima Christi habuerit Omnipotentiam respectu immutationis creaturarum? Quadruplici respondet Conclusione. *Prima*, Anima Christi secundum propriam virtutem; siue naturalem, siue gratuitam habuit Omnipotentiam ad omnes illos effectus; qui sunt animæ conuenientes, *Verb. grat.* Gubernare Corpus, & illuminare alios per gratiam, & scientiam.

Secunda Conclusio. Anima Christi vt est instrumentum diuini Verbi habuit virtutem instrumentalem ad omnes immutationes miraculosas faciendas in ordine ad finem Incarnationis.

Tertia Conclusio. Anima Christi etiam quatenùs est instrumentum diuini Verbi non habuit virtutem ad anihilandum.

Quarta Conclusio. Anima Christi non habuit Omnipotentiam respectu immutationis creaturarum.

In Art. 3. Inquirit, Vtrùm anima Christi habuerit Omnipotentiam respectu proprij Corporis? Triplici respondet Conclusione. *Prima*, Anima Christi secundum propriam virtutem non habuit Omnipotentiam respectu proprij Corporis.

Secunda Conclusio. Anima Christi secundum quod est instrumentum diuinitatis habet subiectum suæ potestati totaliter, & perfectè suum Corpus, & omnem illius dispositionem.

Tertia Conclusio. Omnipotentia, quam habet anima Christi respectu

ctu proprij Corporis potiùs debet tribui diuino Verbo, quam ipsi animæ Christi.

In Art. 4. Inquirit, Vtrùm anima Christi habuerit omnipotentiam respectu executionis suæ voluntatis ? Duplici Conclusione respondet. *Prima Conclusio.* Anima Christi secundum propriam virtutem habuit potentiam ad vniuersa, quæ voluit vt per se ipsam adimplenda.

Secunda Conclusio. Anima Christi secundum propriam virtutem non habuit potentiam ad ea, quæ voluit impleri secundum diuinam potentiam, nisi solum instrumentaliter.

DISPVTATIO XV.

DE VIRTVTE, QVA HVMANITAS CHRISTI OPERATVR EFFECTVS SVPERNATVRALES.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Conclusio D. Thomæ vera; Ratioque illius pro illa efficax sit?

PRO *Intelligentia Tituli* statim aduertendum est, non esse Dubium quin per communicationem Idiomatum homo ille Christus dicatur Omnipotens; de fide enim est, quod sicut per Vnionem Hypostaticam communicata fuit animæ Christi, & toti naturæ humanę ipsa Deitas, & reliqua attributa, communicata etiam fuit Omnipotentia: sed Difficultas est, Vtrùm ex vi Vnionis Hypostaticæ receperit anima Christi aliquam virtutem, & facultatem in se, & intra se ipsam, à qua dicatur Omnipotēs. Nec etiam est Dubium quin anima Christi habuerit omnipotentiam secundum quid cum limitatione, videlicet in ordine ad omnia illa, quæ necessaria erant ad finem Incarnationis. Difficultas ergo est de Omnipotentia simpliciter, An reperiatur in anima Christi ex vi Vnionis Hypostaticæ?

Partem Affirmatiuam, videlicet, quod habuerit omnipotentiā simpliciter tenuerunt Hæretici quidam vocati *Vbiquistæ* nomine desumpto à sua hæresi; affirmabant enim animam Christi, & totam eius humanitatem taliter esse Verbo vnitam, vt esset vbique, sicut ipsa diuinitas; & similiter æterna, & Omnipotens. Quorum errores referunt *Suarez Disp. 32. Sect. 4. & Gregorius de Valencia Tom. 4. Disput. 2. Quæst. 2. Punct. 3.*

Altera Sententia est Catholicorum asserentium humanitati Christi non esse communicatam Omnipotentiam nisi solū per communicationem idiomatum; affirmant tamen, quod humanitas in se ipsa facta est potentior, quam esset in propria, & connaturali personalitate. Sic tenet *D. Bonauent. & Richardus in 3 Dist. 14. Art 2.* Et Probatur hæc sententia, Quia negari nequit quin ad perfectiorem existentiam, & subsistentiam sequitur perfectior operatio; sed animę Christi communicata fuit media Vnione Hypostatica subsistentia, & existentia diuina; ergo facta est potentior ad operandū, quam esset in propria personalitate. Quid verò Nos sentiamus, iam aperiemus.

Prima Conclusio Omnipotentia simpliciter non est communicata animæ Christi, aut eius humanitati ex vi Vnionis Hypostaticæ; immo nec potuit communicari. Primam partem Conclusionis vt de Fide amplectuntur Theologi, supposito quod eadem fides docet (vt Diximus supra *Quæst. 2. Art. 1 & 2.*) quod vtraque natura tam diuina, quàm humana facta Vnione manserit impermixta, & quælibet operabatur, quæ sibi propria erant. Ex quo principio sic probari potest Conclusio ratione Theologica. Natura humana etiam facta Vnione Hypostatica mansit cum suis proprietatibus naturalibus, sicut diuina cum suis; sed inter proprietates naturæ est potentia activa ad operandum, vt efficaciter probat *D. Thomas in Corpore Articuli*; ergo natura humana solum habuit potentiam finitam sibi debitam, & connaturalem creatam, & nullatenus omnipotētiam simpliciter, quæ propria est naturæ diuinæ.

Secundo. Quia omne quod à superiori deriuatur, recipitur inferiori modo, atque in superiori habebatur; ergo si potentia operandi, quæ Deo est propria, deriuetur in

animam Christi, reperietur in illa inferiori modo, & consequenter non in tota sua latitudine, atque adeò non erit Omnipotentia simpliciter. *Antecedens Probatur* ex principio communissimo, Vnumquodque recipitur ad modum recipientis, & *Consequentia Constat*. Quia hac ratione licet Visio Dei communicetur creaturæ, non tamen communicatur infinito modo, nec videtur Deus omnibus modis, quibus visibilis est, aliàs Beatus comprehenderet diuinam essentiam, quod est impossibile.

Secunda Pars Cõclusionis Probatur. Quia Omnipotentia ex parte termini attingit omne creabile, & factibile implicationem non dicens; sed hoc non potest attingere anima Christi, quia creare nequit vt causa principalis, nec vt instrumentalis in veriori Sententia *D. Thomæ* (de quo videri possunt ea, quæ Diximus *Tomo Vltimo* 1. *Part. Disput.* 18. *Art.* 4.) nec potest causare se ipsam; ergo non potuit illi communicari omnipotentia simpliciter.

Secunda Conclusio. Humanitas Christi præcisè ex vi Vnionis non habuit formaliter maiorem virtutem physicam, nec fuit facta potentior in genere physico ad operandum, quam si propriæ personalitati esset vnita. Dixi *Virtutem Physicam*, nam de hac solum est disputatio, & de morali iam supra diximus, quod operationes Christi ex eo quod à tali supposito eliciebantur, erant infiniti valoris in genere meriti, & Satisfactionis. Dixi etiam *Formaliter*, quia radicale principium operationum, quas modo habet Christus, scilicet *Suppositum*, infinitum est, atque adeò ratione illius supponimus intellectum, & voluntatem, aliasque potentias animæ Christi habere summam perfectionẽ de lege ordinaria. Quod vero asserimus est non habere humanitatem ex Supposito diuino nouam intrinsecam virtutem in se receptam ad effectus physicos producendos.

Conclusio Ergo Sic Explicata Probatur Primo. Nam principium proximum operationum physicum est proprietas naturæ, non personæ, quæ operatur vt *Quod*; sed humanitas adhuc facta Vnione remansit inuariata in sua essentia eodem modo, atque si esset in proprio Supposito, & operationes in eodem genere physico essent, & eiusdem speciei; ergo modo vnita non habet formaliter maiorem virtutem physicam, quam in suo proprio supposito haberet.

Secundo Probatur. Nam accidentia Christi, *Verbi grat*. Quantitas, aut qualitas non habent ex vi Vnionis Hypostaticæ, quod faciant magis quantum, aut magis quale, quam si essent accidentia alterius Suppositi creati; ergo similiter potentia operatiua humanitatis non erit facta potentior ad operandum physicè. *Patet Consequentia*. Quia omnia ista remanent facta Vnione immutata, & inuariata, & cum omnibus sibi proprijs, ac si essent in proprio Supposito.

Tertia Conclusio. Ratio *D Thomæ* pro sua Conclusione efficax est, & demonstratio quædam Theologica. Pro cuius maiori luce aduertendum est, quod sicut *D. Dionysius* docet de Cœlesti Hierar. Cap. 2. *Omnis potentia dicens actum perfectum supponit naturam proportionatam, cum talis potentia sit connaturalis*, & hac ratione *Diuus Thomas* 1. 2. *Quæst.* 110. *Artic.* 4. docuit, Quod omnes virtutes supernaturales elicientes actus perfectos, necessariò supponunt gratiam habitualem, quæ est natura, cui tales virtutes, quæ rationem habent potentiarum, sunt connaturales.

Deinde Nota, Quod Omnipotentia ex eo, quod virtutem infinitam importat, non solum extenditur ad omnes effectus possibiles, sed etiam perfectissimo modo inter omnes modos possibiles, nisi enim hoc haberet non esset omnipotentia simpliciter. Ex quo deducitur, quod natura proportionata isti virtuti infinitæ etiam debet esse infinita simpliciter; quare quia sola natura diuina habet talem infinitatem, qua incapaces sunt omnes naturæ creatæ, ideo *Diuus Thomas* ex eo, quod est omnipotentia propria diuinæ naturæ, & illi connaturalis, intulit, quod nulla creata potentia habere potuit omnipotentiam simpliciter. Et sic patet Vis, & efficacia rationis *D. Thomæ*.

Soluuntur Argumenta.

Arguitur Primo contra Nostram Resolutionem ex illo Ioan. 3. & 13. *Omnia dedit ei Pater in manus*, quæ verba intelligunt de Christo ratione humanitatis *Theophilactus & Alexander. Item* ex illo Matth. Vlt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*. Quæ verba *D. Hieronymus*, & alij Expositores de Christo ratione humanitatis interpre-

pretantur. Ex quibus verbis potest sic formari Argumentum, Habere omnem potestatem in cœlo, & in terra, & habere omnia in manibus dicit omnipotentiam simpliciter; ergo hæc communicata est ipsi animæ Christi intrinsecè ratione Vnionis Hypostaticæ.

Respondetur, Quod testimonium illud *Ioan.* debet intelligi sic, Quod in manus Christi tradita fuerint omnia, id est omnes fideles, quorum Christus est Caput, aut quia ei in quantum Deus contulit omnia Pater Æternus, quia genuit eum omnipotentem, sicut ipse Pater est.

Ad Testimonium ex D. Matth. Dico Primo debere illa Verba intelligi per communicationem idiomatum, per quam data fuit Christo omnis potestas in cœlo, & in terra; & specialiter dicitur post resurrectionem, quia tunc manifestatum fuit hominibus Christum habere illam potestatem, licet in quantum Deus, & ratione Deitatis. *Secundo Intelligi* potest Locus iste non de Omnipotentia simpliciter, sed de potestate excellentiæ, quam habuit Christus ad regendum, & imperandum in ordine ad prædicationem Euangelij; vnde ibi subditur, *Euntes docete omnes Gentes*, &c. Legantur Expositores huius loci, & specialiter *Maldonatus*, & Doctores, quos ipse ibi allegat.

Secundo Arguitur authoritate Sanctorum Patrum, quos refert *Suarez* hic, inter quos est *D. Cyrillus Lib. de Incarnatione Vnigeniti Cap. 8. & Damasc. Lib. 3. de Fide Cap. 8.* Qui videntur docere, quod Christus vt homo verè est Omnipotens; ergo.

Confirmatur, Quod si non tribuimus Humanitati Omnipotentiam ratione Vnionis, non rectè explicãtur loca sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum affirmantium Christo vt homini datam fuisse omnipotẽtiam; ergo habuit anima Christi omnipotentiam simpliciter. *Antecedens Probatur.* Quia si quando dicimus *Hic homo* (demõstrato Christo) *est Omnipotens*, non tribuimus omnipotentiam humanitati, solũ erit idem atque dicere *Deus est Omnipotens*; ergo nihil dicimus esse communicatum humanitati ad operandum, & consequenter non saluantur rectè loca sacræ Scripturæ, & Sanctorum.

Respondetur, Quod Omnes illi Sancti intelligendi sunt eodem modo, atque loca supra explicata sacræ Scripturæ.

Ad Confirmationem Respondetur Negando Antecedens, & ad probationẽ Dico, Quod multũ tribuimus humanitati dignitatis, & excellentiæ, eo quod vnita sit Diuino Verbo personaliter, nam ex eo prædita fuit anima Christi plurimis donis supernaturalibus, vt supra vidimus. Assumpta est etiam vt instrumentum diuini Verbi ad insignia opera facienda; habere autem omnipotentiam simpliciter in se ipsa non est dignitas eius, siquidem vt vidimus est omnino impossibile.

Tertio Arguitur. Nam anima Christi acquisiuit diuinũ esse subsistentiæ, & existẽtiæ per Vnionẽ Hypostaticam; ergo etiã acquisiuit diuinum posse. *Probatur Consequentia generaliter.* Nam teste *Aristotele* potẽtia operandi sequitur ad esse, & idẽ videtur asserere *D. Thom. in hoc Art.* vbi ait, Quod operatio sequitur naturã, & consequenter esse naturæ. *Deinde Probatur Consequentia specialiter.* Quia esse subsistentiæ, & existentiæ, aut cõplent rationẽ agendi, aut sunt conditiones requisitæ ad operandũ; ergo cũ posse illud animæ Christi procedat ab esse illimitato, & infinito, erit etiam illimitatum, & infinitum, atque adeò anima habebit omnipotentiam simpliciter.

Respondetur Negando Consequentiam. Et ad Primam Probationẽ eius Dico, Quod potentia non sequitur ad existentiam, nec ad subsistentiam, sed ad essentiam & naturã rei, quemadmodum propriæ passiones non sequuntur ad existentiam, sed ad essentiam secundum rationem specificam sui, vnde actiones procedentes ex potentia habent particularem speciem desumptam ex ipsa potentia secundum rationem specificam, non verò secundum esse existentiæ. Quapropter licet in Christo sit vnicum esse vt dicit *D Thom. infra Quæst. 17.* Nihilominus potentia operatiua humanitatis consequitur ad rationem specificam naturæ humanæ, atque adeò sicut ipsa natura humana finita est, & limitata per certam differentiam ad speciem, sic etiam & potentia eius.

Ad Secundam Probationem Dico, Quod quamuis forma participet complementũ ad agendum ex ipsa existentia, tamen perfectio actionis non sequitur naturam existentiæ secundum se, sed quatenus participatur in ipsa forma, quæ est immediatum principium operandi; nam existentia solum est principium remotum, & sic non constituit potentiam aliquam, sed actuat potentias subiecti. Vnde licet in Christo

repertiatur existentia infinita, non inde potest inferri quod constituat potentiam infinitam in humanitate, quia communicatur talis existentia secundum capacitatem naturæ humanæ, & potentiarum eius, & sic operatio humanitatis erat finita in esse physico.

Quarto Arguitur. Quia diuinum Verbum erat principium radicale omnium operationum, quas humanitas Christi exercebat; ergo etiam potentia ad tales operationes radicabatur in Verbo Diuino, atque adeò ab illo habebit esse omnipotentiam simpliciter. *Confirmatur*. Quia ex eo habebāt operationes Christi infinitum valorem, quia procedebant à Supposito infinito in esse physico; ergo potentia ad tales operationes erat infinita. *Patet Consequentia* Quia dignitas actionum ex potentia à qua procedunt desumi debet.

Ad Quartum Argumentum facilè respondet *Suarez Disp.* 31. *Sect.* 1. videlicet Quod Suppositum diuinū non habet se sicut principium physicum actionū humanitatis, neque physicè concurrit ad illas; iuxta quam doctrinam nullam habet vim argumentū. Hæc tamen doctrina falsa est, nam Suppositum diuinum in omnibus gerit vicē Supposti humani; at Suppositum humanum si ibi esset physicè concurreret ad operationes, sicut in nobis cōtingit, nam illud axioma commune *Actiones sunt Suppositorum* debet intelligi physicè.

Ad Confirmationem Respondetur, Quod valor operationū Christi Domini infinitus est, ex eo quod à Diuino Supposito procedebant; hæc autem infinitas solum est in genere moris, non verò in esse physico: in isto enim genere perfectionem finitam habebant, secundum quod à potentijs creatis, & finitis ipsius humanitatis proximè eliciebantur.

Quinto Arguitur impugnando rationem *D. Thomæ*, & in primis impugnatur *Maior*, videlicet, Quod virtus actiua cuiuscumque rei sequitur ad formā eius. *Cōtra*, Quia sunt multæ formæ, quæ nullā habent virtutem actiuam, vt *Relatio*, & *Quantitas*. Item sunt multæ Potentiæ, quæ ab extrinseco proueniunt, vt potentia calefactiua in aqua prouenit ab igne. *Item* in Diuinis Potentia generatiua est in Patre; hæc tamen potentia non sequitur ad diuinam naturam, aliàs esset in omnibus tribus Personis, sicut est natura diuina; ergo fundamentum rationis *D. Thomæ* nullum est.

Sexto Arguitur contra aliud Fundamentum rationis, videlicet, Quod quia natura humana est finita non potest habere omnipotentiam. *Contra*. Nam stante limitatione humanæ naturæ cōmunicatur illi diuinum esse; ergo etiam cōmunicari poterit Omnipotentia. *Patet Consequentia*. Quia sicut anima finita est in esse, ita etiā in virtute operatiua; sed non obstante primo cōmunicatur ei *Esse* infinitū; ergo etiam *Posse* infinitum.

Septimo Contra Totam Rationem. Nam *D. Thom.* ideò negat omnipotentiam simpliciter animæ Christi, quia habere illam est propriū Dei. *Contra*. Quia sicut est propriū Dei omnipotentia, ita etiā est propriū Dei existere diuinū, & cognitio clara sui ipsius; sed istæ proprietates cōmunicantur naturæ humanæ salua eius essentia; ergo etiā communicari poterit omnipotentia, quamuis sit propria Dei. *Minor Patet* in Mysterio Incarnationis, & in Beatis.

Octauo. Nam Vnio Hypostatica non solū efficit Personam gratam, & Sanctā, sed etiam carnē Christi, eo quod Deitas est essentia ipsa sanctitatis, sed etiā est Deitas ipsa essentia omnipotentiæ; ergo ex vi Vnionis Deitatis cū humanitate anima Christi redditur etiam omnipotens.

Ad Quintum Respondetur, Quod illud Fundamentū accipi debet in sensu accōmodato, hoc est, quod vbicūque est potentia actiua sequitur ad naturā, & formā tanquam ad primū agendi principium; non autem per hoc dicitur, quod ad omnē formā sequatur potentia actiua, nam multæ sunt formæ, quæ non sunt datæ ad operandū, vtpotè quæ passiuæ sunt Intelligitur etiam fundamentū *D. Thomæ* de Potentijs formaliter fluentibus ab essentia, non verò de extrinsecè aduenientibus, licet vniuersaliter intelligi possit sic, quod vbicūque est potētia actiua, ibi etiā est aliqua forma ad quam per se sequatur, & ita est calor in aqua.

Ad Illud Autem quod de Potentia generatiua in diuinis tangitur in fine Argumenti, Dicimus etiā illam potentiā generatiuam sequi ad diuinā naturam, & essentiam non secundum se, sed prout est in Patre, de quo latiùs in *Materia de Trinitate Tomo Vltimo* 1. *Part.* Diximus.

Ad Sextum Respondetur Negando Consequentiam; nam licet omnia attributa sint propria naturæ diuinæ, est tamen magna diuersitas, quod quædam licet dicant perfectionem, non tamen explicant modum, quo talis perfectio

est

est in Deo, vt Iustitia, & Bonitas; & hmiusmodi est esse diuinum; vnde omnia ista cõmunicabilia sunt creaturis. Omnipotentia autem non solum dicit perfectionem infinitam, sed etiam modum, quo talis perfectio est in Deo, scilicet infinito modo, atque adeò nulli creaturæ cõmunicabilis est.

Si Contra Arguas. Quia communicari potest animæ Christi scientia infinita, ita vt cognoscat ea, quæ Dei proprium est nosse; ergo etiam omnipotentia, quæ Dei propria est. *Respondetur Primo Negando Antecedens,* Nõ enim communicari potest alicui creaturæ cognitio omnium rerum possibiliũ, alias enim comprehenderet diuinam essentiam, vt rectè intulit *D. Thom. 1. Part. Quæst.* 14. & Nos supra latè explicuimus agentes de scientia beata animæ Christi. *Secundo Respondetur Negando Consequentiam,* ad plura enim se potest extendere cognitio creaturæ ad quæ non potest se extendere eius potentia, quia cognoscere potest se ipsam, non autem facere.

Ad Septimum Respondetur, iuxta solutionem supra datam, Quod omnipotentia non solum dicit infinitatem, sed etiam modum, quo est in Deo, atque adeò communicari nequit alicui creaturæ, quia in illa deberet recipi inferiori modo, scilicet ad modum recipientis, & consequentèr non esset omnipotentia.

Sed Contra Hoc Arguitur. Nam in hoc nulla datur differentia inter Omnipotentiam, & reliqua attributa; ergo solutio est nulla. *Antecedens Probatur.* Quia Existere diuinum, & Bonitas, & Iustitia, quæ propria sunt Dei, licet sint communicata creaturis, non tamen sunt in illis cum illo modo, quo sunt in Deo; hoc enim implicationem inuoluit; ergo etiam Omnipotentia, quamuis sit propria Dei, vt communicetur creaturæ non est necessarium, quod sit in creatura eo modo quo est in Deo.

Respondetur, Quod si de re ipsa loquamur non est dubium quin nullum Dei attributum communicari possit creaturis eo modo, quo in Deo est, ita vt creatura sit ab intrinseco infinitè sapiens, aut ipsa sapientia, & iustitia, & sic etiã nequit habere omnipotentiam. Cæterum differẽtia, quæ versatur inter illa attributa, & Omnipotẽtiam est, quod ex vi terminorum illa attributa non explicant modum, quo sunt in Deo, & sic conuenire possunt creaturis, quamuis analogicè. At omnipotẽtia simpliciter necessario dicit modum infinitatis circa omnes possibiles effectus, & modos ipsorum, quare implicat creaturæ cõmunicari. Existere etiam diuinum quando communicatur humanitati media Vnione Hypostatica, non communicatur sic, quod faciat humanitatem infinitè existentem quasi ab intrinseco, & ex sua ratione, sed solum terminat extrinsecè naturam humanam, & ideò communicatur illi diuina existentia supplẽdo in omnibus vicem existentiæ propriæ. Omnipotentia vero non potest sic cõmunicari, quia qui habet omnipotentiam simpliciter, ab intrinseco debet illam habere, & sic repugnat communicari animæ Christi.

Ad Octauum Respondetur Negando Consequentiam, & datur optima disparitas: nam ex hoc, quod natura humana terminetur à Supposito Diuino cum ex se sit capax gratiæ, efficitur vt ipsa natura congruè ametur propter illam rationem supernaturalitatis illi communicatam, videlicet esse vnitam Verbo. Si enim per Filium totum genus humanum amatur, quanto magis propter illum amabitur natura illa Hypostaticè vnita Verbo? Vnio autem causat Sanctitatem illam humanitatis per terminationem in ratione Personæ. Omnipotentia vero si communicaretur humanitati deberet vniri illi tanquam forma, seu potentia, quia vt dicitur in 2. *de Anima*, id quo operamur debet se habere vt forma, Deus autem nequit vniri naturæ humanæ vt forma eius, atque adeò sicut non potest vniri vt intellectus, aut voluntas, nec etiam vt omnipotentia.

Aliqui Disputant in præsenti, An saltem Omnipotentia in ratione instrumenti cõmunicata fuerit humanitati Christi? Sed ad hoc breuiter Dico Omnipotentiam simpliciter non potuisse communicari humanitati Christi etiam vt instrumentũ, cum nullum possit assumi ad creandum, vel anihilandum, vt latè Diximus *Tomo Vltimo 1. Part. Disp. 18. Art. 4.* Potest autem dici, quod habet omnipotentiam instrumentaliter secundum quid, quia ad infinitos effectus se potest extendere, iustificando infinitos homines, vt Sacramenta, & excellentiori modo, quam illa. Determinato iam quod omnipotentia simpliciter nequit cõmunicari animæ Christi, restat inquirere,

An saltem secundum limitationem circa aliquod particulare genus communicetur?

(*.*)

ARTICVLVS II.

Vtrùm Humanitas Christi in ordine ad Opera Miraculosa verè habuerit virtutem, & Concursum Physicum; An verò solum Moralem?

PRO intelligentia tituli, & eorum, quæ à Nobis dicenda sunt, aliqua prænotare necesse est. *Primo*, Quod omnia illa, quæ de anima Christi in hac parte dicuntur, extendenda sunt ad totam humanitatem eius proportionabiliter, cum operetur virtute diuina, & non propria. *Secundo*, Quod nomine *Potentiæ ad immutandam creaturam*, intelligimus in præsenti *Virtutem executiuam miraculorum*, & transmutationum, quæ à Christo fiebant in ordine ad finem Incarnationis. *Tertio* supponendum est Christum de facto fecisse multa miracula, non solum ratione diuinitatis, sed etiam ratione humanitatis, vt ex ipsa Euangelica Historia apertè colligitur. Nam Matth. 9. dicitur, *Glorificabant Deum, qui dedit potestatem talem hominibus*; & Lucæ 6. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et in Concilio Ephesino Can. 11. dicitur *Carnem Christi propter Vnionem ad Verbum fuisse viuificatricem.*

Quarto Notandum est, Quod humanitas Christi est causa formalis principalis omnium operationum naturalium, immo etiam illarum actionum supernaturalium, respectu quarum habebat in se principium, vt patet in Visione beatifica, & in delectione supernaturali Dei. Ad alias autem actiones, quæ propriæ sunt ipsius Dei, vt suscitare mortuos, sanare infirmitates, Iustificare Impios, solum poterat concurrere vt instrumentum Dei, circa quod iam in titulo inquirimus.

Vltimo Notandum est in hoc differre virtutem, seu concursum Physicum à Morali, quod virtus physica est, quæ immediatè se ipsa attingit substantiam effectus producti; moralis verò extrinsecè tantum mouendo causam physicam per modum occasionis. Operatum autem fuisse Christum Dominum miracula moraliter res est indubitata inter Theologos, & de hoc satis Diximus *supra Art. 2. Quæst. 1.* dum de Satisfactione Christi ageretur. Tota ergo Controuersia est de concursu physico, An illum habuerit Christi humanitas circa miracula? Eadem autem est difficultas de Sacramentis nouæ legis, & de passione Christi, atque adeò ad hoc propositum faciunt omnia illa, quæ de virtute instrumentali Sacramentorũ dici solent à Theologis infra; & Nos etiam dicemus *Quæst. 62.* Specialis tamen ratio est de Humanitate Christi, eo quod est instrumentum coniunctum ipsi Diuinitati.

Prima Ergo Sententia in hoc Dubio est Quorundam Theologorum asserentium humanitatem Christi non habuisse virtutem physicam in ordine ad miracula, & Iustificationes hominum, sed tantum moralem. Sic sentit *Alexan. Hallensis 3. Part. Memb. 3. Art. 3. Alij Isidorensis, D. Bonauēt. Richardus, Gabriel, Durandus, Scotus locis citatis à Suarez Disp. 31. Sect. 3.* Nouissimè autem illam mordicus defendit *Vazquez Disp. 57. Cap. 5.* & illam antea tradiderat in communi de omni instrumento 1. *Part. Disp. 176. Cap. 3.* Cuius Argumenta vltimo loco afferemus.

Secunda Sententia est Opposita asserens humanitatem Christi verè, & realiter habere concursum physicum ad miracula patranda. Hæc est *D. Thomæ* in præsenti, & communissima Thomistarum, quamuis in modo explicandi illam diuisi sint. Quidam enim docent humanitatem Christi dum erat nobiscum in terris talem virtutem physicam instrumentalem habuisse, non autem modo quando est in cœlo propter maximam distantiam. Sic sentit *Vega Lib. 6. super Trid. Cap. 14. in fine*, vt refert *Suarez Disp. 31. Sect. 2* propè finem, & idem refert *Magister Vincentius in sua Relect. de Gratia Christi Quæst 6 Pap 778.* Hoc ipsum dicitur placuisse *Magistro Victoriæ.*

Alij verò asserunt Humanitatem Christi non solum dum in terris erat operatam esse miracula physicè, sed etiam modo existens in cœlo. Qui adhuc diuisi sunt, nam Aliqui affirmant humanitatem Christi causare modo gratiam nostram, & alia miracula mediantibus Angelis; sic sentiunt Moderni quidam, vt referunt *Magist. Vincent. & Suarez* vbi supra. Alij verò quod absque Angelis physicè instrumentaliter operatur.

Pri

Prima Conclusio.

Humanitas Christi Domini physicè instrumentalitèr causat nostram iustificationem,& miracula.Hæc est expressa *D. Thome* multis in locis suæ doctrinæ;in *hoc Art.* & infra *Quæst.48.Art.6.ad 3.* & *Quæst.10. Art.6.* Idem docet de Morte Christi in facto esse,& *Quæst.56.Art.1.& 2.* Vbi clarè loquitur de causalitate physica secundum quod à morali distinguitur,hoc est per meritum. Sequuntur *D.Thomam*, Omnes eius discipuli præcipuè Recentiores.

Probatur Conclusio primò multis locis sacræ Scripturæ,quos refert *Magist. Medina* in quibus de causalitate physica fieri sermonem videtur apertum.Inter alia notentur illa verba Ioann.1.*Gratia,& Veritas per Iesum Christum facta est.* Vbi verbum illud *Facta* de causalitate physica intelligi magis proprium est. Deinde Probatur ex Concilio Ephes.1.Canon 11. vbi definitur,*Quod Caro Christi est viuificatrix propter Vnionem ad Verbum*; hoc autem non potest explicari in esse morali,cum tota ratio meriti ad animam pertineat; atque adeò explicandum est de causalitate physica.

Hoc Etiam videtur apertè colligi ex multis miraculis à Christo patratis,non per modum supplicantis, aut impetrantis, sed per modum imperij, vt illud *Lazare veni foras*, Imperium enim virtutem physicam denotat. Aliquando etiam multa miracula faciebat Christus, in quibus carnem suam volebat esse cooperatricem, vt quando lutum fecit ex sputo, & liniuit oculos cæcinati;& quando accepit panem in manibus, vt illum multiplicaret,tunc enim operabatur humanitas per verum contactum physicum præuium, atque adeò tanquam instrumẽtum physicum. Extant etiam de hac re multæ authoritates Sanctorum Patrum, quas adducit *Magist. Medina* in expositione Tertiæ Difficultatis,in quibus hanc nostram Conclusionem Sanctos illos Patres docere videtur apertum. Vbi obiter aduertere placet, quam falsò *Vazquez Disp.57. Cap.5.* prope finem asserat nullum fuisse ex Sanctis Patribus,qui huius difficultatis mẽtionem fecerit. Sed iam rationibus agamus.

Secundo Probatur Conclusio. Nam Christo Domino tribuenda est omnis perfectio possibilis,quæ fini Incarnationis non derogat; sed causare physicè instrumentaliter gratiam,& miracula perfectio est humanitatis,& illi possibilis;ergo illi est tribuenda. *Minor* constabit ex Solutionibus Argumentorum pro opposita Sententia.

Tertio Probatur. Humanitas Christi operatur Iustificationem, & miracula virtute communi toti Trinitati; ergo operatur illa physicè instrumentaliter. *Patet Consequẽtia.* Quia omnis virtus moralis Christi, quæ consistit in infinitate meriti, vel satisfactionis est propria Personæ Filij, qui est Persona satisfaciens,& quæ meretur. *Antecedens Autem Probatur* ex illis verbis Lucæ 11. *Si in digito Dei eijcio dæmonia*, & Ioann. 10. *Opera,quæ ego facio,in nomine Patris mei facio.* Et Cap.14.*Pater autem in me manens,ipse facit opera*; Quæ loca verificari nequeunt de sola causalitate morali, sed de physica; iuxta quam etiam verificanda sunt Sanctorum dicta, quando affirmant, quod humanitas Christi est organum diuinitatis, quod de organo physico est intelligendum.

Confirmatur Hoc Ipsum. Nam si humanitas solum esset organum Filij secundum quod ipse est principium infiniti meriti,& satisfactionis media humanitate, tunc quidem humanitas concurreret tantum moraliter per meritum,& satisfactionem;sed isto modo non posset esse instrumentum totius Trinitatis,aut organum Deitatis,quia Trinitas non concurrit ad hæc opera per meritum,aut satisfactionem,sed per suam virtutem physicam; ergo cum humanitas sit instrumentum totius Trinitatis, asserẽdum est physicè instrumentaliter concurrere ad iustificationem,& ad opera miraculosa.

Quarto Probatur. Nam si humanitas Christi solum moraliter concurreret ad opera miraculosa, sequeretur eodem modo posse assumi,vt instrumentum ad creandum.Consequens est contra *D.Thomam* 1. *Part.Quæst.45.Art.5* & etiam in *hoc Artic.* immo contra Authores oppositæ sententiæ;ergo non solum moraliter, sed etiam physicè concurrit humanitas ad talia miracula. *Consequentia* est optima, & *Sequela Probatur.* Quia si nihil operatur humanitas circa rem in qua exercetur miraculum,sed solum precibus, & suo merito impetrat à Deo,nihil prorsus obstat, quod etiam precibus,& suo merito impetret à Deo,vt Angelum creet, cum circa illum non sit necessarium aliquid operari, atque adeò quicumque affirmauerint cum *D.Thom.* non potuisse assumi humanitas, vt instrumentum

tum ad creationem, benè tamen ad miracula, tenentur asserere, quod ad miracula concurrit humanitas physicè.

Non Me Latet Vazquez vbi supra hoc argumentum velle soluere asserendo, quod humanitas Christi non tantum concurrit moraliter per meritum, aut impetrationē, sed etiam quia posito aliquo eius actu circa rem illam in qua fiebat miraculum, statim Deus illud patrabat, atque adeò cum circa rem creandam non posset humanitas aliquid operari, cum nullum subiectum supponatur circa quod exerceretur actio humanitatis, inde est quod non poterat assumi, vt instrumentum ad creandum, benè tamen ad miracula, quia iam præsupponebatur subiectum.

Sed Contra Istam Solutionem Est Primo. Quia iste Author vt probet humanitatem Christi esse solum morale instrumentum miraculorum asserit non operari aliquid circa rem distantem, vt quando sanitatem causauit Filij Centurionis, vt patebit in Quarto, & Quinto Argumento oppositæ sententiæ, quæ huius Authoris sunt; ergo contra seipsum soluit modo argumentum nostrum asserens humanitatem operari aliquid circa subiectum miraculi, atque adeò non dat disparitatem inter concursum instrumentalem ad miracula, & ad creationem respectu instrumenti moralis.

Secundo Impugnatur Illa Solutio. Quia non est necessarium, quod causa moralis exerceat aliquam operationem circa effectum, qui moraliter tantum ab illa procedit, vt patet quando consilio meo aliquis occidit hominem, ego nihil prorsus operor circa subiectum mortis; ergo eo ipso, quod Author iste affirmet humanitatem Christi esse causam tantum moralem miraculorum, tenetur fateri necessariam non esse aliquam operationem humanitatis circa rem in qua exercetur miraculum, vel iustificatio.

Tertio. Quia si concursus moralis instrumenti in hoc consistit, quod posito actu humanitatis circa subiectū miraculi, Deus operetur illud, non ex vi talis actus, sed aut ex lege, aut ex beneplacito suo, aut pacto eadem ratione teneretur Author iste concedere, quod Sanctitas Beatissimæ Virginis, aut plenitudo temporis, aut peccatorū multitudo, aut translatio regni Iudæorum fuerunt verè instrumenta Incarnationis; consequens est falsum, quia Incarnationis nullum datur instrumentum secundum cōmunem Theologorum consensum; ergo & Antecedēs. *Sequela Probatur:* Quia ideò humanitas iuxtà doctrinam *Vazquez* est instrumentum morale miraculorum, quia licet non influat in effectum, tamen ex lege, aut pacto, aut beneplacito suo Deus non operaretur miraculum sine tali actu; sed etiam sine Sanctitate Beatissimæ Virginis; sine plenitudine temporis; sine multitudine peccatorum; sine translatione regni Iudæorum Filius Dei non assumeret carnem suppositō suo Decreto de omnibus his circunstantijs; ergo omnia ista vocari possunt instrumenta incarnationis.

Item Sequeretur, Quod non haberent actiones humanitatis maiorem concursum circa iustificationes nostras, & miracula, quam oratio *S. Stephani* circa conuersionē *D. Pauli*, consequens à nullo Theologorū admittetur; ergo affirmari non debet Antecedens. *Probatur Sequela.* Quia si operatio humanitatis nihil causat in re circa quā operatur miraculum, sed solum posita ista Deus miraculum causat, aut iustificationē, cum posita oratione *S. Stephani* Deus causauerit iustificationem *Pauli* planè sequitur non magis concurrere humanitatem Christi ad nostram iustificationem, & miracula, quam orationem *D. Stephani.*

Vltimo Impugnatur Modernus iste. Quia si actio humanitatis Christi nullo modo influit in rem circa quam fit miraculum, sequitur quod humanitas non sit instrumentum, sed solum conditio sine qua non fieret tale miraculū; consequens est contra eundem Authorem; ergo. *Probatur Sequela.* Quia quælibet causa concursum aliquem, & influxum debet habere circa suum effectum; ergo si nullum habet actio humanitatis non erit causa, sed conditio sine qua non: ideò enim Sacramenta Legis Antiquę non dicuntur causæ instrumentales gratiæ, sed egena, & vacua elementa secundum *D. Paulum*, quia non habebant influxum gratiæ circa subiecta recipientia ipsa, sed ad præsentiam illorum Deus causabat gratiā; ergo idē dici deberet de humanitate Christi, iuxta sententiam istius Authoris; atque adeò vt hæc omnia inconsequentia secludamus, asserendum erit humanitatem Christi esse verè, & propriè causam physicam instrumentalem miraculorum.

Se-

Secunda Conclusio.

Humanitas Christi non solum erat causa physica instrumentalis quando nobiscũ degebat in terris, sed etiam modo quando existit in cœlo, ita vt physicè etiam concurrat circa res loco distantes. Hæc Conclusio est contra primum modum explicandi secundam sententiam, qui nobis merito displicet eo quod si dum erat in terris poterat operari miracula circa distans, etiam modo existens in cœlo operari poterit miracula; nam dummodo res sit absens, aut distans, quod distantia sit maior, vel sit minor, differentia erit solum accidentalis, atque adeò maxima distantia, quam modo habet existens in cœlo non tollit quin verè, & propriè sit instrumentum physicum miraculorum.

Probatur Ergo Conclusio. Quia distantia localis non impedit concursum physicũ causæ instrumentalis; ergo. *Probatur Antecedẽs.* Quia approximatio, aut applicatio agentis ad passum solum est conditio sine qua non operabitur agens naturale; ergo optimè poterit à Deo suppleri, atque adeò cum humanitas agat vt instrumentum diuinitatis, benè poterit virtute diuina operari physicè circa subiectum loco distans.

Tertia Conclusio.

Christi Humanitas non causabat physicè instrumentalitèr gratiam, & iustificationem nostram, aut miracula mediantibus Angelis. Hæc est contra aliquos Theologos, quos in secunda sententia retulimus. Probatur tamen, Nam gratia Sacramentorum causatur ab humanitate Christi, siquidem ab eius Passione habent Sacramenta virtutem; sed talis gratia sacramentalis non causatur mediantibus Angelis; ergo cõcursus instrumentalis, quem habebat humanitas circa subiectum distans, aut modo habet existens in cœlo non fit mediantibus Angelis.

Secundo. Quia Angeli faciunt miracula sicut alij Sancti, scilicet orando, aut solum exhibendo ministerium in miraculis, vt colligendo cineres, aut pulueres nostros in Resurrectione generali; ergo humanitas Christi non operabatur miracula physicè mediantibus Angelis. *Consequentia est optima*, quia si Angeli non concurrunt physicè, sed solum moraliter ad talia miracula, neque etiam humanitas Christi mediantibus illis. *Antecedens* autem est expressum *D. Thom. 1 Part. Quæst. 110. Art. 4. ad 1. & in 4. Dist. 43. Quæst. 1 Artic. 2. Quæstiunc 3.* vbi docet. *Quod anima in Resurrectione vnitur Corpori sine ministerio Angelorum*, atque adeò cum illud sit miraculum humanitatis circa resurrectionem, non fiet mediantibus Angelis.

Tertio. Nam Angelus mediante quo humanitas Christi operaretur miraculum, aut esset coniunctus ipsi humanitati, aut rei in qua miraculum exercetur; neutro modo potest concurrere physicè; ergo. *Probatur Minor.* Quia si coniunctus est humanitati Christi, si humanitas eo quod distat à subiecto miraculi nõ poterat operari physicè, multò minus Angelus virtute eius si subiectum miraculi ponatur extra sphærã actiuitatis Angeli. Si verò dicatur, quod Angelus est coniunctus ipsi subiecto miraculi distanti ab humanitate, iam humanitas Christi sicut distat à subiecto miraculi, distabit etiam ab ipso Angelo, & consequentèr non poterit in illum operari, vt cum constituat instrumẽtum suum in ordine ad miracula circa res distantes; humanitas ergo Christi non operabatur miracula, aut iustificationes nostras mediantibus Angelis.

Soluuntur Argumenta.

Arguitur Primo contra nostram Resolutionem. Nam omne agens physicum agit per verum, & physicum contactum; sed humanitas Christi non habebat physicum contactum cum subiectis circa quæ fiebant miracula; ergo non poterat illa operari physicè, sed tantum moraliter. *Maior* est cõmunis sententia Philosophorum. *Minor verò Probatur.* Nam multoties operabatur Christus miracula circa res distantes, vt quando puerum Centurionis sanauit existentem in domo sua; & quando animam Lazari resuscitauit; tunc enim non videtur quem contactum habuerit circa illam, aut circa Corpus; ergo solum moraliter operabatur humanitas miracula.

Confirmatur Primo. Quia etiam ad rationem instrumenti physici requiritur, quod instrumentum possit operari aliquid præuium circa subiectum antequam intelligatur actio principalis agentis; sed humanitas Chri-

Christi non habebat hanc virtutem operãdi aliquid præuium in subiectis circa quæ fiebant miracula; ergo non est instrumentum physicum. *Consequentia* est bona, & *Maior Probatur*. Nam ideò *D. Thom. 1. Part. Quæst. 45. Art. 5.* negat aliquam creaturam assumi posse, vt instrumentum physicum ad creandum, quia cum nullum præsupponatur subiectum non poterit actio creaturę exerceri præuia actioni principalis agentis. *Minor Verò Probatur*. Quia multoties non reperiebatur subiectum approximatum humanitati, vt circa illud aliquid operaretur.

Confirmatur Secundo. Quia saltem non potest humanitas operari circa animam physicè; ergo non poterit esse instrumentum physicum iustificationis animarum. *Antecedens Probatur*. Nam anima est purè spiritualis, & humanitas secundum alteram partem est aliquid corporale; sed Corpus non potest agere in spiritum; ergo neque humanitas in animas hominum.

Ad Argumentum Respondetur Maximam illam, *Agens physicum debet agere per contactum physicum*, quæ est propositio per se in Philosophia, non debere intelligi de ratione formali causandi, sed de conditione requisita. Itaque contactus non est ratio formalis vt ignis comburat, sed conditio sine qua non, vt applicatio eius ad passum. Quare sicut Deus potest supplere applicationẽ taliter, quod cum igne existente Matriti possit comburere subiectum existens Romæ, ita etiam sine contactu physico potest facere, vt aliquod agens physicè operetur. Et cum humanitas respectu miraculorum concurrat, vt instrumentum diuinitatis, optimè poterit exercere rationem instrumẽti physici circa res loco distantes.

Dici Etiam potest ad Argumentum, quod ad causalitatem physicam non requiritur in agenti naturali contactus formalis, sed solum virtualis, qui sufficienter adest quando agens principale est præsens effectiuè quamuis instrumentum non sit præsens, sicut è contra agens naturale physicè operatur vbi non est formaliter, dummodo virtus illius sit præsens, quia per illam virtutem operatur; vt contingit quando generans hominem statim moritur, semine relicto in Matrice; atque adeò cum Deus sit præsens vbique, sufficienter adest virtualiter humanitas circa quodlibet subiectum miraculi, vt instrumentum Dei.

Ad Primam Confirmationem Respondetur

A *Negando Minorem* Et ad *Probationem Dico*, Quod in omni operatione miraculosa reperiebatur aliqua actio præuia humanitatis circa subiectum miraculorum, quia Christus, aut voce, aut imperio, aut saltem actu suæ voluntatis determinabat suam virtutẽ ad tale miraculum circa hoc subiectum in particulari. Quod autem esset loco distans non obstat, nam (vt diximus) distantia loci optimè potest à Deo suppleri.

Ad Secundam Confirmationem Respondetur Negando Antecedens, & ad *Probationem Dicitur*, Quod res corporalis virtute propria non potest agere in spiritum; cæterum virtute diuina, aut virtute alicuius causæ spiritualis optimè potest operari, vt instrumentum circa spiritum; sicut ignis corporeus inferni cruciat dæmones, & animas damnatorum virtute Dei.

Secundo Arguitur. Nam aliqua miracula fecit Christus, quæ non potuerunt patrari nisi per creationem; ergo saltem respectu illorum humanitas non potuit esse instrumentum physicum. *Patet Consequẽtia*. Quia vt est expressa Sententia *D. Thomæ 1. Part. Quæst. 45.* nulla creatura assumi potest à Deo, vt instrumentum ad creandum. *Antecedens Probatur*. Quia quando in baptismo apparuit columba super eum, si vera columba fuit, facta etiam fuit per creationem.

Confirmatur Primo. Quia alia etiam miracula facta sunt solum per suspensionẽ concursus diuini, sed ad talem suspensionem concursus non potuit humanitas Christi concurrere physice, sed solum moraliter; qua ratione *D. Thomas* in Tertia Conclusione huius Articuli docet, quod anima Christi non habuit virtutem anihilãdi; quia anihilatio fit per subtractionem concursus diuini; ergo ad talia miracula Christus non potuit concurrere physicè instrumentaliter, sed solum moraliter. *Maior* huius rationis patet in miraculo obscuritatis Solis in Passione Christi, quod quidem factum fuit per subtractionem lucis.

Confirmatur Secundo. Quia sicut humanitas Christi causat miracula, & nostram iustificationem instrumentaliter, ita etiam eius Passio, & Resurrectio, vt est Sententia *D. Thomæ infra Quæst. 48. Art. 3. & Quæst. 56. Art. 1. & 2. & Quæst. 57. Art 6.* & Alibi; sed Resurrectio, & Passio Christi non operantur modo miracula physicè, cum iam non sint; ergo nec etiam humanitas Christi. Consequentia patet ex Maiori.

Ad

Ad Hoc Argumentum Respondetur Primò, Quod si daremus de facto aliquod miraculum fieri per creationem, ad tale miraculum non concurreret physicè ipsa humanitas Christi, quia hoc expressè ponitur à *D. Thoma in 3. Conclus. Art.* dum dicit, *Non esse humanitatem instrumentum anihilationis, sicut nec creationis*; & doctrina eius in 2. *Conclus.* intelligitur de miraculis, quæ fiunt ex præsuppositio subiecto, aut circa illud. Vnde si columba illa, quæ apparuit in Iordane verè creata fuit, ad talem creationem non concurrebat physicè instrumentaliter humanitas.

Secundo Respondetur, Quod talis columba non fuit facta per creationem, sicut nec stella Magorum, sed ex præiacente materia aëris, vel alterius elementi; atque adeò optimè potuit humanitas esse instrumentum physicum productionis illius.

Ad Primam Confirmationem Respondetur, Quod reuera si aliquod miraculum factum fuit per meram suspensionem concursus diuini, ad tale miraculum non concurrebat humanitas Christi physicè, sicut nec ad anihilationem, quæ per talem suspensionem concursus fit. Cæterum obtenebratio Solis in morte Christi non fuit per substractionem concursus diuini, sed per interpositionem Lunæ inter ipsum, & terram, vt docet *D. Dionysius in Epistola ad Polycarpũ*, & *D. Augus. Epist.* 80. *& Lib. Quæstionum Noui Testamenti Quæst.* 10. de quo etiam videatur *Suarez Tomo* 2. *Disput.* 56. Potuit etiam esse talis obtenebratio Solis per interpositionem alicuius densissimæ nubis; atque adeò ad illud miraculum concurrere potuit physicè humanitas.

Ad Secundam Confirmationem Respondetur Negando Minorem; & ad Probationem Dicimus Passionem Christi, & eius Resurrectionem etiam modo de facto cõcurrere physicè ad Iustificationem animarum, & etiam concurrerẽt physicè ad Resurrectionem Corporum in fine mundi, quia quamuis non sit modo ipsa Passio Christi actualis, aut Resurrectio, est tamẽ in virtute; sicut Sacramentum receptum cum fictione, quod postea recedente tali fictione causat gratiam physicè, quia mansit in virtute, vt in *Materia de Sacramentis* dici solet à multis Thomistis. Hoc autem multo verius est de Resurrectione, & Passione Christi, quæ remanserunt virtualiter in humanitate Christi cum qua identificantur, & quam determinauerunt ad hos effectus. Et hæc est expressa doctrina *Caiet. infrà Quæst.* 50. *Art.* 6.

Tertio Arguitur. Quia in humanitate Christi non est aliqua virtus sufficiens ad causanda miracula; ergo nõ causat illa physicè. *Consequentia Patet.* Quia quælibet causa producit effectum per virtutem, quam habet ad illum producendum. *Antecedens vero Probatur Primò.* Quia si habet virtutẽ de se sufficientem ad miracula; ergo iam illud, quod mediante illa virtute efficitur non erit miraculum; sicut de facto non est miraculum contritio, aut dilectio supernaturalis, quamuis supernaturalia sint, quia ad illas producendas habet anima sufficientem virtutem à Deo; miracula autem debent excedere vim formæ operatiuæ.

Secundo Probatur Antecedens. Quia hæc virtus non potest esse corporalis, quia si esset, subiectari non posset in anima Christi; nec etiam spiritualis, quia si esset, subiectari non posset in Corpore Christi; ergo nulla datur virtus ad miracula in humanitate Christi, & consequenter illa non causat physicè instrumentaliter.

Respondetur Negando Antecedens. Est enim in humanitate Christi virtus ad patrãda miracula, licet modo non determinemus quidnam sit talis virtus, sitnè qualitas in humanitate recepta, vel diuina motio? Et ad Primam Impugnationem huius *Dico*, Quod instrumentum non habet de se sufficientem virtutem ad producendum effectum, quia vt benè probat Argumentum, si in se; & de se haberet talem virtutem per propriam formam, iam esset causa principalis; sed habet virtutem impressam à principali agente, à quo elenatur vt supra vires suas agat, & hac ratione humanitas à Diuino Verbo eleuata instrumentaliter physicè concurrit ad nostram iustificationem, & ad miracula.

Ad Secundam Impugnationem Respondetur, Quod cum virtus miraculorum non sit aliqua qualitas superaddita instrumento (vt infra Dicemus) sed tantum motio quædam diuina, quæ recipitur in instrumento, si instrumentum fuerit corporale Corporalis erit entitatiuè: Spiritualis autem virtualiter, cum circa spiritum operari possit. Si autem instrumentum fuerit spirituale, spiritualis etiam erit motio illa entitatiuè, cum non distinguatur realiter vt res à re ab ipso instrumento.

Quarto Arguitur ex Vazquez loc. cit. vbi probat Ipse hanc sententiam primo

ex

ex *D. Thom. in* 3. *Dist.* 16. *Quæst.* 1. *Art* 6. dicente, *Quod in humanitate Christi, aut alterius Sancti solum potest esse virtus ad immutanda Corpora per modum intercessionis, aut orationis*; sed hoc est concurrere ad miracula solum moraliter; ergo iste solus concursus reperitur in humanitate Christi.

Quod Si Dicas cum *Caietano* in hoc Articulo, quod *D. Thomas* in præsenti mutauit sententiam, quam antea tenuerat. *Contra arguit Vazquez*. Quia hoc non colligitur ex hoc Articulo, & vltra hoc idem *D. Thomas Quæst.* 6 *de Potentia Artic.* 4 ait modum, quo Angelici spiritus operantur miracula esse deferendo imperium Dei, quod est præcipua causa miraculorum. Ecce quomodo non semel *D. Thomas* affirmat miracula à creaturis fieri solum per concursum moralem; hoc enim sonat illud verbum *Deferendo imperium Dei*, & obiter reprehendit *Caietanum*, quod istum locum vltimum *D. Thom.* afferat pro sententia asserente creaturas physicè instrumentaliter concurrere ad effectus miraculosos producendos.

Confirmari Potest hoc ipsum ex D. August. *Lib.* 22. *de Ciuit. Cap.* 9. Vbi ait, Quod omnia, quæ in Scripturis dicuntur de virtute Christi ad patranda miracula verificãtur maxime de potestate morali; ergo non est necessarium recurrere ad virtutem physicam.

Ad Hoc Argumentum Vazquez Respondetur Solutionem *Caietani* esse satis probabilem, videlicet *D. Thomam* mutasse sentẽtiam in hoc *Artic.* quam antea tenuerat. Nec contra hoc aliquid probat *Vazquez*. Constat enim ex hoc *Artic. D. Thom.* asserere, quod humanitas Christi habet virtutem physicam instrumentalem ad patranda miracula; nam si in secunda Conclusione solum loqueretur de cõcursu morali (vt Author ille suspicatur) non negaret in tertia Conclusione humanitatẽ Christi esse posse instrumẽtum anihilationis, moraliter enim per preces, & obsecrationes benè posset ad illam concurrere. Cum ergo affirmet humanitatem esse instrumentum miraculorũ, & neget esse instrumentum anihilationis, apertè constat loqui de instrumento physico, aliâs nulla constitui posset differentia inter instrumentum miraculorum, & anihilationis. Quare si in 3. affirmauit solum concurrere humanitatem per modum orationis, & impetrationis, hoc est moraliter, & in præsenti docet, quod etiam physicè concurrit, maximè verisimile est mutasse sententiam, & illud constare ex hoc Articulo.

Secundo etiam Responderi posset, quod *D. Thomas* dixit ibidem hoc fuisse signum Deitatis Christi, quod scilicet imperando faciebat miracula, & non orando sicut alij Sancti, nomine vero *talis Imperij* intellexit concursum physicum humanitatis, in quo benè intelligitur differentia inter illum, & alios Sanctos, quod alij solum orando, hoc est moraliter, Christus verò etiam physicè, hoc est imperando.

Nec Obstat quod causa imperans annumeratur inter causas morales, vt quando Dominus seruo suo præcipit vt occidat inimicum, tunc enim seruus physicè occidit, Dominus autem solum moraliter. *Hoc* (inquam) *non obstat*. Quia quando causa imperat aliquid, quod per alium exercendum est, tantum concurrit moraliter vt in exemplo posito, quando verò imperat imprimendo aliquid per se ipsam eodem imperio vt Christus faciebat, non solum moraliter, sed etiam physicè concurrit.

Cæterum attendendo ad litteram, & intentum *D. Thomæ* in illo loco 3. *Sentent.* verisimiliùs iudico, quod *D. Thomas* loquitur ibi de agente immutante ordinem naturæ per miracula tanquam causa principalis, & virtute propria, & ideò dicit soli Deo conuenire, quia naturam ipse solus constituit, & quia orans, aut impetrans est causa principalis moralis, ideò negauit *D. Thomas*, quod aliqua creatura, siue Angelus, siue anima Christi habeat virtutem ad immutandam naturam ipsam, videlicet tanquam causa principalis.

Nec Ex Hoc colligi debet, quod non concurrat humanitas physicè instrumentaliter ad miracula, quia oppositum melius colligitur ex eadem littera, dum *D. Thomas* dicit, quod humanitas non orando, aut intercedendo concurrebat ad illa, sicut alij Sancti, sed imperando. Et iuuatur hæc expositio ex *Solut. ad* 3. *illius Artic.* vbi ait *D. Thomas*, quod Christus miracula sanitatis non poterat facere, sed diuinitatis sibi coniunctæ; ad concursum autem per orationem non erat necessarium coniunctam esse humanitatem diuinitati, vt patet in alijs Sanctis; ergo ad concursum physicum instrumentalem, quem habet humanitas propter vnionem ad Diuinum Verbum.

Ad Secundum Locum *D. Thomæ* ex *Quæst.* 6. *de Potentia* Dicimus ibi *D. Thomã*, non

non loqui de humanitate Christi, sed solum de Angelicis spiritibus, & de alijs sanctis hominibus; atque adeò quando affirmaret, quod solum moraliter concurrunt ad miracula, non poterat inde colligi eodem modo esse loquendum de humanitate Christi. Præter quam quod in eodem Articulo expresse distinguit *D. Thom.* de modo operandi miracula moraliter, & physicè, & ex *D. Gregorio in 2. Dialogo* definiuit virtute diuina Sanctos homines, & Angelos vtroque modo miracula facere, ait enim *Sancti quandoque faciunt miracula orando, quandoque ex potestate*, hoc est *physicè*. Et infra dicit, Quod non habent virtutem ad facienda talia miracula permanenter, & per modum habitus, sed solum transeunter, quando scilicet à Deo actualiter mouentur, sicut contingit instrumento. Quæ verba nisi de physico instrumentali concursu intelligi nequeunt; modus verò causandi sic instrumentaliter, est deferendo imperium diuinum ad subiectum miraculi. Ex quo patet quam optimè *Caietanus* ad nostram sententiam comprobandam attulerit locum istum *D. Thomæ*, expresse enim illam docet, & quam sine fundamento ob istam causam reprehendatur à *Vazquez*, qui autem non vidit Articulum istum *D. Thomæ*, aut noluit intelligere planissima eius verba, vt Sanctissimo Doctori, & communi consensui Theologorum se opponeret, vt solet.

Ad Confirmationem, quam Nos adduximus ex *D. Augusti*. Respondetur ibi *Doctorem Sanctum* non affirmasse expresse, quod miracula fiant à sanctis Angelis, & hominibus physicè, nec etiam hoc negauit, sed sub dubio reliquit, vt dicit expresse *D. Thomas Quæst. illa 6. de Potentia Art. 4.* Solum ergo dixit, quod veritas sacræ Scripturæ asserentis Christum, & Sanctos fecisse miracula saluari potest sufficienter per concursum moralem. Supponit autem alterum modum esse possibilem; immo modum illum patrandi miracula physicè cedere in magnam dignitatem humanitatis Christi asserit super *Psalm.* 130. Et Sanctos illo etiam modo aliquando facere miracula satis indicat super *Psalm.* 138. in illis verbis *Mirabilia opera tua, &c.*

Quinto Arguitur prima ratione ipsius *Vazquez*, quam latissimè prosequitur 1. *Part. Disput. 76. Cap. 3.* Nos autem sub breuitate perstringemus. Nam cum res aliqua assumitur vt instrumentum ad aliquem effectum, non solum est ordo efficientis, & effecti inter ipsum effectum, & causam principalem, sed etiam inter effectum, & instrumentum ipsum; sed nullus potest reperiri ordo inter effectum, & instrumentum; ergo nullum est dabile, quod physicè concurrat ad opera miraculosa. *Consequentia est bona; & Maior videtur nota*, cum instrumentum aliquid causalitatis exerceat circa effectum. *Minor vero Probatur.* Quia si res vt effecta referatur ad instrumentum, aut hoc fit ex natura sua, aut media aliqua mutatione; neutro istorum modorum; ergo nullo. *Probatur hæc Minor.* Quia ex natura sua nequit referri, cum instrumentum supra suam naturam eleuetur ad talem effectum producendum: nec etiam media aliqua mutatione accidentali, quia vel esset talis mutatio in solo instrumento, aut in sola re producta; neutrum dici potest; ergo. *Prima Pars Minoris Probatur.* Quia instrumentum deberet mutari per aliquam qualitatem permanentem, aut transeuntem; vtraque autem si est propria, & sufficiens ad effectum producendum erit causa principalis; si est insufficiens ad effectum, non poterit illum producere nisi media eleuatione superueniente; ergo illa mutatio non erit sufficiens vt instrumentum referatur ad effectum. Secunda autem pars *Minoris Probatur*, Quia si tota mutatio ponitur ex parte rei productæ, iam non erit mutua relatio inter talem effectum, & instrumentum; quod est contra rationem causæ, & effectus.

Ad Hoc Argumentum, Quod est prima ratio *Vazquez* Respondetur Primo, Quod cum talis ratio communissima sit, & intẽdat probare, quod nullum prorsus est dabile instrumentum physicum, Argumentum est multum probans, quod est magnus defectus. Ne autem sibi videatur aliquid probasse. *Respondetur Secundo* in forma ad Argumentum *Concessa Maiori, Negando Minorem*, ad cuius probationem dico, Quod res vt effecta refertur ad instrumentum non ex natura sua consideratum, sed secundum quod diuina virtute eleuatur, vt operetur supra suam formam, & consequenter media aliqua mutatione eius; hæc autem mutatio non est per aliquam qualitatem superadditam, neque permanenter, neque transeunter, sed per diuinam motionem in ipso receptam, quæ quidem motio sufficiens est vt instrumentũ operetur, non

quidem à forma intrinseca, atque adeò non tanquam à causa principali, sed per virtutem à Deo communicatam, quæ simul cum operatione principalis agentis producere potest effectum, quem aliàs neutiquam posset producere. Vnde non se tenet mutatio solum ex parte instrumenti, sed etiam ex parte rei productæ, & consequenter optimè saluatur inter vtrumque relatio effectus, & causæ. Videatur obsecro, quam facile soluatur ratio illius Authoris, quam ipse summopere magnificat, vtpotè cui sua maximè placebant, præsertim quando communi sententiæ Thomistarum se opponebat.

Sexto Arguitur secunda, & tertia Ratione ipsius *Vazquez* probando à singularibus, quod humanitas Christi non fuerit instrumentum physicum aliquorum miraculorum. Et primo ponit miraculum illud de suscitatione Lazari, & de sanitate reddita filio Reguli, & filio Centurionis, de quibus Nos diximus in primo nostro Argumento, in quibus non apparet quomodo concurrat humanitas physicè. Deinde in particulari probat suam sententiam in miraculo illo *Marc.* 1. & *Lucæ* 4. cum dixit Dominus Dæmoni, qui hominem obsidebat, *Obmutesce, & exi de homine*, tunc enim Christus non impressit aliquid in Dæmone, vt illum expelleret à Corpore quasi per impulsum. Silentium etiam Dæmonis solum erat negatio alicuius positiui effectus, quæ non poterat esse ab humanitate Christi tanquam physico instrumento.

Confirmat Vltimò iste Author hanc sententiã miraculo illo deambulationis Christi super aquas, quod narratur *Matth* 14. Nam illa deambulatio vno ex tribus modis fieri potuit. *Primo* concessa Corpori Christi pro tunc dote agilitatis, sicut in Transfiguratione concessa fuit dos Claritatis. *Secundo Modo* ita vt per diuinam potentiam Corpus illud graue sustentaretur super aquas, ne eas suo vestigio præmeret, sicut quando Habacuc ductus est Babylonem ab Angelo pendens ex vno capillo Capitis. *Tertio Modo* per hoc quod Deus negaret suum concursum aquis ne compressæ diffluerent, sed quolibet horum modorum fieret miraculum, humanitas non potuit esse instrumentum physicum ad illud patrandum; ergo. *Minor quoad primam partem Probatur.* Quia si concessa fuit Corpori dos agilitatis iam in se habebat Corpus illud virtutem, vt deambularet super aquas absque eo, quod submergeretur; hoc enim proprium est Corpori glorioso propter dotem agilitatis.

Quoad Secundam Partem Probatur Minor. Quia si Deus sustentauit Corporis molem, hoc fuit, vel suspendendo concursum ne graue tenderet deorsum, & ad subtractionem talis concursus humanitas non concurrebat physicè; aut fuit per hoc, quod imprimeret in Corpore Christi impetum aliquem, sicut si Angelus detineret lapidem in aëre; hoc autem non est cur dicatur, cum primus modus sit facilior (ait hic Author) ergo non fuit humanitas causa instrumentalis physica illius miraculi.

Tertia Pars Minoris Probatur. Quia si Deus denegauit concursum aquis ne diffluerent grauatæ à vestigijs Saluatoris, ad talem denegationem nõ potest dari instrumẽtum physicum. *Nec sufficit dicere*, Quod compressæ sunt a quæ medio aliquo impulsu. Quia talis impulsus non videtur possibilis propter conditionem Corporis fluidi quale est aqua. Hæc sunt Argumenta *Vazquez*, quibus ipse sibi maximè videtur intentum probasse.

Ad Hoc Argumentum Respondetur Primo, Quod totum illud procedit ex puris particularibus, & argumentari à non distributo ad distributum, *Verbi grat.* Ad hoc miraculum in particulari non concurrebat physicè instrumentaliter humanitas, aut ad hoc; ergo ad nullum, atque adeò formam argumenti nullam esse, vtpotè quæ innumeras patitur instantias.

Secundo Respondetur de antecedenti, & de singulis miraculis in particulari negãdo, quod non concurrat ad illa instrumentaliter physicè Christi humanitas. Et circa primum miraculum, quod adducit de suscitatione Lazari optimè saluatur cõcursus iste physicus, siquidem eleuata voce Christus dixit, *Lazare veni foras*, quæ actio locutionis, quamuis secundum quod erat quædam vox non haberet de se virtutem suscitandi mortuum, benè tamen secundum virtutem diuinã, quæ illi potuit imprimere vim physicam, sicut in Sacramentis, verba quæ secundum se tangere non poterant animam, & eam lauare, lauant per virtutem diuinam ministro debitis circumstantijs, & intentione proferente *Ego te baptizo*.

Idem Dico de alio miraculo sanitatis restitutæ filio Reguli, & filio Centurionis, quod verba Christi cum Regulo, & Centurione

tione virtute diuina potuerunt sanare physicè instrumentaliter absentes ; distantia namque loci nihil obstabat vt diximus.

Tertium Etiam miraculum, quando eieceit Dæmonem de Corpore hominis, & fecit illum obmutescere, physicè etiam causatum fuit instrumentaliter ab illa voce Christi imperantis *Obmutesce, & exi ab homine*; virtute namque diuina potuerunt illa verba quasi per impulsum Dæmonem eijcere, & similiter facere vt homo obsessus à Dæmone non posset linguam mouere, aut labia ad nutum Dæmonis sicut antea, & per hoc causabatur silentium Dæmonis.

Loquendo Autem de vltimo miraculo deambulationis Christi super aquas, nō possum non mirari ingenium istius Moderni, qui in hoc miraculo reperiat maiorem repugnantiam, quam in alijs, vt fiat ab humanitate Christi tanquam physico instrumento ; nullum enim est in quo magis apertè ostendi possit nostræ Conclusionis veritas; quolibet enim illorum modorum fuerit facta illa ambulatio, concurrere potest humanitas physicè ad illam ; nam esto haberet pro tunc Corpus illud dotem agilitatis, cum hanc non haberet virtute propria, sed diuina per modum transeuntis, miraculum fuit illam habere Corpus passibile, atque adeo anima eius cōcursum habuit physicum in ordine ad causandam talem agilitatem in Corpore.

Si Vero Secundo Modo fuit factum miraculum per hoc quod Deus sustentauerit Corporis molem, etiam concurrebat physicè humanitas, quia illud non fuit factum per suspensionem concursus diuini, vt ille Author auspicatur, sed imprimendo in illo Corpore impetum aliquem ad modum, quo Angelus lapidem detineret in aëre.

Si Tertio Modo fuit factum, concurrebat etiam physicè humanitas, quia non per subtractionem concursus diuini, sed per aliquam compressionem aquæ fiebat, vt Christus non mergeretur super aquas ambulando ; hoc enim optimè diuina virtute poterat fieri, quamuis non naturaliter. Ego autem existimo secundo modo factum fuisse, nam Christus aliqualiter grauitabat tāgendo aquam, cum vestigia in aquis imprimeret, & aliquantulum aquæ ipsæ diffluebant, ita tamen paululum vt non submergeretur, sed solum vestigium aliquod faceret. Itaque in hoc miraculo, & in quolibet alio à Christo Domino patrato, aut iustificatione impij semper reperitur, aut contactus Corporis cum subiecto miraculi, aut vox, & imperium, aut saltem actus voluntatis humanæ Christi, quibus virtute diuina operando miracula physicè instrumentaliter operari poterat humanitas.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Humanitas Christi Domini ad patranda Miracula, & iustificationem physicè instrumentaliter habuerit aliquam virtutem permanentem habitualiter in ipsa?

PRO perfecta decisione huius Dubij, duo à nobis determinanda sunt in præsenti. *Primum* Quidnam sit virtus illa, qua humanitas efficienter concurrit ad iustificationes, & miracula; sitnè qualitas aliqua superaddita, vel motio tantum diuina? *Secundum* autem, An sit hæc virtus permanens habitualiter, qua Christi humanitas vteretur pro suo libito? Quod est præcipuum quæsitum in hac dubitatione.

Prima Conclusio.

Potestas faciendi miracula, quam habet humanitas Christi, est aliquid reale, & creatum. *Prima Pars Conclusionis Probatur.* Quia potestas ista conuenit humanitati seclusa quacumque operatione intellectus, & est magna illius perfectio; ergo est aliquid reale. *Confirmatur.* Quia talis potestas data fuit Apostolis, vt patet ex illo Marc. Vltimo, *In nomine meo Dæmonia eijcient, & super ægros manus imponent, & benè habebunt*, Qua potestate *D. Petrus* vmbra sua sanabat infirmos ; sed in illis erat virtus realis ; ergo à fortiori in Christo, in quo eminentiùs erat talis potestas, vtpotè in cœlo, & in terra.

Secunda Pars Conclusionis Probatur Quia potestas ista faciendi miracula nō erat Omnipotentia simpliciter, nam vt diximus *Artic.* 1. Impossibile est eam communicari creaturæ ; ergo erat aliqua potestas creata, *Patet Consequentia.* Quia Ens exactè diuiditur per creatum, & increatum.

Secunda Conclusio.

Impossibile est, quod potestas humanitatis Christi, aut alicuius creaturæ ad facienda miracula sit aliqua qualitas completa materialis, aut spiritualis per modum permanentis, aut transeuntis Hæc Conclusio est communissima inter Theologos huius temporis, præcipuè Thomistas, quam tenet *Caietanus* in prælenti, & *infra Quæst. 62. Art. 4. Magist. Medina hic, Soto in 4. Distin. 1. Quæst 3. Art. 4 Magister Bañez 1. Par. Quæst 45. Artic 5. circa finem, Magister Vincent. in Relect. de Gratia Christi Pag. 822. Zumel 1. 2. Quæst 112. Art. 1. Disp. 3. Propositio. 2. Bellarminus Tom. 3. Lib. 2. de Sacrament. Cap. 11. & Suarez Disp. 31. Sect. 5.* Vbi affirmat doctrinam istam esse contra aliquos Antiquos Thomistas.

Probatur Primo Conclusio ex *D. Thoma 2. 2. Quæst. 178. Art. 1. ad 1.* Vbi ait Esse impossibile dari aliquam qualitatem ad facienda miracula. *Nec sufficit dicere*, quod *D. Thomas* tantum negat qualitatem per modum permanentis, non autem per modum transeuntis (vt *Capreolus* dicit) quia qualitas illa non potest produci à Deo taliter, quod sit permanens; ergo nec etiam taliter, quod sit transiens, aut è conuerso si potest produci vt transiens, etiam vt permanens. *Patet Consequentia.* Quia talis qualitas esse non posset transiens ad modum rei successiuæ, ita vt habeat partem post partem, sed necessariò deberet esse tota simul pro illo breui tempore, quo effectum causabat. Semel autem producta iam non repugnaret, quod permanenter à Deo conseruaretur, sicut non repugnabat Visionem claram Dei communicatam *D. Paulo* per modum transeuntis, vt in illo esset permanenter.

Secundò Probatur Conclusio. Quia quæcumque qualitas creata debet eo ipso esse in subiecto creato, & consequenter certis legibus, & limitibus debet esse clausa, atque determinata certo, & limitato modo operandi; sed virtus de se factiua miraculorum non subijcitur alicui legi, neque coarctatur certo modo operandi; ergo produci nō potest à Deo. *Maior Probatur.* Nam virtus illa necessariò esset accidens, & consequenter necessario deberet dependere à subiecto in essendo, & in operando, ita quod sicut habet esse determinatum, etiam habeat modū operandi ex natura sua determinatum; implicat enim à forma determinata, & limitata producere virtutem factiuam illimitatam, & infinitā. *Minor autem Probatur.* Quia facultas miraculorum est potestas, & virtus supra omnem ordinem naturæ, & supra modum operandi naturalem.

Quod Si Dicas legem illius qualitatis, & modum operandi esse non seruare legem, neque modum, sicut *D. Bernardus* ait, quod modus amoris supernaturalis est sine modo diligere. *Contrà.* Quia nō teneri legibus, nec claudi limitibus solius Dei est; ergo cōmunicari non potest alicui creaturæ, eo enim quod sit creatura certis limitibus, & legibus subijcitur non solum in essendo, sed etiam in operādo. *Antecedens Probatur.* Quia solus est Author naturæ infinitus supra omnes res creatas, & creabiles; ergo illius solius est non teneri legibus, aut coarctari terminis.

Quod Si Rursus Respondeas Qualitatē illam cum sit supernaturalis ordinis nō coarctari legibus naturæ, aut ordinis inferioris, sed esse supra omnes illas, atque adèò talem reperiri in anima Christi. *Contra Arguitur.* Quia etiāsi qualitas illa absoluta esset ab ordine rerū naturalium, non esset absoluta ab ordine rerum supernaturaliū, sed in tali genere esset determinata, & certis limitibus clausa, sicut sunt omnes aliæ qualitates supernaturales; ergo esse non posset virtus factiua miraculorū de se. *Probatur ista Consequentia.* Quia potestas miraculorū non solū se extendit ad res naturales, sed etiam ad res supernaturales, ita vt transmutare possit nō solum res naturalis ordinis, sed etiam res supernaturalis ordinis, immo omnes creaturas factas, quæcumque illæ sint; ergo operatio eius nullis legibus naturalibus, aut supernaturalibus coarctaretur, & limitaretur, & consequenter infinita simpliciter esset in operando, quod est implicatio contradictionis, cum creatura sit, & ideò *D. Thomas* negat formam istam permanentem operatiuam miraculorum esse possibilem; sicut negat esse posibile, quod Omnipotentia simpliciter communicetur creaturæ, in quibus verbis ostendit Omnipotentiam diuinam esse solam causam miraculorum principalem, ita vt creatura per formam aliquam sibi inhærentem nullatenus illa causare possit.

Confirmatur Hæc Ratio. Quia Gratia miraculorum, & Operatio virtutum se extendit ad omnia, quæ possunt fieri supra na-

naturam; ergo qualitas illa si daretur, posset se extendere ad omne miraculum, & esset vniuersale principium respectu omnium miraculorum; sed hoc implicat contradictionem; ergo etiam dari talem qualitatem ad miracula. *Prima Consequentia Probatur.* Quia talis qualitas miraculorum operatiua non daretur ad istud, vel ad illud opus miraculosum in particulari, sed daretur vniuersaliter ad omnia miracula faciendа. Quod autem hoc implicet contradictionē *Probatur*, Nam in illo casu talis qualitas nullis legibus rei creatę esset subiecta, quod est proprium Dei, & vltra hoc cum esset potestas immutandi omnem creaturā tam naturalem, quàm supernaturalem, etiam posset immutare se ipsam, quod esse implicationem de se patet.

Forte Dices huic Argumento, quod illa qualitas miraculorum non erat respectu omnium miraculorum possibilium, sed solum respectu huius miraculi in particulari, *Verbi grat.* Multiplicationis panis in deserto, aut alterius.

Sed Responsio ista omninò friuola est, *Tum* quia iuxta istam Solutionem ad quodlibet miraculum in particulari ponenda esset distincta qualitas numero in humanitate Christi, quod est omnino superfluum; tot enim entitates multiplicare sine fundamēto ridiculum videtur, *Tum* etiam quia iuxta eamdem Solutionē non diceretur illa qualitas *Potestas miraculorum*, sicut potestas characteris sacerdotalis non dicitur potestas miraculorum, sed tantum potestas ad conuertendū panem in Corpus Christi, & vinum in sanguinem, hoc est ad consecrandum, quia ad illud solum extenditur; ergo si illa qualitas solum esset ad hoc miraculum in particulari non diceretur potestas miraculorum, illa namque deberet esse vniuersale principium ad omnia miracula patranda tam circa naturalia, quàm supernaturalia.

Tertio Probatur Specialiter, quod non detur illa qualitas ad producendam gratiam, quia vel talis qualitas potest ex natura, & vi sua producere gratiam, vel non: si non potest impertinenter ponitur, siquidem oporteret, quod talis qualitas eleuaretur ad talem effectum per aliam, & sic in infinitum, nam eadem ratione, qua ista qualitas ponitur ad eleuandam naturam humanam Christi, vt possit præstare effectum, quem ex se ipsa non posset, ita similiter, si illa qualitas ex se ipsa non potest producere effectum, deberet eleuari per aliam, & sic in infinitum. Si verò dicatur qualitatem illam ex se ipsa, & nullo alio superaddito posse producere gratiam, sequeretur talem qualitatem esse perfectiorem formam, quam ipsa gratia, cum gratia dependeret ab illa tanquam à principali causa efficiente, atque adeò gratia non esset participatio diuinæ naturæ secundum totam plenitudinem diuinæ naturæ, quod est falsum. Dari ergo non potest qualitas aliqua, quæ sit de se causatiua gratiæ.

Confirmatur. Nam talis qualitas esse non potest corporea, neque incorporea; ergo non est dabilis. *Probatur Antecedens.* Nam si esset corporea non posset causare aliquid spirituale, nisi rursus per aliquid superadditum eleuaretur: si verò sit spiritualis, recipi non poterit in subiecto corporeo, vt in Corpore Christi, Voce eius, aut Contactu. Nec est simile de motione diuina, quam Nos partim asseruimus *Art. Præced.* & ex professo dicemus *Concluſ.* 4 quia motio illa diuina non indiget altera motione vt eleuetur, sicut indiget ista qualitas; & illa motio tantum est quædam delatio imperij diuini ad subiectum miraculi.

Quarto Probatur. Quia non est assignabile quodnam sit obiectum adæquatum talis qualitatis; ergo illa non datur. *Probatur Antecedens.* Quia si daretur aliquod obiectum talis qualitatis deberet esse immutatio omnis creaturæ tam naturalis, quàm supernaturalis, aut omne illud, quod non implicat contradictionem; sed hoc solum est obiectum diuinæ omnipotentiæ propter eius infinitatem; ergo non est obiectum huius qualitatis. *Confirmatur.* Quia si obiectum huius qualitatis esset immutatio omnis creaturæ, sequeretur quod quælibet creatura subderetur huic qualitati, & haberet omnis creatura potentiam obedientialem respectu illius; hoc autem implicat cōtradictionem; ergo & antecedens. *Sequela Probatur.* Quia qualitati illi factiuæ miraculorum debet correspondere aliqua potentia passiua; sed non est alia nisi potentia obedientialis, vt scilicet in illis fiat quidquid talis potentia actiua ordinauerit; ergo. Quod autem hoc sit omninò impossibile, *Patet*, quia isto modo solum ordinantur creaturæ, & subduntur Deo tanquam Creatori.

Tertia Conclusio.

Potestas Faciendi miracula non est in humanitate Christi aliqua qualitas incompleta, neque materialis, neque spiritualis. In hac Conclusione non ita conueniunt Doctores, sicut in præcedenti, nam Aliqui sunt, qui Nobiscum sentiunt de qualitate completa negando illam, & nihilominus concedunt qualitatem incompletam. Sic videtur sentire *Capreolus, Paludanus, & Ferrara*, immo *Zumel loco supra citato, & Magist. Vincentius in sua Relect. Quæst. 6. Pag.* 822. Vbi ait quod quando *D. Thom.* 2.2. *Quæst.* 178. *Art.* 1. *ad* 1. ait Esse impossibile dari illam qualitatem, intelligit (inquit *Vincentius*) de potentia Dei ordinaria, non tamen de potentia Dei absoluta. Quidquid ergo sit de Opinantibus contra istam nostram Conclusionem, illa probatur ferè omnibus rationibus, quibus præcedens Conclusio. Quare Authores modo citati, aut alteram qualitatem completam debēt fateri, aut si illam nobiscum negant, negare etiam debent hanc qualitatem incompletam.

In Speciali ergo breuiter probatur Conclusio. Quia qualitas ista incōpleta ex se ipsa non potest causare gratiā, aut miraculū; ergo indiget alia eleuatione per alteram qualitatem, vel completam, vel incompletam. Si per completam, iam incidunt in alteram sententiam contra quam secunda Conclusione Dimicauimus, & ipsi Authores impugnant. Si per incompletam; ergo dabitur processus in infinitum, quia etiam illa qualitas incompleta secunda non erit de se sufficiens sine noua eleuatione. *Antecedens autem Probatur.* Nam ideò Authores huius qualitatis incompletæ illam ponunt incōpletam, vt saluent eam non esse causam principalem gratiæ, sed principium instrumentale indigens eleuari à Deo ad causandam gratiam, quam ex se causare non posset; ergo illa de se causare non potest miraculum, aut gratiam, nisi per aliquid aliud illi superadditum eleuetur.

Quarta Conclusio.

Humanitas Christi constituitur in actu primo in ratione instrumenti physici effectiui gratiæ, & miraculorum per virtutem

A creatā, quæ est motio, aut eleuatio Dei, seu vsus passiuus receptus in ipsa humanitate, quo mouetur ad producendos effectus supernaturales. In hac Conclusione conueniunt multo plures ex Thomistis, præcipuè huius temporis, quam existimo esse *D. Thomæ infra Quæst.* 62. *Art.* 1. *&* 4. loquendo de Sacramentis, & *Quæst.* 68. *Art.* 4. & aliàs sæpè *Magist. Soto in* 4. *Dist.* 1. *Quæst.* 3. *Art.* 4. *Ferrara* 4. *Contra Gent. Cap.* 56. *Caietan. locis cit. super D. Thom. Zumel.* 1.2. *Quæst.* B 112. *Art.* 1. *Disput.* 3. *Propos.* 4. 5. 9. *&* 10. *Cabrera in præsenti Disp.* 4. *Concluſ.* 4.

Pro Intelligentia tamen nostræ Conclusionis, antequam probetur, prius prænotandum est, Motionem, seu eleuationem dicere multiplicem respectum. *Primo* enim eleuatio respicit agens, quod eleuat instrumentum, quod quidem est causa principalis superior agens virtute propria communicans suam virtutem rei, quæ eleuatur. *Secundo* Eleuatio respicit illud, quod eleuatur, C quod quidem præsupponitur eleuationi, quo circa res, quæ nondum est, eleuari non potest, quia eleuatio non est creatio, aut productio rei, sed illam præsupponit existentem. *Tertio* dicit eleuatio illud, quo res eleuatur, quod quidem nihil aliud est, quam motio quædam, qua res ex aliquo esse ad aliud eleuatur, & constituitur in termino, qui est vltimum eleuatum esse. *Quarto* respicit eleuatio illud ad quod res eleuatur, quod quidem est terminus, seu finis ipsius D eleuationis. Aliquando autem res solum eleuatur ad esse, vt quando homo eleuatur per gratiam vt sit Filius Dei; gratia enim non est forma operatiua, nec datur ad operandum immediatè. Aliquando autem eleuatur res ad operandum tanquam causa principalis, vt quando eleuatur intellectus noster, aut voluntas per fidem, & charitatem ad credendum, & amandum Deum. Aliquando verò eleuatur ad operandum tanquam causa instrumentalis, ad quam E quidem eleuationem etiam est necessarium vt in re eleuata causa principalis ponat virtutem aliquam, qua constituatur in ratione instrumenti actiui, & hanc Nos Dicimus esse *Motionem.*

Secundo aduertenda est differentia, quæ versatur inter causam principalem, & instrumentalem, quod principalis causa cum operetur per propriam formam, constituitur in actu primo in ratione causæ priustēpore, immo multo tempore antequam in actu secundo operetur, nam ignis per suam for-

formam est causa principalis alterius ignis. Etiam quando actu non comburit; & voluntas per habitum charitatis est constituta in actu primo sui actus secundi, etiamsi in actu non diligat; & idem reperitur in alijs causis principalibus secundis, siue sint ordinis naturalis, siue ordinis supernaturalis. Causæ verò instrumentales constituuntur per virtutem illis communicatam à Superiori agente, à quo eleuantur; cum enim producat non virtute propria, sed vlterius scilicet principalis, tunc constituitur in actu primo quando accipit istam virtutem non sic vt principali communicatam, sed sicut inferiori instrumentali. Quare causæ instrumentales vt sic tantum constituuntur in ratione talium pro illo tempore, aut instanti temporis, quo instrumentaliter producit effectum, *Verbi grat.* Quando humanitas eleuatur ad iustificationem impij, quæ in instanti fit, tantum habet virtutem communicatam à Superiori agente pro illo tunc quo constituitur in esse instrumenti effectiui gratiæ. Nihilominus in illo eodem instanti temporis distingui debet duplex instans naturæ quantum ad præsens attinet, & in priori instanti naturæ constituitur humanitas Christi in ratione instrumenti vt sic in actu primo, vt in alio instanti naturæ posteriori producat instrumentaliter gratiam in actu secundo.

Ex Quo Patet explicatio nostræ Conclusionis; illa namque eleuatio, seu motio diuina, qua constituitur humanitas formaliter in ratione instrumenti physici, vt sic est quædam virtus transiens, & fluens, non autem permanens, sicut est virtus causæ principalis. Probatur ergo Conclusio ex supra dictis. Quia Humanitas Christi non constituitur in ratione instrumenti physici per qualitatem aliquam completam (vt Diximus *Concluſ.* 2.) neque etiam per incompletam (vt Diximus *Concluſ.* 3.) ergo per motionem diuinam, & explicatam in hac Conclusione. *Patet Consequentia* à sufficienti diuisione; supponimus enim pro nunc non constitui in ratione instrumenti physici per potentiam obedientialem actiuam contra quam inferiùs Deo dante disputabimus.

Confirmatur authoritate *D. Ambrosij Lib. de Sacramentis Cap.* 5. Vbi eodem modo videtur ponere virtutem instrumentalem in Sacramentis, quo Nos posuimus in Humanitate Christi, & ratione talis virtutis ait contineri in Sacramentis gratiam tanquã in causa instrumentali, inquit enim, *Non omnis aqua lauat, sed aqua illa, quæ habet virtutem Christi*, hoc est, per diuinam motionem, & eleuationem.

Secundo Probatur Conclusio. Nam posita tali diuina motione in quolibet instrumento supernaturali saluarur optimè quomodo instrumentum, *Verbi grat.* Humanitas constituatur prius natura in ratione instrumenti in actu primo antequam in actu secundo operetur (vt diximus secundo notabili) ergo hæc sola diuina motio est in instrumento ponenda.

Confirmatur. Quia in alijs instrumentis naturalibus, vt puta serra, calamo, &c. non videtur quod artifex virtutẽ aliquam permanentem, aut qualitatem transeuntem ponat, sed solam motionem artificiosam; ergo idem erit dicendum in instrumentis ordinatis ad effectus supernaturales.

Soluuntur Argumenta, quæ probant Virtutem instrumentalem non esse Motionem.

Primum est ex *Suarez Disp.* 31. *Sect.* 6. Quia hæc motio diuina à Nobis posita in Conclusione est quid imperfectius omni qualitate supernaturali; ergo non potest tribuere vim actiuam ipsi humanitati ad causandam gratiam, nec ad patranda miracula. *Probatur Antecedens.* Quia motus ille, vel erat contactus per manum, vel saliua, vestes Christi, aut aliquid huiusmodi; hæc autem nihil reale intrinsecum ponebant in Corpore Christi nisi relationem propinquitatis ad aliud Corpus, aut motum localem, & aliquod nouum *Vbi*, cum quo coniungi poterat aliqua alteratio, quæ vtique omninò accidentaria esset ad faciendum miraculum: sed omnia hæc insufficientia sunt, & improportionata ad effectum supernaturalem producendum; & similiter motus linguæ quando loquebatur, & multo magis motus interior intellectus, aut voluntatis imperantis miracula fieri, nam si erant naturales, clarè patet esse improportionatos: si verò sint procedentes à supernaturali principio, vt charitate, &c. tales non sunt actiui physicè in externam materiam, cum sint purè immanentes; ergo non potest dari quod motio illa passiua instrumenti sit ratio, qua instrumentum constituatur in ratione

tione talis in ordine ad patranda miracula.

Confirmatur. Nam humanitas Christi existens in Sacramento altaris causat gratiam instrumentaliter eodem modo, atque existens extra Sacramentum; sed prout est in Sacramento altaris non causat gratiam per aliquam motionem Dei; ergo nec etiam extra Sacramentum. *Probatur Minor.* Quia cum ibi sit indiuisibiliter nequit per se moueri localiter, neque motu alterationis. Isti namque motus requirunt subiectum extensum; ergo virtus, qua extra Sacramentum causat instrumentaliter gratiam humanitas Christi nullatenus potest esse motio diuina, sed aliquid aliud superadditum.

Respondetur Distinguendo Antecedens; si enim motio illa humanitatis consideretur in ratione entis, sic imperfectior est alijs qualitatibus supernaturalibus, etsi materialiter imperfectior effectu per ipsam producto. Si autem consideretur in genere causæ instrumentalis actiuæ habet quamdam excellentiam virtualē supra omnes alias qualitates, & supra effectus ex ipsa sequutos. Et est Exemplū in Naturalibus; certum enim est, quod semen deciſſum ab homine si in ratione entis consideretur, inferioris ordinis est, & dignitatis quam homo, equus, aut quodlibet aliud animal; cæterum si consideretur in ratione virtutis causatiuæ, sic superioris virtutis est, eū sit causatiuum substantiæ hominis. Sic Dico de Motione illa, si in ratione entis consideretur est inferioris ordinis; non autem in ratione principij causatiui, sic enim est superior, quia non agit virtute propria, sed virtute principalis agentis.

Ad Probationem autem Antecedentis Dico humanitatem Christi omnibus illis modis concurrere ad iustificationem, & ad causanda miracula; negamus tamen omnia illa esse insufficientia ad tales effectus producendos, quia quamuis secundum se considerata ex propria virtute sint improportionata, & insufficientia, tamen per diuinā illam motionem in ipsis receptam, proportionem iam habent media elenatione cum effectu producendo, & sufficientiam, vt mota à Deo talia miracula operentur.

Et Idem Dico de Loquutione Christi, & Volitione vltimo posita in Argumento; licet enim Volitio secundum se sit actio tantum immanens secundum propriam virtutem, nihilominus virtute Dei potest esse virtualiter transiens in externam materiam, quia non habet causalitatē in illam per vires proprias, sed per diuinam motionem, & virtutem eleuantem illam.

Ad Confirmationem Respondetur, Quod humanitas Christi si consideretur in quantum existens in Sacramento altaris tanquam virtus illius Sacramēti, solum habet causare gratiam illam Sacramentalem per modum cibi, & potus, qui est proprius effectus Sacramenti Eucharistiæ; ad illam tamen causandā illo modo mouetur à Deo, cum instrumentaliter eam causet. Illa autem met humanitas realiter existens in Sacramento, causat miracula, & iustificationes hominum secundum quod habet diuinam motionem necessariò prærequisitam ad instrumentum, quæ quidem motio cum sit omninò alterius ordinis, & superioris ab alteratione, & â motu locali, non indiget subiecto extenso in quo recipiatur, cum in anima separata possit recipi, quæ extensionem non habet; atque adeò tam in Sacramento realiter existens, quàm extra potest humanitas instrumentaliter physicè ad miracula, & iustificationem concurrere.

Secundum Argumentum est, Nam ille motus, quo humanitas mouetur à Deo ad patranda miracula non est motus localis, nec alteratio, aut augmentatio; ergo non datur talis motus. *Consequentia Patet* à sufficienti diuisione. *Antecedens verò Probatur*: & quidem quod non sit *Augmentatio* per se notum est: quod autem non sit *Motus localis* in humanitate receptus probatur, quia sequeretur humanitatem Christi modo existentem in cœlo non concurrere instrumentaliter ad iustificationem, & miracula, cum non moueatur localiter. Ac tandem quod non sit *Alteratio* probatur, quia in tali casu necessariò deberet habere pro termino aliquam qualitatem productam, & receptam in ipsa humanitate, cum motus alterationis ad qualitatem terminetur: hoc autem à Nobis impugnatum est *Conclus. 2. & 3.* ergo non est dabilis motus aliquis in humanitate, quo constituatur humanitas in ratione instrumenti physici miraculorum.

Respondetur Motionem illam diuinam non esse contentam sub aliquo illorum membrorum diuisionis motus positæ ab *Arist.* propriè; sed esse alterius ordinis; potest tamen aliquo modo vocari *Alteratio perfectiua*, seu effectiua instrumenti, in quo quidem non habet terminum productum, qui est qualitas gratiæ permanens: hæc enim est in altero subiecto, neque etiam alterum

terum terminum, quia non est talis motio, seu virtus in instrumento permanenter, sed tantum per modum transeuntis in ordine ad effectum producendum in externam materiam.

Tertium Argumentum sit. Nam Motio ista diuina, aut est corporalis, aut spiritualis; neutrum dici potest; ergo *Probatur Minor.* Quoniam si est corporalis, non poterit humanitas constitui per illam in actu primo in ratione instrumenti actiui effectuum supernaturalium, cum corporale sit inferioris ordinis ad spirituale; & præterea subiectari non posset in anima; nam forma corporalis recipi non potest in subiecto spirituali. Si autem dicatur, quod est spiritualis, tantum posset subiectari in anima, & nullo modo in Corpore, cum forma spiritualis in subiecto Corporeo subiectari nequit, & consequenter anima solum esset instrumentum physicum miraculorum, non autem Corpus Christi, aut Caro eius, quod est contra sacra Concilia, & Sanctos Patres asserentes *Carnem Christi esse Vinificatricem*; ergo nullo modo ponenda est talis motio.

Confirmatur. Quia motio ista recepta in humanitate, spectat ad genus passiui; ergo non potest per illam humanitas constitui in ratione physici instrumenti. *Antecedens Probatur.* Quia motio ista est passio in humanitate recepta; sicut motus, quo aqua calefit est passio recepta in aqua; ergo pertinet ad genus passiui. *Prima Consequentia Probatur.* Nam instrumentum, & causalitas eius spectat ad genus actiui, cum sit in genere causæ efficientis; ergo humanitas per illud, quod est generis passiui, qualis est motio diuina, constitui nequit in ratione instrumenti actiui causantis effectum miraculosum.

Respondetur Virtutem illam constitutiuam instrumenti tam in humanitate Christi, quàm in Sacramentis esse quidem entitatiuè materialem, & corpoream, si recipiatur in instrumento Corporeo; simpliciter tamen, & absolutè spiritualis vocanda est, quia consideratur quatenus est virtus actiua communicata à Superiori agente spirituali, & in ordine ad effectum spiritualem.

Ad Impugnationem, Quod scilicet si spiritualis est, non potest recipi in Corpore Christi, *Negatur Consequentia*, quia quamuis aliqua qualitas permanens spiritualis nequeat recipi in subiecto corporali, bene tamen aliqua motio, quæ solum est per modum transeuntis. Et est Solutio expressa *D. Thomæ infra Quæst. 62. Art. 4. ad 1.* Vbi proposito eodem Argumento respondet, *Ad primum dicendum, quod virtus spiritualis non potest esse in re corporea per modum virtutis permanentis, & completæ; nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter, in quantum scilicet Corpus potest moueri ab aliqua substantia spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum.* Et adducit exemplum de voce sensibili, *in qua (dicit) est quædam vis spiritualis ad excitandum intellectum hominis in quantù procedit à Conceptione mentis, & hoc modo (inquit) est virtus spiritualis in Sacramento.*

Quod Si Arguas: Quia vnumquodque recipitur ad modum recipientis, ergo si recipiens illam virtutem est Corpus, ipsa non poterit esse spiritualis. *Respondetur Negando Consequentiam*; habet enim hoc particulare virtus ista, eo quod superioris ordinis est, quod scilicet quamuis spiritualis sit, recipitur in subiecto corporeo non permanenter, sed solum transeunter vt ait *Diuus Thomas.*

Ad Confirmationem Respondetur Negando Antecedens, Non enim spectat motio ista, vel virtus ad genus passiui, sed ad genus actiui, cum ordinetur ad effectum producendum instrumentaliter. *Nec huic obstat,* Quod talis virtus recipiatur passiuè in instrumento; hoc enim commune est omnibus formis actiuis, quæ recipiuntur prius natura in subiecto passiuè se habente in ordine ad earum receptionem, & nihilominus sunt simpliciter qualitates, vel formæ actiuæ, eo quod ad effectum efficienter producendum ordinantur, vt patet in calore ignis, & alijs.

Vltima Conclusio.

Virtus Faciendi miracula non est in humanitate Christi permanenter, nec habitualiter, sed solum per modum transeuntis. Hæc Conclusio patet ex supra dictis, nam si virtus ista non est qualitas completa, aut incompleta, sed motio, aut elevatio diuina, & talis motio tantum est quando actualiter exercetur opus miraculosum vt diximus in secundo notabili posito post quartã Conclusionem; ergo non est in humanitate Christi permanenter, sed solum per modum transeuntis.

Sol-

Soluuntur Argumenta, quæ probant esse Qualitatem Permanentem.

Arguitur Primo ex illo Luc. 6 *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Et Luc. 4. *Singulis manus imponens sanabat eos.* Super quæ verba *D. Cyrillus* ait, *Quod sicut ferrum ignitum recipit calorem ab igne, ita Caro Christi recipit à Diuinitate quamdam virtutem ad sanandum*; ergo virtus illa erat permanens, sicut calor est in ferro ignito. Hoc etiam videntur sonare loca sacræ Scripturæ.

Confirmatur Primo. Nam Christus Dominus operabatur iustificationem, & miracula quando, & quomodo volebat, & circa subiecta sibi placita; ergo erat in illo virtus permanens, & habitualis ad talia miracula. *Patet Consequentia.* Quia habitibus vtimur cum volumus. *Antecedens autem Probatur.* Ex illo Matth. 8. *Domine si vis, potes me mũdare* In quibus verbis satis insinuatur miracula solum dependere ex libera voluntate Christi, ita vt illa faceret quando volebat: & hoc etiam ostendit responsum Christi dicentis, *Volo, Mundare.* Ergo erat talis potestas in Christo habitualiter.

Confirmatur Secundo. Quia potestas ista miraculorum tradita fuit humanitati, quasi proprietas quædam consequens Vnionem Hypostaticam; ideò enim est principalis in Christo, & operabatur authoritatiuè miracula, sed Vnio Hypostatica est permanens, & perpetua; ergo etiam virtus causatiua miraculorum.

Respondetur. Quod illæ Authoritates non sunt intelligendæ de virtute aliqua, quæ inhæreret Christo permanenter ad facienda miracula, sed de virtute, quæ recipiebatur in alijs, nempè de sanitate, & alijs donis, quæ Christus alijs conferebat; dicebatur autẽ, quod exibat talis virtus à Christo, quia ab illo secundum Diuinitatem procedebat vt à causa principali, & ab humanitate tanquam ab instrumento; & ideò dixit ipse quando mulierem sanauit à profluuio sanguinis *Ego sensi de me virtutem exisse.*

Ad Authoritatem autem *D. Cyrilli* Respondetur, similitudinem illam non tenere quantum ad omnia, sed solum quantum ad hoc, quod sicut ferrum calefacit per calorem receptum ab igne, & non per propriã virtutem, aut formam, ita Christi humanitas operabatur miracula non ex se, aut ex natura sua, sed ex Diuina motione tanquam instrumentum Diuinitatis.

Ad Primam Confirmationem Respondetur, Quod quamuis Christus Dominus instrumentaliter producebat effectum quando, & quomodo volebat, non tamen hoc prouenicbat ex aliqua virtute, aut habitu permanente ad talia miracula, sed ex hoc, quod diuina potestas ita præsto erat Christo Domino, vt quotiescunque vellet mouebatur actualiter ab ipso principali agẽte Deo, scilicet non quidem hic, quod hæc facultas diuina subderetur voluntati humanæ Christi, sicut habitus subditur humano ingenio ad operationes eius; sed potius è contrario humana voluntas Christi subdebatur Diuinitati in omnibus, & diuinitas vtebatur anima Christi, & humanitate tanquam instrumento coniuncto personaliter. Et ex hoc patet quomodo rectè dixerit ille Leprosus Christo, *Domine si vis potes memundare*, & Christus dederit responsum *Volo, Mundare*: denotatur enim in hoc infallibilis assistentia diuinæ virtutis ad miracula patranda, quando Christus volebat; non autem denotatur aliqua qualitas permanens, aut habitualis factiua miraculorum.

Ad Secundam Confirmationem Respondetur Negando, quod virtus instrumentalis per quam Christus miracula patrabat, fuerit tradita humanitati per modum passionis, aut proprietatis consequutæ ad Vnionem Hypostaticam, neque propter hoc authoritatiuè operabatur miracula, sed quia virtus diuina præsto erat ad voluntatem Christi (vt dictum est ad præcedentem confirmationem) & sic quamuis Vnio Hypostatica erat permanens, virtus instrumentalis non erat permanens, quia dabatur actualiter in instanti patrationis miraculi. Verum est quod humanitas propter vnionem habuit hanc excellentiam, vt ad eius voluntatem virtus diuina præstaretur quomodo, & quando ipse volebat miracula patrare; sed aliud est in ipsa humanitate esse permanenter vnitam; aliud est, quod ex vitalis vnionis illi quasi ex debito congruentiæ, & cõnaturalitatis præstatur: sicut in Sacerdote quamuis character permanenter existat, virtus tamen instrumentalis ad consecrandum debetur quidem connaturaliter ratione characteris, quoties ipse voluerit cõsecrare; non tamen propter hoc illa virtus est proprietas, vel passio, nec permanens,

nens, vt ad sequens Argumentum dicetur.

Secundo Arguitur. Quia voluntas humana Christi est voluntas Personæ Diuinæ; ergo habet absolutam efficaciam respectu omnium, quæ vult. Rursus: sed esse nō posset illa voluntas ita efficax, nisi haberet illam potestatem absolutam faciendi miracula permanenter, & habitualiter; ergo illam habet.

Confirmatur. Nam talis virtus si non esset habitualis, & permanens, ideò esset, quia est virtus instrumentalis; sed hoc non obstat; ergo. *Probatur Minor,* Quia character est potestas, & virtus permanens in anima, vt dicitur infra *Quæstione 63.* Et tamen cōcurrit instrumentaliter ad facienda sacramenta; ergo etiam si hæc virtus miraculorum sit instrumentalis, poterit esse permanens, & habitualis.

Si Dicas, Quod in humanitate non est talis virtus permanens, eo quod vt instrumentum agit motum à Deo, & non propria authoritate, atque adeò solum est talis virtus quando actualiter à Deo mouetur.

Contra. Quia etiam causa principalis secunda non potest operari nisi mota à Causa Prima, & tamen hoc non obstante, habet virtutem permanentem, & habitualem ad producendum effectum suum, ergo etiam si instrumentum moueatur à Deo non tollitur quin habeat virtutem permanentem, & habitualem ad producendum miracula.

Respondetur, Quod voluntas humana Christi non est voluntas Personæ diuinæ, sicut est ipsa voluntas diuina, sed solum est per vnionem, & coniunctionem naturæ, cuius est voluntas, scilicet naturæ humanæ, & ideò non debet habere habitualiter, & permanenter efficaciam absolutam, quæ propria est volūtatis diuinæ, sed solum per modum instrumenti coniuncti, & vniti Personæ diuinæ. Et ad hoc solum exigitur, quod ab ipsa diuinitate tribuatur virtus operatiua miraculorum, quando ipsa voluntas humana voluerit.

Ad Confirmationem Respondetur Concedendo, Quod ideò non est permanens hæc virtus, quia est instrumentalis, non quomodocunque, sed completè, seu in actu secundo. *Ad Impugnationem Dicitur,* Quod character non est habitus, sed reducitur ad speciem potentiæ (vt infra *Quæstione 63. Art. 2.* dicitur) est tamen virtus instrumentalis quatenùs per illum Sacerdos constituitur in aptitudine, vt recipiat virtutem instrumentalem, & eleuationem, & motionem agentis principalis, & ideò habet modum potentiæ, non tamen est simpliciter *Potentia.* Et etiam habet rationem aliquam instrumentalem, quia constituit instrumentum per modum deputationis ad tale ministerium, & ad recipiendam eleuationem, & actualitatem, seu motionem vltimam per quam ministerialiter, & instrumentaliter operatur. De Hoc Argumento vide infra *Quæstione 62.* in Dubio Vltimo ad Confirmationem Primi Argumēti pro primo modo dicendi contra primam Cōclusionem; & *Quæstione 63. Art. 2. Dubio 2.* ad primam Confirmationem Secundi Argumenti, & in toto illo Dubio.

Ad Replicam de Causa Principali Respondetur ex doctrina data in notabili secundo posito post quartam Conclusionem in hoc Articulo, Quod causa principalis est constituta per propriam formam, tatione cuius in virtute continet effectum, & potest illum producere, & sibi assimilare illum, & solū indiget concursu Causæ Primæ, vt reducatur ad actum. At verò instrumentum non mouetur vt operetur virtute propria, sed virtute aliena, quæ est virtus causæ principalis, quæ sibi assimilat effectum; & ideò diuersimodè valde præmouetur causa principalis, & mouetur instrumentalis.

Tertio Arguitur. Nam talem potestatem miraculorum habitualem, & permanentē dari Christo non repugnat, & ex alia parte cædit in magnam dignitatem Christi, ergo in illo ponenda est. *Antecedens Probatur,* Quia virtus illa imperfecta per modum trāseuntis non repugnat dari, cum de facto communicetur sanctis facientibus miracula; ergo etiam non repugnauit, quod à Deo tribuatur illi virtuti permanentia in subiecto. *Consequentia Probatur,* Quia omnem virtutem imperfectam potest Deus perficere magis, ac magis, atque adeò virtuti fluēti communicasse permanentiam; quod maximè decens erat in humanitate Christi fieri.

Respondetur, Quod benè potest Deus perficere omnem virtutem imperfectam intra latitudinem suæ speciei, & naturæ; si tamen tantum crescat perfectio, quod excedat limites suæ naturæ, erit virtus alterius speciei. Virtus autem instrumentalis ista actualis, de qua loquimur, est ex natura sua transiens sicut motus, & ideò non potest Deus facere permanentem, quia non potest facere quod sit transiens, & permanens; sicut non potest facere, quod motus quiescat, quia est

contra

contra eius naturam; poterit tamen facere, quod motus, vel actio duret per aliquod tempus, sed tamen semper per modum fluxus, & fieri. Sic similiter motio instrumentalis petit esse per modum transeuntis, vnde connaturaliter petit esse in actu secundo. Si autem à Deo conseruaretur quasi in actu primo habitualiter, seu per modū habitus, nō esset iuxta naturam suam, nec hoc erat decens ponere in Christo regulariter, & de lege ordinaria, quia decentia maior est vt seruetur modus connaturalis cuiuscunque rei, & potius erat indecentia ponere motionem non per modum actus, sed per modum habitus, & quasi otiosè ibi perseuerans, tanquam actio non agens in actu secundo; maximè cum decentia ex alio Capite melius saluetur, scilicet ex vnione, & coniunctione ad Personam diuinam, ratione cuius præsto illi adest hæc virtus, quotiescunque illa voluerit vti.

Quarto Arguitur, Quia quando humanitas Christi efficienter cōcurrebat ad causandam gratiam, & miracula, constituebatur in ratione principij productiui talium effectuum, non quidem per virtutem sibi naturalem, & intrinsecam, sed per virtutē Dei: hæc autem virtus non potest esse in ipsa humanitate recepta; ergo est aliqua qualitas permanens habitualiter. *Minor Probatur*; Quia motus non potest esse principium actionis, cum sit forma actiua.

Confirmatur, Quia esto daremus motum illum esse principium actionis, qua humanitas operatur miracula, tamen virtus intelligi non potest sine aliquo termino per ipsam producto, cum motus sit productio, seu acquisitio sui termini; ergo si motus ille recipitur in humanitate, in eadem erit terminus productus per talem motum; qui nihil aliud videtur posse esse, quam qualitas aliqua per illum producta; atque adeò talis virtus ad miracula erit permanens habitualiter in humanitate.

Respondetur, Quod illa virtus est motio, seu motus, non tamen est principium alterius actionis à se distinctæ, & virtute ipsius elicitæ; sed est motio, quæ simul est actio agentis principalis producentis effectum, & mouentis instrumentum per eamdem actionem, vt illam deferat vsque ad effectum, & per eamdem motionem, qua instrumentum mouetur instrumentaliter operatur, non per aliam actionem, quia eadem actione operatur instrumentum, qua agens principale.

A *Ad Confirmationem Respondetur*, Quod motus, seu motio est productiua, seu acquisitiua termini in subiecto, in quo quiescit, & in quo recipitur quasi in termino, non vero in quo recipitur per modum fluxus, & per modum transeuntis; & quia virtus ista, seu motio taliter recipitur in humanitate, quod non terminatur ibi, sed solum per modum transeuntis ad producendum miraculum in alio subiecto. *Verbi grat.* Ad resurrectionem Lazari, & sic de alijs; ideò
B non debet producere aliquid in ipsa humanitate.

Vltimo, Nam omnes aliæ gratiæ gratis datæ communicantur humanitati Christi habitualiter, & permanenter; ergo etiam gratia miraculorum. *Consequentia Patet* ex paritate rationis, & *Antecedens Probatur*, Quia genera linguarum, Discretio spirituum, & Prophetia habitualiter erant in Christo Domino, vt dicitur dum de eis ageremus *Quæst. 7. Art. 7. & 8.*

C *Respondetur*, Quod Solutio huius Argumenti non dependet ex veritate antecedentis; duplex est enim modus dicendi de antecedenti communis in *Quæstione 7. citata*. Quidam dicunt, quod omnes gratiæ gratis datæ fuerunt in Christo transeunter, sicut in alijs hominibus; & Isti soluunt Argumentum *Negando Antecedens*. Alij dicunt, quod prophetia, Discretio spirituum, & Donum linguarum, quæ in alijs sunt per modum transeuntis, in Christo fuerunt ha-
D bitualiter, & permanenter; quod Nos sequuti sumus supra in *Materia de scientia Christi in Disputatione de obiecto scientiæ infusæ Art. 2.* vbi Diximus, quod per scientiam infusam Christus fuit verè Propheta; & etiam quod cognouit cogitationes cordis, quod pertinet ad discretionem spirituum; & idem est de alijs gratijs gratis datis, quæ pertinent ad cognitionem, quia *S. Thomas infra Quæst. 11. Artic. 1. in Corpore* docet, quod per scientiā infusam cognouit Chri-
E stus omnia, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt, siue pertineant ad donum sapientiæ, siue ad donum prophetiæ, siue ad quodcunque donum Spiritus Sancti. Vbi clarè loquitur de Prophetia, & vniuersaliter de omni dono, & sic potest intelligi de spiritu sapientiæ, & scientiæ, &c.

De Dono Linguarum clarè *S. Thomas supra Quæst. 7. Art. 7. ad 3.* inquit, *Quod non oportuit, quod loqueretur pluribus linguis* (scilicet Christus) *nec tamen defuit ei omnium*

nium linguarum notitia, cum etiam abscondita cordium ei non fuissent abscondita, quorum voces, quæcunque sunt signa, nec tamen inutiliter, hanc notitiam habuit, sicut non inutiliter habet habitum, qui eo non vtitur quando non est opportunum. Vbi clarè docet habere hãc gratiam, quando non vtebatur illa, & sicut habitum. Et sic ad Argumentum *Transeat Antecedens, & Negatur Consequentia* Ratio differentiæ est, Quod in Christo fuit scientia infusa habitualis, ex defectu cuius in alijs hominibus datur lumen propheticum trãseunter, & ex defectu scientiæ Beatæ, vt docet *D. Thom. 2. 2. Quæst. 171. Art. 2* & ideò in Christo fuit permanenter, & habitualiter lumen, quod in alijs est transeunter. At verò de Gratia Miraculorum & Curationum nullus ponitur in Christo habitus operatiuas, qui deficiat alijs, sed instrumentaliter operatur etiam eius humanitas, & ideò virtutem instrumẽtalem habet, sicut alij transeunter.

Præterea si poneretur habitus sicut in alijs gratijs ille constitueret causam principalem, sicut in alijs si esset completus, & si esset incompletus sicut character, vt saluetur ratio instrumentalis in Christo non erat necessarius, sicut nec character; & adhuc dato indigeret motione actuali, sicut habentes characterem. De quo infra *Quæst. 73. Art. 2.* vide ibi *Dubio 2.* quæ (vt dictum est ad 3.) naturaliter petit, quod sit actio, & ideò non potest esse habitus. De hac Materia vide infra *Quæst. 72. Art. 1. Dub. 7. & 8. & Vltimo*, vbi latius tractatur, & quæ hic desiderari possunt ibi reperientur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Nostræ Iustificationis, & Gratiæ Christus sit Causa Principalis; An verò solum Instrumentalis?

IN *Hac* difficultate *Magister Medina in hoc Art. Dub. Vlt. Conclus. 8.* tenet partem affirmatiuam, videlicet Christum Dominum causam esse principalem gratiæ, secundariam tamen. Cui sententiæ multum fauet *Cabrera hic Disp. 2. Cõclus. 1. & 2.* Et quamuis aliquid recedat à *Medina*, ponit tamen proprietates in Christo respectu causalitatis nostræ gratiæ, quæ cõueniunt causæ principali, secundũ quod ab instrumẽtali distinguitur. Huius sententiæ Fundamenta inferiùs adducenda sunt.

Secunda Sententia est Negatiua asserens, quod Christus Dominus non est causa principalis nostræ gratiæ, sed solum instrumentalis, quæ communissima est inter Theologos, & illam inter alios tenet *Suarez Disp. 31. Sect. 4.* Vbi affirmat sententiam primam iam relatam *Mag. Medinæ* esse improbabilem, omnino falsam, & temerariam. Cæterum *Mag. Vincent. in Relect. de Gratia Christi Quæst. 6. Pag. 830. Conclus. 2. & Zumel 1. 2. Quæst. 112. Art. 1. Disp. 2. Concl. 3.* quamuis non assentiant illi sententiæ, liberant tamẽ illam à censura, quam illi imponit *Suarez*. Immò *Magister Cabrera Disp. 2. §. 4. Num. 54.* non solum excusat *Medinam*, sed etiam ait censuram datam à *Suarez* esse rigidam, & suo Authore indignam.

Prima Conclusio.

Nullatenus asserendum est humanitatem Christi esse causam principalẽ nostræ gratiæ. Hæc Conclusio explicanda est antequã probetur. Et quidem causam principalem alicuius effectus (asserunt Aliqui) esse in duplici differentia; quædam enim est, quæ agit per virtutem propriam, & connaturalem, vt quando homo generat hominem, & ignis ignem; altera autem est, quæ solum significat causam sustentantem in se formã communicatam ab extrinseco, quæ principaliter est actiua effectus, sicut aqua calida sustentat in se formam caloris, qua principaliter calefacit. Accepta ergo causa principali primo modo asserit *Magister Medina* Christum secundum humanitatem esse causam principalem nostræ gratiæ: accepta verò in secundo docet *Cabrera*, discedens in hoc à *Medina*, Christum vt hominem esse principalem causam gratiæ per formam ab extrinseco sibi communicatam, videlicet per suam gratiam. Et contra vtrumque Autherem ponitur nostra Conclusio vniuersalis per illud verbum *Nullatenus*.

Quo Supposito Conclusio nostra, quæ cõmunissima est omniũ Doctorũ (duobus illis exceptis) probatur primo ex *D. Thoma* multis in locis, illã enim tenet supra *Quæst. 8. Art 1. ad 1. & infra Quæst 62. Artic. 5. & Quæst. 64. Art. 3 & 1. 2. Quæst. 112. Art. 1. ad 1. & 4. Cõtr. Gent. Cap 41. circa finẽ, & de Verit. Quæst 27. Art. 3. ad 7. & Q. 29. Art. 4. ad 1. & Vltimũ.* Cũ *D. Thoma* conuenit

Durandus, Palud. D. Bonauent. Driedo, & Alij quorum mentionem facit *Suarez Disput.* 31. *Sect.* 4.

Secundo Probatur Conclusio Hac Ratione. Quia Gratia, & effectus eius soli Deo tribuuntur in sacra Scriptura, vt patet Psalm. 83. *Gratiam & Gloriam dabit Dominus*: & Psalm. 67. *Deus noster Deus saluos faciendi*; & hoc ipsum sæpissimè inuenitur apud Sanctos Patres; ergo tenendum est Deum solum tanquam principalem causam gratiam nostram causare.

Nec Sufficit huic Rationi Respondere, quod solus Deus est prima causa principalis nostræ gratiæ. Quia aliàs secundum istam expositionem nihil speciale tribueretur Deo in causalitate nostræ gratiæ, atque in causalitate aliarum rerum. Consequens dici nequit; ergo. *Probatur Sequela.* Quia etiã omnium aliarum rerum creatarum, quæ habent suas causas principales secundas, Deus ipse est causa principalis Prima; ergo nulla esset differentia.

Nec Etiam Sufficit si cum *Cabrera* Respondeas, Quod solus Deus est causa principalis gratiæ, quia solus ipse causat ipsam propria, & connaturali virtute, at humanitas Christi causat gratiam vt causa principalis, non tamen per propriam, & connaturalem formam, sed extrinsecè sibi communicatam, & ideò solum Deum dici causam principalem gratiæ. *Hoc* (inquam) *nõ sufficit*, quia iuxta expositionem istam, etiã solus Deus diceretur causa principalis operationum supernaturalium, quæ sunt in nobis, actus scilicet fidei, & Charitatis; nos autem non diceremur principales causæ horum actuum, quia ad illos non concurrimus per formas nobis connaturales, sed extrinsecè communicatas; habitus namque fidei, & Charitatis connaturales non sunt alicui creaturæ, & tamen certum est nos esse causas principales omnium horum actuum, si quidẽ nos credimus, & amamus.

Confirmatur hoc ipsum, Quia *D. Thomas infra Quæst* 64. *Artic.* 1. & 1. 2. *Quæst.* 112. *Art.* 1 & *Quæst.* 27. *de Verit. Art.* 3. expressè asserit, quod solus Deus est causa principalis gratiæ, & quod humanitas Christi, & sacramenta sunt tantum causæ instrumentales.

Quod Si Dicas D. Thomam velle docere, quod omnis causa principalis secunda appellatur instrumentalis causa respectu Dei, vt constat 1. 2. Quæst. 1. Art. 2. *Contra hoc est*, Quia licet omnis causa secunda principalis dicatur instrumentalis respectu Dei, quia agit vt mota à Deo, tamen *D. Thomas loc. cit.* expressè distinguit de causa principali, & merè instrumentali, etiam secundaria; & tamen affirmat humanitatem Christi non esse causam principalem, sed esse solum causam instrumentalem gratiæ.

Tertio Probatur Conclusio Ratione D. Thomæ, quam tradit 1. 2. *Quæst.* 112. *Art.* 1. & *super Epist. ad Ephe. Cap.* 1. Quia solum illud, quod est tale per essentiam producit vt causa principalis physica, siue primaria, siue secundaria id, quod est tale per participationem; sed humanitas Christi non habet per essentiam naturam Dei; ergo non potest vt causa principalis producere participationem diuinæ naturæ, quæ est gratia, nec facere filios Dei adoptiuos similes ipsi Deo.

Nec Valet Instantia huius rationis, quæ adduci solet de ferro candenti, & ignito, quod quidem non est calidum per essentiam; & tamen facit calidum illud, cui applicatur; ergo licet gratia, & natura Dei nõ conueniant per essentiam humanitati Christi, sufficit quod per participationem habeat gratiam, ad hoc vt possit illam principaliter producere in nobis, & nos facere Deos per participationem. *Hoc* (inquam) *non valet*. Quia *D. Thomas* ibidem dicit esse necessarium, quod solus Deus deificet cõmunicando consortium diuinæ naturæ per quamdam participationem similitudinis, sicut est omninò impossibile, quod aliquid igniat nisi solus ignis.

Vbi Obiter Notandum Est, hoc differre inter accidentia communia, & inter naturam propriam alicui, quod accidentia communia, quia secundum suam rationem non possunt esse propria alicui naturæ habenti illa per essentiam, inde fit cõsequens, quod habens talia accidentia, si sint actiua, possit ea communicare alijs; natura verò propria, aut accidens proprium alicui communicari nequit, nisi ab habente talem naturam per essentiam, & ideò *D. Thomas* non dixit, quod solus ignis poterat calefacere, quia calor est accidens commune, sed dixit solus ignis potest ignire, quia ignire est dare naturam ignis, quæ conuenit per essentiam tali speciei. Gratia autem est quædam supernaturalis natura, à qua suæ propriæ passiones dimanant, & est formalis participatio diuinæ naturæ, vt optimè ostendit *Mag. Vincent.*

Pag. 10. & 11. Ergo solum potest communicare illam tanquam causa principalis, qui per essentiam habet naturam diuinam, cuius gratia est participatio. Et propterea 1. *Ioan.* 1. Gratia vocatur *Semen Dei*, quia per illam participamus naturam Dei; semen autem (vt manifestum est) tantummodò causatur principaliter ab habente talem naturam per essentiam.

Confirmatur. Quia adoptare in filios Dei eos, qui recipiũt gratiam est proprium munus illius, qui vt causa principalis physica causat illam; sed Christus vt homo hoc non habet, nec potest adoptare aliquos in filios Dei; ergo nec esse causam principalem gratiæ. *Maior Patet*; tum ex *D. August. Epist.* 120. *Cap.* 4. & *Libro* 3. *Contra Faustum Cap.* 3. Tum etiam, quia gratia habet in nobis hunc effectum veluti formalem, vt efficiat nos filios Dei adoptiuos, & ex consequenti confert nobis ius ad hæreditatem Patris. *Minor vero Probatur*, tum ex *D. Thom.* 4. *Contr. Gent. Cap.* 17. *ratione* 23. Vbi ait, quod adoptare in filios Dei non potest esse opus alterius nisi Dei, quia creatura non efficitur Filius Dei nisi per gratiam. Tum etiam, quia *D. Thom. infra Quæstione* 23. *Art.* 2. *ad* 1. ait, Quod adoptare aliquem in filium est proprium illius, qui habet naturam, qua possit generari filius naturalis, nam filius adoptiuus constituitur loco filij naturalis. Christus autem vt homo non habet naturam diuinam, qua possit generare filium naturalem; ergo nec potest adoptare filios Dei.

Quarto Probatur Conclusio ratione quam tradit *D Thomas infra Quæst.* 64. Quia omnis causa principalis physica, siue primaria, siue secundaria debet per suam virtutem esse immediatè coniuncta passo; sed humanitas Christi non sic cõiungitur animabus nostris, in quibus causat gratiam; ergo non est causa principalis physica eius. *Maior est ita certa*, vt etiam in Deo debeat necessariò verificari (de quo dici solet 1. Part. Quæst. 8. Art. 2.) *Minor autem Probatur.* Tum quia humanitas Christi non est vbicumque sunt animæ nostræ; hoc enim dicere esset iam incidere in hæresim Vbiquistarum. Tum etiam quia vt ibidem docet *D. Thom.* & *Quodlib.* 3. *Art.* 8. & 4. *Contr. Gent. Cap.* 17. *ratione* 15. Intimus illapsus in animabus est proprius solius Dei, atque adeò humanitas Christi cum huiusmodi illapsum habere nequeat, nec etiam in animabus poterit causare gratiam vt causa principalis, sed solum vt causa instrumentalis.

Confirmatur. Quia Ioan. 1. dicitur, *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*, quod idem est atque dicere, quod per gratiam in filios Dei generamur, vt explicuit *D. Iacobus* asserens Cap. 2. *Voluntariè genuit nos*; sed generatio debet esse à principio coniuncto ipsi genito, vt ex definitione generationis constat; ergo cum solus Deus possit intimè per suam virtutem coniungi animabus nostris, solus ipse poterit vt causa principalis causare in illis gratiam.

Quinto Probatur Conclusio. Nam per infusionem gratiæ immutatur voluntas nostra, & mouetur realiter; sed solius Dei est immutare, & mouere voluntatem hominis, vt causa principalis; ergo solus Deus potest causare principaliter gratiam iustificantem in nobis. *Maior Probatur.* Nam ideò *D. August. Lib. de Natura & Gratia Cap.* 23. & *Lib. de Gratia, & libero arbitrio Cap.* 17. ait, Quod per gratiam præparatur hominis voluntas vt velit bonum. *Minor Probatur* ex D. Thom. 1. 2. *Quæstione* 9. *Artic.* 1. Vbi ait omnem motum voluntatis esse illi naturalem, & quod motum naturalem solum potest causare, qui causat naturam voluntatis. Qua ratione idem *D. Thom. in hac* 3. *Part. Quæst.* 44. *Art.* 1. *ad* 1. & 3. & *Quæst* 64. *Art.* 3. ait Immutationem voluntatis per iustificationem, & infusionem sapientiæ tribui Christo solum vt est Deus tanquam agenti principali. Et hac ratione vtitur *D. Thom. Quæst.* 27. *de Veritate Art.* 3. *in Corpore ratione* 2.

Quod Si Respondeas huic rationi cum *Magistro Medina* Voluntatem humanam non immutari à Christo vt homine immediatè, sed medijs habitibus gratiæ, fidei, Charitatis, & aliarum virtutum, quod non est inconueniens.

Contra Hoc Est, Quod gratia, & virtutes infusæ realiter immutant voluntatẽ vt certum est; ergo quicũque fuerit causa principalis efficiens gratiæ, & Charitatis, &c. erit etiam principalis causa physica immutationis voluntatis humanæ, atque adeò si semel daremus, quod haberet Angelus virtutem ad producendum physicè in homine aliquẽ habitum supernaturalem, consequenter dicere teneremur habere potestatem immutandi voluntatem nostram principaliter, sicut de instrumentis dicimus instrumentaliter illam immutare.

Minus Etiam Consequenter loquitur

Cabrera in Responsione *ad* 3. Vbi postquam semel concesit, quod immutare voluntatem humanam, vt causa principalis tanquã à qua proficiscitur gratia, est ita proprium Dei, quod ipse credat non posse communicari creaturæ alicui, postea addit hoc ipsum posse communicari Christo vt homini, vt per gratiam suam animas nostras immutet ratione Vnionis Hypostaticæ.

Secunda Conclusio.

Christus Vt Homo non est causa principalis secundaria physica donorum supernaturalium. Hæc est conformis præcedenti, & est communis inter Sanctos Patres, qui sæpè numerò asserunt, quod Christus solum vt est Verbum diuinum habet dare vt causa principalis dona Spiritus Sãcti. Inter alios autem *D. August. 1. de Trinit. Cap.* 14. ait, Quod Christus non in quantum homo, sed in quantum Deus dat authoritatiuè Spiritũ Sanctum; de quo etiam videatur *D. Thom. supra Quæst. 8. Artic. 1. ad 1. & D. Cyrillus Lib. 11. in Ioan. Cap. 25.* vbi ait, Quod *Numer. 11.* dicitur, quod Deus accepit de spiritu Moysi, & dedit illum 70. senioribus, vt significaretur, quod nullus præter Deum dat principaliter spiritum sanctificationis.

Et Huius Rei est sufficiens Ratio, Quia Christus vt homo non mittit spiritualiter, & inuisibiliter Spiritum Sanctum tanquam agens principale physicum, eo quod Spiritus Sanctus non procedit à Christo vt homine; ergo esse non potest causa principalis donorum Spiritus Sancti, qui datur nobis in illis iuxta illud Pauli ad Roman. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

Deinde Probatur Conclusio. Quia Dona Spiritus Sancti solum sunt connaturalia Deo; ergo humanitas Christi non potest esse causa physica principalis eorum. *Patet Consequentia.* Quia causalitas donorum supernaturalium, sicut & causalitas gratiæ solum potest esse in illo principaliter, cui connaturalia, & propria sunt talia dona. Pro ista Conclusione etiam faciunt omnes rationes, quas adduximus pro prima Conclusione. Et confirmari possunt ex *D. Thoma hic ad* 3. vbi ait, Quod anima Christi solum instrumentaliter tribuit aliis virtutem faciendi miracula. Ex quo rectè videtur sequi in eius doctrina idem esse dicendum de alijs Donis supernaturalibus.

Tertia Conclusio.

Christus Dominus Vt Homo, est causa physica instrumentalis tam gratię, quam donorum supernaturalium, & in illo genere excellentissima. Hæc Conclusio hic ponitur ad complementum doctrinæ; de illa enim iam ex professo Egimus in hoc *Art. Dub.* 1. *Conclu.* 1. Ibi videantur rationes pro illa. Secunda autem pars Conclusionis indubitata etiam est apud Sanctos Patres, & Theologos; ideò enim dicitur Christus Caput Ecclesiæ, & habuisse supra illam potestatem excellentiæ, atque adeò fide eius iustificamur, & per Sacramenta ab ipso instituta, à quo cæteri ministri potestatem accipiunt. Quare ratione huius excellentiæ ipse Christus vt homo iustificare poterat sine Sacramentis, vt de facto multoties fecit.

Quarta Conclusio.

Christus Dominus Vt Homo fuit causa principalis moralis gratiæ nostræ, & omnium donorum supernaturalium. Hæc Conclusio est magis cõmunis inter Theologos, quam tenet *Magist. Medina hic Dub. Vlt. Conclus.* 3. Et eam tradit *D. Thom.* multis in locis, præcipuè 4. *Contr. Gent. Cap.* 74. *& in* 3. *Sentent. Dist.* 19 *Quæst.* 1. *Artic.* 1. *Quæstiunc* 2. *& in* 4. *Dist.* 5. *Quæst.* 2. *Artic.* 2. *Quæstiunc.* 2. Vbi ait Christum Dominum esse causam principalem nostræ gratiæ secundum quod homo erat, sed iuxta doctrinam *D. Thomæ*, vt supra vidimus, nequit dici causa principalis physica; ergo dici debet in eius doctrina causa principalis moralis.

Et Hoc Ipsum deduci potest optimè ex loco proximè citato ad secundum Argumentum, vbi ait *D. Thomas*, quod orans vt sic est causa principalis moralis; sed multa fecit Christus orando prius Patrem, vt constat ex Euangelica Historia, præcipuè *Ioann.* 6. *&* 11. Ergo erat causa principalis moralis illorum. Sæpènumerò etiam Christus vt homo imperando operabatur miracula, vt quando imperauit ventis, & mari, & alibi imperauit febri; ergo horum miraculorum erat causa principalis moralis, quamuis in genere physico solum esset causa instrumentalis.

Secundo Probatur Conclusio. Quia Christus

stus Dominus in quantum homo est Sacerdos offerens sacrificium pro peccatis nostris; sed tale officium non potest vt sic Deus exercere per se ipsum; ergo conuenit Christo vt homini primo, & principaliter. *Minor Patet* ex *D. Paulo* ad Hebr. 5. vbi affirmat Sacerdotem debere esse medium inter Deum, & homines, & offerre primum se ipsum Deo; Deus autem nihil horum facere potest.

Tertio Probatur ab inconuenienti. Quia si Christus Dominus vt homo orando, & satisfaciendo, aut merendo esset solum causa instrumentalis moralis gratiæ nostræ sequeretur Deum vt sic esse causam principalem moralem merentem, orantem, & satisfacientem; consequens est omnino impossibile, cum omnia ista necessariò requirant inferioritatem in subiecto exercente tales operationes, quod Deo nequit competere; ergo. *Probatur Sequela.* Quia omne instrumentum ea ratione, qua instrumentum est, habet in illo genere causam principalem proportionatam à qua eleuetur, & moueatur (vt de causalitate physica agentes supra Diximus) ergo si Christus vt homo in genere moris merentis, & orantis est tantum causa instrumentalis, debet dari altera causa superior in illo genere moris, quæ principaliter oret, & mereatur, quæ nulla alia esse poterat nisi Deus.

Confirmatur. Quia nos vt causæ principales morales meremur augmentum gratiæ nostræ, & beatitudinem nostram, & impetramus alia dona à Deo precibus, & orationibus; ergo multo à fortiori dicēdum erit, quod Christus sit causa principalis meritoria nostræ gratiæ, & donorum supernaturalium, cum nos virtute, & meritis Christi habeamus gratiam, & charitatem, quibus meremur.

Quod Si Contra Obijcias D. Thom. 2. 2. *Quæst.* 178. *Art.* 1. *ad* 1. vbi dicit, Quod Sancti aliquando ex potestate miracula exhibent, aliquando ex postulatione, vtrolibet tamen modo Deus principaliter operatur, qui vtitur instrumentaliter, vel interiori motu hominis, vel eius loquutione; ergo sentit *D. Thomas* in omni genere tam physico, quàm morali Deum esse causam principalem gratiæ, & donorum supernaturalium. Et qui meretur, & impetrat solum esse causam instrumentalem. *Respondetur Primo* cum *Domino Caietano* ibidem, quod *D. Thomas* vocat Instrumentum quancumque causam secundariam subordinatam Deo, quamuis illa sit causa principalis merendi, quia ibi intentum *Sanctissimi Doctoris* erat solū, quod faciens miracula est causa secūdaria subordinata primæ, non tamē quod quando concurrit in genere moris sit propriè instrumentum; atque adeò quāuis Deus sit prima causa miraculosi effectus, non tamen potest esse prima causa moralis orans, & impetrans, vt factum aliquod miraculosum fiat.

Secundo Respondeti Potest, Quod ibi (vt patet ex littera adducta) non loquitur *D. Thomas* de Christo Domino, sed de alijs Sāctis, quorum obsecrationes, & orationes non habent efficaciam illam, quam habent orationes Christi, nec de condigno possunt mereri alijs; benè tamen Christus, cum reuera sit omnium illorum Caput, atque adeò eius oratio, & meritum cum infinitæ virtutis sit, procedit à Christo vt homine tanquam à causa principali morali.

Soluuntur Argumenta.

Primo Arguitur multis authoritatibus *D. Thomæ*. Nam in *hoc Art. Cōclus.* 1. ait, Quod anima Christi per se, & secundum suam naturam habuit virtutem, & potestatem ad illuminandum creaturas rationales per plenitudinem gratiæ, & scientiæ; illuminare autem alium per gratiā nihil aliud est, quam in eo producere gratiā; sicut Solem illuminare aērem per lumen nihil aliud est, quam in eo producere lumen; ergo sentit *D. Thomas*, quod Christus causat gratiam nostram, sicut causa principalis ad modum, quo Sol causat lucem in diaphano.

Deinde supra *Quæst.* 7. *Art.* 9. ait, Quod Christus habet plenitudinem gratiæ, quia erat vniuersale principium in genere habētium gratiam, & virtus primi principij extendit se ad omnes effectus illius generis, atque adeò secundum *D. Thomam* humanitas Christi tanquam vniuersalis causa operans per virtutem propriam se extendit ad causandam gratiam in omnes homines.

Item supra *Quæst.* 8. *Art.* 6. *ad* 3. *ex D. Augustin. Tract.* 46. *in Ioann.* dicit esse proprium Christi vocari *Ostium*, quia in *Ostio importatur principalis authoritas*; ergo Christus causabat gratiam propria authoritate, & consequenter vt causa principalis, & non solum vt instrumentalis. In 4.

etiam *Contr. Gent. Cap.* 74. ait, Quod *Minister Sacramentorum agit in quantum mouetur a Deo*, & postea ait, *Et quia Christus est operatus nostram salutem propria authoritate, & virtute, ideò minister Christi aliquid participat de eius potestate, nam instrumenta aliquid participant de virtute principalis agentis.* Et in 4. Sent. Distinct. 5. Quæst. 2. Art. 2. Quæstiunc. 2. in Corpore ait, *Christum ideò debere habere gratiam, quia causat illam tanquam causa principalis, & non vt instrumentum, vel minister.*

Tandem infra Quæst 64. Art. 5. ad 1. ait, *Quod gratia Sacramentalis datur nobis non secundum similitudinem ministrorum, sed secundum configurationem ad Christum*; habet ergo Christus in causanda gratia nostra rationem causæ principalis, de cuius munere est, quod assimilet sibi effectum. Videantur aliæ authoritates apud *Magist. Cabrera vbi supra Numer.* 41. & 42.

Respondetur Omnia illa loca debere interpretari vno ex duobus modis, vel vtroque simul. *Primo* quod *D. Thomas* affirmet Christi humanitatem esse causam principalem nostræ gratiæ, nō tamén physicam, sed moralem, vt dicebamus vltima Cōclusione. *Secundo*, quod Christus vt homo sit causa instrumentalis physica per excellentiam gratiæ nostræ, & donorum supernaturalium, & ratione talis excellentiæ vocari potest causa principalis quodammodò; præcipuè cum ab illo sacramenta habeant virtutem, & efficaciam sanctificandi, & ministri authoritatem conficiendi illa. *Vel Vltimo*, quod si in sensu rigoroso intelligantur aliqua loca in quibus videtur affirmari Christum esse causam principalem physicam gratiæ, debent intelligi de Christo vt Deus est.

Secundo Arguitur Ratione. Nam hoc differt inter causare gratiam vt instrumentum, & causare illam per authoritatem, quod causare per authoritatem est illam efficere tanquam causa principalis, vt constat ex *D. Thoma supra Quæst.* 8. *Artic.* 6. *ad* 3. & *infra Quæst.* 62. *Art.* 2. Sed Christus causabat gratiam nostram per authoritatem; ergo vt causa principalis. *Minor Probatur.* Quia super illud Ioan. 1. *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*, dicit Theophilactus, quod illud verbum *Data* significat *Ministerium*; illud autem verbum *Facta* significat *Authoritatem*; ergo authoritatiuè Christus causabat gratiam, atque adeò non vt instrumentum tantum, sed vt causa principalis.

Confirmatur Primo ex *Domino Caietano* super locum Ioann. citatum vbi ait, Quod gratia facta fuit per Christum, sicut omnia facta sunt per Verbum; sed omnia facta sunt per Verbum tanquam per causam principalem, ergo gratia facta est per Christum tanquam per principalem causam. Et videtur quod Christus hanc potestatem explicare voluit, quando *Matth.* 9. dixit, *Vt autem sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c.*

Confirmatur Secundo. Quia Christus taliter causat gratiam in nobis, quod generat nos tanquam filios, estque vere Pater noster, vt dicitur *Isaiæ* 9. & ad *Hebr.* 2. Ergo est causa principalis nostræ gratiæ. *Patet Consequentia.* Quia Pater propria virtute, & vt causa principalis generat filios, & assimilat eos sibi; per gratiam autem efficiuntur conformes imagini Filij Dei, vt *D. Paulus* affirmat *ad Rom.* 8.

Respondetur Distinguendo Minorem. Christus causabat gratiam per authoritatem secundum quod Deus erat, *Concedo Minorem.* Secundum quod homo, *Nego.* Tunc enim solum instrumentaliter habet illam causare, si loquamur in genere physico.

Secundo Respondetur ex *D. Thoma* infra *Quæst* 64. *Artic.* 4. *ad* 2. & ex Glossa super illud 1. ad Corinth. 1. *Numquid diuisus est Christus?* Quod instrumentalis potestas excellentiæ, quam habuit Christus Dominus, potest vocari *Authoritas* respectu instrumētorum separatorum, videlicet Sacramentorum, & Ministrorum, & ideò quando dicitur, quod Christus vt homo authoritatiuè causat gratiam, intelligi debet de hac potestate excellentiæ ministeriali, quæ taliter competit Christo vt homini, vt nulli alteri communicata sit.

Ad Primam Confirmationem Respondetur, Quod *Caietanus* tantum voluit docere, quod *D. Ioannes*, ideò ostendit Christum hominem esse Verbum, quia per illum hominem facta sunt omnia, quæ facta sunt per Verbum, sed tamen loquitur *D. Ioann.* de illo homine ratione Personæ, non ratione naturæ humanæ assumptæ.

Vel Secundo dici potest *Caietanum* tantum voluisse significare, quod sicut omnia naturalia facta sunt per Verbū principaliter, ita omnis gratia facta est per illū hominē, ratione quidem diuinitatis principaliter, ratione tamen humanitatis, instrumētaliter.

Ad

Ad Secundam Confirmationem Respondetur, Quod per gratiam iustificantem regenerantur in filios Dei, non tamen in filios humanitatis Christi, eo quod gratia est ipsa natura diuina participata. *Secundo* etiam dici potest, Quod in illo ordine generationis spiritualis etiam instrumenta, quæ ad talem generationem concurrunt, si animata sint, vocari possunt *Patres*; qua ratione *D. Paulus* ad Galat. 4. aiebat, *Filioli mei, quos iterum parturio, &c.* Ac tandem dici potest, Quod Christus vt homo appellari potest *Pater*, nō quia tanquā causa principalis physica causat gratiam, sed quia vt causa principalis per scientiam illuminat alios in cognitione rerum supernaturalium, qua eos sibi assimilat iuxta primam Conclusionē *D. Thomæ in hoc Articulo*, & hac ratione Prædicatores Euangelij vocantur *Patres*, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth 4. *In Christo enim Iesu per Euangelium Ego vos genui.*

Tertio Arguitur, Quia anima Christi habet gratiam Capitis, quæ quidem in ratione talis habet influere in membra (vt supra diximus *Quæst.* 8.) ergo habet in se principium constituens ipsam in ratione causæ principalis causatiuæ nostræ gratiæ. *Probatur Consequentia.* Quia ad rationem causæ principalis sufficit, & requiritur, quod habeat in se formam sibi propriam per quam operetur; ergo cum Christus operetur per suam gratiam Capitis nostram iustificationem erit verè, & propriè causa principalis nostræ gratiæ.

Respondetur Negando Consequentiam loquendo de causa principali physica, *& ad Probationem Dicitur*, Quod gratia Christi, si consideretur secundum se, & ex sua natura non habet esse productiuam gratiæ in alijs; aliàs etiam gratia nostra, cum eiusdem speciei physicæ sit, haberet hoc ipsum, quod falsum esse supra diximus. Habet ergo causare gratiam nostram ipsa gratia Christi ratione subiecti in quo est tanquam instrumentum ipsius Dei per eleuationē, & motionem diuinam, atque adeò ratione illius Christus vt homo dici non debet causa principalis physica illius, sed tantum moralis.

Quarto Arguitur, ab inconuenienti, Nam ex opposita sententia sequeretur, quod gratia Christi capitalis esset minoris virtutis, & perfectionis, quam nostra. Consequens dici non potest; ergo nec antecedēs. *Sequela Probatur.* Quia si gratia Capitis in Christo non est causa principalis nostræ gratiæ, sed tantum instrumentalis; ergo effectus productus nostræ gratiæ excedit perfectionem gratiæ Christi, cum causa instrumentalis imperfectior sit effectu per illam producto, quia virtus instrumentalis non attingit de se effectum principalis causæ, sed tantum dispositiuè operatur circa illum, etsi attingit effectum tantum est secundum quod eleuatur a causa principali.

Confirmatur. Quia etiam sequeretur nullatenùs esse necessariam in Christo gratiam habitualem, vt illam in nobis causaret; consequens est falsum, & contra dicta sæpius *Quæst.* 7. ergo. *Probatur Sequela.* Quia non est necessarium, quod instrumentum habeat in se formam producendam, vt patet in Ministro Confessionis, & Baptismi, qui causat gratiam in alios, quamuis ipse illam non habeat, quia solum concurrit ad illum effectum instrumentaliter; ergo si Christus solum est instrumentum gratiæ nostrę, non est necessarium habere in se sibi inhærentem gratiam habitualem.

Respondetur Negando Sequelam. Et ad probationem Dicimus, Quod gratia Christi, si consideretur secundum suam naturā, & essentiam, multò perfectior est gratia nostra non solum in esse morali, sed etiam in esse physico. Si autem consideretur secundum virtutem instrumentalem, qua eleuatur à Deo, sic imperfectior est, quam gratia nostra. Est exemplū in Cœlo, quod quidē si secundum se consideretur, & ex natura sua, perfectius est quam formica, cum illud sit incorruptibilis naturæ; si tamen consideretur secundum virtutem instrumentalem præcisè, quam habet ad producendum viuētia, sic illa virtus imperfectior est quam formica. Similiter in nostro casu.

Ad Confirmationem Respondetur Negando Sequelam, nam licet de ratione instrumēti, vt sic non sit habere formam, qua producit instrumentaliter, tamen de ratione instrumenti excellentissimi, quale est humanitas Christi, & quod simul est causa principalis moralis eiusdem effectus, est quod habeat illam formam gratiæ in se rationibus supra positis ratione septima *Artic* 1.

Quinto Arguitur. Quia illa est causa principalis, quæ per se, & sine instrumento operatur suum effectum; sed Christus Dominus potest causare gratiam per se, & sine Sacramentis; vt de facto illam causasse constat ex Euangelica Historia; ergo tanquam causa principalis.

Con-

Confirmatur. Quia Sacramenta, quæ sunt instrumenta gratiæ causant illam virtute Christi Domini, vt docet *D. Thomas infra Quæst. 64. Art. 3.* ergo Christus illam causat tanquam principalis causa. *Patet Consequentia.* Quia illa est causa principalis in cuius virtute instrumentum operatur.

Respondetur Primo, Quod causare sine instrumentis non est proprium causæ principalis, nam etiam causa instrumẽtalis operatur sine instrumentis, atque adeò quod Christus sine instrumentis causet gratiam non sufficit, vt dicatur causa principalis physica illius, sed vt dicatur causa instrumentalis, in qua residet potestas excellẽtiæ, ratione cuius Christus vt homo iustificabat. *Secundo Respondetur.* Quod causa principalis physica est illa, quæ operatur per propriam formam sibi intrinsecam, & cõnaturalem; humanitas autem non propria virtute, aut forma, sed per motionem diuinam habet illam causare, atque adeò non vt causa principalis, nisi in genere moris.

Ad Confirmationem Respondetur. Quod quando instrumentum est excellentissimũ in illo genere, & coniunctum causæ principali potest communicare virtutem alijs instrumentis, si separata sint, atque adeo in genere physico humanitas Christi, cum instrumentum sit coniunctum diuinitati, & excellentissimum inter omnia tribuere potest virtutem ipsis Sacramentis, & ministris, quæ sunt instrumenta separata. In genere vero moris virtus, quæ est in humanitate, meriti scilicet, & satisfactionis residet in illa principaliter, vt supra diximus.

Sexto Arguitur. Quia causare gratiam tãquam causa principalis est perfectio possibilis Christo Domino; ergo illi non est deneganda, cum eius dignitas talis sit, quod omnem perfectionem non repugnantem postulet. *Antecedens Probatur.* Quia esse causam principalẽ gratiæ non repugnat Christo, nec ex parte effectus producti, neque ex modo producendi illum; ergo est illi possibile. *Quod non repugnet ex parte effectus probatur.* Quia gratia nostra non est infinita simpliciter in sua essentia; ergo non postulat ad sui productionem virtutem infinitam simpliciter in ratione causæ actiuæ, sed vt plurimum vberiorem gratiam, quæ sine dubio est in Christo. *Quod verò non repugnet, nec etiam ex parte modi producendi, probatur.* Quia operari vt causam principalem secundariam, & subordinatam primæ causæ non arguit infinitam perfectionem, sicut in cæteris causis secundis patet, præcipuè cum illa gratia producatur in subiecto iam existente, in quo valde differt à Creatione, quæ ex modo producendi arguit infinitam virtutem in causa, eo quod nullum præsupponitur subiectum; ergo ex nullo Capite repugnat Christum esse causam principalem nostræ gratiæ.

Confirmatur. Quia quamuis sit proprium Dei futura contingentia cognoscere, & cogitationes cordium, id tamen ratione excellentiæ animæ Christi communicatur illi vt causæ principali talium rerum cognitio; ergo quamuis sit proprium Dei causare gratiam tanquam causa principalis, communicari poterit Christo Domino tanquam causæ Deo inferiori, principali tamen.

Respondetur Negando Antecedens. Et ad probationem Dico, Quod esse humanitatem Christi causam physicam principalem gratiæ repugnat ex vtraque parte; primo quidem ex parte effectus producti, videlicet gratiæ, quia quamuis gratia nostra finita sit, est tamen ordinis infiniti, vt eleuat hominem ad illum ordinem, & ad hoc requiritur virtus infinita ex parte causæ agentis; qualis etiam requiritur ad constituendos ordines rerum, vt patet ex *D. Thoma Quæst. 27. de Verit. Art. 3.* Repugnat etiam ex parte modi producendi ipsam gratiam, quia vt dictum est, causa principalis physica ipsius gratiæ debet habere diuinam naturam per essentiam, & consequenter debet habere infinitatem simpliciter, & non subijci alteri, quod humanitati Christi repugnat. Quod autem producatur in subiecto existente, non tollit quin in causa principali physica ipsius gratiæ requiratur virtus infinita, non ratione Creationis (supponimus enim pro tunc gratiam nõ creari propriè) sed ex eo quod est participatio ipsius diuini esse in se ipso, quam solus Deus per essentiam causare potest tanquam principale agens physicum.

Ad Confirmationem Respondetur Negando Consequentiam. Et ad probationem Dicimus esse magnum discrimen inter vtrumque, nam ad causandam principaliter gratiam in genere physico requiritur virtus simpliciter infinita vt vidimus. Ad cognoscendum autem cogitationes cordium, & alias res supernaturales non requiritur virtus infinita simpliciter, sed per lumen finitum, & limitatum hoc fieri potest, & communicatum fuit animæ Christi, vt

latè diximus Agentes de scientia infusa eius.

Vltimo Arguitur. Christus est causa principalis moralis nostræ gratię ratione Vnionis Hypostaticæ; ergo ratione eiusdem erit causa physica principalis ipsius gratiæ. *Antecedens Probatur.* Quia Christus est causa meritoria de condigno gratiæ nostræ; ergo est causa principalis moralis eius. *Consequentia verò Probatur.* Quia ad causalitatem illam moralem non requiritur minor perfectio, quam ad causalitatem physicam.

Confirmatur. Quia gratia Christi non habet rationem instrumenti respectu gratiæ nostræ; ergo habet rationē causæ principalis. *Consequentia est bona, & Antecedens Probatur.* Quia non potest dari aliqua operatio prævia in gratia Christi circa nostrā, quæ dispositivè se habeat in ordine ad actionem diuinam, quod est de necessitate instrumenti, ergo non poterit esse causa instrumentalis.

Respondetur Negando Consequentiam. Et ad probationem Dico, Quod ad hoc vt humanitas Christi sit causa principalis moralis per meritum, & satisfactionem gratiæ nostræ, & donorum supernaturalium, sufficit habere meritum Capitis, quod est infinitum moraliter, & hoc reperitur in actibus Christi, ex eo quod humanitas eius vnita erat personaliter Verbo diuino, vt latè diximus *Quæst.* 1. *Art.* 2. Ad hoc autē quod humanitas Christi esset causa physica principalis gratiæ nostræ, requirebatur vt esset Deus per essentiam habens virtutem simpliciter infinitam in genere physico, quod implicat. Quare aduertenda est differentia inter vtramque causam, quod causa moralis vt sic non est, quæ physicè producit effectum, sed quæ vel precibus, vel imperio, vel alia via mouet causam physicam ad operādum. Causa autem principalis physica est, quæ in se habet virtutem propriam ad producendum talem effectum. At humanitas Christi Domini postulat à Deo fieri nostrā iustificationem, quare in genere moris est causa principalis, in genere verò physico non est causa principalis, sed tantum instrumentalis, quæ solum operatur vt mota a Deo.

Ad Confirmationem Respondetur suppositis his, quæ iam diximus *Artic. Præced.* de operatione prævia instrumenti, quod gratia Christi est instrumentum gratiæ nostræ physicum, eo quod determinat effectum virtutis Dei, vt potius ab illa virtute producatur gratia, quam quilibet alius effectus, & præintelligitur in genere causæ materialis concursus gratię Christi ante concursum ipsius Dei. De quo videatur *D. Thomas infra Quæst.* 52. *Art.* 1 *ad* 2. *& Quæst.* 56. *Art.* 1. *ad* 3. Causat etiam humanitas Christi in nobis omnes dispositiones prævias necessarias ad infusionem gratiæ, vt dicemus *Quæstione* 19.

Cognita Iam Potentia animæ Christi circa immutationes aliarum rerum, restat vt de Potentia eiusdem agatur in ordine ad proprium Corpus. Vnde subditur.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Anima Christi secundum propriam virtutem habuerit Omnipotentiam respectu proprij Corporis?

PRO *Intelligentia* tituli Notandum est, quod non est in potestate animæ facere, quod potentiæ inferiores ordinatæ ad bonū naturale suos actus non exerceant, *Verbi grat.* quod virtus nutritiua non augeat, aut sustentet subiectum, & quando *D. Thom.* hoc denegat animæ Christi, loquitur de illa secūdum propriam virtutem, quatenus anima humana est secūdum rationem animæ humanæ; non autem de virtute animæ Christi, quæ illi conuenit ratione alicuius status; benè enim potest esse, quod ratione status beatifici aliquid possit anima, quod secundum suam naturam non posset; & in hoc sensu clarè patet, quam vera sit Conclusio *D. Thomæ*, quę est huiusmodi.

Conclusio. Anima Christi per solam suam virtutem naturalem non habuit potentiam ad immutandum proprium Corpus extra cursum communem naturę. Hęc est expressa *D. Thomæ in Art.* 3 *huius Quæst.* 13. & ab illo præcipuè intenta, & quę directè respondet quęsito, satisque probata est ratione breuissima *D. Thomæ in Corpore Art.*

Soluuntur Argumenta.

Pars Affirmatiua Probatur Primo. Quia vt suprà diximus cum *D. Thoma Quæst* 11. *Art.* 2. Anima Christi poterat intelligere sine

sine conuersione ad phantasmata, & reddit rationem. Quia totaliter dominabatur eius anima Corpori; ergo eadem ratione dici potest, quod Corpus ipsum subdebatur animæ vt immutaret illud, aliàs non totaliter dominaretur ei.

Secundo Arguitur. Quia Christus sua voluntate fundebat lachrymas, & turbabat se ipsum, vt patuit in suscitatione Lazari; alij verò homines non turbantur à se ipsis, sed ab externis; ergo habebat anima Christi potestatem omnem supra suum Corpus.

Confirmatur. Quia animæ Christi non est deneganda potestas illa circa proprium Corpus, quam habent animæ beatæ circa sua corpora, cum beatitudo animæ Christi sit multo perfectior omnibus alijs; sed aliæ animæ beatæ habent potestatem supra sua corpora reddendo illa agibilia, & impassibilia; ergo à fortiori anima Christi hanc potestatem habebit.

Ad Primum Argumentum Respondetur. Quod anima Christi, quia erat anima comprehensoris præcipuè secundum partem intellectiuam, ideò poterat intelligere sine conuersione ad phantasmata, & in hoc habebat dominium supra Corpus, eo quod necessario non dependebat ab illo; non tamen habebat dominium, seu potestatem connaturalem ad immutandum illud secundum quamcumque Corporis dispositionem.

Ad Secundum Argumentum Respondetur Primo. Quod anima Christi intra limites potestatis naturalis sine dubio habuit omnem illam potestatem supra suum Corpus, quam habent aliæ animæ circa sua corpora, immo multo excellentius quam illæ, ex eo quod omnes passiones eius erant taliter proportionatæ, & rationi subditæ, quod ab illa deuiare non poterant, & ideò Christus imperabat omnibus passionibus, & membris exterioribus, vt facerent suos actus quando, & quomodo volebat, atque adeò multa faciebat, quæ nos non possumus sine magna difficultate. Ipse verò propriam turbationem eligebat, lachrymas, & timorem, tempore quo suæ naturæ humanæ veritatem ostendere congruum iudicabat.

Secundo Respondetur iuxta Solutionem ad 1. *D. Thomæ*, Quod multa operabatur Christus ex volũtate diuina, in quibus operationibus anima Christi non se habebat vt principalis causa, sed vt instrumentum diuinitatis.

Ad Confirmationem Respondetur, Quod animę beatorum habentes corpora gloriosa possunt immutare illa supra suam naturalem dispositionẽ. At verò Corpus Christi nõ erat gloriosum ante resurrectionem, & ideò anima non habebat virtutem ad illud immutandum, quare anima Christi quamdiu Corpus passibile habuit non potuit propria virtute, & naturali clarificare ipsum Corpus claritate illa, qua redderetur impassibile, atque adeò claritas illa, quæ fuit in Corpore Christi in Transfiguratione proueniebat miraculosè ab anima Christi vt ab instrumento, & consequenter non propria virtute, sed diuini Verbi illam operabatur anima. De Hoc videatur *D. Thomas infra Quæst. 45. Art. 2.*

Tertio Arguitur. Quia Christus in Natiuitate sua exiuit clauso vtero suæ Beatissimæ Matris, & quando Iudæi voluerunt illum lapidare, fecit se inuisibilem; aliquando etiam super aquas ambulauit; ergo habuit omnipotentiam respectu proprij Corporis.

Nec Sufficit Dicere. Quod omnia ista facta sunt miraculosè, atque adeò non virtute animæ Christi, sed virtute Dei, qui est causa principalis miraculorũ, *Contra.* Quia sine miraculo Corpus Christi Domini exiuit de sepulchro adhuc clauso tumulo magno lapide; & sine miraculo ingressus fuit ad discipulos suos ianuis clausis; ergo etiam sine miraculo fecit illa, quæ annumerata sunt in Argumento.

Respondetur, Quod illa, quæ annumerantur in Argumento fuerunt opera miraculosa facta solum instrumentaliter ab anima Christi, & principaliter à diuino Verbo. *Ad Replicam Autem Dicitur*, Quod post resurrectionem collata est animæ Christi virtus ad immutandum suum proprium Corpus, quam antea Deo sic disponente, & ordinante non habebat, eo quod sic expediebat ad nostram reparationem. Quare exire de sepulchro adhuc clauso tumulo, aut ingredi ianuis clausis ad discipulos, non fuerunt opera miraculosa, sed debita iam connaturali modo animæ, & Corpori glorioso. Nec mirum est, quod post resurrectionem anima Christi hanc potestatem haberet, quia quamuis in radice illam habuit à principio propter suam beatitudinem, formaliter tamen talem potestatem non habuit ante resurrectionem. Sicut si daretur homo à quo separata esset risibilitas, eo ipso quod esset homo haberet radicaliter talem risibilitatem, non autem

autem formaliter: similiter in nostro casu.

Vltimo Arguitur. Quia per miraculum ex diuina dispositione factum fuit, quod anima Christi, quæ beata fuit à primo instanti suæ creationis, non communicaret gloriam suam Corpori reddendo illud impassibile, & immortale, vt dicit *D. Thomas infra Quæst.* 45. *Art.* 2. ergo anima ipsa de se talem habebat virtutem. *Patet Consequētia.* Quia quamuis ignis per miraculum non comburat Corpus approximatum, non tollitur ab illo virtus ad comburendum, sed impeditur eius actus, vt patuit in igne fornacis Babylonis, qui tres pueros non combussit, ministros tamen Regis accendentes ad fornacem exurebat; ergo quamuis anima Christi de facto non glorificauerit ab initio proprium Corpus, vt pro nobis in illo posset pati mortem, non est dicendum, quod illi defuit talis virtus, sed quod impedita fuit à Deo.

Si Dicas animam Christi posse quidem communicare naturaliter gloriam Corpori impassibili non tamen quando Corpus erat passibile. *Contrà hoc est*, Quia solum sequitur ex hoc, quod Corpus secundum se non erat aptum ad recipiendam talem claritatem quando erat passibile, non tamē quod anima Christi non haberet potestatem secundum sibi propria, & quantum erat ex parte sui ad communicandum eamdem gloriam.

Confirmatur. Quia anima Christi post resurrectionem habuit virtutem communicandi naturaliter gloriam, & claritatem suam Corpori; ergo similiter ante resurrectionem. *Probatur Consequentia.* Quia eadem potestas mansit in anima Christi post resurrectionem.

Respondetur, Quod in Christo ante resurrectionem non solum impedita fuit virtus ne posset suum Corpus immutare, sed potius vt verbis vtamur *D Thomæ* talem virtutem non assumpsit eo quod debebat per omnia fratribus assimilari. Ad improbationem autē huius Dicimus nō esse eamdem rationem de igne impedito ne comburat, quia ignis impeditus retinebat non solum radicaliter, sed etiam formaliter suā virtutem comburendi, immo de facto cōburebat ministros Regis, sed solum impedita fuit executio illius virtutis circa tres pueros. Anima vero Christi (licet per miraculum) talem virtutem non habebat. Vnde solutio inter arguendum posita in hoc sensu intellecta verum habet.

Ad Cuius Replicam Dico, Quod non solum anima Christi non immutabat Corpus suum a principio, ex eo quod Corpus passibile remanens passibile non erat capax recipiendi claritatem gloriæ, quam habent corpora gloriosa, sed quia ipsa anima pro illo statu non habebat formaliter potestatem ad talem immutationem, sed solum radicaliter.

Ad Confirmationem Respondetur Negando Consequentiam. *Et ad Probationem Dico*, Quod si loquamur de potestate radicali animæ ad glorificandum Corpus eadem fuit semper in anima Christi, & post resurrectionem, & antea eo solum, quod anima beata erat. Cæterum si loquamur de potestate formali, illam habuit post resurrectionem, non verò antea. Nec ex hoc debet colligi, quod anima Christi esset minoris virtutis ad glorificandum suum Corpus, quam aliæ animæ, siquidem ipsæ eo ipso quo reunirentur corporibus illa clarificarent, quod nō reperitur in anima Christi, quia ne id fieret à principio impeditum fuit per miraculum. Quo miraculo Supposito, videlicet quod Corpus passibile deberet manere in Christo non fuit in eius anima potestas formalis ad illud clarificandum, nisi miraculosè, vt in Transfiguratione.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Omnis voluntas humana Christi semper fuerit adimpleta?

PRO Intelligentia Tituli (vt statim certa ab incertis separemus) supponendum est duplicem esse actum voluntatis humanæ in Christo, & absolutum, & conditionatum, & quidē quod conditionatus non fuerit semper impletus, certissimum esse constat ex illo Matth. 26. *Pater si possibile est transeat à me calix iste*, qui reuera non transiuit. Et hoc quidem non est mirum, siquidem nec voluntas antecedens ipsius Dei semper impletur, vult enim illa voluntate omnes homines saluos fieri, & tamen multi sunt qui damnantur. Tota ergo Difficultas est de voluntate absoluta humanitatis Christi Domini, An semper fuerit adimpleta? De quo

non

non est parua controuersia inter Theologos.

Pro Resolutione Dubij notandum est Primo, Quod voluntas absoluta, & efficax humana Christi Domini (de qua est difficultas præsens) potest dupliciter considerari. *Primo Modo* ita vt sit absolutè, & simpliciter hoc est, omnibus modis efficax, & tunc est quando volebat obiectum cum omnibus medijs, & circumstantijs necessarijs ad cõsecutionem illius, siue illa media apponẽda essent solum ex parte sua, scilicet voluntatis humanæ, siue apponenda essent ex potestate, & voluntate aliorum. Eadem etiam voluntas potest vocari efficax altero modo, videlicet non simpliciter, & absolutè, & omnibus modis, sed tantum in aliquo determinato genere, quando scilicet volũtas humana Christi volebat aliquod obiectum, aut finem, & similiter volebat omnia media quæ ipsa voluntas præstare poterat; non tamen volebat omnia media necessaria ad consecutionem talis finis, quando illa media erant in voluntate, & potestate aliorum, quorum voluntas non subdebatur humanæ voluntati Christi, atque adeò non simpliciter, & omnibus modis intendebat finem illum, sed tantum quantum erat ex parte sua.

Secundo Notanda Est Differentia inter volũtatem humanam Christi, & Diuinam, quod scilicet voluntas diuina efficax absolutè, & omnibus modis semper est efficax, & sic non est capax distinctionis à Nobis positæ de voluntate efficaci humana Christi. *Ratio huius manifesta est*, Quod scilicet cum voluntas diuina sit primum mouens respectu omnium voluntatum creatarum, quæ in omnibus diuinæ subduntur, ideò totum quod voluntas diuina efficaciter vult, semper adimpletur, quia in eius potestate est ponere omnia media necessaria ad adimpletionem talis voluntatis, & ad consecutionem cuiuscumque finis. Voluntas autem humana Christi, cum finitæ, & limitatæ virtutis sit, & cui omnes aliæ voluntates non sunt subditæ, aliquid potest aliquãdo velle ex parte sua apponendo omnia media, quæ sunt in potestate eius, & tamen effectus non eueniet, quia dependet ex voluntate libera aliorum, quæ non subditur voluntati humanæ Christi.

Prima Conclusio. Omnis voluntas humana Christi absoluta, & efficax in his, quæ ab ipsa sola voluntate dependebant semper impleta fuit. Hæc Cõclusio est ita certa vt à nemine Theologorum negetur: est expressa *D. Thomæ* in hoc Articulo, & probatur clarè ex verbis *D. Augustini* adductis in Argumento sed contra, quæ illam efficaciter probant, & similiter ratio breuissima adducta in Corpore Articuli. Insipientiæ enim (quæ longe abest à Christo Domino) tribuendum esset vt aliquid vellet per se facere, quod suæ virtuti non subiaceret; si ergo Christus per se ipsum volebat aliquid fieri cognoscebat id esse in eius potestate, & consequentèr eius voluntas in similibus semper adimplebatur. Si vero cognoscebat à se ipso fieri non posse, nec esse in eius potestate humana, absolute illud non vellet à se fieri, atque adeò talis voluntas absoluta in rebus, quæ per ipsum debebant fieri semper adimpleta fuit.

Secunda Conclusio. Voluntas Christi humana, quæ absolutè, & omnibus modis erat efficax, iuxta dicta à Nobis notabili primo, semper adimpleta fuit. Hæc Conclusio etiam est certissima. *Et Probatur Ratione.* Quia quando voluntas Christi humana omnibus modis determinabatur ad aliquem effectum, iam habebat notitiam de omnibus medijs ad illum effectum, & sinẽ necessarijs, & quibus modis applicanda erant tam à se, quàm ab alijs; ergo semper quod omnibus modis applicabat efficaciter suam voluntatem effectus infallibiliter sequebatur; aliàs imprudentiæ etiam tribui posset, vt sic omnibus modis efficaciter se determinaret voluntas humana, si omnia necessaria tam à se, quàm ab alijs ponenda non essent præuia, & certa.

Tertia Conclusio. Voluntas illa Christi humana efficax secundum quid (de qua diximus in illo notabili) circa ea, quæ erant in aliorum potestate non semper impleta fuit. Hæc est *D. Thomæ in Solut. ad 1. Solut. 2.* & illam tenet *Caietanus* in præsenti, & *Cabrera* hic, & Multi ex Modernis doctissimis, & probatur. *Tum* quia voluntates aliorum non erant subiectæ voluntati humanæ Christi, nec media, quæ ab alijs poni deberent ad effectum; ergo in aliquo casu huius generis voluntas absoluta humana Christi non adimpleta fuit. *Tum* etiam aliquibus argumentis, quæ sine dubio magnum robur habent. Primo Probatur ex primo Argumento *D. Thomæ*, & ex Solutione eius secunda, in qua hoc expressè docere videtur. Posquam enim posuerat Argumentum ex illo Marc. 7. *Ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere.* Respondet

pondet D. Thomas sic. *Vel potest dici, quod hæc voluntas Christi non fuit de eo, quod per eam fiendum erat, sed de eo quod erat fiendum per alios, quod non subiacet humanæ voluntati ipsius.* Videte ergo quomodo *D. Thomas* clarè ait, quod voluntas absoluta Christi eorum, quæ per alios facienda erant non fuit semper adimpleta.

Secundo Probatur Efficacissimo Argumento ex Epist. Agathonis Papæ, quæ refertur in VI. Synodo Generali Act. 4. & recepta est Act. 8. vbi Summus Pontifex sic ait, *Ergo ne ille hominum Conditor, ac Redemptor in terris latere volens non potuit, nisi hoc ad humanam eius voluntatem, quam temporaliter est dignatus assumere, redigatur?* Ergo secundum mentem Summi Pontificis voluntas humana Christi non semper fuit impleta, cum de facto latere voluit, & non potuit.

Forte Dices Huic Rationi Summum Pontificem esse intelligendum de voluntate conditionata, & inefficaci, quæ non semper impletur; non verò de absoluta, & efficaci. *Sed tamen* hoc aperto Argumento frivolum esse ostenditur. Quia Pontifex ibi volebat probare in Christo non solum esse voluntatem diuinam, sed etiam voluntatem humanam, & probat hoc, quia voluntas diuina semper impletur, voluntas verò humana non semper impletur; sed si intelligatur de voluntate conditionata, & inefficaci, Argumentum Pontificis futile, & inane esset, cum etiam voluntas cõditionata Dei, & inefficax non semper impleatur; ergo vt cõstituatur aliqua differentia rationabilis inter vtrãque voluntatem, diuinam scilicet, & humanam aliquo probabili Argumento asserendum est voluntatem aliquam absolutam, & efficacem humanitatis Christi non esse adimpletam.

Confirmatur ex D. Damasc. Lib. 3. de Fide Cap. 17. vbi ait, *Quo etiam factum est vt cum sui conspectum subducere vellet per se id non potuerit, quod nimirum Deo Verbo perspicuum hoc fieri placuisset verè in se ineße humanæ voluntatis imbecillitatem.* Quibus verbis denotat *Damascenus*, quod adhibita diligentia ex parte humanæ voluntatis Christi, atque adeò ex efficaci voluntate voluisse Christum latere, & non potuisse propter humanæ voluntatis imbecillitatem. Quod quidem si de inefficaci, seu conditionata voluntate intelligeretur, nullius momenti esset Argumentum ad probandam imbecillitatem voluntatis humanæ.

Per Hæc Argumenta, & præcipuè per secundum, quod sine dubio magnum est, motus fuit *Caietanus* in præsenti, vt doceret voluntatem Christi humanam efficacem, & absolutam, circa ea tamen quæ per alios fienda erant, non semper fuisse adimpletam, & sic etiam sentit *Cabrera* hic, licet aliter loquatur *infra Quæst 18. Art. 5. Disp. 4.* de quo etiam videatur *Suarez Disput. 38. Art. 5.*

Soluuntur Argumenta.

Pro Parte verò affirmatiua Dubij non sunt infirma Argumenta. Et pro illa primo Arguitur Nam homo prudens, & doctus non vult absolutè, & efficaciter id, quod sibi constat non esse futurum; aliàs enim actus videretur imprudentiæ conari ad illud, quod scit non esse futurum; sed Christus Dominus plenam habuit notitiam omniũ futurorum, siquidem cognouit omnia, quę Deus nouit scientia visionis, vt ait *D. Thomas* loquendo de Scientia Beata animæ Christi, atque adeò non vidit tali scientia futurum esse vt lateret; ergo cum ab illo omninò secludenda sit imprudentia, dicẽdum erit non voluisse efficaciter latere, sed solum conditionaliter, & inefficaciter, & consequenter voluntatem solum inefficacem, & conditionatã Christi nõ esse adimpletam, non vero absolutam, & efficacem.

Confirmatur. Quia voluntas efficax humana non potest esse impossibiliũ, & præcipuè corũ, quæ impossibilia cognita sunt; ergo si Christo secundum humanitatem nõ fuit possibile fugere cõspectum hominum vt nesciretur, & id optimè nouit, cum rerũ omnium scientia esset præditus, non potuit efficaci voluntate velle se ipsum occultare, vt ab alijs ignoraretur.

Secundo Arguitur. Nam quidquid absolutè, & deliberatè volebat anima Christi, volebat etiam & diuinum Verbum, quia cum actiones sint Suppositorum omnis actio voluntatis Christi humanæ erat etiam actio totius Suppositi; ergo cum voluntas omnis efficax Diuini Verbi semper adimpleta fuerit, id etiam dicendum erit de voluntate absoluta, & efficaci humana Christi; aliàs enim esset contrarietas voluntatum Verbi, & humanitatis, cum Verbum absolutè vellet Christum non latere, & voluntas humana efficaciter voluisset oppositum.

Tertio Arguitur. Quia omnis voluntas absoluta animæ beatæ adimpletur; sed anima Christi Domini erat perfectissimè beata; ergo eius voluntas absoluta semper fuit adimpleta. *Maior Probatur* ex definitione status beatifici, qui est omnium bonorum aggregatione perfectus; habet ergo beatus quidquid vult, & consequenter omnis eius voluntas efficax est adimpleta.

Confirmatur. Quia anima Christi poterat facere quidquid vellet, aut propria virtute, aut secundum quod erat instrumentum Diuini Verbi; ergo quando absolutè aliquid volebat, semper implebatur talis voluntas, aut à se ipsa vt causa principali, aut saltem vt causa instrumentali, atque adeò nulla voluntas absoluta humanitatis Christi desinit adimpleri.

Restat Ergo Respondere ad ista Argumenta partis affirmatiuæ, quæ videntur probare omnem voluntatem efficacem Christi semper, & in omnibus adimpleri. *Ad Primum Respondetur*, Quod homo prudens, & doctus aliquid absolutè potest velle, & efficaciter quantum est ex parte sua, quamuis sciat absolutè non esse futurum, eo quod ab alterius voluntate pendet, vt patet in exemplo Medici prudentis, & docti, qui quantum est ex se absolutè vult potionem amaram infirmum sumere, & hoc præcipit, & tamen cognoscere potest ex circumstantijs, & humoribus infirmitatis, immo ex confessione ipsius infirmi, quod nullatenùs illam sumet. Similiter Christus Dominus benè poterat habere quantum erat ex parte sua actum voluntatis absolutum latendi, & ad hoc ex se conari, quamuis ex altera parte sciret illud non esse adimplendum, eo quod à voluntate aliorum pendebat, quæ voluntati humanæ Christi non subdebatur. Vnde *Caietanus* super illud *Cap. 7. D. Marc.* ait, Quod Christus non potuit latere non ex impotentia absoluta Christi, sed ex impotentia silentij, quia moraliter loquendo, alij non poterant silere. Itaque Christus absoluta voluntate volebat eius aduentum ad Gentes non manifestari, nihilominus id non potuit, quia etiam stante ista voluntate humana Christi, alij homines oppositum poterant operari.

Ad Confirmationem Respondetur Impossibilium duo esse genera; quædam enim sunt impossibilia per se, & altera impossibilia per accidens. Rursus impossibile per accidens est duplex, aliud quod est impossibile ex suppositione præteriti, vt quod Petrus non peccauerit, si iam peccauit, est impossibile per accidēs ex suppositione actus iam præteriti, & sic actus ille iam non est in eius potestate. Aliud est impossibile ex suppositione futuri, vt Supposito quod Deus scit Petrum peccaturum, infallibiliter peccabit, & ex suppositione scientiæ Dei non potest illud peccatum non esse. Cæterum hæc scientia nō extrahit actum peccati futuri à potestate Petri, sed semper manet in eius potestate facere actum peccati, vel non facere, & quamuis illi sit reuelatum peccatum suum futurum, tenetur quantum est ex se efficaciter conari non peccare. Sic igitur in præsenti, licet Christo esset impossibile vitare conspectum hominum, & occultare se supposita scientia, quam habebat de euentu futuro, tamen adhuc sub eius potestate manebat fugere conspectum hominum, non quia ipse posset alios prohibere ex voluntate humana ne eum viderent, aut ipsi occurrerent, sed quia hoc contingens illi fuit, & potuit simpliciter non euenire; atque adeò sicut stante reuelatione peccati futuri tenetur Petrus conari oppositum, sic etiam Christus potuit absolutè velle occultari, & efficaciter ex parte sua conari ad hoc etiam supposita scientia, quod de facto illi occurrerent, & visuri essent eum.

Ad Secundum Respondetur Illud probare animam Christi secundum quod erat instrumentum Diuini Verbi operatam fuisse quæcumque volebat voluntate absoluta; at verò propria virtute id non poterat, quia concurrebat Verbum ad actum voluntatis humanæ ad modum ipsius voluntatis, sicut concurreret Suppositum proprium humanitatis, si ibi esset. Quare distinguendum est Antecedens. Quidquid volebat anima Christi absoluta voluntate volebat, & Diuinum Verbum, *Distinguo*. Volebat voluntate humana supplendo vicem suppositi humani, *Concedo Antecedens*. Volebat voluntate diuina absoluta, & efficaci, *Nego Antecedens*. Et sic de facto contigit in præsenti quando neminem voluit scire, & non potuit latere.

Ad Tertium Respondetur Primò, Quod voluntas Beatorum absoluta semper adimpletur respectu eorum, quæ per se ipsos fieri debent; non est autem inconueniens asserere, quod voluntas Beati non adimpletur circa ea, quæ per alios facienda sunt. Nec hoc derogat statui Beatifico, quia status ille est omnium bonorū aggregatione per-

perfectus in ordine ad ipsam animam beati, quæ nihil aliud desiderare potest, quam Deum, quem videt, nec cessare ab actu; cũ hoc tamen sicut compatitur, quod corpora eorum in terris sepulta sint, etiam compati potest, quod voluntas illorum quo ad ea, quæ dependebant ex voluntate aliorum non semper adimpleretur.

Secundo Respondetur. Quod in Christo adhuc militat singularis ratio, quia ipse nõ erat quantum ad omnia in statu Beatorum, atque adeò ratione huius poterat voluntas eius non adimpleri circa ea, quæ ex voluntate aliorum pendebant. B

Ad Confirmationem Respondetur, Quod anima Christi propria virtute non poterat facere quid quid vellet, cum voluntas aliorum non esset illi subdita; poterat tamen voluntates aliorum immutare secundum quod erat instrumentum Diuini Verbi; hoc autem non procedit contra prædicta, quia Nos in præsenti tãtum Disputamus de anima Christi secundum sibi propria, & de illa inquirimus, An semper fuerit adimpleta; non autem de illa vt est instrumentum Diuini Verbi, quia sic omnia potest, iuxta dicta à *D. Thoma* 2. *Concluſ.* Et hæc de hac Grauissima Quæstione.

Postquam *D. Thom. à Quæſt. 7. vsque ad* 13. inclusiuè egit de perfectionibus naturæ humanæ à Verbo Diuino assumptæ, statim de defectibus sermonem instituit, per alias duas Quæstiones, & quia inter alios corporales defectus sunt notiores, de eis subditur Quæstio XIV. In Qua quia Dubia parui momenti subiuntur, ea breuitet absque longa Disputatione perstringemus, per Articulos iudicando.

QVAESTIO XIV.

DE DEFECTIBVS CORPORIS ASSVMPTI A FILIO DEI.

ORDO DOCTRINÆ.

HANC *Quæstionem diuisit S. Thomas* per Quatuor Articulos, in primo inquirit, Vtrùm Filius Dei in humana natura assumere debuerit Corporis defectus? Respondet Vnica Conclusione. Conueniens fuit Corpus assumptum à Filio Dei humanis infirmitatibus, & defectibus subiacere.

In Articulo Secundo inquirit *Sanctus Doctor*, Vtrùm Christus necessitatem subiacendi his defectibus assumpserit? Triplici Respondet Conclusione. *Prima Conclusio*. Christus assumpsit necessitatem naturalem subiacēdi defectibus corporalibus ea ratione, qua Corpus habebat passibile.

Secunda Conclusio. Si loquamur de necessitate coactionis quatenùs repugnat naturæ corporali, sic Corpus Christi secundū cōditionē proprię naturæ subiacuit necessitati, & claui perforantis, & flagelli percutientis.

Tertia Conclusio. Si loquamur de necessitate coactionis, quatenùs coactio repugnat voluntati, sic in Christo non fuit necessitas horum defectuum, neque per respectum ad diuinam voluntatem Christi, neque per respectum ad humanam, prout sequitur rationem deliberantem, sed tantum secundum motum voluntatis naturalem, prout scilicet refugiebat naturaliter mortem, & alia Corporis nocumenta.

In Articulo Tertio inquirit *D. Thomas*, Vtrùm Christus defectus naturales contraxerit? Vnica Respōdet Conclusione. Christus non cōtraxit hos defectus quasi ex debito peccati, sed eos suscepit ex propria volūtate.

In Articulo Quarto inquirit *S. Doctor*, Vtrùm Christus omnes defectus corporales hominū assumere debuerit? Respōdet triplici Cōclusione.

Prima. Non fuit conueniens, quod Christus assumeret omnes defectus, seu infirmitates humanas.

Secunda Conclusio. Christus non assumpsit defectus, qui non ex corruptione naturæ, sed ex particularibus causis oriuntur, vt lepra, morbus caducus, & alij huiusmodi; nec eos qui ex inordinato victu, aut ex defectu virtutis formatiuæ proueniunt.

Tertia Conclusio. Christus Dominus assumpsit omnes defectus, qui communiter reperiuntur in hominibus ex natura corrupta, vt sunt mors, fames, sitis, &c.

AR-

ARTICVLVS I.

Vtrùm Filius Dei in humana natura assumere debuerit Corporis Defectus?

Concluſo eſt. Conueniens fuit Corpus aſſumptum à Filio Dei humanis infirmitatibus, & defectibus ſubiacere. Hæc Concluſio eſt de fide, & probatur optimè ex teſtimoniis ſacræ Scripturæ, tum adductis à *D. Thoma* hic, tum etiam ab Interpretibus eius.

Contra Iſtam Concluſionem tenuerunt multi Hæretici, aſſerentes non fuiſſe conueniẽs Chriſtum habere Corpus paſsibile, immo hoc eſſe indignum, eo quod erat diuinitati Vnitum, atque adeò de facto tales defectus Corporis non habuiſſe: de quo videatur *Suarez Diſp. 32. Sect. 1.* Vt autem ab hoc errore Sanctos Patres defendamus (quod eſt proprium munus Catholici Theologi) notandum eſt, quod Quidam ex Doctoribus Grauiſsimis eumdem errorem aliquãdo inſinuarunt, præcipuè *D. Hylarius Pictauienſis Epiſcopus*, qui illum expreſsè videtur aſſerere ſuper Pſalm. 68. in illis verbis, *Saluum me fac Deus quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* Cui etiam conſentire videntur *D. Hieronym.* & *D. Auguſt.* & expreſsè tenuit Iuſtinianus Imperator, qui Edicto publico id intimãdum præcepit, vt optimè aduertit noſter *Sixtus Senenſis Lib. 5. Bibliot. Annotatione* 186. & in aliis Annotationibus ibi citatis. Quibus adiungi poteſt *Clemens Alexãdr. Lib. 6. Stromatum Fol.* 134. Vbi de Corpore Chriſti ſic ait, *Sancta virtute continebatur, & tamen comedebat ne phantaſticum putaretur. Ipſe autem vt ſemel dicam impaſsibilis erat, qui nullum ſubijt motum affectionis, vel voluptatis, nec doloris.* Qui omnes in eo videntur fundari, quod non eſſet decens, vt Corpus Diuinitati vnitum humanis infirmitatibus, aut paſsionibus eſſet ſubiectum.

Alij verò Authores oppoſitum etiam à Veritate declinare videntur, aſſerentes nõ ſolum Corpus Chriſti eſſe paſsionibus, & doloribus ſubiectum, ſed etiam omninò fuiſſe neceſſarium tales defectus habuiſſe; neceſſarium inquam, vel ſimpliciter, & omnibus modis, ita vt oppoſitum nulla poſſi-

A tia fieri potuit. Quam ſententiam *D. Anſelmo* tribuit *Vazquez 3. Part. Diſp. 2. Cap. 2. & 4.* de quo latè diximus ſupra *Quæſt. 1. Art. 2. Dubio 1. in Solut. 1. Argum.* Vel neceſſarium ſaltem ex ſuppoſitione finis reparationis, ſcilicet noſtræ per Chriſti merita, & opera ſatisfactoria. Et in hoc ſenſu illam ſententiam tribuit *Bonauẽt. in 3. Diſt. 16. Art. 1. Quæſt. 3.* Et pro illa fieri poteſt Argumentum. Nam ſi eſt neceſſarium omninò fieri ſatisfactionem pro peccatis noſtris per opera pœnalia; ergo eadem ratione, qua fuit neceſſarium humanum genus reparari per ſatisfactionem Chriſti, fuit etiam neceſſarium, quod Corpus Chriſti ſubiectum eſſet doloribus, & pœnis corporalibus huius vitæ, quibus ſatisfaceret.

Cæterum Concluſio D. Thomæ inter iſta duo extrema mediam tenet viam. Et quidem contra primam ſententiam eſt certa ſecundum fidem vt Diximus, & latiſsimè probant Interpretes noſtri Doctoris Sanctiſsimi, atque adeò Nobis in hac parte ſolum conuenit Sanctos illos Patres à tali errore omninò liberos eſſe, oſtendere. Intelligantur ergo iuxta expoſitionem, quam tradit illis *Sixtus Senen.* vbi ſupra, ibi enim ex *Petro Pariſienſi Epiſcopo Lib. 3. Sententiar. Diſt. 15.* ait, Quod *Hylarius* non abſtulit à Chriſto verum timoris, doloris, aut paſsionis ſenſum, nec naturalem neceſsitatem timendi, & dolendi, ſed ſolum cauſam, & meritum timendi, & dolendi, aut patiendi, quæ in nobis eſt, quia in nobis eſt naturalis patiendi neceſsitas propter peccatum Adæ inducta: in Chriſto autem naturalis illa neceſsitas fuit patiendi, non vitio humanæ Conceptionis illata, ſed vltroneè, & ex eius voluntate ſuſcepta.

Et Conſonat expoſitio iſta cum ea, quam adducit *D. Thomas Quæſt. Seq. Artic. 5.* vbi *D. Hylarium* optimè exponit inquiens *Hylarius à Carne Chriſti non veritatem doloris, ſed neceſsitatem excludere intendit, & accepit neceſsitatem per comparationem ad cauſam primam horum defectuum, quæ eſt peccatum, vt ſcilicet ea ratione dicatur Caro Chriſti non ſubiacuiſſe neceſsitati horum defectuum, quia in ea non fuit peccatum: quantum tamen ad cauſam propinquam horum defectuum, quæ eſt compoſitio contrariorum, Caro Chriſti ſubiacuit neceſsitati horum defectuum.*

Item D. Bonauent. loco ſupra cit. *Quæſt. 1. ad 1.* poſtquam affirmat ſe audiuiſſe à *Guillermo Pariſienſi* illũ vidiſſe, & legiſſe librũ in

quo *D. Hylarius* errorem istum retractauerit, adhuc illum exponit, quod loquatur *Hylarius* de ipsa diuinitate, quæ non sit passa tales labores; non verò de humana natura. Quæ Expositio etiam consonat verbis *Hylarij* 1. *de Trinit. cit.* vbi solũ vult excludere impietatem eorum, qui ex infirmitate patiendi conantur ostendere Christum non in natura Dei impassibili fuisse. Verum est autem ita obscurè *D. Hylarium* fuisse loquutum, vt merito sit sæpè notatum in Margine, quod *Cautè Legatur. D. Hieronymum, & D. Augustinum*, necnon & *Clementem Alexandrinum* optimè exponunt *Magister Medina, & Suarez*.

Quod Autem pro ratione fundamentali in oppositum adducebatur, videlicet quod Corpus Christi esset doloris expers, eo quod erat Hypostaticè Diuino Verbo vnitum, nihil obstat, Optimas enim rationes in contrarium adducit *D. Thomas*, tum in Corpore Articuli, tum in Solutione ad 1. & 4. Vbi ostendit conuenientissimum fuisse Christum Dominum Corpus habere verè, & propriè.

Tandem Conclusionem D. Thomæ verissimam esse contra Authores, qui ex alio extremo affirmabant omninò fuisse necessarium, vt Corpus Christi esset passibile, constare potest ex his, quæ docet *Suarez* hic in fine Commentarij, & ex his, quæ Nos diximus supra *Quæst. 1. Art. 2. Dub. 1.* circa Solutionem ad 1. Nec *D. Anselmus* vt ibi diximus oppositum voluit docere, sed tantum quod seruata lege ordinaria gratiæ, quæ communis est, & regularis in ordine illo supernaturali, fuit necessarium Christum habere Corpus passibile, & doloribus subiectum. Cæterum de potentia Dei absoluta id necessarium non fuisse ibidem probauimus etiam ex eodem *D. Anselmo* de Necessitate Incarnationis Diuini Verbi.

In Quo Etiam Sensu intelligendus est *D. Thomas* in *Solut. ad* 1. Vbi affirmat taliter fuisse necessarios in anima Christi habitus supernaturales ad satisfaciendum, quod eius satisfactio non fuisset efficax nisi ex habitu Charitatis procederet. *Hoc* (inquam) *sic debet intelligi*, quod seruata lege communi, & ordinaria rerum supernaturaliũ, non datur satisfactio, aut meritum sine gratia habituali, & Charitate, quæ sunt proxima principia, & connaturalia totius meriti. De potentia tamen Dei absoluta loquendo, iam supra diximus fieri posse talem satisfactionem infinitam Christi ratione valoris infiniti, quẽ habent opera, ex eo quod à tali supposito procedant, absque eo quod eius anima dono aliquo supernaturali esset ornata. In vltimo etiam sensu *D. Bonauenturæ* potest sententia illius defendi, si supponamus quod à Christo deberet satisfactio fieri per opera pœnalia. Ex hoc enim benè sequitur necessarium esse vt Corpus Christi passibile esset. Si autem solum supponamus, quod Christus satisfacturus esset abstrahendo à modo, non esset necessarium Christum habere Corpus passibile, quia satisfacere posset per actum voluntatis, qui esset infiniti meriti, eo quod à tali Supposito eliciebatur.

Dato Iam quod Christus defectus corporales habuerit, vt modus quo illos habuit nobis aperiatur, subditur

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus Necessitatem subiacendi His Defectibus assumpserit?

NOtandum est pro maiori luce litteræ *D. Thomæ*, quod inter alias Hæreses Iuliani Apostatæ, quas *D. Damascenus* enumerat *Lib. de Hæresibus*, enumerat quamdam *Hæresi* 84. qua asseritur defectus famis, & sitis, frigiditatis, & alios huiusmodi non fuisse in Christo, sicut in nobis sunt necessarij. In Christo autem asserebat Iulianus, quod erant volũtarij. Quam Sententiam Hæreticam iudicat *Damasc.* Ex altera autem parte idem *Damasc. Lib. 3. de Fide Cap. 20.* affirmat hos defectus esse in Christo voluntarios; vbi videtur incidere in errorem a se ipso condemnatum; sed tamen nullatenus incidit, vt statim videbimus.

Secundo Notandum Est, Quod dupliciter aliquid potest dici *Volũtarium*; vno modo tanquam actus voluntatis, vel elicitus ab ipsa, vt actus ipse amoris, vel imperatus ab illa, & elicitus ab altera potentia. Alio modo dicitur aliquid voluntarium non vt actus elicitus, aut imperatus à voluntate, sed vt obiectum amatum, seu acceptatum, vt fames, sitis, & mors, & ista voluntaria possunt esse, vel in se ipsis, dum fiunt, vel in sua causa: aut possunt etiam dici voluntaria, quia fuerunt accep-

tata

tata multo tempore antequam fierent.

Tertio Etiam Notandum Est, Quod in præsenti possumus loqui de voluntate diuina, vel de voluntate humana, quæ quidem considerari potest, vel quatenùs est instrumentum diuini Verbi, vel secundum suas naturales vires præcisè; & potest etiam cõsiderari, vel quatenùs est voluntas vt natura, vel quatenùs est voluntas libera absolutè. De quo videatur *D. Thomas infra Quæst.* 18. *Art.* 5. *&* 6. Quibus positis quidquid ad litteram prætentis Articuli spectat, per aliquas propositiones à Nobis breuiter elucidabitur.

Prima Propositio. Loquendo de voluntate diuina, apertum est hos defectus fuisse illi simpliciter voluntarios multis modis. *Primo*, Quia in ipsa assumptione humanitatis ad Verbum assumptum est Corpus passibile, & subiectum his infirmitatibus. *Secundo*, Fuerunt voluntaria respectu diuinæ voluntatis quando actu fiebant. *Tertio*, Quia diuina voluntas posset prohibere causas naturales, aut liberas infligentes huiusmodi defectum, videlicet calorem, frigiditatem, mortem, &c. Id tamen prohibere noluit, sed potius in humanitate susceptа mortem pro nobis sustinuit, vt fides docet.

Secunda Propositio. Loquendo de voluntate Christi humana affirmandum est, quod isti defectus fuerunt ipsi voluntarij absolutè tanquam obiecta acceptata, & amata. Tum quidem in ipsa assumptione humanitatis à Verbo, quia cum in illo primo instanti habuerit Christus perfectum vsum rationis, voluntariè assumpsit Corpus passibile his defectibus subiectum, iuxta illud Pauli ad *Hebr.* 3. Vbi loquens nomine Christi ex *Psal.* 39 ait, *Ingrediens mundum* (hoc est in instanti primo Conceptionis) *dixit, Sacrificium, & oblationem noluisti, Corpus autem aptasti mihi.* Hoc est, voluntariè acceptaui passibilitatem Corporis apti ad sustinẽdos hos defectus, & quia sua voluntate acceptauit illos, ideò subiunxit: *Vt facerem voluntatem tuam Deus meus volui.* Tum etiam, quia voluntarij fuerunt omnes huiusmodi defectus voluntati humanæ Christi absolutæ in singulis occasionibus, quibus istæ passiones inducebantur. Ac denique multæ ex his passionibus voluntariæ fuerunt tanquam effectus volitus in sua causa, *Verbi grat.* Esuries post ieiunium 40. dierum fuit illi voluntaria in causa, videlicet in diuturna negatione cibi.

Tertia Propositio. Loquendo de voluntate humana Christi quatenùs erat instrumentum Diuini Verbi, sic omnes isti defectus fuerunt illi voluntarij simpliciter, quia vt sic optimè poterat absolutè loquendo impedire omnes causas tales passiones inducentes, quamuis in sensu composito, hoc est, supposita determinatione diuinæ volũtatis de passione, & morte Christi, non poterat conuenire ea ratione, qua illi peccatum inobedientiæ repugnabat.

Quarta Propositio. Loquendo de humana voluntate Christi considerata, vt natura secundum vires eius naturales, & supposita dispositione naturali Corporis passibilis, & connexione causarum, necessitate naturali patiebatur Christus hos defectus, nec illos poterat per vires humanæ naturæ impedire. Et in hoc sensu loquitur *D. Damasc. cit. in* 1. *Notab.* quando condemnauit hæresim Iuliani asserentis defectus istos non fuisse necessarios in Christo, sed voluntarios; in sensu enim huius vltimæ propositionis nõ fuerunt voluntarij, sed necessarij. At quando *D. Damascenus* affirmat tales defectus esse Christo voluntarios, non incidit in errorem à se condemnatum, quia hoc intelligitur iuxta Propositionem Secundam, & explicari etiam potest iuxta Primam, & Tertiam.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus defectus naturales Contraxerit?

Conclusio. Christus non contraxit hos defectus quasi ex debito peccati, sed eos suscepit ex propria voluntate. Istum Articulum ponit *D. Thomas*, vt explicet modum, quo loquendum est de Christo in ordine ad talium defectuum contractionem; nam cum prima causa illorum sit peccatum, hanc omninò excludit à Christo. Secundam autem causam ponit in illo, scilicet naturalem cõditionem humanæ naturæ passibilis, quæ eiusdem rationis est in Christo, & in reliquis hominibus; qua ratione dici posset simul cum natura humana tales defectus cõtraxisse. Nè tamen in altero primo sensu videamur loqui, & nè significemus esse eodem modo in Christo, & in nobis, negat *D. Thomas* tales defectus contraxisse. *Et ratio*

tio huius esse potest. Quia ex vi propriæ generationis Christi est magna differentia inter Christum, & nos, nam ex vi generationis Christi, qua simul vnitur natura humana Diuino Verbo, non debebatur illi natura passibilis, aut Corpus passibile, sed potius debetur consummata perfectio tam animæ, quàm Corporis, atque adeò quod esset impassibilis, & ideò non debet dici Christum ex vi talis Conceptionis illos defectus contraxisse ex aliqua necessitate sicut nos, sed voluntariè illos esse assumptos, quod in nobis non reperitur.

Habita Notitia, quod Christus naturaler defectus habuit, restat inquirere iam de numero illorum, circa quod subditur

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm Christus Omnes Defectus Corporales Hominum assumere debuerit?

Magister Medina in præsenti, & *Suarez Disput. 32. Sect. 2. §. Ex quo expeditur, &c.* Dubiũ mouent, An Christus pati potuerit aliquem morbum? Quod quidem ab eis negatiuè optimè resoluitur. *Sed Contra* adhuc instari potest. Quia quantumuis fuerit virtus formatiua perfecta in Christo, & rectus ciborum vsus, adhuc Christus Dominus erat subiectus causis extrinsecis habentibus de se virtutem ad corrumpendam complexionem humani Corporis, ergo pati posset infirmitates.

Respondent Quidam Negando Consequentiam, & reddunt rationem, quia Christus conceptus fuit, & natus in tam optima constellatione, quæ de se sufficiens erat impedire tales causas extrinsecas, nè morbum aliquẽ in Corpore Christi causarent. Hæc sententia tribuitur *B. Alberto Magno in Lib.* qui dicitur *Speculum*, & *Petro de Aliaco Cardinali Quæst. 30. in Genes. & Lib. de Legibus.* Sed tamen Liber ille Speculi falsò, sicut & alij tribuitur *Alberto*, cum multa vana, & pernicioſa Tanto Viro indigna contineat. Vnde & solutio illa inanis est, vt ostendit *D. August. Lib. 5. de Ciuit. Dei Cap. 1. & 2.*

Secundo Respondet Caietanus negando etiam Consequentiam, sed alteram rationem reddens, Videlicet non posse causas extrinsecas morbum in Corpore Christi causare ex optima temperie, & complexione, quam ex vi virtutis formatiuæ habuit, quibus quidem adiuncta præcipuè eius summa prudentia, & cognitione eorũ, quæ poterant infirmitatem inferre, resistere potuit cuicumque contrario extrinseco corrumpenti. Hanc Solutionem sequuntur *Magister Medina*, & *Suarez hic*, & multi ex Thomistis, mihique etiam placet loquendo de tempore determinato, quod quidem non solum erat respectu vitæ 33. annorum, quibus Christus degit in hac vita mortali, sed & aliorum plurium, quibus viuere posset naturaliter, vt constat ex cõparatione aliorum hominum, qui sine aliqua infirmitate longo viuunt tempore, quos quidem in optimo temperamento Christus excessit.

Maiorem Autem Ingerit in præsenti Difficultatem, An talis temperies, & optima complexio Christi Domini sufficiens esset ad resistendum cuicumque corrumpenti pro quocumque tempore indeterminato, ita vt verè, & propriè dici posset Christum non fuisse subiectum necessitati incidendi in morbum, etiam si per longissima tempora viueret? In qua difficultate *D. Bonauent. in 3. Dist. 16. Quæst. 1. Artic. 3.* affirmat potuisse Christum propria virtute humanitatis ratione suæ optimæ complexionis se conseruare in perpetuum. Et hãc sententiam Aliqui Recentiores amplectuntur.

Arguitur Primo Pro Illa. Quia Christus per scientiam infusam cognoscebat omnia simplicia, & composita, quibus restaurare posset deperditum in nutritione, non tantum pro aliquo tempore, quod etiam in nobis contingit, sed etiam sem per; ergo posset propria virtute humanitatis se perpetuò conseruare, & sine aliqua prorsus infirmitate.

Secundo. Quia sic perpetuò se conseruare potuerunt nostri Primi Parentes in statu innocentiæ, ergo multo melius id dicendum erit de Christo, qui in cognitione rerum omnium illos excedebat.

Confirmatur ex sententia Quorundam Medicorum, qui defendunt, quod nisi diuina lex staret, qua *Statutum est hominibus semel mori* in pœnam peccati, posset se quilibet homo perpetuò conseruare, si vteretur quibusdam cibis, & medicamentis; quod quidem multo melius dici debet de Christo, tum ratione melioris com-

ple-

plexionis, tum etiam ratione maioris cognitionis. A

Oppositam Sententiam maximè conformem esse doctrinæ *D. Thomæ in Art. 2. huius Quæst. & in 3. Sent. Dist. 16. Quæst. 1. Art. 2.* iudicant eius Discipuli, & ideò illam sequuntur Plures ex Recentioribus. Pro cuius luce sit.

Prima Conclusio. Christus assumpsit necessitatem moriendi, ita quod etsi morte violenta non fuisset occisus, ex intrinsecis ipsius naturæ moreretur post longa tempora. Hanc existimo expressam *D. Thomæ loc. cit.* B immo & *D. Augustin.* Qui communiter sic affirmasse refertur, quamuis locus *D. Augustin.* reuera non reperiatur, vt inquit *Medina*; & pro hac Conclusione facit id quod *Magister Bañez* ait *Lib. 2. de Generat. Cap. 10. Quæst. 2.* Vbi probat, quod omne mortale certam habet suæ vitæ periodum, atque adeò cum Christus fuerit mortalis naturæ, etiam si violenter occisus non fuisset, naturaliter subiret mortem.

Secunda Conclusio Quando Christus naturali morte vitam finiret aliquam pateretur C infirmitatem. Hæc Conclusio probatur ex altera sententia *Doctoris Vallès Lib. 6 contra veos Medicorum Cap. 1.* Quem multi alij ex Medicis sequuntur, videlicet quod accidere non potest mors naturalis per senectutem sine aliquo morbo, & febri, vel sine aliqua putrefactione. Ex qua sententia planè sequitur, quod sicut Christus necessitatē assumpsit moriēdi per senectutem, assumpsit etiam necessitatem incidēdi in aliquem morbum omninò necessarium ad mortē.

Ad Argumenta in oppositum facta pro sententia *D. Bonaventuræ* Respondetur. *Ad Primum*, Quod cum Christus in scientia, & prudentia, & cognitione simplicium, & cōpositorum omnes alios homines excederet, posset quidem longiori tempore se cōseruare cum valetudine, quam aliquis alius; nunquam tamen ex medicamentis, aut cibis totum, & integrum restaurari potest humidum radicale, vt optimè ostendit *Mag. Bañez loc. cit.* atque adeò non se perpetuo conseruaret.

Ad Secundum Respondetur ex *Magistro Bañez* ibidem vbi docet, quod lignum vitæ non sufficeret ad immortalitatem hominū causandam in statu innocentiæ, n si iustitia originalis adesset, atque adeò nec Christus, qui naturam mortalem assumpsit, quamuis in cognitione ciborum, & proprietatum eius, & in vsu moderato illorum reliquos excelleret, immortalis fieret.

Ad Confirmationem Respondetur negando omnino Sententiam illam Medicorum; semper enim in sumptione cibi, & cuiuscumque medicamenti aliquid deperditur de virtute formatiua; nam vt dicit Galenus in quodam Aphorismo Nullum medicamentum est ita salubre, quod aliqua ex parte non noccat.

QVAESTIO XV.

DE DEFECTIBVS ANIMÆ A CHRISTO ASSVMPTIS.

POstquam de Defectibus Corporis Egit *Sanctus Thomas*, incipit in hac Quæstione de defectibus Animæ tractare, & Primo inquirit, Vtrùm in Christo fuerit peccatum? Respondet Vnica Conclusione.

Christus Nullo Modo assumpsit defectum peccati, neque originalis, neque actualis. Hæc Conclusio intellecta de facto tam de peccato actuali, quàm de originali est certa secundum fidem, vt patet ex Testimonijs sacræ Scripturæ adductis à *D. Thoma* in præsenti, & eam latè probat *Suarez Disput. 33. Sect. 1. per totam*, *Cabrera* in præsenti, & latiùs *Vazquez Disput. 61. Cap. 1.* Intellecta verò de possibili secundum legem ordinariam est omnino certa inter Catholicos, & satis insinuatur à *D. Thoma*, dum in Conclusione definit non fuisse Christo conueniens, seu proportionatum assumere peccatum, & Nos etiam per totam Quæstionem Septimam plura diximus pro hac Conclusione corroboranda. Solum ergo potest esse in præsenti Dubium, Vtrùm de potentia Dei absoluta peccare potuerit? Pro quo sit Disputatio sequens.

DISPVTATIO XVI.

DE IMPECCABILITATE CHRISTI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm de Potentia Dei absoluta Christus in Humana natura peccare potuerit?

QVidam *Neoterici Theologi*, inter quos est *Vazquez Disp.* 61. *Cap.* 2. in initio alios reprehendunt, quod Disputationem istam agitent de potentia Dei absoluta, existimantes non habere locum ratione materiæ de qua agitur, quia cum Deus Author non sit, nec esse possit peccati, neque de potentia ordinaria, neque de absoluta, omninò impertinenter videtur disputari, An Christus de potentia Dei absoluta in humana natura peccare potuerit. Sed certè isti Theologi impertinenter Alios reprehendunt, & videntur difficultatē non calluisse; non enim vertitur in Dubium, An Deus de sua potentia absoluta peccare potuerit, aut saltem iuuare creaturam aliquam ad peccādum: hoc enim impossibile esse Deo certissimum est apud Omnes; sed An Christus, licet de facto ratione Vnionis Hypostaticæ, & donorum supernaturalium, quibus propter illam est ornata eius humanitas, peccare non potuerit de lege ordinaria, An si Deus de sua potentia absoluta ab humanitate auferret omnia supernaturalia dona & eam tantum relinqueret secundum sua naturalia, vnitam tamen Hypostaticè Diuino Verbo, An tunc talis humanitas peccare posset in tali casu; quod est Inquirere, An Humanitas Christi ex vi præcisè Vnionis Hypostaticæ facta fuerit impeccabilis? In quo sensu dubium istud difficile est, & optima ratione à Theologis disputatur.

Partem Affirmatiuam Dubij tenet *Durandus in* 3. *Dist.* 12. *Quæst.* 2. *Numer.* 7. & taliter illi adhæret, vt *Numer.* 8 affirmet, quod huic sententiæ magis obsistunt verba deuota, quam ratio efficax. Eiusdem sententiæ esse *Scotum* manifestè colligitur ex eius doctrina, quia *Dist.* 2. *Quæst.* 1. ait Christum non potuisse peccare ratione beatitudinis, non tamen ex vi solius Vnionis Hypostaticæ. Quare cum aliàs idem *Scotus* sentiat humanam naturam potuisse assumi sine beatitudine, consequenter sentit posse assumi taliter, quod in illa Christus peccare posset. Illum sequitur *Marsil. Quæst* 9. *Art.* 3. quibus adiungitur *Henricus Quodlib.* 6. *Quæst.* 6. vbi postquam cum *Scoto* conuenerat in asserenda impeccabilitate Christi ratione beatitudinis, ab illo tamen discedit affirmans, quod suppositā Vnione Hypostatica non potuit ab anima Christi auferri Visio Beata, & consequenter Christum non potuisse peccare: ablata autem Visione sub conditione, affirmat Christum in naturā humana peccare posse.

Conclusio. Christus in natura assumptā etiam de potentia Dei absoluta peccare nō potuit. Hanc Conclusionem ita certam existimant Theologi, vt oppositam Aliqui iudicent erroneam, & *Capreolus* dicat, quod contra illam non est agendum *Argumentis, sed flammis*: qui autem minus rigidè in hac parte loquuntur, ad minus censent illam parum consonam doctrinæ Conciliorum, & Patrum, & piarum aurium offensiuam. Sic sentit *Magister Vincentius* in sua *Relect. Quæst.* 1 *Pag.* 32 *&* 91. *& Vazquez Disput.* 61. *Cap.* 3. ait esse dignam aliqua nota, eō quod manifestè Patrum doctrinæ aduersetur. Cæterum communiter his temporibus illa sententia temeraria, impia & scandalosa iudicatur, & sic inter alios sentit *Suarez Disput.* 33. *Sect.* 2. & *Cabrera* in præsenti *Concluſ.* 2.

Nostra Igitur Conclusio Probatur Primo ex *Concilio Florentino Sess.* 19. *Colum.* 2. vbi sic

sic habetur: *Iuxta omnium Phylosophorum Scholam actiones sunt Suppositorum*: ita ibi, & Colum. Sequenti *Ioseph enim à Iacob supposito per ipsius naturam, vt principium quod quidem communicabile generatur, quandoquidem actiones sunt Suppositorum, vt sæpenumerò dictum est.* Ita ibi. *Ibidem Communis Doctorum sententia diuina substantia nequaquam generat, vnde sequitur quod sæpè pertuli, & cum suppositum ex Patris substantia esse audiamus, necesse sit ex Supposito intelligamus.* Ita ibi. Et similia *Sess* 18. post medium, vbi dicitur, *Quod suppositum est principium Quod*, quod sæpè repetit in vtraque Sessione.

Expende, quod illa Propositio *Actiones sunt Suppositorum* in proprijs terminis habetur in Concilio, & quod est secundum omnes Phylosophos. *Secundo*, Quod non potest intelligi *Denominatiuè*, sed *Elicitiuè*, quia adducitur ad hoc quod *Essentia nõ generat*, sed *Pater generat*, quia de fide est, quod essentia non generat elicitiuè, & quod Pater generat elicitiuè, quæ ratio intollerabilem facit Contrariam Sententiam.

Nec Valet, *Quod Natura* in Patre generat. *Tum* quia eadem numero est in Patre, & in filio, & sic generaret se ipsam. *Tum* quia Persona Filij est genita, sicut & Pater generans *Tum* quia inter ũm Concilij erat probare, quod Spiritus Sanctus procedebat à Persona Filij, quod negabant Græci, quia de hoc Articulo erat disputatio, & nõ negabant Græci, quod esset de natura Filij, & intendebat Latinus, quod si erat de natura Filij, erat à Suppositio Filij tanquam à principio *Quod*, & totum hoc est elicitiuè, quia de proprietate processionis diuinæ. Certè in diuinis negari non potest doctrina hæc sine periculo.

Nec Valet, Quod non sit idem in humanis, quia Concilium adducit exemplum de generatione Ioseph. *Nec Valet*, Quod ibi non definitur, sed solum est disputatio, quia licet hoc sit verum, tamen ex vi huius Disputationis diffinitus fuit Articulus, cuius Controuersia erat inter Ecclesiam Latinam, & Græcam, & Latinus nomine totius Ecclesiæ Latinæ disputabat post consultationem cum Latinis, & sic est consensus communis Ecclesiæ Latinæ, quod ipse affirmabat, & temerarium est negare communem consensum Doctorum Ecclesiæ Latinæ. Vnde cum Græcus non ausus fuit negare, quod actiones sint Suppositorum in Phylosophia, & sic consensit iam vtraque Ecclesia in propositione, & ideò concluſus fuit Græcus, & si illam negaret, non esset concluſus, & si Schola Scotica tunc esset, posset negare iuxta Scholam Latinorum Scoticam, & sic nihil concluderetur contra illam, certè eneruat rationem Concilij contraria doctrina.

Nec Valet, Quod rationes diffinitionis non semper sunt demonstrationes; quia sunt de articulis fidei. *Tum* quia ad minus non nituntur fundamentis falsis, sed veris, & sic debet concedi, quod est verum principium, *Actiones sunt Suppositorum*. Tum quia in illo Concilio ex vi disputationis concluſus fuit Theologicè demonstratiuè suppositio principio fidei, naturalique, quia concluſus fuit Armenus, & postea fuit definitum, & iste Articulus non erat capax vt solum ex ratione congruentiæ probaretur.

Secundo Probatur Concluſio multis, & grauissimis Patrum Testimonijs, qui videri possunt in Interpretibus *D. Thomæ*, præcipuè apud *Vazquez* loc. cit. vbi 80. testimonia Patrum congerit; ibi videantur. In VI. etiam Synodo Generali *Act.* 8. post confessionem Macharij ex Testimonio *D. Athanasij* dicitur Christus impeccabilis. Theophanes enim doctissimus vir interrogauit Macharium coram omnibus Patribus, Habuit humanam voluntatem Dominus noster Iesus Christus, & impeccabilem? Et intendebat Concilium, quod vtrũque cõfiteretur Macharius; errorem Apollinaris hæretici, & rationem eius abiuraret.

Sed Forte Dices hoc Sanctum Concilium, & Sanctos Patres de impeccabilitate Christi loquentes, illam tribuisse Christo non ratione Vnionis Hypostaticæ, sed ratione beatitudinis animæ, vt asserebat *Scotus*, & Alij, atque adeò illa ablata non negarent, quod Christus peccare posset.

Hæc Autem Responsio omninò impertinens est, nec vim euacuat Testimoniorũ, sed magna inconuenientia continet. Ex illa enim manifestè sequitur omnia sacra Concilia, & Sanctos Patres, quotquot de impeccabilitate Christi egerunt, deceptos fuisse, dum non assignarunt veram causam impeccabilitatis Christi, siquidem nullus illorum ad beatitudinem recurrit, quæ secundum alios erat vera causa, sed ad Vnionem Hypostaticam, quæ non erat causa in altera sententia. Hoc autem inconueniens grauissimum est, & magna esset temeritas asse-

asserere Sanctos Patres rediisse nō causam pro causa. Deinde quia ablata beatitudine ab anima Christi (quod fieri posse *Scotus* fatetur) remaneret natura Christi humana vnita Verbo, & peccabilis non secus, atque natura aliorum hominum, quod expresse contradicit Sanctis Patribus semper asserentibus rationem impeccabilitatis Christi esse Vnionem Hypostaticam, & nullus Sanctus adducetur, qui oppositum doceat.

Quod Si Rursus Dicas Sanctos illos Patres loquutos fuisse de vnione humanitatis Christi non præcisè sumpta, sed simul cum omnibus donis spiritualibus, quibus de facto ornata est, quæ ortum habuerunt ex ipsa vnione, & ideò Sanctos Patres impeccabilitatem Christi ad Vnionem Hypostaticam reduxisse.

Contra Hoc Est, Nam multi Sancti nullatenùs sic possunt interpretari, quia renera loquuntur de impeccabilitate humanæ naturæ Christi ratione præcisa Vnionis Hypostaticæ. Inter alios autem *D. Hilar. Lib.* 10. *de Trinit.* ait, *Ita repugnat Christum peccare, sicut Christum non esse Christum.* Totam ergo repugnantiam peccati tribuit Vnioni Hypostaticæ præcisè, & non beatitudini; nam etiam si auferretur ab anima eius visio beatifica adhuc maneret Christus Deus homo; ablata autem Vnione non maneret Christus; ergo secūdum *D. Hilarium* Vnio præcisè facit Christum impeccabilem, siquidem Vnio præcise facit illum Christū.

Item D. Augustin. in *Enchirid. Cap.* 40. & alibi sæpè docet *Christum esse impeccabilem per illam gratiam, qua à principio factus est homo Christus*; hæc autē est ipsa gratia Vnionis præcisè sumpta; ergo illa est causa impeccabilitatis Christi. Et manifestè colligitur hanc esse mentem *D. Augustini*, quia ibi *Sanctissimus Doctor* arguit contra Pelagium asserentem dari nobis gratiam sanctificantem ex meritis nostris, & probat oppositum hac ratione, *Quia eadem gratia* (hoc est sine meritis) *qua Christus factus est impeccabilis, fit quod homo non habeat peccatum*; ergo sentit *Augustin.* humanitatem ex vi talis Vnionis factam esse impeccabilem; aliàs nulla esset consequentia; & respondere posset Pelagius facillimè ad Argumentum *Augustini*, Quod Christus non est factus impeccabilis ratione illius Vnionis, quam merita Christi non præcesserunt, sed ratione suæ beatitudinis, quam ex aliquorum Theologorum sententia aliqua merita præcesserunt, Eodem ergo modo existimat *Augustin.* esse certum gratiam illam, qua Christus factus est impeccabilis fuisse sine meritis suis, sicut est certum gratiam nostram, qua à peccato mūdamur esse sine meritis nostris, quod de gratia sola Vnionis vniuersaliter, & apud Omnes habet verum.

Et Ratione Idem Probatur. Nam ea parte aliqua natura impeccabilis redditur, qua coniungitur immobiliter ipsi regulæ rectæ operationis; sicut è contra ea ratione est peccabilis, quia potest deuiare à recta rationis regula: sed natura humana Christi ex Vnione ad Verbum præcisè est vnita immobiliter ipsi regulæ rectæ operationis; ergo ex hoc principio redditur omninò impeccabilis, etiā si secludamus ab illa beatitudinē, aut quodlibet donū supernaturale.

Confirmatur. Quia operationes Christi ideò secundum Sanctos Patres esse nō possunt peccata, quia sunt actiones Theandricæ, id est, Dei virilis, vt dicitur in VI. Synodo Generali *Act.* 8 & 11. & sæpè docuit *D. Damasc.* præcipuè *Lib.* 3. *de Fide Cap.* 19. & 20. sed quod sint Dei virilis actiones Christi non habent ex beatitudine, sed ex vi præcisè Vnionis Hypostaticæ; ergo ad hanc solā causam reducūt Sancti Patres impeccabilitatē Christi, & non ad beatitudinē animæ eius. Et Sancti Patres ponunt differentiam inter Christum, & alias creaturas intellectuales, quod ille habet operationes Theādricas, nō vero alij, & nō possunt esse operationes Theandricæ, & peccaminosæ.

Secundo. Quia si humanitas Christi peccaret, necessariò Deus peccaret; hoc autem est omnino impossibile; ergo & primum. *Antecedens Probatur.* Quia actiones sunt Suppositorum; ergo cum in Christo tantum sit vnicum suppositum, & illud diuinum, nulla actio poterit repetiri in humanitate, quæ supposito non tribuatur, atque adeò si actio ipsa fuerit peccaminosa, tale peccatū illi supposito tribuendū erit. Quod verò omnis actio Christi supposito debeat tribui, Probatur Tum ex Concilio Florentino supra relato. *Tum etiam ratione*; Nam suppositum non se habet extrinsecè ad operationes naturæ, sed intrinsecè, quia simul cum natura est vnicum principium totale elicitiuum illarum, quare suppositum concurrit vt principium *Quod*, natura autem vt principium *Quo*; ergo actiones Christi dicebant intrinsecum ordinem non solum ad ipsam naturam, sed etiam ad diuinum Suppositum

subsistens in natura humana, & consequenter sicut esset verum dicere, quod *Homo peccat*, si talis natura esset propria personalitate terminata, sic etiam esset verum dicere modo in Christo, *Hic homo peccat*, quia est suppositum subsistens in natura humana.

Hanc Rationem tanquam inutilem, & vulgarem refert *Vazquez Cap.4.* & circa finem affirmans esse *D. Thomæ* concludit esse parui momenti, & illam impugnat falso fundamento innixus, cuius autem impugnatio valde inutilis est reuera, nam Ipse existimat, quod ratio *D. Thomæ* in eo fundatur, quod humanitas Christi est solum instrumētū Diuini Suppositi Verbi ad omnes actiones tam naturales, quàm supernaturales, atque ratione concursus instrumentalis humanitatem ex nulla eius actione posse peccare. Quare cum ipse existimat, quod non ad omnia opera est natura humana Christi instrumentum Verbi, sed solum ad opera eximia, quæ vires naturales humanæ naturæ excedunt, inde sibi euidenter probatum mancre videtur, quod ratio *D. Thomæ* est nulla, siquidem respectu operationis naturalis ad quam non est instrumentum humanitas, non datur aliqua sufficiens causa quare non possit Christus peccare.

Hæc Autem Impugnatio (vt Dixi) falso fundamento innititur, & ex nimio affectu impugnandi *D. Thomam* procedere videtur. Ratio enim supra posita non fundatur in hoc, quod humanitas sit instrumentum Verbi, sed in eo quod est comprincipium eius ad quamlibet operationem naturæ cōsentaneam, Supposito cōcurrente vt principium *Quod*, & natura vt principium *Quo*. Suppositum namque non vtitur natura ipsa vt instrumento in nobis, nec Suppositum diuinum in ordine ad actiones connaturales humanitatis, sed solum ad operationes miraculosas. Ex hoc ergo principio certissimo, & vniuersalissimo, quod actiones cuiuscumque naturæ debent esse à Supposito operante vt *Quod*, quia natura secundum se vt dixit Phylosophus, *Nec Net, Nec Flet*, optimè deducitur, quod si humanitas Christi aliquam actionem peccaminosam exerceret, talē actionem operaretur Suppositum vt *Quod*; atque adeò cum Supposito Diuino repugnet omninò peccatum, etiam naturæ in illo suppositatæ repugnabit. Et hanc rationem nullatenùs soluit *Vazquez*, nec solui

A potest nisi negando principium euidens in bona Metaphysica, quod *Actiones sunt suppositorum*, & quod Suppositum concurrit vt *Quod*, & natura quælibet tantum vt principium *Quo*.

Tertio Probatur. Quia Suppositum diuinum non poterat necessitari ad operandum ex aliqua dispositione humanæ naturæ, aut potentiarum eius; hoc enim esset maxima imperfectio diuini Suppositi, sed per suam voluntatem se determinabat, &
B determinabat etiam voluntatem humanā, & alias potentias ad operandum; ergo quælibet operatio humana Christi erat prius volita, & determinata per voluntatem diuinam, atque adeò si talis actio esset peccatum, necessariò esset volitum à voluntate diuina, & consequenter peccaret suppositum, quod implicat.

Confirmatur. Quia licet voluntas Verbi sit eadem voluntas Patris, & Spiritus Sancti, nihilominus specialiter, ac si esset vo-
C luntas propria ipsius Verbi determinabat voluntatem humanam; ergo licet peccatum voluntatis humanæ non tribueretur Patri, aut Spiritui Sancto tanquam principio productiuo, voluntati tamen prout est Verbi, tribueretur vt principio elicitiuo. *Antecedens autem Probatur*, & declaratur hoc exemplo. Quia quamuis sit eadem voluntas omnium trium Personarum Trinitatis, tamen quatenùs est propria Patris, &
D Filij est principium spirans Spiritum Sanctum: & similiter quamuis eadem sit Essentia diuina communis tribus Personis, tamen prout est in Patre solum est productiua Filij per æternam generationem; ergo similiter quamuis voluntas diuina sit communis omnibus tribus Personis, tamen prout appropriatur Filio subsistenti in natura humana tribui potest illi etiam peccatum, quod à tali natura humana illi vnita commissum esset.

Quarto. Quia non est possibile, quod
E natura humana Christi peccet, & peccatum non tribuatur saltem in esse moris tali Supposito; ergo nè detur hoc absurdum non est affirmandum primum. *Antecedens Probatur*, ex intelligentia vera illius vulgaris axiomatis *Operatio sequitur esse*, id est *Naturam*, & conditionem sui principij. Quod quidem aliter intelligi debet de operationibus naturalibus, atque de moralibus, nam operatio naturalis sequitur naturam sui principij proximi à quo specificatur. Operatio verò moralis

sequi-

sequitur esse, seu naturam, & conditionem sui principij totalis, quod ex natura, & Supposito constituitur. Qua ratione Diximus supra *Quæst.* 1. *Art.* 2. pluries, quod operationes morales habebant duplicem formã, alteram ex parte finis, qua ratione dicitur Charitas forma omnium virtutum, alterã ex parte subiecti, seu suppositi. Quare quãuis actio ieiunandi Christi, & nostra esset in esse naturæ eiusdem speciei, tamen in esse moris, eo quod actio Christi procedebat à Supposito infinito, diuersa erat specie ab actione nostra in esse moris. Ex hoc ergo Probatur Antecedens primum clarè, Quia quælibet actio naturę humanę Christi procedebat in esse moris ab illo Supposito infinito, qua ratione etiam ab Authoribus oppositæ sententiæ cõceditur, quod licet esset actio merè naturalis, esset infiniti valoris, & meriti, eo quod à tali Supposito infinito procederet; ergo similiter si esset mala, & peccatum in esse moris necessario tribuenda esset Supposito, quod implicat.

Ex Dictis Sequitur Primo, Quod licet in ordine ad humanitatem, & eius operationes consideratas in esse naturæ per accidẽs se habeat, quod Suppositum sit huius, vel alterius naturæ, tamen in ordine ad operationes consideratas in esse moris, non per accidens, sed per se concurrit Suppositum.

Sequitur Secundo Vnionem Hypostaticam mediante qua humanitas coniungitur secundum se ipsi regulæ rectæ operationis esse necessariò principium radicale totius rectitudinis moralis operationum eius, ita vt ratione talis vnionis sit taliter gratus Christus Deo, vt nullatenùs habere possit in natura assumpta actiones inimici. De quo videantur, quæ supra Diximus *Quæst.* 7. *Art.* 1. *Dub.* 2.

Vltimo Probatur. Nam adueniente gratia Vnionis implicat intelligi aliquo modo peccatum in humanitate Christi; ergo *Antecedens Probatur.* Nam vt *D. Damascen.* ait *Lib.* 3. *de Fide Cap.* 19. & alij Sancti Patres per gratiam Vnionis mansit deificata tota natura humana Christi, & quidquid in illa erat, & ad modum, quo ferrum igne penetratur, ipsa deitate perfunditur, & Sanctificatur, & tanquam vnguento vngitur; ergo ex vi talis Vnionis Hypostaticæ actiones ipsius humanitatis non possunt non esse dignæ coram Deo, & ei gratissimæ, atque adeò nulla potuit esse peccaminosa.

Confirmatur. Quia ex vi solius Vnionis Hypostaticæ natura humana Christi est infinitè grata Deo personaliter, & infinito quodammodo dilecta Deo, & non quodammodo magis repugnaret Christũ contrahere originale, quia originale non datur animæ ex aliqua actione sua, sed quia producitur in ordine ad tale Suppositũ quod in Christo est Deus ipse; ergo eo ipso quod talis Vnio fuerit facta, quodlibet peccatum, siue originale, siue actuale ante Vnionem contractum (in casu quo illud ante vnionem habuisset) aboleretur, aliàs tale peccatum esset etiam Suppositi, quod implicat.

Ex Hac Vltima Ratione Deducitur, Quod natura humana à Verbo assumpta, quamuis antea fuisset in proprio Supposito cum tali peccato originali, aut actuali, ipsa Vnione Hypostatica nullo superaddito mũdaretur, & nullus etiã remaneret in illa habitus vitiosus ad malum inclinans, sicut solet reperiri in hominibus iustificatis, quia talis habitus prauus potest compati cum gratia habituali, non tamen cum Supposito infinito terminante naturam humanam per Vnionem Hypostaticam, quidquid in contrarium dicat *Vazquez Cap.* 7. *§. Postremo Sequitur, &c.*

Soluuntur Argumenta.

Primo Arguitur pro Sententia affirmativa Argumento *Durandi.* Quia potentia illa, quæ non est perfectior alia in ratione actus primi, seu in essendo, nõ est perfectior in ratione actus secundi, seu in operãdo; sed si assumpsisset Verbum humanam naturam (vt assũmere potuit de potentia Dei absoluta omni auxilio, & dono supernaturali destitutam cum solis proprietatibus naturalibus) nõ esset perfectior in ratione actus primi, quam nostra; ergo neque esset perfectior in ratione actus secundi. *Consequentia est nota cum Maiori*, quia actus secundus sequitur primum; & *Minor Probatur.* Quia tunc humanitas Christi nullum haberet donum supernaturale, vt Supponimus, immo nec haberet existentiam diuinam, sed tantum propriam; ergo in ratione actus primi non esset perfectior humanitas Christi, quam nostra, & consequenter cum nostra peccatum admittere possit, etiam admittere posset Christus in illo casu.

Confirmatur Primo. Quia reliqua infima, & obiecta non minus conueniunt naturæ humanæ assumptæ à Verbo, quam si esset in proprio Supposito, vt puta mors, fames,

sitis,&c. ergo eadem ratione posset de potentia Dei absoluta reperiri in Christo peccatum. *Patet Consequentia.* Quia quamuis Deus sit summa vita, potest mori in natura humana; ergo etiamsi sit summa bonitas, poterit admittere malitiam peccati.

Confirmatur Secundo. Quia Christus Dominus (vt dicemus infra *Quæst.* 18. *Art.* 4.) habuit liberum arbitrium; ergo potuit peccare. *Patet Consequentia.* Nam de ratione liberi arbitrij est indifferentia circa ea, quæ agenda sunt, quæ vocatur quantum ad specificationem, ita vt possit eligere, aut bonũ, aut pro sua libertate malum, vt in nobis cõtingit, aliàs Christus esset necessitatus ad eligendum bonum semper.

Respondetur, Quod quamuis natura humana Christi non sit perfectior in ratione essentiali, & specifica, quam aliæ naturæ humanæ, eo quod essentiæ consistunt in indiuisibili, est tamen perfectior in ratione actus primi, secundum quod coniungitur subsistentiæ, & existentiæ increatæ Verbi, qua ratione, & operationes inde sequutæ sunt in esse moris in infinitum multo perfectiores, quam nostræ, vnde nec exercere potest peccaminosam actionem, quia illa à tali supposito nequit produci vt *Quod.*

Ad Primam Confirmationem Respondetur esse maximè disparẽ rationem de peccato ex vna parte, & de morte, fame, & siti ex altera, quoniam hæc pertinent solum ad malum pœnæ, & ordinari possunt ad bonum finem, & sic possunt esse volita à Deo, atque adeò illi non repugnat mori in natura assumpta, quamuis repugnet mori in natura propria. At peccatum cum sit malum culpæ, & per se ordinari nequeat ad bonum, non potest esse volitum à Deo, quare si in natura assumpta voluisset peccatum, iam ipsa diuina voluntas à regula rationis deuiaret, quod est impossibile; mors ergo naturæ humanæ etiam prout vnitæ Verbo non repugnat, quia est priuatio vitæ humanæ. At peccatum omninò repugnat rationibus supra dictis, & quia eo ipso, quod sit contra rationem rectam humanam, est etiam contra ipsum Deum.

Ad Secundam Confirmationem Respondetur Negando Consequentiam, Nam de ratione liberi arbitrij non est indifferentia ad peccandum, & non peccandum, vt patet in Deo, in quo est liberum arbitrium, & simul impotentia peccandi, vt est communis doctrina tam *D. Thomæ in 3. Distinct.* 12. *Quæst.* 2. *Artic.* 2. quam omnium Theologorum, ad libertatem ergo non requiritur indifferentia quo ad specificationem, quæ vocatur cõtrarietatis, ad bonum scilicet, & ad malum contrarium, sed sufficit indifferentia circa bonum, quæ dicitur libertas contradictionis, quia absolutè potest efficere, aut non efficere actum bonum hic, & nunc sub istis circumstantijs, quod in Christo reperitur.

Secundo Arguitur. Quia si propter aliquam rationem Christus in natura assumpta peccare non posset, maximè quia tale peccatum tribueretur Supposito diuino; sed hoc non est necessarium; ergo benè potest de potentia Dei absoluta reperiri in Christo peccatum. *Consequentia cum Maiori nota est; & Minor Probatur Primo.* Quia si assumeret Verbum naturam ignis, naturaliter combureret quod sibi esset applicatum, siue detrimentum sequeretur proximo, siue non; ergo Supposito quod naturam humanam potuit assumere omni scientia orbatam, & dono supernaturali quolibet destitutam, posset illa naturaliter operari, siue cum detrimento proximi, siue sine illo, atque adeò peccaret. *Secundo Probatur eadem Minor.* Quia si per impossibile daremus Angelum vnitum fuisse Hypostaticè naturæ humanæ, quamuis talis natura humana peccaret, non tribueretur Angelo tale peccatum; ergo nec etiam si peccaret natura humana Christi tale peccatum tribui posset diuino Supposito.

Confirmatur Primo. Quia licet voluntas humana Christi peccaret non sequeretur peccare voluntatem diuinam; ergo posset esse in humana natura Christi peccatum absque eo quod Verbo tribueretur. *Antecedens Probatur Primo.* Quia voluntas Verbi est communis Patri, & Spiritui Sancto, sed ex hoc quod voluntas humana Christi peccaret, non sequeretur peccare voluntatem diuinam Patris, aut Spiritus Sancti; ergo nec etiam voluntas diuina Verbi. *Secundo Probatur idẽ Antecedens.* Quia volũtas diuina Verbi nõ tenebatur aliquo præcepto vitare peccatũ naturæ humanæ, quia incapax est præcepti; ergo non tenebatur in omnibus dirigere voluntatem humanam, & consequenter quamuis ista peccaret, non imputaretur Verbo.

Confirmatur Secundo. Quia voluntas diuina potest permittere peccatũ humanę naturæ absque eo quod illi imputetur tale peccatũ; ergo de potentia absoluta Dei volũtas hu-

humana Christi peccare posset. *Antecedens Probatur.* Quia permittere peccatum non est intrinsecè malum, cum omnia peccata Deus permittat; ergo licet diuina voluntas Christi peccatum permitteret in natura humana non imputaretur illi peccatum, præcipuè si fieret hæc permissio ex aliquo honesto fine ad ostendendam veritatem humanæ naturæ, aut ad experiendam libertatem liberi arbitrij, aut ad hoc quod in abundantiori gratia resurgeret.

Respondetur Negando Minorem. Et ad primam probationem *Respondetur*, Quod si Verbum assumeret naturam ignis, certum est quod actiones naturæ ignis quatenùs ab illa procederent non essent bonæ, nec malæ moraliter, tunc enim ignis damnificaret physicè, non moraliter, atque adeò non esset capax virtutis, aut vitij. Si autem tunc combureret cum detrimento proximi per voluntatem diuinam non esset hoc peccatum, quia Deus benè potest bona auferre à quolibet fine eo quod illi peccatum imputetur, cum sit Dominus vniuersalissimus omnium, immo hoc ipsum posset facere voluntas humana Christi ex mandato Dei absque peccato, sicut ex illo Abraham occidere voluit innocentem; absque tali autem mandato Dei natura humana vnita Verbo non poterat damnificare proximum, neque aliud peccatum committere, quia cum esset natura capax peccati absque dubio imputaretur illi, & consequenter ipsi Supposito, & ideò licet natura illa esset omni scientia orbata à Verbo dirigeretur in actionibus nè peccaret.

Ad Secundam Probationem Minoris Respondetur, Quod in casu impossibili, quod Angelus assumeret naturam humanam etiam peccaret peccante tali natura tanquam supposito eius, & sic magis confirmatur nostra sententia. Verum autem est, quod cum ex impossibili sequatur quodlibet, etiam sequeretur quod Angelus non ita teneretur omnes in vniuersum actiones, & motus humanitatis dirigere sicut Verbum, quia cum sit finitæ, & limitatæ virtutis illud non posset facere. De hoc videatur *Magister Vincentius* in sua *Relect. Pag.* 34. §. 2. *Negatur*, &c.

Ad Primam Confirmationem Respondetur Negando Antecedens, & ad primam probationem eius *Dico*, Quod voluntas diuina licet communis sit Patri, Filio, & Spiritui Sancto, tamen ita se habebat ac si propria esset ipsius Verbi, & ita per illam mouet, & applicat voluntatem humanam ad operandum, atque adeò si voluntas humana peccaret, voluntati diuinæ tribueretur, & specialiter tale peccatum tribueretur supposito Verbi, non autem Patris, aut Spiritus Sancti.

Ad Secundam Probationem Antecedentis Respondetur, Quod licet voluntas diuina non subderetur alicui legi, aut Legislatori, vt voluntatem humanam dirigere teneretur ex aliquo præcepto, tamen ex natura ipsius voluntatis diuinæ prouenit, vt non possit relinquere voluntatem humanam, ita vt in suis operationibus erret, sed semper illam applicaret ad operandum bonum, & quia tales operationes Supposito Diuino essent tribuendæ tanquam elicienti illas vt *Quod*, & consequenter ea ratione, qua Deus ex natura sua est impeccabilis ab intrinseco, quia est ipsa regula rectæ operationis, non admittere posset peccatum in natura assumpta.

Ad Secundam Confirmationem Respondetur, Quod permittere peccatum secundum se non est intrinsecè malum, & ita Deus omnia peccata permittit; tamen si natura humana Christi peccaret, peccatum illud non solum esset permissum à Supposito Diuino Verbi, sed etiam volitum, quod est omninò impossibile, nam omnes actiones humanitatis præueniebantur, & dirigebantur à supposito illo, & ab eodem procedebant tanquam à principio *Quod*.

Tertio Arguitur. Nam Verbum diuinum assumere potuit naturam humanam existentem, & subsistentem antea in suo naturali Supposito, quod est certissimum, in qua quidem natura, & reperiri posset peccatum originale, quod per originem ab Adam traducitur, immo & peccata actualia in tali natura possent esse, sed non erat necessarium vt in eodem instanti, quo talis natura assumeretur ad Vnionem Hypostaticam mundaretur à prædictis peccatis; ergo post vnionem posset esse cum illis, atque adeò natura humana vnita Verbo posset habere peccatum. *Consequentia est bona*, & *Minor Probatur.* Quia licet illa natura titulo Vnionis Hypostaticæ esset grata Deo, nihilominus alia ratione propter peccata non dimissa posset esse digna odio, quia peccatum, & gratia Vnionis, nec sunt inter se contraria, neque opposita priuatiuè; ergo possint compati in eadem natura

simul ad modum, quo aliqui Theologi asserunt posse fieri de potentia Dei absoluta, vt in eadem anima reperiatur & qualitas gratiæ habitualis,& simul malitia peccati.

Confirmatur. Nam dato, quod in casu Argumenti ex vi ipsius Vnionis Hypostaticæ peccata dimitterentur, adhuc esset verum dicere *Hic homo*,demonstrato Christo, commisit peccatum;ergo illud non repugnat committere in natura assumpta. *Antecedens Probatur.* Nam ex eo quod suppositum Verbi fuit ante mundi cõstitutionem, quamuis non fuerit pro tunc ipsa humanitas est verum dicere *Hic homo*, demonstrato Christo,Creauit mundum ; ergo eadem ratione, quia natura humana cõmisit peccatum in proprio suppposito ante assũptionem potuit dici *Hic homo*,demonstrato Christo,peccatum commisit,liquidẽ idem homo est, siue humanitas sit in illo, siue in illo supposito.

Confirmatur Secundo. Quia in intellectu illius humanitatis existentis in proprio supposito reperiri potuit iudicium practicum efficax alicuius peccati,*Verbi grat.* Mendacium est dicendum, & illud præcipere voluntati, & in illo instanti in quo voluntas consenrire vellet, potuit assũmi à Diuino Verbo;sed dari non potest,quod stante iudicio practico efficaci ex parte intellectus voluntas non assentiatur ; ergo posset iam voluntas naturæ assũmptæ velle efficaciter mentiri.

Nec Sufficit Dicere, Quod in instanti assumptionis naturæ humanæ à Verbo iam destrueretur illud iudicium ex parte intellectus. *Non inquam sufficit,* Quia ad hoc vt voluntas illud exequatur non est necessarium,quod simul in eodem instanti sint,sed sufficit , quod toto tempore antecedenti consensum voluntatis fuerit, vt in nobis contingit ; prius enim intellectus imperat, & postea voluntas consensum præbet.

Ad Tertium Argumentum Respondetur Negando Minorem, & ad probationem *Dico,* Quod magis repugnat peccatum cum gratia Vnionis,quam cum gratia habituali, quia licet peccatum non opponatur propriè loquendo contrariè, aut priuatiuè ipsi gratiæ Vnionis,quia est suo modo substantia, cui nihil est contrarium , nihilominus quia gratia Vnionis ipsam humanitatẽ facit personaliter gratam repugnat quod in natura,quæ tali personalitate subsistit,reperiatur peccatum, quia illa operari non posset sine concursu talis suppositi.

A *Vltra Hoc Autem* reperitur differentia inter gratiam Vnionis,& gratiam habitualem, quod gratia habitualis non constituit suppositum,sed aduenit suppositio iam cõstituto , & ita non facit hominem gratum personaliter,sicut gratia Vnionis, & ideò non est necessarium , quod omne opus hominis iusti,præsertim in hac vita, tribuatur ipsi gratiæ habituali, ita vt ab ipsa originetur , vt patet manifestè in peccato veniali, quod à gratia habituali non oritur , sed a
B supposito operante præter regulas diuinæ legis. At gratia Vnionis cum cõstituat suppositum est principium omnium operationũ naturæ suppositatæ,quare cum omnino repugnet à tali Supposito procedere opus aliquod inordinatum , aut contra rationis regulam ob istam causam talem habet gratia Vnionis oppositionem cum peccato, quod in casu Argumenti, eo ipso quo natura illa assumeretur à Verbo, mundaretur
C omninò à qualibet culpa originali , aut mortali,siue habituali, & personaliter grata Deo remaneret.

Ad Primam Confirmationem Respondetur Negando Antecedens , & ad probationem *Dicimus,* Quod ista propositio *Hic homo* demonstrato Christo , aliquando commisit peccatum , esset falsa etiam in casu Argumenti , quia peccatum illius naturæ commissum fuit ab alterò supposito, in quo antea natura illa fuerat. Non est autem simile
D de altera propositione , *Hic homo,* demonstrato Christo, creauit mundum , quia hæc verissima est,eo quod illud met suppositũ, quod modo subsistit in natura humana est, & fuit quod creauit mundum.

Ad Secundam Confirmationem Respondetur, Quod in instanti assumptionis humanæ naturæ à Verbo destrueretur iudiciũ illud, quod toto tempore præcedenti extiterat in intellectu illius naturæ,& sic voluntas illud non sequeretur. In nobis autẽ non sic contingit , quia eo ipso, quod præcessisset tale
E iudicium efficax non retractatum sequeretur illud voluntas naturaliter , quia nobis non repugnat peccatum,cum autẽ Christo repugnet , nec in voluntate humana praua aliqua affectio , nec in intellectu humano prauum iudicium reperiri potest.

Excluso iam peccato à Christo Domino inquirere opus est , an sit in illo aliqua inclinatio ad illud ex parte sensitiua,vnde subditur

AR-

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Christo fuerit Fomes peccati?

Conclusio Est Negativa. Vt littera huius Articuli intelligatur necessario præsupponendum est prius quid sit *Fomes peccati*, vt inde determinemus, An fuerit in Christo, vel non. De hac re *Durandus in 3. Dist. 3. Quæst. 3. Numer. 6.* asserit fomitē peccati nihil aliud esse, quam ipsemet appetitus sensitiuus: quare affirmat se nullatenùs intelligere quomodo manente appetitu sensitiuo possit fomes peccati auferri.

Et Probari Potest Hæc Sententia, Quia fomes peccati verè dicitur esse in pueris ante vsum rationis, & in hominibus dormientibus; sed in istis nihil potest excogitari, quod sit fomes peccati, nisi ipse appetitus sensitiuus vehementer inclinans ad bonum sensibile, cum in eisdem non reperiatur rebellio talis appetitus contra rationem; ergo fomes peccati solum est ipse appetitus sensitiuus.

Hæc Tamen Doctrina Durandi nullatenùs sustineri potest, quia si fomes peccati non esset aliud, quam appetitus sensitiuus, necessariò concedendum esset fomitē peccati fuisse in Adamo in statu innocentiæ, & semper fuisse in Beatissima Virgine, & in Beatis, & quod maius est etiam in Christo Domino: consequens autem est valde absurdum; immo loquendo de Christo videtur erroneum, vt constabit ex dictis infra; ergo, &c. *Sequela Probatur.* Quia in omnibus annumeratis in antecedenti negari non potest, quod sit appetitus sensitiuus.

Et Confirmatur Hoc Ipsum, Quia aliàs sequeretur fomitem peccati non esse effectum peccati originalis, sed proprietatem naturæ, quia appetitus sensitiuus proprietas naturæ humanæ est Consequens autem est contra doctrinam Concilij Tridentini *Sess. 5. Canon 5.* vbi expressè dicitur fomitem esse ex peccato originali, & ad agonem relinqui in hominibus baptizatis. Sententia ergo *Durandi* nullatenùs sustineri potest. Vnde ad eius Fundamentum *Respondetur* Fomitem esse in pueris ante vsum rationis, & in dormientibus in quibus non tantum non est appetitus sensitiuus, sed etiam

A priuatio iustitiæ originalis, atque adeò in illis est fomes peccati in actu primo, & quidem fomes magis propriè accipitur pro concupiscentia habituali, quam actuali, iuxta Doctrinam *D. Thom. infra Quæst. 27. Art. 3.*

Alij Autem Theologi, Quos adducit *Suarez Disp. 34. Sect. 5.* affirmant peccati fomitem esse morbidam quamdam qualitatem superadditam ipsi appetitui, qua inclinatur ad id, quod est contra rationem, & B aliquando trahit voluntatem ad consensum illius. Et hæc Positio fundatur in doctrina Concilij Tridentini supra relati, vbi expressè dicit Concilium *Concupiscentiam fomitis peccati esse ex peccato originali, & ad peccatum inclinare*: sed inclinatio ad peccatum non est nisi per aliquam qualitatem, seu habitum; ergo necessariò est superaddēda ipsi appetitui sensitiuo. *Probatur Consequentia*, Quia in ratione naturæ præcisè sumptæ non est aliqua naturalis inclinatio C ad peccatum; ergo inclinatio illa de qua Concilium loquitur, debet esse aliqua morbida qualitas superaddita ipsi appetitui sensitiuo.

Sed Etiam Positio Istorum omnino falsa est, & absurda, quia talis morbida qualitas concreari non potuit cum ipsa anima, aliàs refunderetur in Creatorem, neque etiam produci potuit ex vi contractionis peccati originalis, quia imaginari non potest aliqua virtus physica proueniens ab Adamo, D & causans modo physicam illam qualitatem. Ac denique hæc sententia impugnatur eiusdem rationibus, quibus alia asserēs, quod peccatum originale est morbida qualitas; de qua inter alios legatur *Vazquez 1. 2. Disp. 132. Cap. 4.*

Ad Fundamentum talis sententiæ Respondetur satis apertam esse ibi mentem Concilij, nec in illo fundari potest talis Opinio: non enim inclinatio ad peccatum est per aliquod superadditum ipsi appetitui, sed quia ex peccato originali deperdita fuit iustitia originalis, quæ appetitum rectificabat, & concordem faciebat rationi, & per ablationem eius remansit pronitas ad malum in nobis, & difficultas ad bonum sine qualitate nouiter superaddita.

Vera Igitur Sententia est, quam colligunt Discipuli *D. Thomæ*, ex hoc Articulo *in Corpore* videlicet, Quod fomes peccati supponit pro appetitu sensitiuo, nempè pro irascibili, & concupiscibili, non quomodocumque, sed quatenùs possunt appetere ali-

aliquid sine subiectione ad regulam rationis, quæ priuatio subiectionis prouenit ex defectu iustitiæ originalis. Hoc videtur docere expresse D. Thom. in 2. Distinct. 32. Quæst. 1. Art. 1. in Corpore vbi ait, *Quod fomes peccati supra principia naturalia nihil positiuum supponit in homine, sed in solo defectu originalis iustitiæ consistit.* Et ibi Distinct. 1. Quæst. 1. Art. 1. ad 1. dicit, Quod *deformitas culpæ opponitur originali iustitiæ quo ad rectitudinem voluntatis; fomes autem peccati quo ad rectitudinem virium inferiorum* Immo hoc ipsum docere videtur Cōcilium Tridentinum illa Sess. 5. Can. 5. vbi docet, *Quod fomes peccati ex originali peccato prouenit propter defectum iustitiæ originalis, & quod ad peccatum actualiter inclinat.* Vbi obiter aduertendum est, non esse mentem Concilij docere, quod fomes peccati inclinat formaliter ad peccatum, sic enim peccatum esset; cuius oppositum docet Concilium inquiens, *Fomitem non esse peccatum, neque actum ipsius imputari ad culpam, his, qui viriliter resistūt.* Est ergo mens Concilij asserere, quod fomes inclinat ad peccatum materialiter, quia fomes tendit in illud obiectum, cui si accedat consensus voluntatis erit peccatum formaliter, quia fomes tendit in illud obiectum cum priuatione subiectionis ad regulam rationis, quæ subiecto fiebat ab originali iustitia.

Ex His Sequitur, Quod Fomes peccati duo importat, & difficultatem in bono, & ad malum inclinationem; sic asserit D. Thomas infra Quæst. 27. Art. 3. Et Ratio est, Quia ablata iustitia originali non habet in homine ratio superior virtutem refrænandi totaliter vires inferiores, vt ait D. Thom. Quæst. 4. de Malo Art 6. ad 16. Et ex hoc prouenit pugna carnis contra rationē, quam D. Paulus sentiebat dicens: *Infelix homo, quis me liberabit de Corpore mortis huius?* Videatur D. Thomas 1. 2. Quæst. 91. Artic. 6. Talis autem fomes non esset in homine si crearetur in puris naturalibus, vt rectè docuit M. Soto Lib. 1. de Natura, & Gratia Cap. 13. & Magister Medina in præsenti, quia fomes peccati non importat, quamcumque inordinationem appetitus, sed illam, quæ ortum habuit ex defectu iustitiæ originalis, & à fortiori fomes non esset in habentibus originalem iustitiam, nec in beatis. His ergo suppositis sit

ARTICVLVS III.

Vtrùm in Christo fuerit, vel esse potuerit Fomes peccati?

PRO Luce Huius Difficultatis Aduertendum est, quod Fomes peccati potest considerari dupliciter, & in actu primo, videlicet secundū quod dicit potentiam ad habendum actum rationi difformem; & etiam in actu secundo, videlicet secundum quod dicit actum ipsum rationi contrarium; & de vtroque inquirimus in præsenti. Supponendum etiam est non esse idem habere actum Fomitis, & habere actum appetitus sensitiui, videlicet irascibilis, & concupiscibilis; actus enim harum potentiarum de facto fuisse in Christo non venitur in Dubium: de actu vero Fomitis difficultas est, quam iam determinamus.

Prima Conclusio. In Christo Domino non fuit de facto fomes peccati consideratus in actu secundo. Hæc Conclusio certissima est; & opposita videtur erronea, & probatur in numeris Authoritatibus Sanctorum Patrum, quæ videri possunt apud Interpretes D. Thomæ, præcipuè apud Suarez Disp. 34. Sect. 1. Concl. 3. & apud Vazquez Disp. 61. Cap. 8. Inter alios autem notetur D. Augustinus Lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum Cap. 11. post medium vbi ait, *Quam spiritui resistentiam non habere in carne mortali ille tantum homo potuit, qui non per ipsam ad homines venit.*

Deinde Probatur ex Concilio V. Generali, quod dicitur Germanum Act. 8. Can. 12. Vbi damnatur Theodorus Mopsseuenstis, eo quod dixerit *Alium esse Dei Verbum, & alium Christum à passionibus animæ, & desiderijs carnis molestias patientem.* Vbi non solum damnatur in Theodoro, quod dixerit alium esse Dei Verbum, & alium esse hominem Christum, sed etiam quod dixerit hominem Christum molestias carnis passum fuisse: erit ergo error asserere oppositum. Hoc ipsum diffinitur in VI. Sinodo Generali Act. 11. in Epistola Sophronij.

Probatur Etiam Ratione. Quia actus fomitis inclinat ad peccatum actuale, ita vt si tali motui consensus voluntatis accedat erit peccatum; ergo cum Christo Domino peccatum repugnet, & repugnabit etiam via,

via, & tendentia ad ipsum; præcipuè cum nullus actus sensitiui appetitus in Christo fuerit repertus, qui non fuerit voluntarius, vt constat ex Sinodo citata, & ex doctrina Sanctorum Patrum; atque adeò si reperiretur actus fomitis voluntarius, iam reperiretur peccatum in Christo, quod dici non debet.

Confirmatur. Quia fomes peccati, qui dicit inclinationem ad peccatum supponit in subiecto potentiam faciendi; ergo cum in Christo talis potentia non fuerit, nullatenùs erit fomes peccati in actu secundo.

Secunda Conclusio. Fomes peccati etiam non fuit actualiter in Christo consideratus in actu primo. Hæc etiam communis est, & probari videtur ex præcedenti. Nam cui repugnat actus, repugnat etiam potentia proxima ad talem actum, atque adeò sicut actus fomitis tribueretur Suppositò Diuino, ita illa etiam praua inclinatio habitualis, quod dici non potest.

Tertia Conclusio. Ex vi Vnionis humanæ naturæ cum Verbo, fuit Fomes peccati omnino exclusus à Christo, & non tantum impeditus, aut ligatus. Hæc Conclusio est contra *Durandum*; certissima tamen ex dictis; volumus enim in illa asserere, quod in Christo non fuit ligatus, aut impeditus fomes ab extrinseco per manutenētiam Dei, ne exiret in actum suum vt in Beatissima Virgine contingit ab instanti suæ sanctificationis, iuxta doctrinam *D. Thomæ* infra *Quæst.* 27. *Art.* 3. sed volumus dicere talem fomitem omnino non fuisse in Christo, quia ab intrinseco repugnabat illum habere propter Vnionem Hypostaticam. Et probari potest, quia licet in Christo non fuerit formaliter originalis iustitia sicut in Adamo, fuit tamen in illo Personalis illa sanctitas, & gratitudo ratione Vnionis præcisè sumptæ, quæ multo excellentiori modo, & efficaciori fomitem a natura excludebat, quam originalis iustitia in primo Parente.

Quarta Conclusio. Etiam de potentia Dei absoluta esse non potuit fomes peccati in Christo consideratus in actu secundo, quamuis ab eius natura humana omne donum supernaturale separaretur. *Probatur,* Quia ex vi solius Vnionis Hypostaticæ necessariò proueniebat, quod omnes actus appetitus sensitiui Christi essent voliti à voluntate Diuina; ergo non poterant non esse summè ordinati; aliàs refunderetur inordinatio in Suppositum Diuinum, quod implicat: ea igitur ratione, qua repugnat reperiri, peccatum in Christo etiam de potentia Dei absoluta (vt vidimus Articulo primo huius Quæstionis) repugnat etiam poni in illo actus inordinatus appetitus se rebelantis contra rationem.

Maior Autem Difficultas Est, An de potentia Dei absoluta possit in Christo poni fomes peccati consideratus in actu primo? Existimo tamen etiam vt sic reperiri non posse, quamuis hoc non sit ita certum sicut Conclusio quarta, quæ de Fomite in actu secundo loquitur. *Et probari potest* ex secunda nostra Conclusione, quia cui repugnat actus secundus videtur repugnare actus primus; præter quam, quod ex vi Vnionis Hypostaticæ cum maneat natura humana deificata, & penetrata sanctitate personali, implicat, quod in illa reperiatur potentia aliqua de se ordinata ad peccatum, qualis est fomes in actu primo.

Soluuntur Argumenta.

Quod de facto Christus Dominus habuerit fomitem, Probatur Primo authoritate *D. Cyrilli Lib.* 10. *Thesauri,* vbi ait, *In Christo fuisse commotas passiones appetitus, non vt illum superarent, sed vt vincerentur.* Ergo sentit in illo fuisse fomitem. Item sentit *Venerabilis Beda* super Cap. 1. *Diui Marci,* & *D. Thomas* infra *Quæst.* 41. *Art.* 3. *ad* 2. vbi ait, *Quod Christus fuit tentatus non solū visibiliter, & extrinsecè à Dæmone, sed etiam per tentationem inuisibilem.* Hæc autem non videtur, quæ alia possit esse nisi Fomitis peccati: ergo illum ponunt isti sancti in Christo Domino.

Secundo Arguitur. Quia vt supra dicebamus ex *D. Thoma in* 2. *Distinct.* 32. *Quæst.* 2. *Art.* 1. Fomes peccati solum addit supra appetitum sensitiuum defectum originalis iustitiæ, sed in Christo non erat iustitia originalis, & erat appetitus sensitiuus ergo in illo erat fomes peccati. *Consequentia* videtur tenere tanquam à diffinitione ad definitum.

Tertio, Quia vt dicitur ad Hebr. 4. *Christus debuit in omnibus tentari, vt per omnia fratribus assimilaretur;* sed potissima tentatio est per quam appetitus conatur tendere in bonum sensibile absque subiectione ad rationem. Ergo expediens fuit Christum talem sustinere tentationem, non vt ab illa vin-

vinceretur, sed vt illam superaret. *Rursus*, sed hæc originabatur ex fomite, ergo illum habuit Christus Dominus.

Confirmatur. Nam appetitus sensitiuus Christi de facto refugiebat mortem quando Matth.26.dixit: *Transeat à me calix iste*; sed mors illa erat conformis rationi, siquidem erat volita per voluntatem diuinam; ergo de facto appetitus sensitiuus Christi habuit actum non subiectum rationi, sed potiùs illi repugnantem, & consequenter peccati fomitem.

Ad Primum Respondetur D. Cyrillum ibi non loqui de passionibus procedentibus ex fomite, quæ contra rationem insurgunt; has enim longe esse à Christo Ipse cũ alijs Sanctis Patribus fatetur; sed loquitur de tristitia, & timore appetitus sensitiui, quas habuit Christus in illa agonia prolixius orans. Nec etiam istæ passiones erant sine deliberatione rationis, de quo amplius Dicemus in Solutione ad Confirmationem tertij Argumenti. Nec *D.Thomas*, aut *Beda* senserunt Christum tentatum fuisse interiùs per tentationem ex carnis suggestione, aut inordinatione contra rationem, quia vt *D.Gregorius* docet in *Homilia super Cap.4 Matthæi*, omnis illa tentatio exterior fuit. Appellarunt autem *Tentationes interiores* Isti sancti illas, quæ factæ sunt à Dæmone non per speciem visibilem in figura hominis, qualiter tentauit Christum in deserto post ieiunium quadraginta dierum, de quo videatur *Suarez Tom.2. super 3.P. Disp.29.Sect.3*.

Ad Secundum Respondetur, Quod licet in Christo non fuerit originalis iustitia sicut in Adamo, fuit tamen aliquid in infinitum multo præstantiùs, videlicet Personalitas diuini Verbi humanitati vnita, per quã multo fortiùs excludebatur peccati fomes à natura humana.

Ad Tertium Respondet D.Thom. infra Quæst.41. Art.1. ad 3. Vbi ait non fuisse conueniens, quod Christus interiùs tentaretur aliqua tentatione carnis, quia hæc non potest fieri sine peccato. Quæ doctrina magnam videtur habere difficultatem; ex eo quod non omnis tentatio carnis est peccatum, vt constat quando consensus voluntatis non adiungitur; sed tamen mens *D.Thomæ* non est, quod omnes in vniuersum tentationes carnis sint peccata, cum manifestum sit tentationes illas, quæ iudicium rationis præueniunt non esse imputabiles ad culpam; sed vult *D.Thomas* docere tentationes esse peccata, quæ possunt præueniri per rationem, & euitari; atque adeò cum ibi loqueretur de tentationibus Christi, & ipse omnes motus appetitus præueniebat, ideò si haberet motum circa illicita peccaret, & propterea non potuit habere tentationem carnis.

Secundo etiam explicari potest *D.Thomas* quando dicit *Tentationes carnis esse non posse sine peccato*, ita vt non loquatur de peccato formaliter, sed radicaliter, quia fomes radix est multorum peccatorum, atque adeò cum ibi supponat *D.Thomas* in Christo non fuisse fomitem peccati, consequẽter docet in illo non fuisse tales tentationes carnis.

Ad Confirmationem Respondetur motum illum appetitus sensitiui refugiendi mortem non fuisse rationi contrarium, sed potius maximè consentaneum. *Tum*, quia erat ex propensione naturæ. *Tum etiam*, quia recta ratio dictat obiectum mortis terribilis esse formidabile; vnde voluntas ipsa Diuina Christi, & humana volebat appetitum sensitiuum habere talem motum, atque adeò fuit ex deliberatione rationis, vt se explicaret secundum propriam naturam. Nec est inconueniens refugere, & appetere mortem secundum diuersas considerationes, nam refugiebat illam secundum quod mors erat malum naturæ priuans optimo bono, scilicet vita: appetebat autem illam quatenùs applicabatur per voluntatem, quæ mota à ratione superiori volebat mortem ad nostram salutem.

Quarto Arguitur. Quia si in Christo non deberet poni fomes peccati maximè propter rationem *D.Thomæ in hoc Artic.* quia scilicet in Christo erant virtutes morales perfectissimæ; sed hæc ratio non conuincit; ergo. *Probatur Minor*, Quia in alijs viris iustis vt in Baptista, immo & in Beatissima Virgine Maria reperiebantur illæ virtutes perfectissimæ, & in gradu heroico; & tamen ab illis propter talium virtutum perfectionem non auferabatur fomes peccati. Ergo licet in Christo fuerint perfectissimè virtutes istæ non excludunt ab illo fomitem.

Vltimo Arguitur. Quia licet in Christo de facto non fuerit fomes peccati, potuit tamen esse in illo de potentia Dei absoluta; ergo sic affirmandum est. *Antecedens Probatur*, Quia fomes peccati non est peccatum, vt Concilium definit; & aliàs omnes homines iusti essent in peccato continuè

cum

cum habeant fomitem; ergo non repugnat poni in Christo.

Confirmatur. Quia ad excludendum fomitem à Christo Domino recurrit *D. Thomas* ad gratiam, & eius virtutes morales; sed non est impossibile quod Christus non habeat gratiam habitualem, aut virtutes istas, multoties enim Diximus potuisse Verbum assumere naturam humanam omni dono supernaturali destitutam; ergo nec etiam erit impossibile talem fomitem peccati in Christo reperiri.

Respondetur Optimam esse rationem *D. Thomæ*, quia non procedit de quacumque virtute, etiam in gradu heroico, sed de virtutibus quatenùs erant in Christo, vt explicuimus in *Tertia Conclusione*, illæ enim virtutes, eo quod simul cum gratia Vnionis coniungebantur, habebāt ab intrinseco ratione Vnionis totaliter fomitem auferre. At in Beatissima Virgine, quando post Cōceptionem Filij extinctus fuit fomes peccati non ab intrinseco, sed ab extrinseco extinguebatur ex peculiari Dono Dei.

Ad Vltimum Respondetur, Non potuisse esse in Christo etiam de potentia Dei absoluta fomitem peccati, quia licet peccatum non sit, supponit tamen potentiam peccādi in subiecto, quæ omnino repugnat naturæ assumptæ à Verbo.

Ad Confirmationem Respondere quis posset ex doctrina *Suarez* in *Commentario huius Articuli*, vbi ait, Quod præter gratiam, & virtutes ponenda est in Christo aliqua perfectio, vel particularis Dei prouidentia, vt nō permitteretur appetitus Christi moueri, vel excitari antequam ratio aduerteret. *At hæc Solutio Mihi* non videtur veram continere doctrinam, quia etiam possibile est, quod Christus non haberet perfectionē illam, si illa est à gratia Vnionis distincta. Deinde, quia illa particularis prouidentia si non cōceditur gratis, atque adeò subtrahibilis per voluntatem diuinam, supponere debet aliquid intrinsecum in humanitate Christi, cui ita sit debita, vt ratione illius intrinsecè repugnet habere tales motus à ratione discordantes.

Respondetur ergo ad Argumentum cum *Magistro Vincentio Pag.* 43. Fomitem peccati excluſum esse à Christo ratione gratiæ Vnionis radicaliter, qua parte eius humanitas exire non posset in aliquem actum, qui non esset præuentus à Diuino Verbo, & ideò non potuit esse deordinatus, neque ad deordinatum inclinare. Ratione vero gratiæ, & virtutū excludebatur fomes à Christo quasi formaliter, & proximè; non quidem sic quod illæ præcisè sufficerent, quia si illæ eædem constituerentur in altero homine puro fomitem nō tollerent; sed quia illæ prout in tali subiecto sunt hoc habent præstare. Sicut gratia habitualis, quę secundum se, & in homine puro constituta non potest esse gratia Capitis quantumuis crescat, de facto tamen est gratia Capitis in Christo, quia in tali subiecto est, vt supra diximus *Quæst.* 8.

Excluso iam à Christo principaliori defectu animæ, qui est peccatum, cum sua radice, quæ est fomes, in sequentibus Articulis huius Quæstionis prosequitur *Sanctus Thomas* excludendo alios defectus.

PRO-

PROSEQVITVR TEXTVS.

DIcitur *in 3. Art. Inquirit* Si fuit ignorantia in Christo? Conclusio est negatiua; quam probat, *Tum* quia venit vt auferret ignorantias nostras, & ignorantia per ignorãtiam non tollitur. *Tum* quia habuit plenitudinem scientiæ, quæ excludit ignorantiam, sicut plenitudo gratiæ excludit fomitem peccati: & Nos supra in *Materia de Scientia* ostendimus, quomodo Christus secundum triplicem Scientiam, scilicet Beatam, Infusam, & Acquisitam omnia sciuit, & per consequens, quod non habuit ignorantiam.

In Art. 4. Inquirit Si Anima Christi fuit Passibilis? Et Respondet, quod fuit passibilis passione corporali, quia Corpus Christi fuit passibile, & mortale; ergo & anima hoc modo fuit passibilis, etiam passione animali, quia habuit affectiones appetitus sensitiui pertinentes ad naturam hominis. Sed aduertit *Sanctus Doctor*, quod quantum ad tria aliter fuerunt passiones in Christo, quam in nobis. *Primo* quantum ad Obiectum, quia in nobis plerumque feruntur ad illicita; non in Christo. *Secundo* quantum ad Principium, quia in nobis frequenter præueniunt iudicium rationis, non in Christo. *Tertio* quantum ad effectum, quia in nobis quandoque trahunt rationem, non in Christo.

In Quinto Inquirit Si in Christo fuerit dolor sensitiuus? Conclusio est affirmatiua, quam probat ex illo Isaiæ 53. *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit*. Ratione autem, Quia ad Veritatem doloris sensibilis requiritur læsio Corporis, & sensus læsionis; sed Corpus Christi lædi poterat, quia erat passibile, & sensus læsionis non defuit, quia anima Christi perfectè habuit potentias naturales; habuit ergo sensum læsionis; ergo & dolorem.

In Sexto Inquirit, Vtrùm in Christo fuerit Tristitia? Conclusio est affirmatiua, Tum ex illo Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem*. Et Ambros. inquit, *Vt homo tristitiam habuit*. Tum quia obiectũ, seu motiuum tristitiæ est nociuum, seu malum interius apprehensum, siue per rationẽ, siue per imaginationem; sed anima Christi potuit interius apprehendere aliquid vt nociuum quantum ad se, sicut fuit Passio, & Mors eius; quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum, & occidentium ipsum; ergo fuit in Christo Tristitia sicut & dolor, aliter tamen quam in nobis, secundum tria assignata *Art. 4*.

In Septimo Inquirit Si in Christo fuit Timor? Conclusio est affirmatiua, quam probat ex illo Matth. 14. *Cæpit Iesus pauere, & tædere*, sed in Corpore

Corpore distinguit *Timorem* duplici modo, *Vno* quantum ad hoc, quod appetitus sensitiuus naturaliter refugit Corporis læsionem, & si sit futura, est per *Timorem*, sicut si est præsens per *Tristitiam*, & hoc modo ponitur *Timor* in Christo, sicut *Tristitia*. Alio modo secundum incertitudinem futuri euentus, sicut quando nocte timemus ex aliquo sonitu, ignorantes quid hoc sit, & hoc modo Timor non fuit in Christo, quod etiam affirmauit *Damascenus*.

In Octauo Inquirit, Vtrùm in Christo fuerit Admiratio? Conclusio est bimembris. Quantum ad scientiam experimentalem fuit admiratio in Christo, non vero quantum ad Scientiam Diuinam, Beatam, vel Infusam. Probatur vtraque pars ex eodem principio diuersimodè applicato, Quia admiratio est de aliquo nouo, & insolito; sed secundum Scientiam Diuinam, Beatam, & Infusam non fuit illi aliquid nouum; ergo secundum has scientias non habuit admirationem. Secundum vero experientiam poterat esse aliquid nouum, secundum quod quotidiè aliqua noua occurrebant, & secundum hoc potuit habere admirationem, sicut quando audiens verba Centurionis miratus est. *Matth.* 8.

In Nono Inquirit, Vtrùm in Christo fuerit Ira? Conclusio est bimembris. In Christo fuit ira secundum ordinem iustitiæ, non vero secundum quod est peccatum. *Probatur*. Quia ira est effectus tristitiæ quatenùs ex malo illato sibi, vel alijs, aliquis tristatur, & intendit vindictam. Dictum est iam, quod in Christo fuit tristitia: appetitus vindictæ potest esse, vel secundum ordinem iustitiæ, & hoc est secundum rationem, & sic coniunctus cum tristitia potuit esse in Christo, ideò *Ioann.* 2. dicitur, quod illud Psalm. *Cælus domus tuæ commedit me*, fuit impletum in Christo, & hoc modo potest esse ira in Christo, non vero secundum quod inuoluit appetitum vindictæ contra rationem.

In Art. 10. *Inquirit*, Vtrùm Christus simul fuerit Viator, & Comprehensor? Conclusio est affirmatiua, quam probat, Quia Christus secundum animam habuit beatitudinem, & ex hac parte erat comprehensor. Secundum vero Corpus, & secũdum quod anima eius erat passibilis deerat ei vltima fœlicitas, & beatitudo, & ex hac parte erat Viator, quia tendebat in illam; propter quod dicitur Hierem. 14. *Quare Colonus futurus est in terra, & quasi Viator declinans ad manendum?* Iste Articulus ideò adducitur in hac Quæstione de defectibus animæ, quia dum quis est Viator ex illa parte deficit illa vltima Beatitudo ad quam tendit.

QVAESTIO XVI.

DE CONSEQVENTIBVS VNIONEM, QVANTVM AD EA QVÆ CONVENIVNT CHRISTO, SECVNDVM ESSE, ET FIERI.

POstquam *D. Thom.* in præcedentibus egit de Myſterio Incarnationis quantum ad ſubſtantiam Vnionis, & alijs ad illam pertinentibus; modo incipit agere de his, quæ conſequuntur Vnionem; & in hac *Quæſt. per 12. Artic.* agit de his, quæ conſequuntur Vnionem, quantum ad eſſe, & fieri, hoc eſt de modo loquendi de Myſterio, quia ad Doctorem Catholicum, non ſolum pertinet ſcire veritates fidei, ſed etiam modum loquendi de illis. Quæ omnia per Articulos perſtringemus, veritates enim pertingere neceſſe eſt; non tamen Diſputatio in earum examine requiritur, quia ex ipſismet Terminis ferè conſtant.

AR-

ARTICVLVS I.

Vtrùm hæc sit vera: Deus est Homo?

Prima Conclusio. Suppositâ veritate Mysterij hæc propositio *Deus est homo* est vera, & propria, non solum propter veritatem terminorum; sed etiam propter veritatem prædicationis.

Secunda Conclusio prædicta propositio non est contingens, vel accidentalis, nec in Materia remota, sed essentialis, & in Materia naturali.

Circa Primam Conclusionem Primo notandum est, quod supponitur veritas Mysterij contra errores oppositos. *Primus error* circa prædicatum negauit veram humanitatem vt Manichei. *Secundus negauit* Diuinitatem naturalem, & substantialem, & solum affirmauit diuinitatem per gratiam, deficit ex parte subiecti. *Tertius deficit* ex parte copulæ ponit enim Deum, & hominem verum, sed coniunctionem vtriusque accidentalem, aut affectiuam: sic Nestorius. Veritas autē fidei est, quod est verus Deus, & verus homo, & vnio substantialis; & hac veritate suppositâ hæc propositio *Deus est homo* est vera.

Durandus in 3. Dist. 4. Quæst 2. inquit, Quod hac veritate suppositâ, quamuis negetur hæc propositio *Deus est homo*, nō erit error contra fidem; sed solum contra Dialecticam, vel Grāmaticam. Sed in hoc valde errauit *Durandus*. *Tum* quia non solum Catholicus debet credere interiùs fidē, sed etiam verbis exteriùs profiteri, quia etiam modus loquendi pertinet ad fidem, cum ex verbis inordinatè prolatis hæresis incurratur. *Tum* quia concedendo veritatem, & negando propositionem negat ipsam veritatem in verbis, & quamuis in hoc sit sibi contrarius, licet pro ea parte, qua credit nō deficiat à fide, pro alia parte, qua negat, est hæreticus.

Non Tamen Durandus audet negare propositionem; sed concedendo esse veram inquit esse *Impropriam*, quod aliquibus rationibus intendit probare, quæ non sunt ad intentum, quia solum probant, quod propositio sit accidentalis, vel contingens, & non essentialis, & per se, quod totum nō destruit proprietatem prædicationis, quia hæc propositio *Homo est albus* est propria quamuis accidentalis. Ait tamen *Durandus*, quod propriè dicitur *Deus humanatus*, non *Deus homo*. Sed hoc clarè impugnatur in Concilio Francofordiensi in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, vbi dicitur *Vnam Personam esse Deum, & hominem, non hominem Deificū, & humanatum Deum, sed Deum hominem, & hominem Deum*. Vbi *Humanatum* accipitur in sensu *Durandi*, scilicet denominatiuum desumptum à natura humana; licet enim sit sensus Catholicus, & veritas fidei, quod *Deus est humanatus*, hoc est factus homo, hoc est substantiuè, & non quasi denominatiuè, sicut *S. Thomas Art. 3.* sequenti inquit, quod non debet dici *Homo Dominicus*. De quo late *Vazquez hic Disput. 63. Cap. 2.*

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm Hæc Propositio Deus est homo *sit essentialis, & per se, & in Materia naturali; vel accidentalis, & in Materia Contingenti?*

Negatiuam Sententiam sequuntur *Bonauent. Scotus, Durandus*, & Alij, quos refert, & sequitur *Suarez hic Dub. 4. Vazquez Disp. 68. Cap. 2.* Fundamenta huius sententiæ sunt. *Primo* Propositio essentialis est illa in qua prædicatum est de essentia subiecti; sed in hac propositione *Deus est homo*, prædicatum non est de essentia subiecti; ergo hæc propositio non est essentialis, & per se, sed contingens. *Probatur Minor. Tum* quia prædicatum non est de intellectu subiecti; ergo nec de essentia. *Patet Consequentia*, Quia si esset de essentia non posset intelligi sine illo. *Tum* quia prædicatum non verificatur de omni supposito contento sub subiecto; ergo non est de essentia subiecti. *Antecedens Patet*, Quia non verificatur de Patre, vel de Spiritu Sancto. *Consequentia Probatur*. Prædicatum, quod est de essentia subiecti debet conuenire cuicumque conuenit subiectum. *Tum* quia vt esset propositio per se deberet subiectum supponere determinatè pro Filio, sed ly *Deus* non magis determinatur ad Filium, quam ad Patrem; ergo propositio non est per se.

Consequentia est bona; Maior Probatur, Quia si non supponit determinatè pro Filio, sed vagè pro quacunque Persona erit accidentalis, sicut ista *Animal est homo*. Minor probatur, Quia nulla particula ponitur determinans subiectum magis ad Filium, quam ad Patrem. A

Secundo Arguitur, Quando propositio est essentialis, & per se, verificatur cum reduplicatione subiecti supra se, sed hæc propositio *Deus est homo*, non verificatur cum reduplicatione subiecti; ergo non est essentialis, & per se. *Consequentia est bona, & Maior certa*, vt patet in hac *Homo est animal*, quia est essentialis, etiam cum reduplicatione est vera, vt si dicamus *Homo in quantum homo est animal*. Minor Probatur, Quia hæc est falsa *Deus in quantum Deus est homo*, quia hæc est falsa, *Christus in quantum Deus est homo*, sicut ista *Christus in quantum homo est Deus* absolutè, vt docet *Sanct. Thom.* in hac *Quæst. infra Art.* 11. B

Tertio Arguitur ad probandum, quod non sit in Materia naturali, sicut ista *Petrus est homo*, quia propositio in Materia naturali necessariò semper est vera, & non potest esse falsa, sed est æternæ veritatis, sicut ista *Petrus est homo*, sed hæc *Deus est homo* non est huiusmodi. *Tum* quia non semper fuit vera, sed ante Incarnationem erat falsa, & sic nō est æternæ veritatis, & modo potest etiam esse falsa, quia si Verbum dimitteret humanitatem, sicut potest, esset falsa, & sic absolutè potest esse falsa; ergo non est in Materia naturali, sed contingenti. C D

Confirmatur. Quia illa propositio est in Materia naturali, quando prædicatum conuenit naturaliter subiecto, hoc est conuenit illi pęnes exigentiam ortam ex principijs naturæ, vt quamuis Deus nolit non possit non naturaliter prædicatum exigi à subiecto, sicut in ista *Petrus est homo*; sed ista *Deus est homo* non est huiusmodi, quia esse hominem non conuenit Deo, nec ratione formæ significatæ, nec ratione suppositi naturaliter, nec exigitur ex principiis naturæ ipsius, sed supernaturaliter ex libera Dei voluntate conuenit prædicatum subiecto, & est veritas supernaturalis, sicut in ista *Homo est Deus*; ergo non est in Materia naturali, saltim sicut ista *Petrus est homo*. E

Prima Conclusio. Hæc Propositio *Deus est homo* est per se, & essentialis. Hæc est *Diui Thomæ hic in Art.* quem sequuntur Omnes eius Discipuli. Pro cuius explicatione notandum est ex *Caietano* hic, quod subiectum scilicet *Deus* potest dupliciter considerari. Primo absolutè, & in communi, non determinando ad hoc vel illud suppositum: vel potest considerari secundum quod determinatur ad suppositum Filij. Et in primo sensu est propositio accidentalis, sicut ista *Animal est homo*, quia accidit respectu Suppositi diuini in communi hoc vel illud esse hominem. In secundo vero sensu propositio est essentialis, & per se si ly *Deus* determinetur ad Filium Dei. Sed adhuc aduertit *Caietan.* quod quia ly *Deus* significat Deitatem, & si supponat pro Filio, potest fieri comparatio prædicati ad subiectum, vel ratione formæ significatæ, vel ratione suppositi illius, & ratione formæ significatę propositio est accidentalis: ratione vero suppositi est essentialis, & per se. Sed hoc adhuc intelligitur suppositа Vnione Hypostatica, quia sine illa propositio esset per accidens, quia Supposito Diuino, vt Diuino accidentale est quod sit homo: supposito tamen Incarnationis Mysterio in quo Verbū vnitur humanitati substantialiter, & fit suppositum humanum, propositio est essentialis, & per se ratione Vnionis.

Si Autem considerаretur significatio de ly *Deus*, & de ly *Homo* non comparatiuè ad vnionem, quæ explicatur per copulam *Est*, quando dicitur *Deus est homo*, sed sumendo significationē copulæ, quod significet esse essentiale vt sensus sit, quod est prædicatum essentiale Dei in ipsa natura diuina quod sit homo, est propositio falsa, & in materia repugnanti, multo magis, quam ista *Homo est Equus*. In præsenti tamen non est sermo in hoc sensu, sed solum ratione vnionis, substantialis tamen.

Probatur Conclusio. In Hac propositione *Deus est homo*, ly *Deus* determinatur vt supponat pro Filio Dei, non quomodocūque, sed vnito humanæ naturæ tanquam suppositum eius, loco suppositi proprij, & naturalis; ergo ratione huius suppositi propositio est per se, & essentialis. *Patet Consequentia*. Quotiescunque aliquod prædicatum specificum prædicatur de singulari, est prædicatio essentialis pertinens ad secundum prædicabile; sed Deus humanatus est singularis homo, scilicet Christus, quia hæc est vera, *Hic* (designato Christo) *est singularis homo*; ergo hæc propositio *Hic homo* (designato Christo) *est homo* est propositio essentialis, sed facta suppositione, quod ly *Deus* accipiatur pro Filio, & non quomodo-

modocumque, sed pro supposito humano in hac humanitate singulari, idem sensus est *Deus est homo*, atque *Hic homo est homo*; quia est dicere *Deus humanatus est homo*; ergo est essentialis, sicut ista *Hic homo est homo*, eodem Christo designato.

Primum Vero Antecedens probat D. *Thomas* ex illo communi Axiomate Dialecticorum *Talia sunt subiecta qualia permittuntur ab eorum prædicatis*, & refert se ad 1. *Part. Quæst.* 39 *Art.* 4. *vbi ad* 3. eadem doctrinam ex professo tradit, & probat. Hæc propositio *Deus generat* est vera; ergo subiectum supponit pro Patre; ergo ratione prædicati *Generat*, aliàs pro quocumque alio supponeret esset falsa, & erronea; sed de ipso Patre essentialiter affirmatur prædicatum scilicet *Generat*; ergo similiter quotiescumque ponitur aliquod prædicatum, quod determinet subiectum ad speciale suppositum verificabitur propositio absolutè ratione talis determinationis pro illo supposito, & iuxta modum, quo prædicatum conuenit illi supposito. Cum autem in hac propositione *Deus est homo*, ly *Homo* determinet subiectum vt supponat pro Filio vt supposito humano, & esse suppositum humanum sit per vnionem substantialem, restat quod propositio in tali determinatione vera sit, & etiam essentialis.

Confirmatur. Quia homo vniuocè prædicatur de Christo, & de Petro vt fatetur *Suarez Dub.* 2. dicens non posse cadere hoc in dubium apud Catholicos; ergo sicut ista est essentialis *Petrus est homo*, ita ista *Deus est homo*, vel *Christus est homo*, quia tam verè, & propriè *Deus est homo*, sicut *Petrus*; & tam verè, & propriè est filius Virginis, sicut Petrus suæ matris, & non solum materialiter, sed quod prædicatio ipsa est vniuoca. De quo plura Concilia loquuntur, vt *Lateranense sub Martino I. V. & VI. Synodus.* Propter quod benè aduertit ipse *Suarez* 4. *Dub.* Quod propositio debet concedi substantialis, & non accidentalis, sed ex hoc ipso conuincitur, quod debet concedi essentialis & per se, quia supposita substantiali vnione propositio est per se, & essentialis: patet hoc: quamuis Petrus possit dissolui quantum ad existentiam tamen quando existit, & quando non existit, non solum verificatur quod est homo, ita quod propositio sit substantialis, sed etiam essentialis, quia essentia semper manet; ergo similiter ista *Deus est homo* quamuis vnio possit dissolui, tamen dum illa manet, quia non minus substantialiter est homo, quam Petrus, tam essentialis est ista *Deus est homo*, sicut ista *Petrus est homo*, vt ad confirmationem magis explicabitur.

Secunda Conclusio. Hæc propositio *Deus est homo* est in materia naturali ratione suppositi, sicut ista *Petrus est homo*. Hæc est D. *Thomæ hic ad* 1. Et sensus non est, quod illa vnio sit naturalis, seu ex principijs naturæ, sed supposita hac supernaturali vnione homo prædicatur de Deo, sicut species de sua hypostasi, sicut de Sorte, & de Platone inquit D. *Thomas* in fine Corporis. Et ratio est iam posita in præcedenti; quia prædicatum specificum naturaliter conuenit singulari illius speciei; ergo supposito quod Deus est singularis homo per Incarnationem prædicatum specificum, quod de illo prædicatur prout sic facit propositionem in materia naturali.

Soluuntur Argumenta.

Ad Primum Respondetur Cum Caietano *hic*, Quod prædicatum potest esse de essentia subiecti dupliciter in aliqua propositione; aut ratione suppositi subiecti; aut ratione formæ significatæ per illud. Primo modo est in præsenti, & hoc sufficit vt sit propositio essentialis, & per se. *Ad Impugnationes Respondetur*, Quod ly *Homo* est de intellectu subiecti vt suppositi eo modo, quo suppositum humanum formaliter non potest intelligi sine humanitate.

Ad Secundam, Quod prædicatum, quod est de essentia subiecti ratione formæ significatæ debet conuenire omni contento sub subiecto; quando vero solum est essentiale ratione suppositi determinati, quia subiectum restringitur ad illud suppositum, non debet conuenire alteri supposito. *Ad Tertiam Respondetur*, Quod verum est, quod ly *Deus* determinatur ad determinatum suppositum ratione prædicati.

Contra Replicat Vazquez Cap. 2. *citato*, Quod subiectum non potest determinari à prædicato. *Tum* propter illam suam doctrinam communem, quod nomina concreta supponunt pro natura connotando suppositum. *Tum* quia dato, quod supponat pro supposito, & non pro natura, nulla est ratio quare dicatur,

quod in dicta propositione subiectum determinatur ad speciale suppositum, quia nullum est nomen per quod significetur talis determinatio. *Tum* quia dato quod determinetur à prædicato, talis propositio erit accidentalis, quia homo non conuenit essentialiter Filio Dei.

Respondetur, Quod illa doctrina *Vazquez* est falsa, & contra communem Regulam Dialecticorum, vt inferius etiam dicemus, & ex illa sequitur, quod hæc propositio *Deus est homo* absolutè sit falsa; quod tamen ipse non audet asserere. *Probatur Sequela*: sua doctrina est, quod nomina concreta supponunt directè pro natura connotando suppositum, & sic hæc propositio *Deus est homo* facit hunc sensum, quod natura diuina connotans suppositum est natura humana connotans suppositum, qui sensus est falsus, quia istæ duæ naturæ, quæ connotant idem suppositum non sunt idem, sed distinctæ, & falsum est dicere, quod vna est alia; ergo si ly *Deus* supponit pro natura diuina, & ly *Homo* pro natura humana, erit sensus, quod natura diuina est natura humana, qui est sensus falsus.

Ad Illud, Quod nullum est nomen determinans, &c. *Respondetur*, Quod determinatur à prædicato sicut in ista *Deus generat, Deus est genitus, Deum de Deo*; quæ omnes sunt veræ, & de fide, & non nisi ratione determinati suppositi subiecti, quæ determinatio prouenit à prædicato, & non est necessarium aliud nomen, & Regula est Dialectica iam allata *Talia sunt subiecta qualia permittuntur (quo ad suppositionem) ab eorum prædicatis.* Ad quam dicitur, quod non erit propositio essentialis *Respondetur*, Quod supposita vnione substantiali est essentialis ratione suppositi.

Ad Secundum Principale Respondetur, Quod si propositio esset essentialis, quia prædicatum conueniret subiecto essentialiter ratione formæ significatæ, esset vera cum reduplicatione absolutè, quia reduplicatio absolutè posita, reduplicat supra formale, vt docet *D. Thomas Art.* 11. *citato*, & 12. sequenti: in præsenti autem hæc propositio solum ponitur essentialis ratione suppositi, & ideò non tenet cum reduplicatione.

Replicat Vazquez Contra Caietanum Dicendo, Quod est Dialectica particularis, & quod in hac propositione *Filius Dei est homo*, vel *Verbum Dei est homo*, vbi suppositum est etiam significatum sequeretur, quod cũ reduplicatione esset vera, quia reduplicat supra suppositum, & in hoc inquit capere *Caietanum* laqueo.

Sed Laqueus Contritus Est; Quia in his reduplicatio vt fieret supra suppositum debebat esse sic *Verbum Dei in quantum Verbum, vnitum humanitati est homo*, quia vt dictum est in Notatione pro Conclusione ly *Homo* determinat ad Suppositum diuinum, non prout in natura diuina, sed prout in natura humana, & vt esset vera cum reduplicatione deberet reduplicatio significare etiam hanc formalitatem suppositi humani, & non solum significatum Verbi, quod poterat videre *Vazquez* in *Caiet. hic*, §. *Vbi patet.*

Ad Vltimum Respondetur, Quod propositio in materia naturali est æternæ veritatis; & hæc propositio *Deus est homo* antequam esset vnio, & si postea dissolueretur desineret veritas; tamen quamdiu est vnio prædicatum naturaliter conuenit subiecto, & solum probatur quod non est in materia naturali, nisi supposita supernaturali Vnione; illa vero quæ est in materia naturali absque aliqua suppositione est æternæ veritatis absolutè.

Ad Confirmationem Respondetur, Quod est magna æquiuocatio; non enim est intẽtum secundæ Conclusionis, quod hæc propositio sit in materia naturali, hoc est quæ habeat connaturalem connexionem, sed quod suppositæ supernaturali vnione, & connexione iam prædicatum cõuenit subiecto vt formaliter tali, sicut singulari contento sub prædicato specifico; & quia humanitas singularis est ratio quare prædicetur prædicatum, specificum quotiescumque ponatur illa ex parte suppositi subiecti prædicatum *Homo*, naturaliter conuenit suppositi huius humanitatis, ita vt nunquam neque in æternitate possit excogitari suppositum huius humanitatis, & quod non verificetur de illo prædicatum specificum *Homo*; sicut dicitur de ista *Petrus est homo*. non ratione existentiæ singularis, sed ratione essentiæ. Ita de essentia Verbi humanati est, quod sit homo, quia licet quoad existentiam sit temporalis hæc vnio, tamen essentia huius vniti per intellectum apprehensa, semper est subiectum de quo semper prædicatur homo; & in hoc sensu est æternæ veritatis sicut ista

Petrus est homo.

AR-

A

ARTICVLVS II.

Vtrùm Hæc sit Vera, Homo est Deus?

Conclusio. Suppositâ Veritate mysterij Incarnationis, hæc est vera, & propria *Homo est Deus*, sicut altera *Deus est homo.*

B

Circa Istum Articulum non est noua difficultas, sed omnes quæ occurrere possunt, omninò sunt similes, atque Articuli præcedentis, & eodem modo diluentur. Notandum est autem, quod in hac propositione *Homo est Deus*, subiectum trahitur à prædicato, vt supponat determinatè pro Supposito diuino subsistenti in natura humana. Quare audiendus non est in hac parte *Suarez*, qui in Commentario huius Articuli affirmat, quod de suppositione illius subiecti *Homo* parum refert si dicatur, quod supponit indefinitè, aut quod trahitur à prædicato ad supponendum pro tali supposito determinatè, quia vtroque modo ait, propositio est æquè vera, & prior modus videtur magis consentaneus vsui communi talium terminorum. Sed certè hoc, vt obiecimus *Art. Præcedenti* contra *Durandum* est abuti terminis, & nimiam tribuere licentiam loquendi in Mysterio Incarnationis, quia si subiectum huius propositionis, *Homo est Deus* supponit indefinitè, etiam subiectum huius *Homo non est Deus* eodem momo supponet, & consequenter cum habeat infinita singularia vera, concedi poterit illa propositio, videlicet *Homo non est Deus*, quod Supposito Incarnationis Mysterio, nullus Catholicorum audebit concedere, sicut nec istam, *Deus non est homo.* Affirmandum ergo est subiectum illius propositionis *Homo est Deus* supponere determinatè, sicut obiectum huius, *Deus generat.*

C

D

E

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus dici possit Homo Dominicus?

Conclusio. Non potest dici verè, & propriè, quod ille homo, scilicet Christus sit Dominicus, sed quod sit Dominus.

Pro Explicatione Huius Articuli breuiter notandum est Omnem illam propositionem denominatiuam, quæ indicat distinctionem Suppositorum repugnare huic mysterio, & huiusmodi est illa de qua *Sanct. Thom. in hoc Art.* disputat, & regulariter omnia prædicata denominatiuè sumpta à natura diuina talem distinctionem videntur dicere, excepto hoc nomine *Diuinum*, vt docet *Sanctus Thomas Solut. ad 3.* Quare si fiat Argumentum, ex eo quod Filius est Verbum Dei, dici potest Verbum diuinum; ergo ex eo quod sit Verbum Domini poterit dici Verbum Dominicum. *Respondetur Negando Consequentiam*, propter diuersum modum significandi terminorum, iuxta acceptionem communem, quia ly *Dominicum* importat distinctionem Suppositorum, non autem *Diuinum.*

Nihilominus Contrà Arguitur. Quia in hac propositione *Christus est homo Dominicus*, fit sensus, quod ratione humanitatis Christus sit Dominicus, sicut caro eius dicitur *Dominica*; ergo sicut ista est vera, & conceditur, similiter & prima. *Consequentia* Videtur nota, & *Antecedens Probatur.* Quia iuxta Regulam Dialecticorum quando substantiuum, & adiectiuum ponuntur à parte Vnius extremi fit appellatio, *Qua ratione* hęc propositio *Christus est Homo temporalis* facit hunc sensum, quod ratione humanitatis est temporalis, & ideò est vera; ergo similiter in altera *Christus est homo Dominicus.*

Respondetur, Quod illa propositio in prędicto sensu, & cum illa appellatione vera est, & in tali sensu vsi sunt ea aliquando Sancti Patres, quos adducit *Suarez in Commentario Articuli.* Sicut etiam, quia Deus assumpsit naturam humanam dixerunt *Augustinus*, & Ambrosius, *Tu ad liberandum susceptus hominem*, non quia assumpsisset Suppositum humanum, sed quia pro eodē accipiebant humanitatem, & hominem in hac

hac parte; atque adeò eodem modo, quo affirmabant *Humanitatem esse Dominicam*, etiam affirmabant *Hominem esse Dominicum*. Quia tamen appellatio fundatur in communi modo concipiendi, secundum quem hæretici de ipso Supposito hominis intelligebant esse Dominicum, vt ab illis discedamus, optimè *Sanctus Thomas* ait, quod illa propositio *Christus est homo Dominicus* accipienda est sine appellatione, & ideò neganda.

Secundo Arguitur contra rationem *Sancti Thomæ*, Nam id quod est essentialiter tale, potest esse denominatiuè tale; ergo fundamentum rationis *Sancti Thomæ* nullum est. *Antecedens Probatur*. Quia Logici concedunt speciem, quæ essentialiter est species etiam esse speciem denominatiuè; est enim quædam species contẽta sub vniuersali, & sicut homo conceptus conceptu communi ad istum hominem, & illum est species ad illos, ita similiter species concepta conceptu communi ad istam speciem, & alteram est species ad illas. Vnde sicuti accidit homini quod sit species, quia accidit illi, quod concipiatur conceptu communi, ita similiter accidit speciei, quod sit species, quia accidit illi, quod concipiatur conceptu communi; ergo iam secunda intentio speciei, quæ est essentialiter species, dicitur etiam denominatiuè species; ergo quamuis Christus dicatur *Dominus* essentialiter, etiam poterit dici *Dominicus* denominatiuè.

Respondetur esse diuersam Rationem in secundis intentionibus, atque in primis. Quoniam secundæ intentiones fundantur in operatione intellectus, qui supra eamdem rem potest infinitas reflexiones facere sincathegorematicè. Vnde supra ipsam essentiam speciei iterum fundat naturam speciei, sicuti fundat illam supra quamcumque aliam naturam specificam. Fundamẽtum autem rationis *Sancti Thomæ* verum habet in primis intentionibus, quæ ab intellectu non pendent.

Tertio Arguitur. Deus dicitur bonitas essentialiter, & etiam dicitur bonus, quod videtur esse denominatiuum à bonitate; ergo potest aliquid denominatiuum prædicari de Christo, quamuis ratio illa dicatur essentialiter.

Respondetur, Quod nomina transcendentia non sunt propriè denominatiua, sed communia ad denominatiua, & denominantia; dicuntur enim tam de his, quæ sunt essentialiter talia, quàm de his quæ sunt talia per participationem.

Quarto Arguitur. Christus dicitur verè *Seruus Dei*, vt patet *Isaiæ* 49. ergo dicitur Dominicus, quia Seruus Domini est, & consequenter etiam dicetur Dominicus.

Respondetur Negando Consequentiam, Quia *Seruus* non dicit de sua ratione formali negationem Domini in Supposito; idẽ enim respectu diuersorum simul est Dominus, atque Seruus. Vnde non mirum, quod idẽ Suppositum ratione diuersarum naturarũ simpliciter sit Seruus, & simpliciter sit Dominus. *Dominicus* autem in sua ratione excludit id, quod est Dominus per essentiam. Vnde impossibile est, quod ille, qui est Dominus per essentiam, sit simpliciter Dominicus, sed dicetur Dominicus tantum secundum quid, addendo rationem sub qua est Dominicus. Itaque licet tam esse Seruum, quàm esse Dominicum conueniat Christo ratione humanæ naturæ, nihilominus tamen primum prædicatur simpliciter, licet non ponatur expressè in propositione ratione humanitatis; secundum autem non prædicatur nisi illud additum ponatur expressè in propositione, propter rationem supra assignatam.

Quinto Arguitur. Vniuersa, quæ conueniunt Christo ratione humanitatis conueniunt illi simpliciter, sed Christus Dominus est Dominicus ratione humanitatis, vt concedit *D. Augustin.* in illo Libro in quo retractauit sententiam; ergo est Dominus simpliciter loquendo.

Respondetur quod ea, quæ conueniunt Christo ratione humanitatis, si ex altera parte dicunt negationem Suppositi diuini, non prædicantur de illo simpliciter, sed cum illo addito *In quantum homo*, ratione cuius iam non ponitur negatio Suppositi diuini, ob quam causam in *Artic. 8. huius Quæstionis* dicemus istam propositionem esse falsam simpliciter, *Christus est creatura*, licet ista sit Vera, *Christus in quantum homo est creatura*.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm ea, quæ conueniunt Filio Hominis, possint prædicari de Filio Dei; & è conuerso?

Prima Conclusio. Ea quæ sunt diuinæ naturæ possunt dici de homine tanquam de Hypostasi diuinæ naturæ; & ea quæ sunt humanæ naturæ, possunt dici de Deo, tanquam de Hypostasi humanæ naturæ.

Secunda Conclusio. Quamuis in Christo non sit distinguendum id de quo diuina, & humana natura prædicantur, tamen distinguenda est ratio sub qua diuina prædicantur, à ratione qua de eo humana dicuntur. Tota intentio *Sancti Thomæ* in hoc Articulo est affirmare, quod sit inter naturam diuinam, & humanam communicatio Idiomatum, & vt melius intelligatur sit

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm Reuera communicatio Idiomatum naturæ Diuinæ, & Humanæ reperiatur in Christo?

Primo Arguitur pro parte negatiua. Nam prædicata diuina, aut dicuntur de homine ratione alicuius doni accidentalis, aut immediatè per se ipsa; neutrum dici potest; ergo. *Probatur Antecedens* quo ad primã partem. Quia si illud Verum esset, sequeretur Vnionem Hypostaticam esse accidentalem, cuius oppositum Diximus esse de fide supra *Quæst. 2. Artic. 6.* Quo ad secundam verò partem *Probatur*. Quia attributa diuina solum possunt dici formaliter de Deo in diuina natura; ergo si non ponitur donum aliquod accidentale in humanitate, vt sit communicatio proprietatum, impossibile erit, ea quæ Dei sunt dici de homine.

Secundo. Quia si solum ratione Vnionis Hypostaticæ datur talis communicatio Idiomatum, sequitur quod etiam in triduo mortis Christi fuerit Idiomatum communicatio inter diuinitatem, & Corpus Christi, consequens dici non potest; ergo nec Antecedens. *Sequela Probatur*. Nam etiam Corpus Christi in illo triduo erat Vnitum diuinitati, vt docet Fides. Quod vero consequens sit falsum *Probatur*. Quia Corpus illud non poterat dici sapiens, aut iustum, nec Deus dici poterat pars humanæ naturæ.

Tertio Nam multæ sunt proprietates humanæ naturæ, quæ dici nequeunt de Filio Dei; ergo non est in Christo communicatio Idiomatum. *Antecedens Probatur*, Nam vna ex proprietatibus naturæ humanæ est, quod sit mutabilis; de Deo autem hæc prædicari non potest, cũ mutabilitas sit omnino repugnans Deo; ergo hæc propositio erit falsa *Deus est mutabilis*, aut *Christus est mutabilis*, atque adeò non erit Idiomatum communicatio.

Quarto. Hæc propositio est falsa *Deus est mortuus*; ergo non est communicatio Idiomatum. *Probatur Antecedens*, Nam si esset vera, etiam verificaretur hæc, *Deus mutatur*. Consequens est impossibile; ergo & Antecedens. *Probatur Sequela*. Quia mori est mutari de esse ad non esse; ergo si non potest dici de Deo quod sit mutabilis, nec etiam dici poterit quod sit mortuus.

Quinto. Si talis communicatio Idiomatum reperiretur in Christo, de illo verificarentur contradictoria, consequens est impossibile; ergo & Antecedens. *Sequela Probatur*. Nam de Deo verificari poterit, quod sit Viuens, cum sit Summa Vita; & etiam Verificari poterit, quod sit nõ Viuens, cum amiserit Vitam humanam, Viuens autem, & non Viuens sunt Contradictorij termini, cum non Viuens omninò neget Vitam. Item dici posset Christus corporeus, & incorporeus, quod negat *Sanctus Thomas infra Art. 8. ad 2.*

Pro Resolutione sit Prima Conclusio. Fides expressa est, quod ex Mysterio Incarnationis inter Deum, & hominem secuta fuerit vera, & propria communicatio Idiomatum. Hæc autem Idiomatum communicatio optimè explicatur à *Magistro Cabrera* in principio Commentarij, videlicet, quod non consistit in reali communicatione attributorum diuinorum facta humanitati, nec in reali communicatione prædicatorum humanitatis facta ipsi diuinitati, seu in Vnione naturarum, & proprietatum inter se, sed in eo quod propter Vnionem Hy-

Hypostaticam verè, & propriè prædicata divina, & humana in cõcreto sumpta prædicantur de eodem Supposito, & mutuo inter se. Sic definitum est in multis Conciliis, & est communis confessio Sanctorũ Patrum, vt constat ex *Suarez Disp.* 35. *Sect.* 1. Latius autem ista Conclusio Probatur à *Magistro Cabrera* in *Comment. huius Artic.* statim in principio.

Secunda Conclusio. Quidquid essentialiter convenit Deo, & omne attributum, quod de illo dicitur, & quidquid personaliter prædicatur de Filio Dei, prædicatur etiam simpliciter, & absolutè de hoc homine Christo, dummodo sit sine reduplicatione humanitatis. Hæc Conclusio ponitur ad maiorem explicationem præcedẽtis, & probatur exemplis. Nam de Christo dicitur, quod est Deus, quod est Æternus, quod est Sapiẽs, immo quod est genitus à Patre, quod pertinet ad prædicata Personalia: falsas autem esse omnes has prædicationes, si ponamus reduplicationem in quantum homo, quisque videbit.

Tertia Conclusio. De Filio Dei prædicatur homo, & quidquid essentialiter convenit homini, dummodo sit sine reduplicatione in quantum Deus, aut ratione Deitatis. Hæc Conclusio eadem ratione Probatur, atque præcedens.

Quarta. De Deo, aut de Christo non possunt prædicari absolutè prædicata illa, quæ homini conueniunt cum quadam appellatione formali, aut virtuali ad humanam naturam. Pro hac Conclusione facit Tertium Argumentum positum à principio, & breuiter Probatur. Nam si *Verbi gratia* dicamus, *Deus est mutabilis*, aut *Christus est mutabilis*, in tali propositione est appellatio virtualis illius modi mutabilitatis, qui est proprius naturæ humanæ, & applicatur subiecto, quod est Deus, vt Supposito Filij Dei, quando dicimus *Christus est mutabilis*; ergo sunt falsæ tales propositiones, & aliæ similes.

Quinta. De Christo Domino ratione duarum naturarum diuinæ, scilicet, & humanæ prædicari possunt opposita priuatiuè, non tamen opposita contradictoriè. Hæc probatur exemplis. Nam de Christo dicitur quod est Viuens, & quod est mortuus & etiam de Deo isti termini Verificãtur *Deus est Viuens*, & *Deus est mortuus*, eo quod priuatiuè tantum opponuntur, non autem dici potest, *Deus est Viuens*, & *Non Viuens*, aut *Christus est Viuens*, & *non Viuens*, quia isti termini cum opponantur contradictoriè ratione illius negationis, quæ ponitur in secundo termino, & sic ly *Mortuus* dicit negationem Vitæ determinatè, scilicet alicuius Vitæ absentiam, sed non Viuens distributiuè, id est omnis Vitæ absentiam, & fit sensus, quod Deus, aut Christus est nullam Vitam habens, neque diuinam, neque humanam, quod falsissimum est. Mortuum autem solum negat Vitam humanam pro aliquo determinato tempore.

Nec Valet Argumentum contra hoc, videlicet Mors est priuatio Vitæ, & consequenter negatio eius in subiecto apto nato; ergo ea ratione, qua Christus dicitur mortuus ratione humanitatis, poterit etiam dici non Viuens pro aliquo determinato tempore.

Hoc (inquam) *Non Valet*, Quia est magna disparitas, quamuis enim mortuum dicat priuationem Vitæ, & consequenter negationem in subiecto apto, non tamen dicit absolutam negationem, sed solum determinatam, videlicet humanæ Vitæ, quam exprimit ly *Mortuum* pro tempore determinato, in quo sensu negatur de Christo Vita humana pro aliquo tẽpore, quod est Verum. At ly *Non Viuens* ex modo suæ significationis negat omnem Vitam, & etiam pro semper, atque adeò verificari nequit de Deo, aut de Christo.

Quod Aliqua prædicata per communicationem Idiomatum de Deo dici non possint, ad quatuor genera, seu Classes reducuntur, scilicet, vel quia sunt repugnantia ad subiectum; vel quia sunt ambigua, & conueniunt cum modo loquendi hæreticorum; aut indifferentia, scilicet, quæ naturæ, & supposito conuenire possunt indifferenter, & cum hoc Supposito, scilicet diuino stare non possunt; vel quia important appellationem propter quam Supposito non conueniunt; aut tollunt eam rationem cuius conueniunt; aut denique quia extrahunt subiectum à ratione Vnionis media qua solum potest communicatio interuenire, & hoc, vel ratione modi prædicandi, vt quando abstractum de abstracto, &c. aut ratione prædicati, quod non conuenit Supposito diuino, sed naturæ vt ab eo distinguitur.

Soluuntur Argumenta.

Ad Primum in principio Respondetur, Quod

Quod prædicata diuina communicantur homini, non ratione alicuius doni accidentalis de nouo communicati humanitati, nec quia ei secundum se conueniant immediatè, sed ratione Vnionis Hypostaticæ, qua subsistit diuina Persona in duabus, & ex duabus naturis diuina scilicet, & humana ad modum explicatum in nostra Prima Conclusione.

Ad Secundum Respondetur Negando Sequelam, & ad Probationem Dico Disparem esse rationem in triduo, & extra triduum, quia Corpus solum est pars humanæ naturæ, atque adeò de Supposito diuino dici nō poterant quæ sunt Corporis, neque de Corpore ea quæ sunt Dei, videlicet Sapiēs, aut iustus, quia talium prædicationum est incapax ratione dicta.

Ad Tertium Respondetur iuxta doctrinam Quartæ Conclusionis. Quando enim prædicata dicunt aliquam appellationem formalem, aut virtualem naturæ humanæ conuenientem, non possunt dici de Deo, aut de Christo, sine reduplicatione naturæ humanæ, & talis est illa prædicatio mutabilitatis, quæ cum applicetur Supposito diuino in illa propositione *Christus est mutabilis*, falsa redditur.

Ad Quartum Respondetur Negando Antecedens, ad probationem autem Dico disparem esse rationem harum propositionū, *Deus est mortuus*, & *Deus mutatur*, aut *Est mutabilis* ratione diuersi modi significandi terminorum, qui ponuntur à parte prædicati; illud enim prædicatum Mortuus denotat mutationem factam in natura humana, secundum quam Deus amisit Vitam hominis, & ideò verificari potest de Deo homine; aliud autem prædicatum *Mutatus* ratione suæ significationis denotat mutationem factam in Supposito diuino, cui applicatur in hac propositione *Deus est mutatus*, atque adeò est falsa.

Ad Quintum iam Diximus in Quinta Conclusione, quod Contradictoria non possunt prædicari de Christo, benè tamen opposita priuatiuè, atque hæc propositio est vera *Deus est mortuus*, hæc vero falsa, *Deus est non Viuens*, quia ly *Non Viuens*, negat omnem Vitam, tam diuinam, quàm humanam, vt ibi latè Diximus. Illa autem prædicata, videlicet *Corporeum*, & *Incorporeum* ex doctrina *Sancti Thomæ* in *Art. 8. huius Quæst. Solut. ad 2.* non debent dici de Christo sine determinatione ratione ambiguitatis suppositis erroribus hæreticorum. Quare quando dicitur, *Christus est incorporeus*, quamuis non habere Corpus conueniat illi ratione diuinitatis, debet distingui scilicet *Ratione Deitatis*, ne conueniamus cū hæreticis Manichæis asserentibus, quod Christus non habet verum Corpus. Et similiter quamuis esse corporeum cōueniat Christo ratione humanitatis, quando dicitur *Christus est Corporeus*, etiam debet distingui, scilicet *Ratione humanitatis*, ne in modo loquendi conueniamus cum alijs hæreticis asserentibus Deum in se corporeum esse.

ARTICVLVS V.

Vtrùm ea, quæ conueniunt Filio hominis possint prædicari de diuina Natura; & de Humana ea quæ conueniunt Filio Dei?

Prima Conclusio. In Christo, quæ sunt Vnius naturæ, non possunt de altera prædicari, vt in abstracto significantur.

Secunda Conclusio. Nomina concreta, quæ ad vtramque naturam pertinent, indifferēter possunt prædicari de nominibus concretis, siue nomen de quo dicuntur vtramque naturam significet, vt nomen *Christus*, siue solam naturam humanam, vt *Iesus*, vel *Homo*, siue solam naturam diuinam, vt hoc nomen *Deus*, vel *Filius Dei*. Suppositis his, quæ præcedenti Articulo diximus de communicatione Idiomatum, solum restat in præsenti inquirere de Veritate Primæ Conclusionis; nam quidquid circa secundam occurrere potest, ex supra dictis planum erit.

Sit ergo

DV-

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm ea, quæ sunt Vnius naturæ possint prædicari de altera in abstracto?

Pars Affirmatiua Probatur Primo ex multis *Sanctis Patribus*, præcipuè ex *Sancto Augustino Libro de Fide ad Petrum Cap. 2. & ex 6. Synodo Generali Act. 11.* & ex Decretis Martini I. *Can.* 5. ex *D. Gregorio Nazianz. Orat. 42.* Qui Sancti Patres asserunt hanc propositionem *Deitas*, aut *Essentia diuina est Incarnata*; *est Concepta ex Virgine*, aut *Nata*; ergo eadem ratione dici poterit *Deitas est homo*, aut *Deitas est mortua.*

Secundo Arguitur. Nam hæc propositio est vera *Christus est humanitas, & diuinitas simul sumptæ*; ergo illa abstracta prædicari possunt de concretis. *Consequentia* est nota, & *Antecedens Probatur.* Quia Christus est Persona composita ex duabus illis naturis; sed omne compositum est suæ partes simul sumptæ; ergo illa propositio erit vera, *Christus est humanitas, & diuinitas simul sumptæ.*

Tertio. Hæc est Vera, *Christus est Deitas*; ergo abstracta prædicari possunt. *Consequentia Probatur.* Quia benè sequitur, *Filius Dei est Deitas*, sed *Filius Dei est filius hominis*; ergo *Filius hominis est Deitas*, & consequenter sua æquiualens etiam erit vera, *Homo est Deitas.*

Prima Conclusio. Natura diuina nequit prædicari de natura humana in abstracto, nec è conuerso, ita vt dicatur *Humanitas est Deitas*, aut *Diuinitas est humanitas.* Hæc Conclusio est de Fide, & apertè probatur. Quia in Mysterio Incarnationis simul cum Vnitate Personæ remanet distinctio naturarum, absque confusione, aut permixtione, vt latè probauit de Fide *Sanctus Thomas* supra *Quæst. 2. Art. 1.* Sed in illis propositionibus formaliter importatur confusio, permixtio, & indistinctio naturarum, cum ex *Sancto Thoma in Corp. huius Art.* habeamus, quod non potest aliquod prædicatum dici de subiecto, nisi sit idem cum illo; ergo secundum fidem propositiones illæ, in qua diuinitas de humanitate prædicatur, aut è conuerso falsæ erunt.

Secunda Conclusio. De Diuinitate in abstracto nequit prædicari *Homo*, aut eius proprietates, atque adeò istæ sunt falsæ, *Diuinitas est homo*; *Deitas est passibilis*, aut *Mortalis.* Probatur Conclusio. Quia istæ Prædicationes etiam denotant indistinctionem naturarum inter se, cuius oppositum Catholica Fides docet; ergo sunt falsæ. Ex his Conclusionibus sequitur etiam istã propositionem esse falsam, *Humanitas est Deus*, aut *Humanitas est immortalis*, aut *Æterna*, atque eodem modo ac suppositas repugnare Fidei, commune est inter Theologos.

Solum super est Difficultas inter Ipsos circa hanc propositionem *Homo est Deitas*, seu *Diuinitas*, nam quamuis in vero sensu concedatur à multis, præcipuè à *Magistro Medina* hic *Regula 3.* tamen est dissensio, An solum sit vera in sensu identico, An vero etiam in sensu formali? Pro luce tamen huius Aduertendum est, Quod hæc est differentia inter subiectum, & prædicatum in propositionibus, quod prædicatum dicit formam subiecti, & importat illam, quia afficit subiectum; at subiectum ipsum habet se vt materia respectu prædicati: ex quo oritur, quod proprium sit subiecti supponere pro materiali, & proprium sit prædicati supponere pro formali.

Deinde considerandum est, quod etiam subiectum aliquando supponit pro significato formali, quandoque vero pro materiali tantum, vt patet in his propositionibus, quando enim dicimus, *Album currit*, ly *Album* non supponit pro formali, sed solum pro materiali, cuius ratione conuenit *Cursus.* Quando verò dicimus, *Album est dispregatiuum Visus*, ly *Album* non supponit solum pro materiali, sed principaliùs pro formali, ratione cuius habet disgregare Visum.

Dico Igitur In Nostro Casu, Quod in hac propositione *Homo est Deitas*, quamuis ly *Homo* de formali significet humanitatem, tamen de materiali significat Suppositum diuinum, & supponit pro illo, secundum quam considerationem verè, & formaliter prædicabitur *Deitas* de illo, facit enim hunc sensum, *Verbum*, aut *Suppositum diuinum est Deitas.* Quia tamen communiter accipitur subiectum illud *Homo*, quatenùs formaliter importat humanitatem in concreto, dicendum videtur, quod talis propositio sit vera solum in sensu identico, & sic explicanda erit *Homo est Suppositum diuinum*, & *illud est Deitas*, aut *Res quæ*

est

est homo de materiali, est res, quæ est Deitas. A

Ex Dictis apertum manet multas esse prædicationes, quæ dici possunt de Christo, & non possunt affirmari de Filio Dei, nam de Christo affirmat Fides, quod est *Persona composita ex duabus, & in duabus naturis*: hæc autem non est propria, neque vera, *Verbum Dei, aut Filius Dei est Persona composita*: & tota diuersitas ortum habet ex diuerso modo significandi terminorum, & similiter supponendi, quam quidem optimè explicuit *Sanctus Thomas* hic in *Corp. Artic.* vbi ait, Quod Christus importat diuinitatem, & humanitatem, & non interest ex qua Christus substantia nominetur, atque adeò verè, & propriè prædicatur de illo, quod sit *Persona composita*. At hoc nomen *Verbum*, aut *Filius Dei* solum dicit formaliter diuinitatem in supposito, & ideò de illo affirmari nequit quod *Persona composita sit*. B

Sed Fortè Argues: Benè sequitur, Filius Dei est homo, sed ille homo est compositus ex duabus naturis; ergo etiam Filius Dei est compositus. *Respondetur*, Negando Consequentiam; est enim virtualis appellatio variata in illo termino *Compositum*, & ideò consequentia nulla est. C

Tertia Conclusio. Hæc Propositio, *Christus est humanitas, & diuinitas simul sumptæ*, non est propria, neque vera. De hac propositione latè tractat *Suarez Disput. 35. Sect. 2.* Vbi postquam dixit, quod si accipiatur diuisiuè est falsa (in quo verum affirmat, sic enim damnata est in Concilio Constantiensi *Sess. 12. & 15.* inter errores Vvicleph) vltimo dicit. Quod si subiectum huius propositionis sumatur pro Persona composita ex duabus naturis non est falsa. Contra hoc Diximus in nostra Conclusione semper esse falsam, & probatur. Nam etiamsi subiectum sumatur pro Persona composita, ita vt ex parte subiecti importetur ipsa natura humana, adhuc falsum erit dicere, *Christus est humanitas*, sicut est falsum dicere, *Hic homo est humanitas*, aut *Petrus est humanitas*, quia humanitas est res realiter distincta à Supposito, & vltra hoc est pars, atque adeò nequit verificari de toto. D E

Soluuntur Argumenta.

Ad Primum in principio *Respondetur*, Quod illi Sancti Patres ibi sumunt nomina abstracta pro concretis, nam etiam aliquando concreta pro abstractis accipiunt, vt patet in illis verbis citat. Augustini, & Ambrosij, *Tu ad liberandum suscepturus hominem*, id est, *Humanitatem*, atque adeò, cũ propositiones in sensũ identico sint veræ, non admodum curant aliquando de rigore Dialectico; benè tamen quando cõtra Hæreticos est necessitas disputandi. Illa autem propositio *Diuinitas est Incarnata* non est omninò constans ex tribus abstractis, nam illud nomen *Incarnata* concretũ est, & includit Personã Verbi, quæ idem realiter est cũ diuinitate, & ideò propositio illa est vera in sensu identico, in quo Sancti Patres vtuntur illa, vt docet *Sanctus Thomas infrà Quæst 35. Art. 1. ad 1.* & ibidem *Magister Medina*. In sensu autem formali, & in metaphysico rigore propositio non est vera, eo quod Vnio Hypostatica non fuit facta in natura, sed in Persona.

Ad Secundum Respondetur Negando Antecedens, & ad probationẽ Dico esse magnum discrimen inter compositionem entis physici naturalis, & cõpositionem repertam in Persona Christi Domini: nam in composito physico componentia habent se vt partes, quarum vna est potentia, & altera est actus, & ideò ex coniunctione materiæ cum forma humana conflatur vna humanitas, quæ in concreto prædicatur de Petro, & exinde verum est dicere, quod *Petrus est suæ partes simul sumptæ*, & similiter quodlibet aliud compositũ physicũ. At diuinitas, & humanitas respectu cõpositionis Personæ Christi non se habent vt partes (vt Dixianus supra *Quæst. 2. Art. 4.*) sed quælibet est ens actuale, & eatenùs de Christo dicuntur, quatenùs in concreto cõueniunt ad cõponendam vnã Personã Christi, quia vtraque natura subsistit in illo, de quo etiã in concreto prædicatur. Humanitas autem in abstracto, nec etiam prædicatur de Petro (vt diximus in 3. Conclus.) quia realiter distinguitur in illo natura, & subsistentia, & multo à fortiori nequit prædicari de Christo propter maiorem distinctionem subsistentiæ diuinæ à natura humana. Nec etiam erit vera si addatur *Humanitas, & diuinitas simul sumptæ*, quia particula illa *Simul* non dicit simultatem, qua illæ duæ

naturæ in concreto, & vt subsistētes in vna Persona, componunt ipsam, sed dicit simultatem naturarum in abstracto inter se ipsas, & ideò propositio nec vera, nec propria esse potest.

Ad Tertium Respondetur ex his, quæ diximus post secundam Conclusionem; hæc enim propositio *Homo est diuinitas* concedenda est in sensu identicō, eo quod ly *Homo* ibi supponit pro Persona Filij Dei. Nec est eadem ratio de alijs abstractis, & ideò non sunt aliæ prædicationes admittendæ, Verbi grat. *Deitas est homo, &c.*

Quod Si Arguas: Benè sequitur per conuersionem simplicem, *Homo est Deitas*; ergo *Deitas est homo*. Respondetur Negando Consequentiam, quia regula conuersionis simplicis intelligi debet, dummodo non cōmittatur defectus diuersæ applicationis significationis, aut interueniat diuersa suppositio, & sic contingit in præsenti, nam in hac propositione, *Homo est Deitas*, supponit ly *Homo* pro Filio Dei, de quo verificatur quod sit Deitas, vt diximus. At in hac propositione *Deitas est homo*, supponit ly *Deitas* pro formali significato diuinitatis, de qua verificari nequit quod sit homo, præcipuè cum ly *Homo* positus à parte prædicati stet pro formali significato humanitatis.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Hæc sit vera, Deus factus est Homo?

Conclusio Est Affirmatiua, & est expressa de Fide, vt patet ex loco adducto à *Sancto Thoma* in *Argumento sed Contra*, & ad *Rom.* 1. dicitur de Filio Dei, *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem*, & in Symbolo Nyzæno, *Et Homo factus est*, & ad Gal. 4. *Misit Deus Filium suum in Mundū factum ex muliere, factum sub lege*; & ex multis alijs locis.

Aduertendum Est Autem parum referre, si dicamus *Deus factus est homo*, aut *Deus est homo factus*, dūmodo *Factus* semper ponatur à parte prædicati, quia denotat factionē cōuenire ratione humanitatis, & in locis allegatis ly *Factus* ponitur in posteriori loco, *& Homo factus est*, *Verbum caro factum est*. Videte de hoc *Sanctum Thomam in* 3. *Dist.* 11. *Artic.* 2. *ad* 3. Pro maiori tamen luce Conclusionis sit

A

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm Conclusio Sancti Thomæ in rigore Sermonis sit vera?

Partem Negatiuam sustinet *D. Bonauent. in* 3. *Dist.* 7. *Art.* 1. *Quæst.* 2. vbi affirmat, Quod hæc propositio *Deus factus est homo* in proprietate, & rigore Sermonis non est vera. *Et probat hac ratione.* Nam si in rigore sumatur talis propositio, denotat quod subiectum illud, quod est factum homo sit mutatum; sed Deus, qui est subiectum huius propositionis impropriè dicitur mutatus; ergo etiam impropriè dicetur, quod sit factus homo. *Consequentia est nota*, & *Minor* communiter conceditur. *Maior verò Probatur.* Nam illa Propositio denotat, quod subiectum, quod est Deus incipiat esse tale, scilicet homo, post non esse tale, ergo denotat esse mutatum.

B

C

Confirmatur Primo. Quia si verè, & propriè dicitur *Deus factus est homo*; ergo cum eadem proprietate dicetur, *Deus factus est animal*, Viuens, Corpus, substantia, ens, immo quod sit factus absque aliqua limitatione, siquidem tenet consequentia ab inferiori ad suum superius affirmatiuè. At neutiquam concedi potest absolutè, quod *Deus sit factus*; ergo nec etiā concedi potest verè, & propriè, quod sit factus homo.

D

Confirmatur Secundo. Quia hæc Propositio conceditur absolutè *Deus non est factus*; ergo etiā hæc debet concedi *Deus nō est factus homo*. Probatur Consequētia. Quia tenet à superiori ad suū inferius negatiue, sicut si dicamus, *Non est animal*; *ergo non est homo.*

Secundo Arguitur, & est replica ad Solutionem *ad* 2. *Sancti Thomæ.* Deum fieri hominē est acquirere esse absolutū, & non relatiuum; esse enim hominem non est ad aliquid, sed de Prædicamēto substantiæ; ergo si esset verū dicere, quod *Deus factus est homo de nouo*, etiā dicetur acquisisse esse absolutū, & consequenter, quod verè sit mutatus; nam quod acquirit esse absolutū, & substantiale post nō esse verè mutatur; hoc autem nequit dici de Deo propriè; ergo nec etiā, quod propriè factus sit homo. Alia Argumenta videantur apud *Magistrum Cabrera* hic, sed tamen ex Solutione horum duorum omnia alia soluta remanebunt.

E

Conclusio. Propositio illa, *Deus factus*

est

est homo est vera in omni rigore, & proprietate Sermonis. Hæc est communissima inter Omnes Discipulos *Sancti Thomæ*, & probatur optimè ratione eius. Quia verissimè, & proprijssimè dicitur vnumquodque esse factum illud quod de nouo incipit prædicari de illo, quia est reuera tale de nouo; sed esse hominem verissimè, & proprijssimè prædicatur de Deo, vt diximus latè *Artic. 1. huius Quæst.* contra *Durandum*; ergo verissimè, & proprijssimè dicitur, quod *Deus factus est homo*.

Soluuntur Obiecta.

Ad Primum Respondisse fertur *Magistrum Victoria* quod verè, & propriè concedi poterat *Deum esse mutatum*, sicut verè, & propriè dicitur *De nouo genitus, aut passus*; & ratio eius erat, quia gigni est mutari de nõ esse ad esse, & mori est mutari de esse ad nõ esse. Addebat tamen verè posse concedi *Deum esse mutatum*, non quia in se ipso mutaretur, sed dicebatur mutari per communicationem Idiomatum.

Hæc Tamen Solutio non est admittenda, eo quod Sãcti Patres absolutè, & sine addito concedunt, hanc *Deus est mortuus*, aut *Genitus*, alterã autem, *Deus est mutatus*, nunquã sine addito illam affirmant, & ratio discriminis debet fundari in eo, quod *S. Thomas* affirmat hic *Solut. ad 2.* Quod cum esse hominẽ prædicetur de Deo ratione Vnionis, quæ in ipso Deo intrinsecè tantũ ponit relationẽ, eamque rationis, & in humanitate relationem realem, atque adeò tota mutatio se teneat ex parte humanitatis, nunquam cõcedi debet absolutè, & sine addito, quod *Deus est mutatus*. Mori autem cum solum dicat priuationẽ vitæ, & reuera fuerit amissio vitæ humanæ in Christo, verè dicitur *Mortuus*. Et etiã *Gigni*, quod nihil aliud est, quã naturam humanam produci in supposito, siue illud suppositũ sit de nouo etiam productum, vt cõtingit in nobis, siue sit antiquum, & de nouo communicetur tali naturæ, vt cõtingit in Mysterio Incarnationis.

Quare Recte dicitur à *Sancto Leone*, & ab aliis Sanctis Patribus, quod assumptio tribuit vltimum complemẽtum generationi Christi, & etiam creationi animæ eius, quia per assumptionem communicatur naturæ humanæ esse subsistentiæ, & existentiæ diuinũ loco propriæ existentiæ, & subsistentiæ, ad quas terminabatur generatio, & creatio animæ. Videatur pro maiori luce huius differẽtiæ Regula *S. Thomæ Quæst. 29. de Verit. Artic. 1. ad 1.* Vbi ait, Quod cum in creatis quædam res conueniant ratione naturæ, & aliæ ratione suppositi, vel ratione ipsius esse, quod est propriũ suppositi, quando hæc ad Christum transferuntur, illa quæ Supposito conueniunt ratione naturæ humanæ, de illo simpliciter dicũtur; ea vero quæ nata sunt conuenire ratione suppositi, nõ nisi cum addito. Vnde cum *Mutari* sit fieri de non esse ad esse, quod est propriũ suppositi, absolutè nõ dicitur de Deo. *Mori* verò, vel *Gigni* temporaliter dicunt mutationem ex parte naturæ, prout scilicet alterum importat formam aduenire naturæ, alterum verò recedere ab ea, quod est naturam constitui, vel dissolui, & ideò absolutè prædicari possunt de Deo.

Quod Si Rursus Arguas: Quia tam *Gigni*, quàm *Mori*, *Mutari*, aut *Creari*, est suppositi vt *Quod*; ergo sicut hoc non obstante dicitur *Deus genitus*, & *Mortuus*, sic etiam dicetur *Factus*, & *Mutatus*.

Respondetur Antecedens verum esse, sed tamen diuersimodè, si attẽdamus ad primam radicem, vnde hæc conueniunt supposito; quædam verò cõueniunt ratione essentiæ, qua constituitur natura, alia verò ratione existentiæ, quæ est actus suppositi.

Ad Confirmationem Respondetur Negando Consequentiã quo ad vltimas partes per propositiones absolutas; licet enim verum sit, quod fiat homo de nouo, & animal, immo substantia, & ens, quod est homo, tamẽ absolutè nequit concedi, *Deus factus est substãtia*, aut *Factus est ens*. Vnde quãuis illa Consequentia videatur tenere ab inferiori ad suum superius affirmatiuè, virtualiter tamẽ negatiuè, propter imbibitam negationem in termino à quo; fit enim homo ex non homine, & substantia ex non substantia, & ens ex non ente; quare istæ vltimæ falsæ sunt. Habet ergo defectum consequentia illa à distributione inferioris ad distributionem superioris virtualiter: quando enim dicitur *Fit homo*, significat, quod *Ante non erat homo*, & quando dicitur, *Fit substantia*, aut *Ens*, denotatur quod ante *Non erat substantia*, neque *Ens*.

Ad Confirmationem Secundam Respondetur Consequentiam illam non tenere à superiori ad suum inferius negatiuè, sed à dicto simpliciter ad secundum quid negatiuè, quæ est mala consequentia, sicut si diceremus, *Homo non sit simpliciter*, quan-

do iam antea erat in rerum natura ; ergo *Non Fit doctus*, aut *Non fit musicus*, si de nouo accipit doctrinam, aut muſicam, negatur conſequentia.

Ad Secundum Reſpondetur Negando Maiorem, Quia recipere eſſe abſolutum dupliciter contingere poteſt: Vno modo, ſubiectiuè, altero modo terminatiuè. Primũ eſt acquirere eſſe in materia per tranſmutationem ipſius ſubiecti. Secũdum autem eſt acquirere eſſe in Perſona, aut Perſonam acquirere illud eſſe. Et eſt magnum diſcrimen inter vtrumque, quia acquirere eſſe ſubiectiuè dicit mutationem in ſubiecto ipſo, quod per trãſmutationẽ ſui tale eſſe acquirit: at acquirere eſſe terminatiuè non dicit mutationem in ſubiecto terminante, ſed in natura terminata. Sic ergo in Myſterio Incarnationis Dicimus quod Verbũ Diuinũ ab æterno præexiſtẽs de nouo fieri hominẽ, aut acquirere eſſe humanũ (quod quidẽ eſt eſſe abſolutum, & non mera relatio) nõ eſt mutari in ſe ipſo, quia nõ fit homo per trãſmutationem Perſonæ, ſed ſola terminatione naturæ humanæ incipiendo de nouo ſubſiſtere in illa; tota vero mutatio ſe tenet ex parte naturæ humanæ.

Si Autem Adhuc Inſtes: Quia denominatio ab humanitate eſt realis, & abſoluta, & à forma ſubſtantiali; ſed omnis denominatio abſoluta, & ſubſtantialis nequit alicui aduenire ſine reali mutatione ipſius; ergo fieri hominem nequit Deo aduenire abſque ipſius mutatione.

Reſpondetur ex doctrina *Sancti Thomæ hic Solut. ad 2. & Art. 1. huius Quæſt. Solut. ad 4.* Quod quando forma ſubſtantialis eſt abſoluta, & denominat per modum abſoluti, ſemper infert mutationem in ſubiecto denominato, quia etiã ſuppoſitum talis naturæ fit de nouo. Si autẽ non denominet per modum abſoluti, ſed per modum relatiui, non infert mutationem in ſubiecto denominato, & ſic contingit in Myſterio Incarnationis. Sicut enim aliquis fit dexter per ſolam mutationẽ eius, qui fit illi à ſiniſtris, ita etiam Filius Dei factus eſt homo terminando naturam humanam per ſolam mutationem eius, quæ de nouo vnitur illi in Perſona. Tunc vero denominat natura humana abſolutè quando fit in proprio ſuppoſito ſibi connaturali per tranſmutationem eius, & perficiendo illud. Suppoſitum autem diuinum, cum antea fuiſſet, nec ab humanitate perficiatur, non denominatur niſi ad modum relatiui.

ARTICVLVS VII.

Vtrùm Hæc ſit vera, Homo factus eſt Deus?

Prima Concluſio. Si participium *Factus* accipiatur, ita vt determinet abſolutè ſubiectum, vel prædicatum illius propoſitionis, tunc eſt falſa hæc propoſitio, *Homo Factus eſt Deus.* In quo ſenſu etiam hæc eſt falſa, *Deus Factus eſt homo*, non autem quæritur in præſenti in tali ſenſu de iſtis Propoſitionibus.

Secunda Concluſio. Si ly *Factus* determinet compoſitionem, ita vt ſit ſenſus, *Homo Factus eſt Deus*, id eſt, *Factum eſt, vt homo ſit Deus*, ſic vtraque propoſitio eſt vera: ſed non eſt iſte proprius ſenſus iſtarum propoſitionum.

Tertia Concluſio. Si propoſitio illa accipiatur in ſenſu proprio, quatenùs participium *Factus* ponit fieri circa hominem in reſpectu ad Deum, ſicut ad terminum factionis, ſic illa propoſitio *Homo Factus eſt Deus* eſt falſa.

DVBIVM VNICVM.

De Veritate Prædictæ Propoſitionis.

Partem Affirmatiuam tenet *Scotus in 3. Diſt. 7. Quæſt. 2.* & in fauorem illius primo Arguitur. Quia hæc propoſitio *Homo Factus eſt Deus*, nihil aliud ſignificat, quam quod per diuinam actionem *Factum ſit vt homo ſit Deus*; ſed ſenſus iſte veriſſimus eſt; ergo & illa propoſitio.

Secundo Arguitur, Benè ſequitur per conuerſionem ſimplicem, *Deus Factus eſt homo*; ergo *Homo Factus eſt Deus*, ſed antecedens eſt verum, vt patet ex reſolutione *Art. Præced.* ergo & conſequens.

Concluſio. Illa propoſitio, *Homo Factus eſt Deus* abſolutè eſt falſa. Hanc tradit *Sanctus Thomas* in præſenti, immo & *D. Cyrillus Lib. de Incarnatione Vnigeniti Cap. 11.* Vbi ait, Dicimus Deum factum eſſe hominem, non tamẽ hominem factum eſſe Deum. *Et Probatur*, Quia vt dicit *Sanctus Thomas in hoc Art. Solut. ad 4.* ſubiectũ in propoſitione acci-

accipitur materialiter, prædicatum verò formaliter; vnde sensus illius propositionis est, suppositum quod est homo, quod est idem cum supposito, quod est Deus, de nouo accipit Deitatem; sed iste sensus est hæreticus; ergo propositio ad minus est falsa. *Probatur Maior.* Quia casu quod modo Petrus accipiat albedinem de nouo, ideò hæc propositio erit falsa, *Hoc album factum est Petrus*, quia denotat factionem conuenire supposito, non ratione formæ subiecti, sed ratione formæ prædicati, aliàs enim propositio esset vera, sicut in eodem casu, hæc est vera *Petrus factus est albus*, quia denotat factionem conuenire Petro ratione formæ prædicati.

Secundo Probatur Conclusio. Quia benè sequitur, *Hic homo factus est Deus, sed hic homo est Filius Dei, ergo Filius Dei factus est Deus.* Consequens est hæreticum; ergo & Antecedens est falsissimum; non pro Minori; ergo pro Maiori.

Ad Primum Argumentum Respondetur sensum propositionis ibi relatum non esse proprium eius, sed potius quod Suppositum diuinum sit de nouo factum Deus, quod est falsissimum.

Ad Secundum Respondetur Negando, Quod illa consequentia teneat per conuersionem simplicem, neque enim fit in illa subiectum de prædicato, neque prædicatum de subiecto, quia subiectum antecedentis est *Deus*, & prædicatum est *Homo factus*: in consequenti verò non ponitur pro subiecto *Homo factus*, sed *Homo* tantum, & pro prædicato non *Deus factus*, sed *Deus* tantum, & ideò consequentia est nulla. Illa ergo propositio, *Deus factus est homo* sic conuertitur simpliciter, *Id quod est factum homo est Deus*, sicut hæc propositio, *Petrus factus est albus*, non conuertitur simpliciter per istam, *Album factum est Petrus*, hæc enim (vt diximus) falsa est, sed per istam, *Id quod factum est album est Petrus.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrùm ista Propositio sit vera, Christus est Creatura?

Conclusio. Prædicta Propositio non est absolutè concedenda, sed cum determinatione, aut limitatione, scilicet secundum naturam humanam. In præsenti Artic. communissimum est apud Theologos hanc propositionem *Christus est creatura* nullatenùs esse concedendam absolutè, ne in modo loquendi conueniamus cum Arrianis hæreticis, quare circa hoc sit

DVBIVM VNICVM.

An Prædicta Propositio sit vera in proprietate, & rigore Sermonis; An vero solum sit vitanda propter Hæreticos?

Circa hoc Dubium *D. Bonauent. in 3. Dist. 11. Art. 2. Quæst. 1. in Solutionibus Argumentorum* (& *Scotus* ibidē probabile iudicat) & *Vualdensis*, vt refert *Suarez in Comment. huius Art.* tenent quod talis propositio, *Christus est creatura* in omni rigore, & proprietate Sermonis est vera. Idem sentit *Vazquez Disp. 65. Cap. 2.* & pro hac sententia etiam refertur *Caietanus*, sed immerito, quia non tenet illam.

Pro Ea Tamen Primo Arguitur ex illo Isaiæ 45. *Ego Dominus creaui eum.* Sermo autē est de Christo, & de illo affirmatur sine addito, quod creauerit illum Dominus; ergo secūdū se talis propositio est vera. Item in *Epist. Sophronij*, quæ est in *Concil. VI. Generali Act.* 11. sæpè vocatur Christus Dominus absolutè *Creatus*, & *Increatus*, potest ergo absolutè, & in rigore Sermonis vocari creatura.

Secundo Arguitur Authoritatibus Sanctorum. Nam vt refert *Suarez in Comment. huius Artic.* multi Sancti Patres videlicet *D. August. D. Ambros. D. Leo, Gregorius Magnus, Gregorius Nazianz. Fulgentius, & Damasc.* locis ibi citatis docent Christum esse creatum, aut creaturam; ergo absolutè sic est tenendum attendendo ad rigorem

sermonis. *Vazquez* etiam latè adducit *loco supra cit.* sex Authoritates Sanctorum, qui hoc ipsum videntur affirmare.

Solet His Authoritatibus Responderi Primo, Quod isti Sancti Patres, nomine *Creaturæ*, aut *Creationis* intelligunt Conceptionem, seu generationem Christi. *Secundo* cũ *Sancto Thoma Solut. ad* 1. Quod debet subintelligi illa determinatio, videlicet *In quãtum homo*, quia cum loquantur circa subiectam materiam de Verbo scilicet diuino subsistente in vtraque natura, quamuis non dicant expresè Christum esse creaturam ratione naturæ humanæ, id tamen subintelligi debet, vt constat ex antecedentibus, & subsequentibus.

Sed Contra Hoc Est, Quia *D. Hieronymus* super verba Isaiæ relata in primo Argumẽto sic dicit, *Nos liberè proclamamus non esse periculum illum dicere creaturam, quia creari in sacris Scripturis interdum significat fieri quod non erat, interdum id quod erat transferri in aliud esse*, vt Psalm. 50. dicitur, *Cor mundum Crea in me Deus*, & ad Ephes. 2. *Creati in operibus bonis*; ergo secundum Sententiam *D. Hieronymi* absolutè, & sine addito concedi debet ista propositio *Christus est creatura.*

Confirmatur Primo, Quia *Sanctus Thomas in Corpore Art.* docet, Quod ideò debet negari illa propositio, *Christus est creatura*, ne in modo loquendi conueniamus cum Arrianis Hæreticis; ergo sentit quod talis propositio in rigore Sermonis sumpta est vera, & solummodo Vitanda propter Hæreticos.

Confirmatur Secundo. Quia *Sanctus Thomas* eodem modo loquitur de hac propositione *Christus est creatura*, atque de illa *Christus est incorporeus* in *Solut. ad* 2. Sed illa *Christus est incorporeus* absolutè est Vera, & solum Vitanda propter Manichæos; ergo similiter dicendum est de altera *Christus est creatura.* Item, Quia Sanctissimus Præceptor eodem modo etiam loquitur de hac propositione *Christus est creatura*, & de hac *Christus est subiectus Patri*, sed hæc absolutè conceditur sine aliqua determinatione; ergo altera similiter concedi debet. *Tandem Art.* 10. *Sequẽt. ad* 1. ait, Quod nomen *Creatura* prædicari potest de naturis, & de suppositis; ergo in hac propositione *Christus est creatura* accipi potest, vt prædicetur de natura humana Christi, atque adeò in rigore Sermonis erit Vera.

Tertio Arguitur. Proprietates, quæ conueniunt naturæ humanæ in concreto, & prædicata essentialia eius absolutè, & sine determinatione prædicari possunt de Christo, immo & de ipso vniuocè dicuntur, & de nobis; ergo hæc propositio absolutè est concedenda *Christus est creatura.* Antecedens Probatur. Quia sine addito aliquo conceduntur istæ, *Christus est animal rationale*, & *Christus est risibilis*, &c. Consequentiam autem probo. Quia esse creaturam essentialiter conuenit naturæ humanæ in concreto, eo quod essentialiter conuenit homini esse substantiam creatam.

Quarto Arguitur. Quia natura humana Christi dicit relationem realem ad Deũ vt Creatorem; ergo ex tali relatione Christus dicetur absolutè creatura. *Antecedens est notum*, & *Consequentia Probatur.* Nam ex eo, quod est relatio similitudinis inter naturam humanam Christi, & nostram dicitur nobis absolutè similis; ergo similiter ratione relationis, quam dicit natura Christi humana ad Creatorem dicetur simpliciter creatura.

Pro Resolutione Notandum est, Quod quando ens diuiditur prima sui diuisione in ens creatum, & increatum, nomine *Entis increati* intelligitur, quod habet taliter esse per essentiam, quod non habet illud per participationem, & è contra, *Ens creatum* est illud, quod taliter habet esse ab alio per participationem, quod nullo modo habet esse per essentiam. Hoc supposito sit

CONCLVSIO.

Hæc Propositio *Christus est creatura* non solum debet negari ne conueniamus cum hæreticis in modo loquendi, sed etiam quia in se est falsa. Hanc sustinet expresè *Sanctus Thomas in* 3. *Dist.* 11. *Quæst.* 1. *Art.* 2. & *Quæst.* 29. *de Verit. Art.* 1. *ad* 1. & 4. *Contr. Gent. Cap.* 48. In quibus locis etiam adducit rationes pro illa, & eam satis insinuat *in hoc Articulo*, dum ex communi vsu nominum docet eam esse negandam. Sequuntur *Sanctum Thomam* communiter eius Discipuli, inter quos est *Magister Medina* in præsenti, & *Magister Vincentius* in sua *Relect. Pag.* 896.

Et Probatur Primo. Quia quando prædicatum aptum est conuenire indifferenter toti, & parti, si solum conueniat parti, non potest prædicari simpliciter, & absolutè de toto sine determinatione aliqua; sed esse crea-

creaturam potest conuenire indifferenter, & toti, & parti, scilicet suppositio, & naturæ; ergo cum solum conueniat in Christo naturæ humanæ, non poterit absolutè, & simpliciter prædicari de toto, sed cum determinatione aliqua, videlicet ratione humanæ naturæ. *Consequentia est bona, & Minor satis nota.* Maior autem explicatur Notando quid sit indifferenter cõuenire suppositio, & naturæ, scilicet conuenire suppositio ex aliqua ratione ipsius naturæ, seu inuenta in natura, aut ex aliquo actu, seu ratione inuenta in ipso suppositio, vt suppositum est, seu ad ipsum consecuta, qualia sunt prædicata transcendentia, quæ vtrique cõueniunt. Sic autem explicata ostenditur à *Sancto Thoma* exemplo Æthiopis, qui non potest dici absolutè *Albus*, sed cum limitatione, scilicet *Secundum dentes*, eo quod esse album vt sic, & conuenire potest toti, & parti, & de facto in Æthiope non reperitur in toto, sed solum in parte. Similiter ergo quia esse creaturam potest conuenire suppositio vt sic, & etiam naturæ, quia in Christo de facto non conuenit suppositio, sed soli naturæ, ideò nequit concedi absolutè, sed cum determinatione *In quantum homo.*

Et Confirmatur Hoc Argumentum. Quia hoc nomen *Creatura* (vt Dicebamus in Notabili) transcendens est naturam, & suppositum, & significat illud, quod taliter habet esse ab alio per participationẽ, quod nullo modo habet esse à se ipso per essentiam; ergo quando cadit supra naturam, & suppositum, sicut in hac propositione *Christus est creatura*, significat quod Christus, natura scilicet, & suppositum, taliter habent esse ab alio per participationem, quod nullum illorum habet esse à se per essentiam: hoc autem est falsissimum, cum Suppositum sit diuinum, & consequenter habeat esse à se ipso; ergo Propositio absolutè prolata in rigore Sermonis falsa est.

Hoc Argumentum Secundum se magnum est, sed præcipuè habet vim contra *Suarez*, qui in præsenti asserit, quod si accipiatur *Creatura* pro hoc quod est *Fieri ex nihilo*, debet negari illa propositio, *Christus est creatura*, si vero (vt Ipse existimat) accipiatur pro eo quod Factum est, siue per creationem, siue quomodocumque hac ratione potest concedi, *Christus est creatura*, quia Christus formaliter significat suppositum sub ratione naturæ humanæ. *Contra hunc ergo Authorem Dicimus* maius habere robur rationem nostram, quia Ipse *Artic. Sequent.* ait, hanc propositionem *Christus incipit esse* negari debere absolutè propter negationem, quam includit Verbum *Incipit*, ratione cuius sit sensus, quod *Christus aliquando non fuit*; sed etiam nomen *Creatura* includit negationem ratione cuius sit sensus, quod Christus non habet esse à se; ergo similiter est absolutè neganda.

Soluuntur Obiecta.

Ad Primum Argumentum Respondetur ex *D. Hieronymo*, quod *Creari* ibi non accipitur in rigurosa acceptione Creationis, qua significat fieri ex nihilo, sed larga quadam acceptatione, & impropria, quatenùs dicitur fieri aliquid de nouo ratione alicuius partis, vt contingit in præsenti, vbi sola natura humana de nouo fit, & ratione illius dicitur Christus Creatus; hæc autem est acceptio impropriè Vocis, vt patet ex Psalm. 50. *Cor mundum crea in me Deus*, & ad Ephes. 2. Vbi qui iustificantur, dicuntur *Creati in operibus bonis.* Non potest tamen intelligi propriè de Creatione, præcipuè quia in *Sacra Scriptura* multoties hoc nomen *Creari* accipitur impropriè, vt patet Ecclesiastici 24. Vbi dicit Sapientia increata de se ipsa, *Qui creauit, & Ab initio, & ante sæcula creata sum*, de cuius loci intelligentia videatur *Sanctus Thomas* 1. *Part. Quæst.* 41. *Artic.* 3. *ad* 4. *& Magist. Bañez* 1. *Part. Quæst.* 27. *Art.* 1. *Dub.* 1. *ad* 2.

Deinde potest Responderi secundo ad Locum Isaiæ, quod licet non ponatur ibi expressè determinatio illa, scilicet *In quantum homo*, ponitur tamen sub intellecta, & colligitur apertè ex Verbis antecedentibus; præmiserat enim Propheta, *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*, id est, Nascatur Christus ex Virgine, & postea subditur, *Ego Dominus creaui eum*, scilicet secundum quod ex terra germinauit. His duabus expositionibus Respondetur etiam ad locum ex Epistola Sophronij, & ad alia loca Sanctorum, quos adducit *Suarez*, vbi supra in fauorem suæ sententiæ.

Ad Secundum Argumentum Respondetur Solutiones ibi datas esse optimas, & intelligendos esse Sanctos Patres, quod subintelligunt semper *In quantum homo*, iuxta dicta à Nobis in Secunda Solutione ad Primum. Quibus Solutionibus etiam satisfit

Au-

Authoritatibus Sanctorum Patrum, quos adducit *Vazquez* vbi supra.

Ad Replicam verò ex *D. Hieronymo* Respondetur intelligendum esse iuxta primam Solutionem primi Argumenti, patet enim ex ipsis verbis *D. Hieronymi* ibi non loqui de rigurosa creatione prout significat *Fieri ex nihilo.*

Ad Primam Confirmationem Respondetur, Quod *Sanctus Thomas* duplici titulo ait negandam esse illam propositionem, *Christus est creatura.* Tum ne conueniamus cum Arrianis Hæreticis, quod sufficiebat. *Tum* etiam quia secundum se falsa est, si in rigore Sermonis sumatur. Quod apertè colligitur ex fine Corporis Articuli, vbi adducit ad hoc explicandum exemplũ Æthiopis qui nõ potest dici absolutè *Albus*, benè tamen cum addito, scilicet *Secundum dentes*, quia solum secundum illam partem habebat albedinem, atque adeò cũ esse creaturam possit conuenire indifferenter, & Supposito vt sic, & etiam Naturæ, & in Christo solum conueniat ratione naturæ, non potest ve è denominari absolutè, *Christus est creatura.* Ecce ergo quomodo vtrumque dixit Sanctus Thomas. *Et 4. Contr Gent. Cap* 48. nulla facta mentione de periculo conueniendi cum hæreticis, si alleramus talem propositionem, ait absolutè esse falsam, & non esse absolutè concedendam, sed cum determinatione *In quantum homo.*

Ad Secundam Confirmationem Respondetur Sanctum Thomam eodem modo loqui de illis propositionibus quantũ ad aliquid, ad quod adducit in exemplum, quod non debet tenere in omnibus, non tamen eodem modo loquitur absolute. Illa enim propositio *Christus est incorporeus* solum negatur, ne in modo loquendi conueniamus cum Hereticis Manichæis, non tamen quia in rigore Dialectico sit falsa, sicut hæc propositio *Christus est creatura.* Ratio autem exemplo consistit in hoc, quod *Sanctus Thomas* adduxit illam propositionem, *Christus est incorporeus* tanquam instantiam illius propositionis maioris adductæ in Argumento Secundo, qua dixerat quod proprietates vtriusque naturæ possunt prædicari de Hypostasi, & Respondet *Sanctus Thomas*, quod istæ proprietates prædicantur absolutè, nisi quando prædicata dubitationem habent circa alteruram naturam: tunc enim solum cum determinatione sunt concedendæ propter periculum cõueniendi cum hæreticis. Et adducit exemplum illius propositionis *Christus est incorporeus*, & quantum ad hoc tenet exemplum inter hanc propositionem, & aliam, videlicet *Christus est creatura*, hanc tamen vltimam, non solum propter tale periculum negandam asseruit absolutè, sed etiam quia prædicatum importat aliquid repugnans Supposito diuino; & in hoc non tenet exemplum.

Ad Illud autem quod in eadem confirmatione tangitur secũdo loco de hac propositione, *Christus est subiectus Patri*, Respondetur, Quod in illo loco citato affirmat *Sanctus Thomas*, quod tam in hac propositione *Christus est subiectus Patri*, quàm in illa *Christus est creatura*, semper est determinatio subintelligenda *In quantum homo*, quamuis expresè non apponatur, quare conuenientius est apponere, atque adeò sine tali determinatione subintellecta neutra propositio potest concedi.

Ad Vltimum Locum, qui ibidem tangitur, quod cum hoc nomen *Creatura* conuenire possit & naturæ, & supposito, poterit in Christo prædicari de natura præcisè, non autem transferti debet ad suppositum, cui repugnat, nisi fiat cum determinatione dicta, *In quantum homo.*

Ad Tertium Argumentum Respondetur, Quod omnes proprietates, & prædicata essentialia naturæ humanæ dici possunt de Christo absolutè, & absque determinatione aliqua, quando non important aliquid repugnans ipsi Supposito diuino, sed tensus propositionum est ita manifestus, quod prædicata illa conueniant suppositio ratione naturæ humanæ, quod non sit necessarium id explicare in propositione, quia hoc exprimitur in ipso modo significandi terminorum fundato in ipsis rebus. Esse autem *Creaturam* denotat quod Suppositum Christi, cui applicatur non habeat esse essentialiter, sed per participationem, atque adeò absolutè non est concedenda, sed cum determinatione, scilicet *Ratione naturæ humanæ.*

Et Obiter Notandum Est, de hac propositione, *Deus est in Prædicamento*, quæ est falsa, etiam per communicationem Idiomatum, quia per prædicatum importatur aliquid repugnans subiecto, scilicet esse finitum, & circumscriptum, quod est esse in prædicamento, & licet hæc sit vera *Christus est in Prædicamento* id tamen est ratione naturæ importatæ in illo nomine, ratione

cuius

cuius Christo conuenit in prædicamento esse. Si verò non importetur ipsa natura in termino illo *Deus*, vt non importatur, iam non habet ratione cuius ei conueniat esse in prædicamento, & sic non eodem modo fit appellatio, sed cadit tunc prædicatum immediatè super Deum ratione naturæ importatæ per illum terminum, cum esse in prædicamento semper dicatur de termino ratione naturæ in illo importatæ. Non est sic de ista *Deus moritur, &c.* quæ supposito vt sic conuenit, etiamsi in termino non importetur natura ratione cuius conuenit, & sicut hæc est falsa *Deus est Persona composita*, quia non significat duas naturas ratione quarum est compositio, hæc tamen vera, *Christus est Persona composita*, quia eas importat, ita & hæc *Deus est in prædicamento* est falsa, quia importat naturam ratione cuius ponatur in prædicamento: hæc tamen est vera, *Christus est in prædicamento* ratione naturæ prædicamentalis importatæ. Denique in ista *Deus est in prædicamento*, vel *Christus*, vel *Iste homo*, ex parte prædicati importatur terminus secundæ intentionis, atque adeò appellatio proprij conceptus sub conceptu hominis, vel Dei.

Ad Quartum Respondetur concesso antecedenti, Negando Consequentiam, Quia cum illa relatio humanitatis fundetur in eius reali mutatione, qua mutata fuit de nõ esse ad esse, hoc sufficit, vt cum addito, scilicet ratione naturæ humanæ dicatur *Christus creatura*, non tamen absolutè. Nec est simile de relatione similitudinis in natura, quã Christus habet nobiscum, quia eo ipso quod nobis dicatur similis, explicatur quod est secundum naturam humanam, atque adeò idem est, atque apponere determinationem *In quantum homo*.

ARTICVLVS IX.

Vtrùm Hæc sit vera Hic homo (*demonstrato Christo*) incipit esse?

Conclusio est Negatiua. Circa Articulum istum, suppositis his, quæ *Art. Præcedenti* Diximus, parua potest insurgere Dubitatio, quia sicut hæc propositio *Christus est creatura* absolutè negatur, eo quod denotat taliter A Christum habere esse ab alio, quod non à se, ita etiam hæc, *Christus incipit esse*, aut *Iste homo* (demonstrato Christo) *incipit esse*, quia hoc Verbum *Incipit* denotat, quod *Christus*, aut *Iste homo* nunc est, & immediatè antea non fuerat, absolutè est neganda, quidquid in oppositum dicat *Scotus in* 3. *Distinct.* 11. *Quæst.* 3. & *Durandus* ibidem *Quæst.* 3. qui asserit esse æquiuocam istam propositionem, & in aliquo sensu etiam esse veram.

B *Istis Tamen* temporibus *Vazquez Disp.* 67. *Cap.* 3. ait has propositiones esse falsas, *Verbum, Deus*, aut *Emanuel incipit esse*, quia subiectum supponit in illis pro Persona Filij Dei, de qua nequit verificari, quod incipiat esse *Cap autem* 4. ait hanc, *Christus incipit esse*, aut *Hic homo incipit esse*, censendas esse absolutè veras. Totum vero Fundamẽtum eius est, quod ly *Hic homo*, aut ly *Christus*, & possunt supponere pro Supposito, &

C possunt etiam supponere pro natura, quæ reuera incipit esse, & in istis vltimis propositionibus supponit pro natura; atque adeò sunt absolutè veræ.

Hoc Autem Falsissimum est, & valde alienum ab homine in Summulis mediocriter perfecto, nomina enim posita à parte subiecti, si concreta sunt, nunquam supponunt pro natura, sed semper pro supposito, & vt plurimum pro supposito connotando naturam. Quamuis ergo ly *Homo* de formali significet naturam humanam, aut nomen *Christus*, semper tamen supponit pro

D Supposito diuino, atque adeò de illo absolutè, & sine determinatione *In quantum homo* nequit illud prædicatum dici, sicut nec de hoc nomine *Deus*, quia est in vtroque nomine ratio repugnantiæ ex parte subiecti pro quo supponit.

Notandum Etiam est circa hunc Articulum, quod Sapientissimus *Magister Vincentius* in sua *Relect. Pag.* 894. concedit, &

E defendit hanc propositionem esse verã *Christus fit*. Sed certè oppositum est verissimum, & apertè colligitur ex doctrina *Sancti Thomæ*, tam in *hoc Art.* quàm *Art.* 7. *Præcedenti*. Et Probari potest primo, quia cum resolui debeat ad modum termini connotatiui, eadem proprietate qua diceretur, *Christus fit*, dici posset, *Hoc fit*, & *Hoc est Christus*; ergo *Christus fit*. Prima autem resoluens clarè patet quod sit falsa; denotat enim quod Christus significatus illo pronomine *Hoc* taliter modo fit, quod antea non fuisset, quod falsum est.

Se-

Secundo Probatur Idem, Quia si in rigore, & proprietate Sermonis concedenda est hæc propositio *Christus fit*; ergo cum eadem proprietate concedi deberet, quod Christus acquisiuit esse, vel per primum sui esse, vel per vltimum non esse, & consequenter vel quod Christus nunc est, & immediatè ante non erat, vel quod Christus nunc non est, & immediatè post hoc erit, atque adeò absolutè cõcedi deberet, quod Christus incipit esse, cum ergo hanc neget *Sanctus Thomas* in *hoc Artic.* salua eius doctrina nequit altera absolutè concedi, videlicet *Christus fit*.

Confirmatur. Quia si hæc propositio *Christus fit*, fuit aliquando vera absolutè, & in rigore Sermonis; ergo propositio de præterito ei correspondens erit modo vera absolutè, & cum eadem proprietate Sermonis, & consequenter concedendum erit, quod Christus fuit factus, quod tam ipse *Magister Vincentius*, quàm reliqui Thomistæ negant.

Argumentum Autem, quod in fauorem suæ sententiæ adducit *Magist. Vincentius* facile dissoluitur; sic enim arguebat. Hæc est vera absolutè, & in proprietate Sermonis *Christus generatur*; ergo eodem modo erit vera *Christus fit*. *Probat Consequentiam*, Quia generatio est quædam species factionis.

Sed Respondetur Negando Consequentiam. Quia eadem ratione concedi deberet in proprietate, & rigore Sermonis ista propositio *Fuit factus*, ex eo quod ista *Christus Fuit genitus* cum eadem proprietate vera est Dici ergo debet, quod si ex parte termini factionis non licet arguere ab inferiori ad suum superius, sed est mala consequentia, *Deus factus est homo*; ergo *Factus est substantia & ens* ratione à Nobis assignata supra *Art.* 6. ita simili ratione ex parte eiusdem factionis non licet arguere, *Christus generatur*, ergo *Christus fit*, quia generari est fieri secundum aliquam participationẽ, seu rationem, quæ in Christo non exercetur per aduentum nouæ subsistentiæ, vel existentiæ. At fieri absolutè est fieri simpliciter ex illo quod antea non erat, & sic hæc propositio, *Christus generatur* absolutè cõceditur, sicut hæc *Deus factus est homo*: altera vero scilicet *Christus fit*, absolutè negatur, sicut hæc, *Christus factus est simpliciter*; sicut etiam *Esse genitum* conuenit Filio in natura diuina, non autem *Fieri*.

ARTICVLVS X.

Vtrùm Hæc sit vera, Christus in quantum homo est Creatura?

Conclusio. Si terminus *Homo* sub reduplicatione positus sumatur ratione suppositi propositio est falsa: si vero ratione naturæ, propositio est vera; & in hoc sensu magis propriè sumitur. Si vero ponatur aliqua particula, quæ determinet suppositum vt dicendo *In quantum hic homo* est falsa. Hæc Conclusio habet tres partes, in quibus tota resolutio huius Articuli in Corpore continetur. Prima pars, quod si ly *Homo* sumatur ratione suppositi propositio est falsa; apud Catholicos est indubitata, quia non posset concedi nisi cum aliqua hæresi, vel dicendo, quod est duplex Suppositum in Christo, aliud creatum, aliud increatum, & ratione vnius verificari, vt Nestoriani; vel dicendo, quod solum est suppositum humanum, quod dicitur Deus solum per gratiam, quæ est Hæresis Photini; vel tandem, quod filius est minor Patre, & per consequens creatura, vt Arriani asserebant. In sensu vero Catholico, quod solum est in Christo vnum Suppositum diuinum indubitata est hæc Pars.

Tertia Pars, scilicet, quod si dicatur *Christus in quantum hic homo est creatura* est falsa; probatur à *D. Thom. in Calce Corporis*, Quia illud pronomen *Hic*, vel *Iste* determinat suppositum, quod ibi est; cum autem illud suppositum sit increatum propositio est falsa. *Suarez* autem *in fine Commentarij huius Articuli* inquit, Quod in rigore, & proprietate Sermonis etiam potest admittere sensum verum prædicta propositio, quia *Hic Homo* formaliter non designat *Suppositum*, sed *Subsistentem in hac humanitate vt sic*, & licet designet illud non tamen absolutè secundum se, sed vt cum hac humanitate componit hunc hominem, qui sub hac ratione dici potest *Creatura*, vt explicatum est. Refert se ad doctrinam quam *Art.* 8. impugnauimus in Cõfirmatione nostræ Cõclusionis, scilicet quod totum compositum potest dici creatura.

Sed Hæc Doctrina Suarez est falsa, quantum ad vtramque partem. Prima Pars, quod

quod *Hic Homo* non designet *Suppositum*, A
sed *Subsistentem vt sic in hac humanitate*, cõstat quod est falsa, quia subsistens vt sic est quid commune; at verò pronomen *Hic* est demonstratiuum alicuius singularis; ergo non potest designare rationem subsistentis vt sic, quia illa non est singularis.

Confirmatur. Ratio subsistentis vt sic in hac humanitate nõ debet esse prædicatum commune subsistentis solum, quia ratio communis non datur sine aliquo indiuiduo
à parte rei; ergo illud determinatum subsi- B
stens, & subsistens indiuiduale de facto est, quod subsistit in hac humanitate; illud autem demonstrabile est secundum illam indiuidualem rationem: sed non est aliud pronomen magis singularizans quam ly *Hic*; ergo quando ponitur ly *Hic* designatur ratio subsistentis in singulari, & non vt sic.

Denique. Illa ratio subsistentis vt sic est communis ad subsistentem Diuinum, & Humanum; ergo illa vt sic considerata ab- C
strahit à subsistente creato, vel increato; ergo non potest dici, quod determinatè creatura est. Si autem dicatur propter singularem humanitatem, iam non est loqui in sensu *D. Thomæ*, qui in hac propositione determinauit suppositum, & propter hoc negat illam, & in hoc sensu malè impugnatur à *Suarez*.

Secunda Vero Pars, Quod quamuis designet suppositum, quia tamen est vt com- D
ponit hunc hominem cum hac humanitate potest dici creatura, impugnatur ratione à Nobis facta *Art.* 8. Quia ly *Creatura* ad minus dicit ens creabile ex nihilo, taliter quod non sit aliquid quod habeat esse à se, quod tamen in isto composito non verificatur, quia vnum extremum scilicet Suppositum diuinum est Ens à se.

Hæc Autem Secunda Pars Conclusionis *D. Thomæ* non admittitur ab Omnibus, vnde propter eius explica- E
tionem sit.

DVBIVM.

Vtrùm Hæc Propositio Christus in quantum homo est Creatura *sit vera in sensu proprio?*

Prima Sententia Est, quod in sensu proprio est falsa, licet in sensu improprio sit vera. Ita *Scotus in* 3. *Dist.* 11. *Quæst.* 2. Explicat autem esse sensum proprium si ly *In quantum* sumatur reduplicatiuè, & sensum improprium si sumatur specificatiuè.

Secunda Sententia est communis maximè inter Discipulos *D. Thomæ*, quod in sensu proprio est vera, & sensus proprius explicatur, non solum si sumatur specificatiuè, sed etiam si sumatur reduplicatiuè illud ly *In quantum*, & sic non est controuersia cum *Scoto* in hac propositione, quod si sumatur specificatiuè ly *In quantum* propositio est vera, quia in hoc est conuenientia vtriusque sententiæ; est tamen disconuenientia in duobus. *Vnum est*, Quod assertio specificatiua non sit propria, quod affirmat Ipse, & Alij negant. *Aliud est*, Quod reduplicatiuè ipse inquit quod est falsa, quamuis conueniat in eo quod sensus reduplicatiuus est proprius. *Vazquez* vero conuenit cum *Scoto* quatenùs dicit quod in sensu reduplicatiuo est falsa hic *Disp.* 66. *Cap* 2. sed conuenit cum secunda sententia in hoc, quod in sensu specificatiuo non solum est vera, sed etiam propria, & in hoc differt à *Scoto*. Fundamentum vtriusque infra commodiùs adducetur.

Prima Conclusio. Dicta propositio in sensu specificatiuo est propria, & vera. Quod sit vera Nullus negat, & ratio est clara, Quia denotatur solum, quod esse creaturam conuenit solum ratione naturæ humanæ, aut quod ipsa natura humana est creatura, quod est certum. Solum restat probare contra *Scotum*, quod est propria. *Et probatur sic* ex *D. Thoma in Art.* Quia sensus huius propositionis *Christus secundum quod homo*, est ac si dicatur *Christus secundum quod est homo*, & sic fit prædicatum *Homo*, & tunc tenetur pro natura magis propriè; ergo quando sumitur pro natura sensus proprius est; sed in sensu specificatiuo

uo determinatur natura tanquam ratione cuius conuenit prædicatum secundum se, vel secundum suum esse; hoc est, quod ipsa est talis, quia in hoc sensu *Scotus* concedit, quod est vera; ergo falsò negat, quod est propria. *Patet Consequentia*, Quia sensus proprius est quando terminus accipitur pro significato proprio, & formali; cum ergo ly *Homo* formaliter, & propriè significet naturam humanam, & ratione illius conueniat prædicatum, reditur vera propositio in sensu proprio.

Secunda Conclusio. In sensu reduplicatiuo est vera. Hæc est contra *Scotum*, & *Vazquez*; est tamen *Caietani hic, §. Ad hæc dicitur.* Vbi postquam in principio dixerat specificatiuè esse veram, ibi defendit quod etiam reduplicatiuè est vera. Sed notandum pro explicatione, quod *Medina* hic inquit, Quod reduplicatiue non est vera, & Aliqui ita loquuntur, sed non explicant sensum reduplicatiuum eo modo quo explicant *Scotus*, & *Vazquez*, sed reduplicatiuè intelligunt causaliter. Ponit exemplum *Medina* in ista *Homo in quantum rationalis est risibilis*, sed Nos non loquimur in hac intelligentia, sed sicut communiter Alij loquuntur, & ipse *Vazquez*, quod reduplicatiuè idem sit, quod replicet supra terminum positum ex parte subiecti, hoc enim est propriè reduplicare, quando est quasi ratio conueniendi prædicatum subiecto, vt benè *Caietanus*, & est communis sensus Dialecticorum. Sed *S. Thom.* cautius loquitur ad tollendas has diuersas explicationes dicendo, *Si reduplicet supra naturam, & si reduplicet supra suppositum*, & affirmat, quod si reduplicet supra naturam est vera; si supra suppositum est falsa. Solum vero Difficultas huius Conclusionis est, si taliter fiat reduplicatio supra naturam, quod non fiat supra suppositum vt sic redatur propositio vera simpliciter in sensu reduplicatiuo? Hoc negant *Scotus*, & *Vazquez*, & hoc affirmat Conclusio.

Probatur. Quia quando aliquod subiectum habet plures partes potest reduplicatio determinare, vel cadere super vnam partem, & non super aliam; sicut si dicamus *Homo secundum animam est spiritualis*, & *Est immortalis*, & *Est creatus ex nihilo*, totum hoc est verum, & reduplicatur solum vna pars. Similiter istæ sunt veræ *Homo in quantum animal est sensibilis*, & *Petrus in quantum homo est rationalis*; & tamen solum est ratione vnius partis; ergo potest cadere reduplicatio super vnam partem subiecti.

Confirmatur. Hæc Propositio *Christus in quantum Deus est Creator* est vera, & ista *Christus in quantum Verbum est Genitus per intellectum Æterni Patris*, & tamen sunt reduplicatiuæ, & conueniunt solum ratione vnius extremi vniti, scilicet in ratione Deitatis, vel suppositi; ergo etiam potest fieri reduplicatio ratione alterius componentis, scilicet ratione humanitatis, ita vt id quod conuenit per se humanitati prædicetur reduplicando illam de Christo. *Patet Consequentia*, Tum à paritate, *Tum* quia hæc est vera *Christus secundum quod homo est factus, & genitus, & natus ex Virgine*, ergo *Secundum quod homo est quid creatum.*

Secundo Probatur Hæc est vera *Humanitas est creatura etiam quatenùs suppositatur à Verbo*, quia hæc est vera Verbum est suppositum naturæ creatæ; ergo ponimus per aliquam particulam hoc explicare; sed talis particula reduplicare, & determinare debet naturam; ergo hoc potest fieri, quia hæc veritas enuntiabilis est; sed non melius enuntiabitur, quam per terminum significantem naturam; ergo reduplicatio potest fieri supra solam naturam.

Confirmatur. Hæc est falsa *Christus in quantũ homo est Creator* reduplicatiuè sumpta; ergo hæc est vera *In quantum homo est creatura* reduplicatiuè. *Patet*, Quia nihil est quod in eo sensu in quo non est creator, nõ sit creatura si sit ens reale positiuum, & physicum, quod est diuisum in ens creatũ, & increatum. *Patet Consequentia* per regulam dialecticam *A diuiso cum positione vnius membri ad positionem alterius, &c.*

Soluuntur Obiecta.

Ex His Patet Solutio Ad Fundamentum Scoti, & Vazquez, quod idem est, scilicet Quod reduplicatio non debet esse per particulam diminuentem subiectum, & quia ly *In quãtum homo* diminuit Christum, quia determinat vnam partem scilicet humanitatem, & non totum Christum, ideò non est reduplicatio. Et *Antecedens Probat*, Quia de inesse debet esse vera in propositione reduplicatiua; & cum de inesse contineat totum subiectum etiam in reduplicatiua, reduplicatio debet cadere supra totum subiectum: & in præsenti, quia ista *Christus est creatura* est falsa, & debet esse præ-

præiacens, & prima exponens illius reduplicatiuæ, sequitur quod reduplicatiua sit falsa.

Vazquez vero non aliter probat nisi ex acceptione Dialecticorum, quod reduplicatio idem est, quod reapplicatio supra subiectum, & etiam, quia ly *In quantum* reduplicatiuè sumptum explicat perfeitatem; ita quod denotatur, quod taliter prædicatū conuenit significato, quod reduplicatur, vt illi conueniat secundum quod est tale, & quia *Creatura* non conuenit humanitati soli tāquam prædicatum primo, & per se formaliter, & immediatè proprium illius, non est reduplicatio. Ex quo patet idem esse Fūdamentum ad negandam reduplicationem in *Scoto*, & *Vazquez*, scilicet hoc principium, quod reduplicatio non debet esse supra partē subiecti, sed debet esse supra totū.

Respondetur Nullum esse principium ad negandam reduplicationem supra aliquid subiecti, & *S. Thom.* in Corpore huius Articuli expresse dicit in dicta propositione, quod *Nomen Homo potest sumi in reduplicatione, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ.* Vbi ponit reduplicationem, & supra naturam, & supra suppositū diuisiuè. Et ad Impugnationem, quod reduplicatio non debet minuere, subtiliter distinguit *Caietanus*, quod minuere stat dupliciter, Vno modo taliter quod tollat terminum, sicut *Homo pictus, mortuus*, vel *In potentia*, & de hac verum est, quod non potest facere reduplicationem: si vero non sit propria diminutio, sed largè, hoc est determinatio, seu partitio potest esse reduplicatio, vt in exemplis allatis in probatione Conclusionis.

Et Ad Illud de Præiacente *Respondetur*, Quod quando reduplicatio est totalis præiacens debet esse vera, in hoc enim sensu procedit Regula Dialectica; quando vero est partialis in præiacēte debet poni terminus significans solum per modum partis, ratione cuius fit reduplicatio, & in illo sensu etiam præiacens reduplicatiuè partialis erit vera, & in præsenti præiacens non est quam ponit *Scotus*, scilicet *Christus est Creatura*, sed ista *Christus secundum humanitatem est Creatura.*

Ad Vazquez Respondetur, Quod nulla est Regula Dialecticorum, quod reduplicatio non possit esse partialis, vt patet ex loco allato proximè ex *D. Thom.* Neque est necessariū, quod prædicatum conueniat primo, & per se, & immediatè, sed potest esse mediatum, sicut in ista *Petrus in quantum homo est risibilis, Admiratiuus, &c.* quæ non sunt prædicata immediata, nec per se formaliter essentialiter, sed tāquam passiones; & etiam *Substantia, Viuens, Animal* sunt prædicata essentialia, & per se hominis, & tamen non sunt immediata, nec ita propria illius, quod non possint alijs conuenire; & ita hoc prædicatum *Creatura* est prædicatum essentiale humanitatis, immo transcendens, & imbibitum essentialiter in ipsa, quod non habent alia prædicata dicta, & hoc sufficit ad reduplicationem.

Immo Contra Vazquez est clara contradictio in Ipso, tenet enim loco allato *Artic. Præcedenti*, quod hæc propositio *Christus incipit esse* est vera, quia vt inquit in illo *Capite* 4. referendo se ad *Caput* 2. eiusdē Disputationis ly *Christus* potest accipi, & pro persona, & pro natura, sicut iste terminus *Homo*, vel *Iesus*; est enim doctrina eius cōmunis pluribus locis, quod nomina nō solum in abstracto, sed etiā in cōcreto supponunt pro natura, & hoc quidem dicit de hoc nomine *Christus*, quod supponit pro natura, & quia natura incipit esse inquit quod Christus incipit esse. Ergo etiā potest dici, quod *Christus est Creatura* in eodē sensu sumendo *Christū*, quia quod incipit esse creatura est, & quia si supponit pro natura, natura creatura est; ergo etiam ista erit vera *Christus in quantū homo est Creatura. Tum* quia cōcedere istā *Christus est Creatura*, & negare istam *Christus in quātum homo est Creatura* nullam apparientiam habet, siquidem omnes exponentes sunt veræ, specialiter Prima, quæ est præiacens propter quam *Scotus* negabat reduplicatiuam. *Tum*, Quia iste terminus *Homo* significat naturam humanam, & supponit pro illa in Christo, vt *Vazquez* dicit, & etiam iste terminus *Christus* supponit pro eadem natura humana solum quando verificatur quod incipit esse, vt dicit *Vazquez*; sed si dicamus *Christus in quantum Christus est Creatura*, vel *Incipit esse* est vera secundum Ipsum; ergo etiam ista *Christus in quantum Homo est Creatura*, vel *Incipit esse*. Patet Consequētia, Quia reduplicatio in vtraque quantum ad rem est eadem, quia eadem est natura importata, & suppositum vtriusque termini; ergo quantum ad rem debet esse eadem veritas, quia ab eo quod est in re propositiones sunt veræ; & si eamdem veritatem significant, & pro eodem supponunt sunt æqualiter veræ.

Nec Potest Fugere Vazquez Vim huius contradictionis recurrendo ad illam

doctrinam, quod reduplicatio debet cadere supra eumdem terminum, quia præter quam quod hoc est falsum, vt visum est in exemplis allatis pro Cõclusione, vt *Petrus in quantum homo est rationalis* est reduplicatio, & non est supra terminum *Petrus*; in præsenti *Christus*, & *Homo*, vt Ipse inquit supponunt pro eadem natura, & ideò est idem ac si esset idem terminus, quia ideò ipse petit repetitionem eiusdem termini non propter vocem solum, quia hoc esset nominale, sed propter rem; si ergo repetatur eadem res in alia voce, erit eadem ratio ac si esset idem terminus, vel idẽ nomẽ.

ARTICVLVS XI.

Vtrùm Hæc sit vera Christus in quantum Homo est Deus?

Prima Conclusio. Si ly *In quantum* reduplicet supra suppositum est vera; si super naturam est falsa; & absolutè magis est falsa, quàm vera.

Secunda Conclusio. Hæc propositio *Christus in quantum hic Homo est Deus* est vera. In Solutione ad 3.

Vtraque Conclusio Probatur à *D. Thom.* Quia si ly *In quantum homo* determinet naturam humanam, cum natura nõ sit Deus, falsum est dicere, quod secundum humanitatem est Deus, quod etiam in *Argumento sed Contra* probauit; Quia aliàs omni habẽti naturam humanam conueniret esse Deũ. Si autem sumatur pro supposito est vera, quia Suppositum est Diuinum, & absolutè secundum proprietatẽ termini reduplicati accipitur pro natura, sicut *Artic Præcedenti* dictum fuit, & ita licut ibi cõceditur, quod absolutè est creatura cũ reduplicatione, ita hic negatur, quod sit creator cum cadẽ reduplicatione simpliciter, seu Deus. Secundã verò Conclusionem probat *D. Thom.* quia illud pronomen *Hic* determinat suppositũ, & ideò absolutè cum illo addito est vera.

Contra Hanc Secundam Conclusionem *Durãdus* in 3. *Dist.* 10. *Quæst.* 1. tenet, Quod hæc propositio *Christus in quãtum hic homo est Deus* est falsa. Eius Fundamentum est, quod illud complexum *Hic Homo* denotat naturam singularem, quod probat, quia ly *Homo* solum significat naturam communem, & illud pronomen *Hic* singularizat significationem, & ideò reduplicatio *In quantum hic homo* Idem est ac si diceret secundum hanc humanitatem, & ideò inquit, quod est falsa.

Vazquez Sequitur Durandum hic *Disp.* 69. *Cap.* 1. quantum ad substantiam ex illa sua Communi doctrina in duobus præcedentibus Articulis impugnata, quod nomina concreta supponunt pro natura, & sic, quod *Homo* supponit pro humanitate, & *Hic Homo* pro hac humanitate.

Suarez in Commentario huius Articuli inquit, Quod hæc doctrina *Durandi* est probabilis propter id quod ipse *Suarius* dixerat *Art Præcedenti*, scilicet quod *Hic Homo* non determinat suppositum singulare, sed subsistentem vt sic in humanitate singulari. Ecce in ratione differt à *Durando*, & *Vazquez*, quia *Suarez* non inquit supponere pro natura sicut illi, sed pro subsistente in communi cum connotatione ad naturam singularem.

Sed Tota Hæc Doctrina iam impugnata est *Art. Præcedenti*, & quidem hoc Fundamentum *Suarij* sufficienter ibidem exclusum fuit circa Tertiam Partem Conclusionis ante dubium. Fundamentum vero *Durandi*, & *Vazquez* etiam fuit exclusum *Art. Præcedenti*, & etiam *Art.* 8.

Sed Euidentius Comprobatur specialiter ad hominem contra *Vazquez*, Qui *Disp.* 67. *Cap* 2. & 4. asserit, quod *Christus*, *Homo*, *Iesus*, accipiuntur pro natura, & *Hic Homo* pro hac natura singulari, & ideo negat hanc propositionem, quod *In quantum hic homo est Deus*, quia *Hic Homo* est hæc natura, quæ non est Deus; ergo etiam hæc est neganda simpliciter, & absolutè *Iesus est Deus*, seu *Filius Dei*. Patet, quia *Iesus*, Ipse inquit, quod supponit pro natura sicut homo; hoc est contra illud Ioannis Vltimo, *Vt credatis, quod Iesus est Filius Dei*. Et etiam ista erit falsa *Christus est Deus*, quia ly *Christus* supponit pro eadem natura humana, quæ non est Deus. Et etiam reduplicando *Christus in quantum Iesus*, vel *In quantum Christus est Deus*, erit falsa, quod est absurdũ in Theologia, & in fide, & etiam in Dialectica vt Diximus *Art.* 9. vbi exclusum est principium huius falsæ doctrinæ; quod nomina concreta supponant pro natura, & contra communem modum concipiendi est dicere, quod humanitas est homo, & quod humanitas operetur vt quod, sicut homo, de quo non est hic ex professo disputandum.

AR-

ARTICVLVS XII.

Vtrùm Hæc sit vera Christus secundum quod Homo est Hypostasis, *vel* Persona?

Prima Conclusio. Si ly *Secundum quod Homo* accipiatur ratione suppositi est vera. Patet, quia suppositum est Persona Filij Dei; iste tamen sensus est minus proprius, vt habet *S. Thom.* in duplici *Articulo Præcedenti* propter quod absolutè creatura concedebatur, & Deus negabatur sub illa reduplicatione.

Secunda Conclusio. Si accipiatur ratione naturæ potest esse vera, & potest esse falsa in diuerso sensu. Explicatur sensus congruus huius propositionis Christus secundum quod Homo est persona intelligendo reduplicationem ratione humanæ naturæ non potest esse sic, quod ipsa natura humana sit persona; certum enim est, quod humanitas distinguitur realiter à Persona in Christo, immo in alijs distinguitur realiter à subsistentia, siue à personalitate, & à persona creata tanquam pars à toto, & sic non est ipsa persona, vt docet *Sanct. Thom. Quæst. Sequenti Art. 1. in Corpore*; debet ergo sensus esse, vt explicat *Sanct. Thom.* hic in Corpore, *Quod naturæ humanæ competat esse in aliqua persona*, & sub hac intelligentia potest esse vera, & falsa. Vera erit si solum dicatur in aliqua persona absolutè, quia id, quod subsistit in humana natura est persona, & sic natura humana in Christo est in aliqua persona, vtpotè in Persona Diuina. Si vero determinetur persona creata, vel propria personalitas, hoc est causata ex principijs ipsius naturæ, seu in persona constituta per istam personalitatem, est falsa, quia in Christo nulla est alia persona, aut personalitas nisi Diuina, & increata secundum fidem, quæ non est connaturalis, nec causata ex principijs proprijs naturæ. Hic

A est sensus *D. Thom.* qui etiam accipitur tam ab Antiquis, quàm à Modernis. Tenet *Durand. in 3. Dist. 10. Quæst. 1. Ricard. Artic. 1. Quæst. 1. Grabri. Quæst. Vnica Art. 3. Maior Quæst. Vnica. Marsi. Quæst. 8. Artic. 3. Alens. 3. Part. Quæst. 6. Memb. 3. Altisiodorensis Lib. 3. Summæ Tract. 1. Cap. 1. Quæst. 8. Suarez in Comment. huius Art.* quamuis dicat esse sensum specificatiuum, vt allatum est in duobus Articul. Præcedentibus, & ibi impugnatus fuit quantum ad hoc, quia iste est
B etiam sensus reduplicatiuus. Sequitur etiam *Caietanus, Medina*, & Alij Moderni in hoc Articulo.

Vazquez Autem non potuit non in hoc mordere *D. Thomam*, dicit enim hic *Disp. 69. Cap. 2. Num. 7.* non posse istam propositionem facere sensum istum secundum positū in ista Secūda Conclusione à *D. Thom.* non tamen id probat, sed solum id negat, quia non videt vt ipse inquit. Sed tamen ratio est clara, quia iste terminus *Homo* significat humanitatem non in abstracto, sed in
C concreto; sed certum est, quod in concreto includit suppositum, quod non potest negare *Vazquez*, etiam in illa sua falsa doctrina in Articulis immediatè præcedentibus impugnata, quod nomina concreta supponunt pro natura, quia etiam admittit connotare suppositum actuale, quod non habet quando significatur in abstracto; cum autem in præsenti fiat reduplicatio supra ly *Homo*, qui est terminus concretus po-
D test accipi, & debet cum natura suppositata, & non à supposito separata actualiter; ergo potest esse sensus verus, vel falsus. Verus si intelligatur de Persona Diuina; quia ita est, quod personatur à Persona Diuina; falsus si intelligatur de supposito creato, aut connaturaliter debito, seu de persona constituta per personalitatem causatam ex principijs intrinsecis talis humanitatis. Si quæ tamen Argumenta excogitari possunt facile soluuntur ex hac doctrina, & ex tradita in Articulis Præcedentibus, in quibus
E explicatur sensus huius reduplicationis *In quantum homo.*

QVAESTIO XVII.

DE PERTINENTIBVS AD VNITATEM IN CHRISTO QVANTVM ADESSE.

POstquam *D. Thom.* in præcedenti Quæstione egit de his, quæ sequuntur ad vnionem in Christo, quantum adesse, & fieri, modo agit de vnitate in communi; hoc est vt contra ponitur ad speciales perfectiones, scilicet de Gratia, & Scientia, de quarum vnitate, vel pluralitate in proprijs locis egit, & sic de alijs. Et quia in quolibet viuente distinguendum est esse, & operari; & in operari distinguenda est potentia operatiua, & ipsa operatio: ideò *S. Thom.* agit de Vnitate quantum adesse, & quantum ad operationem in Christo, & hoc determinat in tribus Quæstionibus; in hac scilicet, & in duabus sequentibus, & quia esse est prius quam operari prius agit de Vnitate quantum adesse, & hoc determinat per duos Articulos.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christus sit Vnum, vel duo?

Prima Conclusio. Christus est vnus, & non plures, vel duo masculinè.

Secunda Cõclusio. Christus est vnũ, & non plura, vel duo neutraliter.

Pro Explicatione Notandum, quod quãuis *D. Thom.* vtrumque coniungat eadem propositione, tamen quia non est æqualis conuenientia in vtraque clarius explicabitur veritas distinguẽdo duas Conclusiones.

Igitur Prima Conclusio D. Thom. est de Fide, definita per septem Concilia scilicet Constantinopolit. Ephesinum, Calcedonense, Lateranense, Nizenum, Quintam, & Sextam Synodum Generalem; omnia hæc Concilia diffiniunt Conclusionẽ *D. Thom.* quam etiam Apostolus 1. *ad Timot.* 2. tradidit. Similiter *Eutichianus Papa, & Leo Papa,* & communiter Sancti Patres *Ambrosius, Augustinus, Athanasius, Hilarius, Fulgentius, Anselmus, Cyrilus Alexand.* quos communiter adducunt Commentatores *D. Thom.* hic *Medina, Suarez, Vazquez, Nazarius,* & Alij, & tãquam de Fide admittitur ab omnibus Scholasticis, tam Antiquis, quàm Modernis.

Ratio Autem Theologica Est, quam adducit *D. Thom.* in præsenti Artic. in Corpore, scilicet, Quod natura humana in abstracto non prædicatur de Christo; non enim est verum dicere, quod *Christus est humanitas,* quamuis verum sit, quod *Christus est Deitas,* quia hoc est proprium naturæ diuinæ, vt contra ponitur ad omnem naturã creatam, quod sola Diuina potest prædicari in abstracto de concreto; ergo vnitas, vel pluralitas in Christo non est accipienda secũdum naturas, sed solum secundum suppositа, vel personas. *Patet Consequentia,* Quia non potest Christus dici vnus, vel plures nisi secundum quod possunt de illo prædicari vnus, vel plures, quia vnumquodque dicitur tale, in quantum tale de illo prædicatur, & si non prædicatur non est tale; sed sic est, quod humanitas non prædicatur de Christo; ergo propter illam non potest dici plures vt condistincta est à Deitate. Solum ergo in concreto ratione suppositi prædicatur; ergo secundum diuersitatem, vel vnitatem personæ, vel suppositi erit vnitas, vel pluralitas in Christo,

A *Hæc Ratio* est adeò efficax, vt neque hæretici illam negauerint; solum *Durand.* & *Vazquez* in dubio sequenti adducendi impugnant illam.

Ex Hac ratione infert *D. Thom.* in fine Corporis, quod Quidã possuerunt duo suppositа in Christo, & vnam Personam, & isti dicebant, quod Christus erat duo neutraliter, & vnus masculinè; alij vero Nestoriani ponebãt duo suppositа, & duas personas, & consequenter dicebant, quod Christus nõ B solũ erat duo neutraliter, sed etiam masculinè. Fides Catholica ponit solum vnũ suppositum, & vnam Personam, & ideò infert *S. Thom.* quod secundum veritatem Fidei Christus est vnus, & est vnum.

Si Autem Verbum assumeret duas humanitates restat inquirere, quid dicendum? *Vazquez hic Disp.* 70. *Cap.* 2. *Num.* 10. dicit, Quod si pluralitas referatur ad naturam esset plures, vel duplex Christus; si ad suppositum vnum, & quod possit accipi pro natura Ipse tenet, iuxta suam doctrinã, quod C nomina concreta possunt supponere pro natura, & ideò dicit, quod posset dici in illo casu plures Iesus, plures Christi, plures Emanueles; & sic de alijs nominibus Christi, quia esset plures homines.

Sed Hæc doctrina est tam falsa, sicut eius Fundamentũ, sicut diximus *Quæst. Præcedẽti Art.* 9. & sequentibus. Est enim verum, quod in tali casu Christus esset vnus homo; vt docet *S. Thom.* supra *Quæst.* 3. *Art.* 7. *ad* 2. D & Nos ibi, & 1. *Part.* circa *Quæst.* 39. *Reg.* 1. Et ad hominẽ contra *Vazquez* potest fieri Argumentũ. Si in tali casu propter duas naturas esset Christus duplex Iesus, & duplex Saluator, & duplex Homo, quia potest homo accipi pro natura, & quælibet natura facit vnũ, & duæ naturæ faciunt duos; ergo de facto modo quando non est nisi vna natura in Verbo potest accipi pro illa, & pro illa erit vnus, & pro persona, seu Diuinitate erit alius, sicut est alia natura humana, & alia E natura Diuina, quia non est maior ratio quod duæ humanitates facerent duos, quã quod Diuinitas, & humanitas faciãt duos; & sic in casu quo assumeret duas humanitates, sicut esset duo propter humanitates, esset alius propter Diuinitatem, quia non est minoris perfectionis Diuinitas, quam humanitas, & sic essent tres in tali casu. Sed de facto dicere, quod est duplex, vel duo est contra fidem Catholicam, vt *Ipse Vazquez* concedit; ergo illa sua doctrina non potest cum veritate fidei stare.

Nec Valet si dicat, quod veritas fidei loquitur ratione suppositi, quod de facto est vnum. *Contra enim est.* Si probabiliter potest accipi terminus pro natura, & propterea probabiliter potest poni alietas in Christo ratione naturæ, probabiliter de facto posset accipi pro natura; ergo non erit de fide, quod non accipitur pro natura, & si est de fide quod est vnus, est de fide, quod non accipitur pro natura; ergo non potest esse verum, quod potest accipi pro natura, quia non potest esse probabile, quod est contrarium fidei, & hæretici possent vti hac doctrina *Vazquez*, quod accipitur pro natura, & quod in tali doctrina infirmatur diffinitio fidei, quæ non est contraria regulis dialecticis, nec potest depẽdere ex principio solum probabili. Sicut ista *Christus in quantum homo est Creatura*, vel *Deus*, vel *Christus incipit esse*, vel *Est Creatura* non sunt de fide absolutè in aliquo sensu, vt visum est *Quæst. Præcedenti* propter diuersam acceptionem pro natura, vel supposito; ergo ista *Christus est vnus* non erit magis de fide propter eamdem rationem cõtra Concilia, quæ absolutè illam definiunt.

DVBIVM VNICVM Circa Secundam Conclusionem.

Vtrùm Christus sit plura, vel duo neutraliter; & aliud, & aliud?

PRO Explicatione Notandum, quod in duplici sensu potest disputari hoc Dubium. *Primo* ratione suppositi, & in hoc sensu solum Nestoriani, & alij hæretici, qui ponunt duplex suppositũ, vt refert *S. Thom.* tenent partem affirmatiuam. *Secundo* non ratione suppositi, sed ratione naturarum, quia quælibet est aliquod ens, & sic potest esse plura entia neutraliter, & aliud, & aliud ens, quod tetigit *S. Thom.* in aliquibus Argumentis.

Prima Sententia Est, quod Christus non potest dici Vnum, nec plura neutraliter. Ita *Durandus in 3. Distinct. 6. Quæst. 1. Num. 13.* Eius Fundamentum est Regula Grammaticalis, quæ asserit, quod adiectiuum debet poni in eodem genere, quo substantiuum, & cum Christus sit masculini generis, & vnum, vel plura sint generis neutri, non possunt de Christo prædicari neutraliter, quia hæc regula debet seruari, siue adiectiuum ponatur ex parte prædicati, & substãtiuum ex parte subiecti, siue vtrumque ex parte eiusdem extremi.

Secunda Sententia Asserit, quod Christus est plura, vel duo neutraliter. Fundamentum est ex Authoritate plurium *SS. Patrum* asserentium, Quod Christus est aliud, & aliud; sed aliud, & aliud sunt duo, vel plura; ergo Christus poterit dici duo, vel plura neutraliter. Sancti autem adducuntur à *S. Thom.* in *Præsenti Articulo in Argumentis* Alios multiplicant *Suarez*, & *Vazquez* asserentes eamdem propositionem, quod Christus est aliud, & aliud.

Ratione Etiam Probatur Hæc Sententia, Quia in Christo est Humanitas, & Diuinitas; sed humanitas est aliquid, seu aliquod ens, & Diuinitas etiam; & non sunt idem ens; ergo Christus est illa duo entia, vel illa plura, scilicet Humanitas, & Diuinitas.

Confirmatur. Quia si propter aliquam rationem Christus non esset duo, vel plura, est quia non potest prædicari humanitas in abstracto de Christo; sed hæc ratio non est efficax, instatur enim, quia Album, *Verbi grat.* Non est vnum simpliciter, vt habet *Philosoph. 7. Metap. 6. Cap.* & tamẽ Album non est Albedo; ergo ad hoc vt sit plura non conducit, quod forma in abstracto prædicetur de illo; sed sufficit habere diuersas naturas.

Tertia Sententia Asserit, Quod licet Christus non sit duo, est tamen aliud, & aliud. Quam sententiam ex Antiquis tradiderunt *Ricard. in 3. Distinct. 6. Palud. ibidem. Valdensis Lib. 1. doctrinæ Fidei Cap. 22.* illam sequitur *Vazquez hic Cap. 3. Numer. 14.* & probabile iudicat *Suarez* in *Comment. huius Art.*

Fundamentum Primum huius Sententiæ est Authoritas Sanctorum. Ita videntur loqui *August. Anselmus, Cyril. & Damascen.* Qui dicunt, quod Christus est aliud, & aliud, vel quod Christus est hoc, & illud, in locis citatis à *D. Thom.* in Argumento Secundo, & in Solutione, & ab alijs Modernis hic. Alij vero Sancti non ita expresse loquuntur, sed solum dicunt, quod in Christo est aliud, & aliud, quæ est distincta propositio, & de qua non est dissensio.

Secundo Probatur Hæc Sententia Authoritate *S. Thom.* supra *Quæst. 2. Artic. 3. ad 1.*

vbi

vbi inquit, *Quod sicut accidentalis differentia facit alterum, ita differentia essentialis facit aliud; vnde sicut quod dicitur alterum, & alterum in creaturis non significat diuersitatem suppositi, sed solum diuersitatem formarum accidentalium, ita quod dicitur Christus aliud, & aliud non importat diuersitatem suppositi, vel hypostasis, sed diuersitatem naturarum.* In quo loco *Suarez*, & *Vazquez* tenent, quod *S. Thom.* docuit contrariam Sententiam doctrinæ huius Articuli, quia ibi dixit, Quod *aliud, & aliud in Christo non importat diuersitatem suppositi, sed naturarum*, in præsenti vero *ad 2. & 3. & 7.* docet, quod aliud, & aliud refertur ad suppositum, & non ad naturas.

Tertio Ratione Arguit Vazquez, Quia Christus est Deus, & Homo; sed Deus, & Homo est aliud, & aliud; ergo Christus est aliud, & aliud. *Minor Patet*, Quia humanitas est aliud quam Diuinitas; & sic coincidit hæc ratio cum ratione præcedentis sententiæ.

Potest Confirmari, Quia sicut *Alterum* significat diuersitatem informis accidentalibus, ita *Aliud* informis substantialibus, vt tradit *Porphirius Cap. de Differentia*; sed in Christo sunt duæ formæ substantiales, humana scilicet, & diuina; ergo Christus est aliud, & aliud, quod est septimum Argumentum *S. Thom.* in præsenti.

Quarto Arguit Suarez. In diuinis *Vnum* refertur ad naturam, non ad suppositum, propter quod plures personæ dicuntur *Vnum*, & non dicuntur *Aliud, & aliud*, quia non est distinctio in natura, vt benè *Damascenus* allatus à *S. Thom.* loco citato supra *Quæst. 2. Art. 4. ad 1.* & inquit, Quod è cõtrario est in Saluatore, scilicet quod aliud, & aliud sunt ea ex quibus Saluator est, & hoc propter diuersas naturas, diuinam scilicet, & humanam, quæ sunt in Christo; quãuis enim adiectiuè suppositum Filij possit dici aliud suppositum à Supposito Patris, non tamen substantiuè potest dici aliud absolutè, sed est alius, & alius.

Prima Conclusio. Supposita veritate Mysterij, quod in Christo est Vnum suppositũ, & duplex natura; falsum est, quod propter duas naturas Christus dicatur plura, vel duo neutraliter, sed solum debet dici Vnum. Hæc Conclusio est contra duas sententias primam, & secundam, sed est *D. Thom.* in hoc Articulo. Sequuntur ipsum tam Antiqui, quàm Moderni Doctores communiter, & omnes Thomistæ, & etiam in illa

A conueniunt, *Suarez*, & *Vazquez*. Probatur ratione *D. Thom.* hic in Corpore iam allata, quæ sic potest applicari ad hanc Conclusionem. Solum potest poni, quod duo, vel plura neutraliter prædicentur de Christo, aut ex parte suppositi, aut ex parte naturæ: ex parte suppositi non, quia hoc iam est exclusum, eo quod est ponere plura supposita, sicut Nestoriani; & modo non loquimur in hoc sensu. Supposita ergo fide de Vnitate suppositi loquitur Conclusio,
B quod propter naturas non potest dici plura, vel duo, hoc autem probat efficaciter ratio *D. Thom.* Si propter duas naturas posset Christus dici duo, esset quia duæ naturæ possent dici de Christo; sed non possunt dici; ergo propter illas Christus non potest dici duo. *Probatur Minor*: licet Diuinitas posset prædicari de Christo, humanitas tamen non potest prædicari, quia hæc est falsa *Christus est humanitas*, & ratio est, quia abstractum non prædicatur de concreto
C secundum Regulam Logicalem. Et Fundamentum regulæ est, quia concretum includit aliquid, quod non includit abstractum, & sicut pars non prædicatur de toto propter hanc rationem, quia falsa est ista *Homo est anima*, ita neque abstractum de concreto: ergo ista est falsa *Christus est humanitas*. Ergo illud ens, quod est humanitas etiam non potest prædicari de Christo. *Patet ista Consequentia*, illud ens, quod est
D humanitas est tam incompletum, sicut ipsa humanitas, aliàs humanitas non esset illud, quia humanitas est quid incompletũ, & sic sicut humanitas non prædicatur de Christo, qui est ens completum, ita illud ens, quod est humanitas non prædicatur de Christo, quia est contradictio in terminis, quia est dicere, quod *Ens completum est ens incompletum*; sequitur enim quod Christus sit ens completum, & non completum.

Vazquez Tamen hic Cap. 3. postquam hanc rationem adduxit ex *D. Thom.* & ex
E *Scoto* inquit hac ratione nihil probari, & conuincitur Argumentis pro Secunda Sententia allatis, cum tamen ipse soluat eadem Argumenta in fine huius Capitis.

Intendit Tamen Vazquez Conclusionem probare alia duplici ratione. Prima ex Authoritate scilicet ex Epistola Concilij Alexandrini approbata in Concilio Ephesino, vbi dicitur *Ne in duo diuidamus vnum Christum*, & expendit ly *In duo* intendens, quod non sumatur in casu accusatiui masculinè, sed neutraliter. *Lorca* tamen hic *Disp. 67.*

Num.

Num. 4. inquit, quod hoc testimonium falsò allegatur, nam in nullo Codice Antiquo, aut Moderno legitur *Duo*, sed in *Duos*.

Secunda Ratio Vazquez est quod plura coniuncta in vnum non possunt dici plura absolutè, sed vnum, sicut Petrus absolutè non dicitur plura, quamuis constet ex pluribus. *Hæc ratio inefficax est* si non reducitur ad rationem *D. Thom.* quia de hoc est Disputatio, Si vnum continens plura potest dici plura? Hoc debebat probare *Vazquez*, & non probat, & hoc probat ratio *D. Thom.* quia abstractum non prædicatur de concreto, quia incompletum non prædicatur de completo, vt explicatum est.

Dices. Quare in hac Propositione *Humanitas est ens* ly *Ens* accipitur pro ente incompleto, & in hac *Christus est ens* ly *Ens* accipitur pro ente completo, siquidem in vtraque ens æqualiter ponitur ex parte prædicati, & sine aliqua limitatione in vna magis, quam in alia?

Respondetur, Quod cum Ens sit prædicatum transcendens imbibitum in vltimis differentijs de omni inferiori ad Ens prædicatur; sed eo modo, quo inferiora participant ens, quia eo modo prædicatum verè affirmatur de subiecto quo conuenit, & reperitur in subiecto; cum autem aliqua inferiora ad ens sint completa, & alia incompleta sicut modi, &c. prædicabitur quidem ens de illis quatenùs ab illis participatur, & transcendenter imbibitur in illis. Cum autem modus, & differentia, *Verbi grat.* (& idem est de alijs) sint secundum suas proprias rationes quid incompletum habebunt esse incompletum, & sic ens vt transcendenter inclusum in illis est incompletum. Est ergo ratio, quod prædicatum limitatur à subiecto, & sic iuxta naturam subiecti ens positum ex parte prædicati erit completum, vel incompletum, & quia Christus est quid completum, & humanitas quid incompletum, ideò ens respectu Christi accipitur vt completum, & respectu humanitatis vt incompletum propter discursum factum.

Secunda Conclusio. Christus non est aliud, & aliud, hoc, & hoc, vel hoc, & illud. Hæc est contra Tertiam Sententiam, & probatur eadem ratione, qua præcedens sic applicata. Christus est ens completum; ergo non potest dici aliud, & aliud. *Probatur Consequentia*, Aliud, & aliud determinant diuinitatem, & humanitatem; ergo licet sit verũ, A quod est aliud, quod est Diuinitas, non est aliud, quod est humanitas; ergo falsum est, quod est illud, quod est humanitas; ergo simpliciter est falsa propositio. *Probatur*; hæc est falsa *Christus est humanitas*; ergo etiam hæc est falsa *Christus est illud, vel aliud, quod est humanitas*, quia est idem.

Confirmatur. Quando dicitur *Christus est aliud, & aliud* absolutè, ly *Aliud, & aliud*, aut designant entia completa, aut incompleta, aut vnum completum, & aliud incompletum; sed in quocunque sensu propositio est falsa; ergo. *Probatur Minor.* Si dicatur designare entia completa imprimis est falsum, quia licet vnum sit ens completum scilicet Diuinitas, quia est Deus, tamen aliud quod est humanitas non est ens completum. Et secundo quia sensus esset, quod Christus est duo entia completa, quod est falsum, quia cum Christus sit vnus, vt est de fide, quod est vnus Christus, expressè enim habetur in Epist. Concilij Alexand. approbata in Concil. Ephes. quæ est 10. apud Cyril. vbi dicitur, *Ne diuidamus vnum Christum in duos, vel in duo*, in hac positione, quod esset duo entia completa, esset diuidere vnum Christum in duos, vel in duo.

Si Autem sunt incompleta, licet sit verum pro humanitate, quæ est incompleta, est falsum pro Deitate, quæ nõ est incompleta. Si tandem vnum sit completum, & aliud incompletum adhuc est falsa tota propositio, quia est copulatiua, cuius vna pars est falsa, scilicet illa, quæ designat ens incompletum, quæ non potest prædicari de ente completo. Et si ad hoc dicatur, quod non potest prædicari diuisiuè, benè tamen copulatiuè, & coniunctim, hoc iam non est absolutè, sed cum aliqua limitatione, & addito; de quo statim contra *Vazquez*, qui etiam concedit, quod diuisiuè prædicantur.

Secundo Probatur Conclusio ad hominem contra *Vazquez*. Ipse concedit, quod Christus non est duo; ergo malè affirmat, quod est aliud, & aliud. *Patet Consequentia.* Quia duo idem est quod aliud, & aliud: & aliud, & aliud duo sunt; ergo non stat negare duo, & affirmare aliud, & aliud.

Respondit Vazquez Cap. 3. *cit. Num.* 14. & in Responsione duo inuoluit. *Primum dictum est*, Quod duo solum identicè possunt prædicari de Christo; at vero aliud, & aliud formaliter, sicut formaliter prædicatur Deus, & Homo, quia hæc est vera Christus est Homo, & est Deus. *Secundum*

dum dictum est, Quod duo non significat coniunctionem absolutè prolatum, & sine additamento, nec vnitatem inter duas naturas, sed diuisionem; sed aliud, & aliud significat vnitatem, quia sigilatim vnumquodque prædicatur, quod non posset esse nisi esset vnita in ipso.

Contra Vtrumque Dictum Est, Contra Primum, quod est falsum. *Tum* quia si identicè est vera ista *Christus est duo*, simpliciter est vera, sicut ista *Totum est suæ partes simul sumptæ* quamuis solum identicè sit vera, non formaliter. *Tum* quia aliud, & aliud nō possunt prædicari formaliter de Christo nisi secundum vnitatem, quam habent in vno supposito, & non propter alietatem naturarum, quia hæc *Christus est homo* solum est vera, quia *Homo* supponit pro Supposito Diuino; in Supposito autem diuino non sunt aliud, & aliud, hoc enim est multiplicare suppositа vt Nestoriani: si ergo solum prædicantur secundum vnitatem suppositi non prædicantur secundum aliud, & aliud, sed secundum quod idem.

Difficultas Autem est si propter diuersitatem naturarum posset dici aliud, & aliud absolutè, sicut ipsæ naturæ sunt distincta entia, & sicut sunt duo entia coniuncta in Christo possunt prædicari de Christo dicēdo, quod Christus est aliud, & aliud, quod Christus est illa duo entia hoc ens, & illud ens? *Vazquez* negat, quod possit dici duo, & concedit aliud, & aliud, & in hoc nulla est differentia, quia quantum ad entitatem concedit Ipse quod est duo, & aliud, & aliud solum quantum ad entitatem possunt prædicari relatum ad naturas, quia diuertere ad suppositum non est ad propositum.

Ex Quo Secundum Dictum manet impugnatum, Quia nulla ratio est quare *Duo* non significet coniunctionem, & ly *Aliud, & aliud* significet coniunctionem, quia si est propter illam particulam, & illa etiam sumitur diuisim propter quod Deus potest prædicari de Christo, & etiam homo; & sicut *Vazquez* explicat in illo §. *in fine* solum intendit, quod Christus non potest esse plura absolutè, & quod non potest negari esse plura vnita, quod de entibus vnitis in Christo debet verificari, & sic solum de ipsis naturis, quæ sunt plura vnita in Christo; ipsa autem vt plura non possunt sigilatim, & formaliter prædicari de Christo, sicut partes vnitæ prædicantur de toto, & non sigilatim; falso probat intentum, ex hoc, quod Deus, & homo sigilatim prædicantur de Christo vt modo dicebamus: & falsum etiam est, quod plura prædicentur formaliter de toto, istæ enim sunt falsæ formaliter *Bis tria sunt sex Totum est suæ partes simul sumptæ*; ergo si hoc modo est Christus aliud, & aliud non est formaliter vera, neque est sicut Deus, & Homo, sed solum identicè, & cum addito sicut concedit de ly *Duo*, & sicut prædictæ propositiones.

Soluuntur Argumenta.

Ad Primum Primæ Sententiæ Respondetur, Quod in hac Propositione *Christus est Vnum*, ly *Vnum* non accipitur adiectiuè, sed substantiuè, & Regula Grammaticæ allata à *Durando* loquitur de adiectiuo adiectiuè sumpto, non vero sumpto substantiuè, quia etiam est Regula Grammaticæ, quod potest substantiuè sumi; & sicut alia substantiua in genere neutro possunt prædicari de substantiuo masculini generis, hæc enim est vera *Vos estis templum Dei*; ita similiter ly *Vnum*; vnde in Euangelio dicit Christus, *Ego & Pater vnum sumus*, & iterum loquēdo de Discipulis ad Patrem inquit, *Vt sint vnum sicut & nos vnum sumus*.

Ad Primum Secundæ Sententiæ Solutio est *D. Thom.* hic *ad* 2. *&* 3. *&* 7. Quod Sancti Patres intelliguntur de habente aliam, & aliam naturam, & sic explicandi sunt cum addito iuxta suam mentem, vnde non est concedenda absolutè propositio, quod *Christus est duo*, sed cum addito scilicet *Secundum duas naturas*; quæ solutio amplius explicabitur ad primam, & secundam tertiæ Sententiæ.

Ad Rationem Concedimus, quod in Christo est humanitas, & Diuinitas, & ex hoc solum potest sequi, quod in Christo sunt duo, illa scilicet duo entia, quæ sunt Diuinitas, & humanitas, quod concedimus: non tamen est verum, quod Christus est Diuinitas, & humanitas, quia est falsum quod est humanitas absolutè. Si autem cum addito intelligatur identicè, & simul sumptæ, sicut ista conceditur, quod *Totum est suæ partes simul sumptæ*, & *Totum est componentia* identicè, ita potest concedi, quod Christus est humanitas, & Diuinitas identicè, & cōiunctim, seu simul sumptæ. Et in eodem sensu potest concedi, quod Christus est duo scilicet identicè, & prout vnita in illo, non vero absolutè, quia absolutè ly *Duo* explicat duo entia completa, sicut ipse Christus.

Ad

Ad Confirmationem Respondetur Concedendo, quod propter rationem *D. Thom.* benè intellectam negatur, quod Christus sit duo. Ad instantiam de *Albo* Respondetur non esse eiusdem formæ, & ideò non esse instantiam, quia hæc consequentia *D. Thom.* humanitas non prædicatur de Christo, sicut Diuinitas; ergo Christus non est duo, est supposita constantia, scilicet *Non est aliud vnde possit esse duo*, & supposito quod non est aliud principium vt sit duo, probat quod propter naturas distinctas non potest esse duo; & hoc demonstratiuè conuincit, quia humanitas absolutè non prædicatur de Christo. Si autem esset aliud principium vnde posset esse duo, scilicet si esset duplex suppositum, tunc quãuis humanitas non prædicaretur de Christo, Christus esset duo, sicut in errore Nestoriano, vt concedit *D. Thom. in Corpore*, & exemplum de *Albo* est hoc modo, quod est duo, quia habet duo esse, substantiale scilicet & accidentale; si autem non haberet nõ posset esse duo propter naturas, si albedo non prædicaretur de illo absolutè; & Contrarium huius debebat probari vt esset instantia, quod tamen probari nequit. Quam Solutionem adducit *Vazquez Cap. 3. in fine*, & sic poterat videre quod non conuincebat hoc Argumentum contra rationem *D. Thomæ*.

Ad Primum Tertiæ Sententiæ, quod est ex testimonijs Sanctorum, Respondetur Solutione *D. Thomæ* hic ad 2. *Quod cum dicitur à Sãctis Patribus, quod Christus est aliud, & aliud, loquutio est exponenda vt sit sensus, habens aliam, & aliam naturam*. Quod est dicere, quod Sancti non loquuntur absolutè, sed cum addito, scilicet secundum naturam. Quam solutionem admittit *Vazquez hic Cap. 3. Num. 13*. Et si hæc est legitima explicatio Sanctorum consequenter ipsi Sancti non dicunt absolutè, quod Christus est aliud, & aliud, vt *Ipse Vazquez* contendit in eodem *Capite 3. Num. 14*. quia ipse non adducit in *Capite 1.* aliquod Testimonium alicuius Sancti ad probandam illam Sententiam, quod Christus est duo absolutè nisi quia Sancti dicunt, quod Christus est aliud, & aliud; & hoc explicat *Cap. 3. Num. 13. citato* dicens, Quod Sancti non dixerunt, quod Christus esset duo, aut plura absolutè, sed cum additamento denotante plurium vnitatem in vno Christo. Si hæc explicatio est ad propositum debet esse ad terminos Sanctorum, quos ipse explicat; & ad quos respondet, & cum illi solum loquantur sub ijs terminis *Aliud, & Aliud*, & nunquam dicant *Duo*, vt patet ex verbis ipsorum allatis à *Vazquez Cap. 1.* aut ista solutio, & explicatio non est ad verba Sanctorum, aut si illis congruit clarè constat, quod cum Sancti dicunt *Aliud, & Aliud* non loquuntur absolutè, sed cum additamento, & sic eius solutio est contra Ipsum, & pro nostra Conclusione.

Ad Secundum quod est de contrarietate *D. Thom.* Respondetur, quod in *D. Thoma* nulla est contradictio in hac parte, sed potiùs omnimoda conuenientia, quod ex ipso *Sancto Doctore* patet, quia contradictio, quæ ponitur est eo quod hic ad 3. dixerit, *Aliud cum sit relatiuum diuersitatis substantiæ propriè refertur ad suppositum*; & supra Quæst. 2. Artic. 3. ad 1. inquit, *Quod dicitur Christus aliud, & aliud non importat diuersitatem suppositi, vel hypostasis, sed diuersitatem naturarum*. Si in his verbis esset contradictio, vt contendunt *Suarez*, & *Vazquez*, non erat necessarium recurrere ad locum citatum *Quæst. 2.* quia *hic ad 2.* habet *Sanct. Doctor* eadem verba *Cum dicitur Christus aliud, & aliud, loquutio est exponenda vt sit sensus habens aliam, & aliam naturam*, quod est idem ac dicere non importat diuersitatem suppositi, sed naturarum; & esset contradictio magis proxima scilicet in eodem Artic. inter duas Solutiones immediatas ad 2. & ad 3.

Præterea In Loco Obiectionis habet *Sanct. Thom.* satis clarè aliam propositionem, quæ adducitur tanquam contraria Solutioni hic ad 3. scilicet, *Quod aliud est relatiuum substantiæ, & ideò propriè refertur ad suppositum*. Hoc idem habet in illa Solutione ad 1. vbi inquit, *Sicut accidentalis differentia facit alterum, ita differentia essentialis facit aliud. Manifestum est autem, quod alteritas, quæ prouenit ex differentia accidentali potest ad eamdem hypostasim, vel suppositum pertinere in rebus creatis, eo quod idem numero potest diuersis accidentibus subesse; non autem contingit in rebus creatis, quod idem numero subsistere posset diuersis essentijs, vel naturis*. Ex quibus verbis infertur, quod *Aliud* non potest dici sicut *Alterum* in creatis, vbi in diuersis naturis nõ datur distinctum suppositum: hæc enim est differentia inter *Aliud*, & *Alterum* posita in his verbis à *D. Thoma*, quia alterum, & alterum compatitur cum eodem supposito, aliud vero, & aliud non. Hoc est in creatis, & hoc est

abso-

absolutè, & propriè, & secundum se; in Christo autem vbi supernaturaliter coniunguntur duæ naturæ in vno Supposito secundum hanc veritatem fidei non potest admitti aliud secundum Suppositum, sed secundum naturam.

Est Ergo Explicatio resolutoriè sumpta, tradita à *D. Thom. hic ad 7.* vbi adducit eãdem doctrinam de differentia inter alterũ, & aliud dicens, *Alterum importat diuersitatem accidentis, & ideò diuersitas accidentis sufficit ad hoc vt simpliciter aliquid dicatur alterum; sed* Aliud *importat diuersitatem substantiæ: Substantia autem dicit non solum naturam, sed etiam suppositum,* vt dicitur in 5 Metaph. *& ideò diuersitas naturæ non sufficit ad hoc, quod aliquid simpliciter dicatur aliud, nisi adsit diuersitas secundum suppositum, sed diuersitas naturæ facit aliud secundum quid, si non adsit diuersitas suppositi.* Ex his verbis colligitur hæc distinctio: aliud, & aliud potest summi simpliciter, propriè, & absolutè, aut secundum quid: si sumatur primo modo petit diuersitatem naturæ, & suppositi; si secundo modo sufficit diuersitas naturæ sine diuersitate suppositi. Ratio huius doctrinæ est desumpta ex Authoritate *Philosoph. 5. Meth.* Quod substantia non solum est natura, sed etiam simul suppositum.

Et Cum Dicitur ex Porphi. allato in 7. Argumen. Quod forma substantialis facit aliud, intelligitur iuxta Philosoph. in verbis dictis. Si enim substantia sit simpliciter substantia faciet aliud simpliciter; & si est substantia secundum quid faciet aliud etiam secundum quid; & cum addito; substantia autem erit completa quando est natura cum supposito, hæc est substantia absolutè, & simpliciter.

Ratio Huius Præter Authoritatem Philosophi Est, Quia in qualibet linea id quod est incompletum non est simpliciter tale, & quia natura in linea substantiæ sine supposito non est completa in linea substantiæ non est simpliciter substantia, sed solum secundum quid vtpotè incompleta; sicut entitas incompleta vt modus non est ens simpliciter, sed secundum quid, & ideò alia natura sine alio supposito facit quidem aliud non simpliciter propriè, sed secundum quid. Hæc est doctrina *D. Thomæ* hic *ad 7.* & ex illa constat compositio clara, quia ad tertium dixit, quod Aliud propriè refertur ad suppositum, idem est propriè quod simpliciter: in alio loco dixit ad naturam secũdum quid ad explicandum *Sanctum Augustinum,* qui dixit aliud, & aliud, quod intelligitur secundum naturam, vt ipse se explicat loco allato *hic ad 2.* In quo sensu etiam loquitur *Nazianzenus* ibidem allatus, scilicet secundum naturam tantum, & hoc est secundum quid tantum aliud, propter quod benè dicũt communiter Thomistæ, quod nulla est contradictio in his locis, & fundamentum est hoc, quod sic ex professo placuit adducere vt ostenderetur, quàm falsò *Vazquez*, & *Suarez* dixerunt, quod *D. Thomas* habuit contrariam Sententiam.

Ad Tertium Patet Ex Dictis. Et ad Rationem Secundæ Sententiæ, quia est idem Argumentum, licet enim dicatur, quod *Christus est Homo,* non dicitur quod *Est humanitas,* & ideò non dicitur aliud simpliciter, sed secundum quid.

Ad Confirmationem similiter patet ex dictis *ad 2.* Quod forma substantialis sine supposito facit solum aliud secundum quid, & Porphirius intelligitur iuxta naturam substantiæ completæ, vel incompletæ.

Ad Quartum Respondetur, Quod in Diuinis Tres Personæ dicuntur *Vnum* propter vnam essentiam, & non dicuntur *Aliud, & aliud*, quia non est cum diuersitate suppositi diuersitas naturæ, sed est *Alius*, & *Alius*: & si dicatur *Aliud* non debet summi substantiuè ly *Aliud*, sed adiectiuè; vt si dicamus Pater est aliud suppositum à supposito Filij Vide 1. *Parte Quæst. 33. Regul. 1.* & 2. Vbi tota hæc doctrina traditur.

Solum Potest Occurrere Difficultas, Quod videlicet possit concedi ista *Christus est Diuinitas, & Humanitas,* aut *Natura Diuina, & humana simul sumptæ*, quia sic est admissum; sed hoc esse falsum Probatur Primo ex *Concilio Constantiensi Sect. 15.* vbi inter errores Ioannis Hus error quartus ponitur his verbis *Duæ naturæ Diuinitas, & humanitas sunt vnus Christus.*

Deinde Ratione, Quia si Christus est Diuinitas, & humanitas cum verificetur *Diuinitas est Christus* sequitur, quod *Diuinitas sit humanitas.*

Respondetur: Quod hæc propositio est vera *Christus est Diuinitas, & humanitas* non formaliter, sed identicè, & cum addito *Simul sumptæ*, sicut in physicis conceditur quod *Totum est suæ partes identicè, & simul sumptæ.* Et hæc propositio de Christo est vera, & Catholica sine controuersia inter Scolasticos, Eam determinat *Leo 1. in Epist. 11. Leo 2. in Epist. ad Imperatorem*, quæ habetur

betur in *VI. Synodo Act.* 18. Eam tenent *Augustinus, Bernard. Damascen.* & quamuis *Medina* hic dicat esse erroneam referendo se supra *Quæst.* 2. *Artic.* 4. & ibidem *Dub.* 1. *ad* 2. in principio dicat esse damnatam in *Concilio Constantiensi*, in fine explicat sensum in quo est vera, & ibidem communiter Commentatores *D. Thom.* propter has Authoritates ibidem ab ipsis allatas. Videantur *Vazquez*, *Nazarius*, & alij ibidem.

Sensus Ergo Est in hac propositione, & Catholicus, & Hæreticus. Catholicus, si sumatur copulatiuè, & coniunctim vt explicatum est, & in hoc sensu conceditur à Pontificibus, Concilio, & Doctoribus allatis. Hæreticus si sumatur sigilatim, & diuisim, hoc enim est diuidere vnum Christum in duos, vel plures, & damnatur in *Epistola Concilij Alexand.* approbata in *Cœcilio Ephesino*, quæ est 10. *apud Cyrilum* in illis verbis iam supra allatis *Ne diuidamus in duo, vel duos vnum Christum.* Et in hoc sensu etiam damnatur à Concilio Constantiensi, quia iste erat sensus eius Authoris contra quem Concilium ibi procedit.

Quod Constat, quia Ioannes Hus erat sectator, & Discipulus Vviclephi, vt ostenditur in actis eiusdem Concilij, & iste asserebat, quod Christus erat Diuinitas, & humanitas sigilatim, immo Anima, & Corpus, quia in hoc sensu Vvaldensis, qui diligentia, & doctrina inquisiuit, & impugnauit errores Vviclephi illum intelligit *Tom.* 1. *Doctrinalis fidei antiquæ Cap.* 22. & 23. quia dicebat Hæreticus Christum esse tria sigilatim, & hoc idem est, quod esse tripartitum, & sic refert idem *Vvaldensis Cap.* 39. quod Vvicleph asserebat, quod Christus est tres naturæ incommunicantes, scilicet Deitas, Corpus, & Anima earum quælibet, & sic asserebat Christum esse suam humanitatem, & Diuinitatem cõiunctim, & diuisim. & propter diuisim est error. Et quamuis Vvicleph vtatur Testimonio *Augustini* Tractatu 47. in Ioannem dicentis, *Caro Christus, & Anima Christus, & Verbum Christus* hæc tamen verba *Augustini* non sunt intelligenda in sensu hæretico, sed per *Synedochem* accipiendo partem pro toto, sicut necessarium est explicare plura Euangelij testimonia. De quo videantur Commentatores loco citato, quia non est huius loci hæc disputatio, & ad intentum sufficit doctrina allata.

Ad Probationem Ex Ratione Respondetur, Quod hæc Propositio *Christus est Diuinitas*, vel *Natura Diuina* potest accipi in duplici sensu; primo ratione Suppositi Christi, & sic est vera, & non sequitur quod Diuinitas sit humanitas, quia humanitas non est Suppositum Christi, benè tamen potest dici homo, sicut ista Deus est homo, quia homo in concreto supponit pro Supposito Christi. Secundo quod Christus sumatur vt quoddam totum constans ex pluribus cõponentibus, scilicet Diuina, & humana natura, & in hoc sensu est falsa *Christus est Diuinitas*, quia Christus non tantum est Diuina natura, sicut non est tantum homo, quia vt habet *D. Thom.* hic ad 3. *Excludit aliam naturam.* Et in hoc sensu non procedit obiectio.

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Christo sit tantum vnum Esse?

Conclusio. In Christo est tantum vnum esse. Vt probetur & mens *D. Thomæ in hoc Art.* appareat notandum est, quod esse est duplex, aliud quod conuenit substantiæ; aliud quod conuenit accidenti, quod certum est in omni Philosophia, & *S. Thom.* mentionem facit de vtroque hic in Corpore, & de accidentali concedit quod potest *Multiplicari in vna Hypostasi, vel Persona, aliud enim est esse quo Sortes est albus, & quo Sortes est musicus.* De esse vero substantiali loquitur Conclusio; & ad eius probationem præmittit *D. Thom.* à principio Corporis, quod cum in Christo sint duæ naturæ, & vna persona, vel Hypostasis secundum fidem, consequenter ea, quæ pertinent ad naturas multiplicanda sunt sicut ipsæ naturæ; quod vero pertinet ad suppositum, vel personam non est multiplicandum, sicut nec persona multiplicatur; *Sed esse pertinet ad naturam, & ad suppositum, vel Hypostasim* diuersimodè tamen, ad Hypostasim sicut ad id, quod habet esse; ad naturam sicut ad id, quo aliquid habet esse; si ergo natura accidentaliter aduenit suppositio, quamuis ipsa sit substantialis multiplicabitur esse sicut dictum est de formis accidentalibus, & hoc modo Quidam posfuerunt, quod humana natura aduenit Filio Dei accidentaliter, non Hypostaticè, vel personaliter, & in hac positione duo esse debebant poni in Christo. Sed hæc positio

est

est erronea, & Fides Catholica est, quod humana natura coniungitur Filio Dei personaliter, & hypostaticè, non accidentaliter. Ergo secundum humanam naturam, non aduenit Christo nouum esse personale, sed solum noua habitudo esse personalis præexistentis ad naturam humanam, quia impossibile est esse pertinens ad naturam, vel hypostasim multiplicari in vna hypostasi, quia impossibile est, quod vnius rei non sit vnum esse. Hæc est litera *D. Thom. in Corpore.*

Ex Qua Constat, quod Conclusio loquitur de esse substantiali, de quo affirmatur, quod est vnum tantum; & hoc probatur. Quia est vna tantum persona, eo quod persona est immediatum susceptiuum illius esse; ergo vbi est tantum vna persona est tantum vnum esse; & naturæ accidentales non causant distinctionem in illo vt constat: substantiales vero si substantialiter, hypostaticè, & personaliter vniantur in vna persona idem esse habent, quia natura trahitur ad esse personæ; sed sic vnita fuit natura humana in Christo; ergo in illo solum fuit vnum tantum esse substantiale.

Ex His Colliguntur istæ propositiones. Prima. *D. Thomas* non disputat in præsenti de subsistentia Christi, an sit vna, vel plures, quia hoc iam est determinatum supra, quod in Christo solum est vna persona, & consequenter vna subsistentia. Præterea, quia hic in Corpore inquit, *Quod hypostasis est id, quod habet esse.* Et ad Primum *Personam consequitur esse*; ergo esse de quo loquitur non est subsistentia.

Secunda Propositio. Loquitur de existentia: Patet, quia non est nisi existentia, vel subsistentia præter naturas; de naturis non agit, quia iam de natura assumpta egit *Quæst.* 4. supra; ergo.

Tertia Propositio. Existentia distinguitur realiter à natura. Patet, quia ponit, *Quod secundum humanam naturam non aduenit nouum esse personale*, & non loquitur de persona, quia illa est quæ habet esse; loquitur ergo de existentia, quæ conuenit personæ, & communicatur naturæ.

Quarta. Subsistentia distinguitur realiter ab existentia in creatis, & est susceptiua illius.

Quinta. Existentia, & subsistentia compositi est indiuisibilis in creatis. Probatur à D. Thom. *Si contingeret, quod aduenirent Sorti post constitutionem personæ, ex his non accresceret Sorti aliud esse, sed solum relatio quædam ad huiusmodi.* Ergo secundum *D. Thom.* existentia non habet partes, & per consequens non identificatur cum illis, quia si identificaretur, vbi ponerentur plures partes naturæ, ponerentur plures partes existentiæ.

De Omnibus His Propositionibus disputandum erat hic; sed quia ex professo egimus de illis in *Physica Quæst.* 7. per totam, & 1. *Parte Quæst.* 3. *Disput.* 4. ideò in præsenti non disputamus de illis, sed remittimus Lectorem illuc, vbi contrarias sententias, specialiter illam ex qua aliæ dependent, quod existentia non distinguitur ab essentia in creatis retulimus ex *Scoto, Durando, & Vazquez* hic eos sequente, & *Suario* in *Metaphi.* Qui etiam hic illam sequitur sicut & alij Moderni eorum sectatores, & tandem supra in *Materia de Incarnatione* explicuimus quomodo de facto vnio hypostatica facta fuit immediatè in persona, vel hypostasi, cum *D. Thom.* ibi, qui *Quæst.* 2. *Artic.* 2. & 3. hoc disputauit, & determinauit, per quod excluſum fuit, quod de facto non fuit facta vnio in existentia increata, quia conceptus existentiæ in Diuinis non est constitutiuus personæ, & sic minus aduertenter *Suarez* hic in *Prologo Disputationis* inquit, quod hæc Disputatio fuit omissa à *D. Thom.* supra *Quæst.* 2.

(·.·)

QVAESTIO XVIII.

DE PERTINENTIBVS AD VNITATEM IN CHRISTO QVANTVM AD VOLVNTATEM.

Sanctus Thom. agit in præsenti de vnitate voluntatis Christi tanquam de principio actionis, de qua in *Quæst. Sequenti agit*; de intellectu verò supponit esse intellectum duplicem creatum, & increatum, ex dictis supra *Quæst. 9. Art. 1.* vbi ponit præter scientiam diuinam scientiam creatam in Christo. Ex quo constat simul habere diuinum, & humanum intellectum; solum restabat hoc determinare de voluntate ad quod hæc *Quæstio* instituitur, in qua simul de alijs ad voluntatem pertinentibus agit.

ARTI-

ARTICVLVS I.

Vtrùm in Christo sint Duæ Volũtates?

Conclusio Est Affirmatiua. Pro explicatione est notandũ quod potest in duplici sensu intelligi; vel quantum ad actum, vel quantum ad potentiam. Quantũ ad actum, vel operationem agit *Quæst. Sequenti*, in hac autem quãtum ad potentiam, vel principium, seu facultatem volendi. Et in hoc sensu intelligitur ista Conclusio, quod in Christo est duplex voluntas increata, & creata, sumpta voluntate pro principio volendi. Et antequam illam probet *S. Thom.* refert errores contra quos est Conclusio, qui ad quatuor Capita reducuntur.

Primum Caput erroris est, quod Verbum in Christo erat anima, & sic intellectus, & voluntas solum erat Diuina in Christo. Sic Appollinarius.

Secundum Caput est ponentium in Christo vnam naturam per transmutationem compositam ex duabus: hæc voluntas neque esset Diuina, neque humana, sed sicut ipsa natura, quæ erat vna composita ex duabus, & neque istam, neque illam, sicut Euthyques, & alij.

Tertium Caput est ponentium in Christo solam voluntatem humanã, quia ponebant solum in Christo naturam humanam, & vnitam per affectum. Sic Nestorius.

Quartum Caput est aliorum, qui ponebant in Christo naturam Diuinam, & humanã hypostaticè vnitas, & isti ponebant solam vnam voluntatem Diuinam, scilicet quæ mouebat naturam humanam. Sic posuerunt Macharius, Ciprus, Sergius, & alij qui dicti sunt Monotholitæ.

In Primo Capite ponitur solum voluntas diuina, & ad istud potest reduci hæresis Manichæorum in quantum dicebant, quod Deus non assumpsit veram humanitatem, sed phantasticam. *Secũdum Caput* est ex alio extremo ponens voluntatem humanam, & negans diuinam; ad istud potest reduci hæresis Photini in quantum dicebat, quod Christus erat Deus non naturaliter, sed participatiuè solum per gratiam, & quantũ ad hoc conueniebat cum hæresi Nestoriana.

Sed Hic Potest Esse Difficultas, quomodo *S. Thom.* dixit, quod Nestorius ponebat solã vnam voluntatem, siquidem ponebat duo A suppositа, & duas naturas? Sed intelligentia est, quam tradit *Caietan.* hic & Alij, quod Nestorius sic fingebat suum errorem, quod scilicet in Christo suppositum humanum, & natura humana cõiungebatur cum Supposito Diuino, & natura diuina solum per affectum, & Suppositum diuinum cum natura diuina vocabat simpliciter *Deum*, suppositum vero humanum cum natura humana vocabat *Hominem Christum*, propter coniunctionem affectiuam, & sic ipse solum ponebat voluntatem humanam in Christo. B

Tertium Caput, neque humanam, neque diuinam ponebat, sed vnam compositã ex vtraque, ita quod ex transmutatione vnius in alteram resultaret quędam tertia ratio.

Quartum Caput ponebat in Christo solum voluntatem diuinam per quam Christus operabatur, & mouebat humanitatem.

Contra Omnes istos errores ponit *D. Thom.* suam Conclusionem, quam probat primo in *Argumento sed Contra* ex sacra Scriptura Lucæ 22. *Pater si vis transfert calicem istum à me, verumtamen non mea volũtas, sed tua fiat.* Circa quæ verba Ambrosius, *Sicut susceperat voluntatem meam suscepit tristitiam meam*, & iterum. *Voluntatem suam ad hominem retulit, patris ad Diuinitatem; voluntas enim hominis est temporalis, voluntas Diuinitatis Æterna.* Possunt pluta alia loca sacræ Scripturæ ad idem adduci Matthæi 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Ioannis 4. *Cibus meus est vt faciam voluntatẽ eius, qui misit me.* Ioannis 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Et 6. *Descendi non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me*, & similia.

Secundo Probat D. Thom. Conclusionem ex VI. Synodo Generali ex verbis Epistolæ Agatonis Papæ lecta in eadem Synodo *Actione* 4. & recepta *Act.* 8. vbi diffinitur, Quod in Christo sunt duæ voluntates. Idem diffinitur in *VII. Synodo Actione* 7. & in Concilio Lateranensi sub Martino I. *Canone* 11. & Florentino *Section. Vltima.* Et præterea Caius Papa ad Felicem, Leo Papa in Epistola 10. & 18. & 19.

Tertio Probat D. Thomas Ratione, qua etiam vtuntur Pontifices citati sic in fine corporis. Nam Filius Dei assumpsit naturam humanam perfectam; sed ad perfectionem naturæ humanæ pertinet volũtas; ergo necesse est dicere, quod Filius Dei humanam voluntatem assumpsit in natura

humana. *Maior manet probata* supra *Quæst. 2. Art. 5.* Minor 1. *Part. Quæst. 79 & 80.* Et consequentia est bona.

Vlterius. Per assumptionem humanæ naturæ nullam diminutionem passus est Filius Dei in his, quæ pertinent ad Diuinitatem; sed voluntas pertinet ad Diuinitatem; ergo habet voluntatē Diuinam. *Maior* est de Fide. *Minor* est probata 1. *Part. Quæst. 80.* & *Consequentia* est bona, & sic sequitur Cōclusio, quod in Christo sunt duæ voluntates, vna scilicet Diuina, & alia humana. Fundamēta autem Hæreticorū, quantum ad Tria Capita priora non pertinent directè ad istū Articulum, sed supra *Quæst. 2.* exclusa sunt; quantum ad 4. Caput quod in Christo esset duplex cōtrarietas, si essent duæ voluntates, nullius momēti est, quia vt *Art. 5 & 6.* huius Quæstionis determinat *D. Thom.* in Christo nulla fuit contrarietas volūtatum.

DVBIVM VNICVM.

Vtrùm D. Thom. rectè intellexerit errorem Monotholitarum?

PAter *Vazquez* hic *Disp. 73. Cap. 1. Num. 2.* inquit hæresim Monotholitarū Scholastici nostri rectè, & sincerè non intellexerunt, putant enim apud Monotholitas aliud esse voluntatem, aliud autem operationem, & per voluntatē ipsam facultatē appetitus rationalis, ita cos ait intellexisse errorem horum Hæreticorum; & *S. Thom. Art. 1.* huius *Quæst.* & *Art. 1.* sequenti, & *Caietanus*, atque omnes Recentiores ibidem; ipse autem *Vazquez* intendit probare, quod Monotholitæ nō negabant voluntatem humanam in Christo, sumpta voluntate pro principio, vel facultate, sed solum pro operatione, & sic quod ponebant voluntatē diuinam, & humanam pro potentia, & error illorum consistebat in eo, quod solum ponebant actionē volūtatis diuinæ, & negabant actionē voluntatis humanæ, & sic, quod *S. Thom* & Scholastici non rectè intellexerunt errorē istum.

Probat Vazquez hoc suum iudicium, vel imaginationem, Primo ratione in eodem *Num. 2.* sic. Nam cum hi Hæretici expressè concesserint in Christo duas integras naturas nulla, vel minima specie probabilitatis negare potuerunt facultatem voluntatis in Christo.

Secundo Num. 4. probat Authoritate Agathonis Papæ, qui in Epistola lecta in *VI. Synodo Actione 4.* inquit *Voluntas motus est naturæ, quoniam motus est animi*; quæ verba inquit *Vazquez* esse diffinitionem voluntatis, quam Hæretici negabant.

Tertio, Quia illa Synodus Actione 8. vocat Macharium Monotholitam, & Principem Monotholitarum *Nouum Appollinarē*, quia Appollinarius negabat mētem in Christo, & Synodus inquit, *Cui Macharius assimilatur negando operationem, nempè voluntatis.* Igitur constat hunc Hæreticū non negasse in Christo ipsam facultatem voluntatis, sed affectum, quem vocat operationem.

Postremo Probat ex cōfessione ipsius Machari, quæ in eadē Synodo habetur *Actione 8.* vbi Hæreticus fatetur Verbū assumptisse *Carnem animatam anima rationali, & intellectuali*, & inferius vocat *Domini carnē animatam intellectualiter*: igitur concedens potētiā intellectus, concedere etiā videtur volū tatis facultatem; hæc enim mutuo se consequuntur, & frustra vnum sine alio concederet: & cum Hæretici intelligant nomine *Operationis* affectum voluntatis asserentes vnam tantum operationem nempè diuinā, & negantes humanā, planè cōsequitur affectum solū volūtatis humanæ, qui *Voluntas* cōmuniter nuncupatur, in Christo negasse.

Ex His Locis inquit *Vazquez Num. 3. in fine* hic est legitimus sensus erroris, quē prædicti Hæretici docuerunt, quem nullus hactenus Authorū notauit. Ego vero (inquit ille) ex Concilijs in quibus damnatur planè deduxi. Et prosequitur *Num. 4.* adducendo probationes istas positas, quæ faciunt ad intentum huius Articuli. Alia vero, quæ miscet ad explicandos Hæreticos circa operationem, quod non intelligebant de operatione carnis, & Corporis quando illam negabant, sed de operatione voluntatis, non est ad rem de hoc disputare, neque inter Doctores de hoc puncto est dissensio notabilis, & ideò illa omittimus.

Tanta Arrogantia non potuit non oriri ex magna ignorātia, quæ ex solutione probationum ipsius patebit, & simul probabitur *S. Thom.* intellexisse errorem Hæreticorum & mentem Conciliorum, & eum esse legitimum sensum Machari, & aliorū Monotholitarum, quem *S. Thom.* in *hoc Art.* & *Quæst. Sequenti Art 1.* tradit.

Fundamentum est, quod hoc nomē *Voluntas* impositū est ad significandā facultatem, seu virtutem volitiuā, sicut *Volitio* ad explicandum actum, vel operationem voluntatis;

tis; sed aliquando voluntas vsurpatur pro actu volitionis, sicut etiam pro obiecto volito, vt in aliquibus locis Euangelij; ex hoc tamen non sequitur, quod non possit accipi pro ipsa facultate, seu virtute volente, quæ est primarium eius significatum: quando autem sic sumatur, ex contextu, & ex modo loquendi debet colligi, & si Textus sit magnæ authoritatis, & sequatur aliqua nugatio, seu ineptitudo in loquutione ex hoc quod non intelligatur pro facultate, sic debet intelligi, specialiter si sit cũ distinctione ad operationem. Ex hoc principio ad singulas probationes *Vazquez* respondendo patebit intentum. De quo in *Art.* 3. huius *Quæstionis*.

Soluuntur Obiecta.

Ad Primum Ex Ratione Respondetur Concedendo, quod Hæretici nulla, vel minima specie probabilitatis negare potuerunt voluntatem humanam pro potẽtia, vel facultate affirmando naturam, & ideò euidenter redarguit eos *D. Thom.* hic ratione Corporis, & 4. *Contra Gent. Cap.* 36. *Rat.* 2. quæ est ista Consequentia. Quod si datur natura debet dari facultas: & quod tam inconsequẽter procedant Hæretici, nec *S. Thomas*, nec Theologi Scholastici reputant inconueniens, immo tãquam insanos propter hoc illos redarguit *Medina* hic; sed *Vazquez* reputat magnum inconueniens dicere, quod Hæretici non loquuntur consequenter, & nullũ inconueniens inuenit, quod *S. Thom.* & omnes Scholastici, vt ipse ait, non intelligant disputationem, & hoc solum vt non inueniatur in istis Hæreticis iniuria inconsequentiæ, quasi non esset maior iniuria, quod sint Hæretici, & quasi omnes Hæretici cõmuniter non deficerent in cõsequẽtia.

Præterea. Quia necesse est, quod isti Hæretici talem, vel maiorẽ inconsequentiam admittant, quia si ponendo naturã ponunt simul facultatẽ volendi, vt vult *Vazquez*, & tamen negant volitionẽ, seu operationem voluntatis, ergo inconsequenter loquuntur absque vlla apparientia probabilitatis. Patet Cõsequentia. *Cuiuslibet naturæ est aliqua operatio propria, nam forma est operationis principiũ, vnde oportet, quod sicut diuersarũ naturarũ sunt diuersæ formæ, ita sint diuersæ actiones. Si igitur in Christo sit vna actio sequitur quod sit vna tantũ natura.* Hæc est ratio *D. Thom.* cõtra istos Hæreticos 3. *Cont. Gent. Cap.* 36. citato ratione prima, & *Quæst. Sequẽti Art.* 1. in fine Corporis. Illa ergo vtimur sic. Igitur in Christo humana natura habet propriã formam, & virtutẽ per quã operatur, & similiter Diuina; vnde humana natura habet propriã operationẽ distinctam ab operatione Diuina, vel nõ consequẽter loquũtur Hæretici. *Patet Consequentia*, quia nõ potest *Vazquez* defendere, quod consequẽter loquantur ponendo naturã, & formã, quæ est principium operationis, & negãdo operationem, & peius errant in explicatione *Vazquez* ponẽdo potentiã, seu facultatem operationis, & negando operationem, quia est ponere principium proximum mortuum, inutile, & impotens ad operationẽ, quæ nunquam exercenda est, cum tamen detur solum propter operationem.

Et Adhuc hoc magis insanum apparet ex modo, quo Hæretici negabant operationẽ. Macharius enim Princeps illorũ in sua cõfessione, quæ habetur in eadem Synodo citata Actione 8. dicit, *Quemadmodum nostrũ Corpus regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, & rationali anima nostra; ita & in Domino Christo tota hominis conspersio ab eiusdẽ Verbi diuinitate semper & in omnibus mota, & Deo mobilis fuit.* Vbi expendẽdum est, quod tota humanitas mota & mobilis semper, & in ompibus fuit à Diuinitate, & sic clarè Hæreticus impossibilem negabat operationẽ, seu motum proprium naturæ humanæ: ergo ponendo potentiam, vt vult *Vazquez*, simul ponebat possibilitatem, & impossibilitatem operationis; possibilitatẽ quia ponebat potẽtiam, quæ dat posse; impossibilitatẽ, quia dicebat Hæreticus, quod non erat mobilis nisi à Diuinitate. Et exemplum Hæretici manifestat impossibilitatẽ, quia inquit *Quod est sicut Corpus regitur ab anima*, & Corpus nõ potest moueri, nec est possibilis illi operatio, quæ non sit animæ; ergo si ita ponit vt ipse dicit, quod est in Christo humanitas respectu Diuinitatis, & quod ideò solum est operatio diuina in illo, ponitur impossibilis operatio humana. Maior ergo absurditas est ponere potentiã ad operationẽ, & simul impossibilem esse operationem, quam ponere naturam sine potentia proxima, esto quod vtrunque est contra naturam propriam rerum, sed ibi apparet maior oppositio, quia ponitur simul possibilitas, & impossibilitas.

Denique id quod *Vazquez* inquit inuenisse poterat, & debebat videre in *Caietano* in *hoc Art.* vbi citatur à *Vazquez*, sic enim inquit *Caietanus, Macharius non negabat*

bat potentiam, sed motum proprium humanæ naturæ Ecce explicationem, & intelligentiam Hæretici, de qua tantum gloriatur *Vazquez* ex Concilijs deduxisse vt allatum est, & quod Scholastici hactenùs non intellexerunt, scilicet quod hæreticus non negabat potẽtiam, seu facultatem, sed operationem, & motum; quod patet prius intellectum, & deductum à *Caietano* in istis verbis. Solum est differentia, quod *Caietanus* vult hæreticos consequenter fuisse cõuictos, vt negarent potentiam etiam, sed *Vazquez* non vult, quod sic à Catholicis, & à Concilijs, & Patribus conuincti sint hæretici vt negent potentiam. Ad hoc solum reducitur tota nouitas, & vanitas gloriationis *Vazquez*. Veritas tamen ex dicendis patebit.

Ad Secundum Concedimus verba Pontificis, negamus tamen esse diffinitionem voluntatis, vt inquit *Vazquez*, quod patet. *Tum*, Quia non probat. *Tum*, Quia inquit allatam fuisse ex *Augustino*, & *S. Augustinus* nunquam definiuit volũtatem contra istos hæreticos per operationem, vel motum, quia aliàs nunquam voluntas posset accipi ab *Augustino* pro ipsa potentia; quod constat esse falsum multis in locis, specialiter in *Ioannem* locis allatis in prima probatione Conclusionis. *Tum*, Quia licet esset definitio potentiæ per actum, non sequitur quod non intelligatur de ipsa potentia. Et denique dato, quod in illo loco accipiatur à Pontifice voluntas pro ipso actu, non sequitur quod non accipiatur ab eodem Põtifice etiam pro potentia, quod debebat probare *Vazquez*, & non probat. Nos autem probamus, quod etiam ab eodem Põtifice in eadem Epistola voluntas accipiatur pro potentia, vel facultate.

Inter Plura Verba, quæ possent adduci, potiora sunt, quæ *D. Thomas* hic in Corpore refert sic, *Patet ex Epistola Synodica Agatonis Papæ vbi sic legitur: Iuxta quod olim Prophetæ in Christo, & ipse nos erudiuit, & Sanctorum Patrum nobis tradidit Symbolum duas naturales voluntates in eo, & duas naturales operationes prædicamus.* Ponderatio est clara in his verbis *Secundum Prophetas*, & *Euangelium*, & *Symbolum* determinat Pontifex duas voluntates naturales, & duas operationes naturales in Christo; sed non potest intelligi voluntas pro operatione in hoc loco, *Patet*, Quia esset repetitio nugatoria dicendo *Duas voluntates naturales*, id est, *Duas operationes*, vt vult *Vazquez*, & addendo, & *Duas operationes* repetit idem impertinenter, & superfluè; & copula & posita à Pontifice, dicendo *Voluntates, & operationes* inepta esset.

Propter Quod malè *Vazquez Num. 7.* concludit, quod quando Concilia definiũt in Christo duas voluntates, & duas operationes, solum confutare istum errorem in illo sentu, scilicet secundum quod vnam tantum operationem ponebant. Eodem modo intelligit *Damascenum*, & alios Sanctos, quando dicunt duas voluntates, & duas operationes esse in Christo absque vlla apparientia probabilitatis, quia si *Damascenus* posuit duas voluntates, posuit humanam, & posuit etiam operationem humanam non solum in membris exterioribus; sed in voluntate interiori per quam principaliter procurabat nostram salutem per amorem scilicet Dei, & proximi, & non per membra exteriora, vt malè inquit *Vazquez* in illo *Num. 7.*

Tandem si hoc non conuincit nunquam conuincetur *Vazquez*, quod in sacra Scriptura voluntas possit accipi pro potentia aliquando, vt in locis Euangelij allatis pro Conclusione, quos cum alijs adducunt Pontifices ad probandas duas voluntates in Christo, quia semper vtuntur hoc nomine *Voluntas*, & si voluntas semper accipitur pro operatione, vt vult *Vazquez*, & nunquam pro potentia in Cõcilijs, & in Pontificibus idem erit in sacra Scriptura ab ipsis allata; & si licet mutare significationes vocum nulla firmitas erit in diffinitionibus fidei dicendo quod non accipitur nomen, iuxta significationem linguæ Latinæ. Specialiter quia cum *S. Thom. Art. 3.* sequenti dicat, *Quod voluntas quandoque accipitur pro potentia, & quandoque pro actu*; *Vazquez* in Commentario conuenit cum *D. Thom.* in hoc: ergo sine probabilitate negat, & inconsequenter, quod Concilia possint intelligi de voluntate pro potentia, maximè quando cum expressa distinctione loquuntur distinguendo operationem, & voluntatem.

Ad Tertium Respondetur Concedendo, quod ex illis verbis constat, quod Macharius negabat operationem, vt Concilium inquit, sed falsum est, quod addit *Vazquez*, quod solam operationem negabat, immo ex consequenti in illis verbis denotat Concilium, quod negabat voluntatem quo ad potentiam eo ipso, quod vocat illũ Nouum Appollinarem, quia Appollinarius negabat men-

mentem, sed Appollinarius non negabat mentem solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potentiam, quia ponebat Verbum esse loco animæ in Christo: ergo si assimilatur illi Macharius negando operationem, meliùs saluatur assimilatio negando operationem cum suo principio, quam solam operationem.

Præterea expressiùs hoc habetur in eodem Concilio, & in eadem *Actione* 8. in qua interrogatur Hæreticus à Patribus, *An Christus humanam habuerit voluntatem, & impeccabilem?* Responsio Hæretici fuit *Nos voluntatem humanam in Christo non dicimus, diuinam vero etiam absque carnalibus voluptatibus, & cogitationibus humanis.* Interrogatio Concilij est non solum de operatione, immo in his verbis nullo modo de operatione potest intelligi, sed solum de potentia quando dicit *Voluntatem, & impeccabilem*, quia voluntas impeccabilis nõ potest applicari ad actum, quia actus non est peccabilis, nec impeccabilis, sed aut peccatum, aut actus contrarius; & Responsio Hæretici in eodem sensu est negando voluntatem humanam in Christo, & concedendo Diuinam. *Tum* propter correspõdentiam interrogationis, & responsionis. *Tum* quia per voluntatem Diuinam non solum intelligit actum, sed facultatem, quia etiam illam concedebat diuinam; sed eodem tenore verborum negat humanam; ergo in eodem sensu.

Deinde Hæreticus concedebat Adam habuisse animam rationalem, & quæsitus à Concilio, *An habuerit naturalem voluntatem?* Respondet *Adam habuisse arbitralem, & liberam voluntatem.* Vbi Hæreticus voluntatem non accipit pro actu, sed pro libero arbitrio; actus enim non dicitur arbitralis, quia actus non est indifferens ad vnũ, vel aliud, sed facultas, seu potẽtia ad actum. Hanc arbitralem voluntatem Concilium intulit Christum habuisse sicut Adam, siquidem habebat animam rationalem sicut Adam contra Hæreticum, qui ponebat animam rationalem in Christo sicut in Adam, & negabat arbitralem voluntatem in Christo, quam ponebat in Adam; ergo malè interpretatur *Vazquez* mentem Hæretici.

Ad Quartum Concedimus, Quod inconsequenter loquitur Hæreticus, & frustra ponit mentem sine voluntate, & hoc quod reputat *Vazquez* inconueniens, quod de Hæretico dicatur, Nos non iudicamus inconueniens. Et probatur quod *Vazquez* teneatur cõcedere hoc in Hæretico. *Tum*, idcò ponitur voluntas ne ponatur frustra intellectus ab Hæretico vt vult *Vazquez*; ergo hoc est, quia intellectus frustraretur sine voluntate, & cum voluntate non frustratur; ergo voluntas concurrit ad finem intellectus, sed hoc voluntas nequit facere sine operatione propria, quia sine operatione voluntas nihil conducit, & est quædam qualitas emortua; ergo si ideò ponitur voluntas à *Vazquez*, ne frustretur intellectus debet poni voluntas cum operatione, sed *Vazquez* concedit quod ponebatur ab Hæretico voluntas sine operatione; ergo debet admittere, quod frustra ponitur intellectus. *Tum*, Quia etiam debet admittere, quod frustra ponitur voluntas ab Hæretico, siquidem ponitur ab illo sine peratione, & non magis frustra poneretur intellectus sine voluntate, quam voluntas sine operatione, quia magis intrinseca est operatio potentiæ, quam vna potentia alteri potentiæ; ergo non potest *Vazquez* vitare inconueniens, quod intendit in Hæretico, scilicet quod non ponat aliquid frustra.

Ad Id, Quod Adducit de Hæretico ponente in Christo carnem animatam anima rationali, & intellectuali. *Respõdetur*, Quod statim subiunxit Hæreticus verba à Nobis allata, *Supra ad Primum*, quod talis caro animata non mouebatur, nec erat mobilis ab anima, sed à Diuinitate; vnde excludebat potentiam motiuam humanam, quæ est voluntas rationalis in ordine ad actiones corporales.

Denique Constat, quam præsumptuosè loquutus fuit *Vazquez* dicendo, quod *Constat planè*, Hæreticos solum operationem negasse, & iterum repetit quod *Liquido constat*, hoc idem *Num.6.* cum Agaton Papa in *Epist. citata* dicat de eisdem Hæreticis, *Tam variè, tamque confusè loquuti sunt, vt vix satis constet, quo sensu errorem suum asseruerint*, vt benè expendit *Suarez* hic *Disput.37. Sect.1* Si ergo Pontifex inquit quod vix constat in quo sensu errant Hæretici propter varietatem loquutionis illorum, quando illos præsentes habebat, & cum illis disputabat; quomodo *Vazquez* tam planum, & liquidum sensum illorum inuenit?

(..)

AR-

ARTICVLVS II.

Vtrùm in Christo fuerit aliqua Voluntas Sensualitatis præter rationis Voluntatem?

Conclusio Est Affirmatiua. Probatur Ratione in Corpore. Christus assumpsit naturam humanam; ergo naturam animalis. *Patet Consequētia,* Quia animal continetur in homine, sicut genus in specie; & qui suscipit humanitatem non potest non suscipere genus; sed ad animal pertinet appetitus sensitiuus, qui *Sensualitas* dicitur; ergo suscepit appetitum sensitiuum. Iste autem in quantū est natus obedire rationi dicitur *Rationalis per participationem*, & quia voluntas est in ratione, potest etiam dici sensualitas voluntas per participationem. Vbi constat quod sensualitas non est nomen vitij, sed nomen potentiæ sensitiuæ.

Hic Solum Est Notandum, Quod in Christo nullus fuit actus indeliberatus præueniens rationem in parte sensitiua; quod ex eo patet, Quia maior fuit rectitudo Christi, quam status Iustitiæ originalis, & in illo statu non habuit homo istos actus indeliberatos: ergo nec Christus. Et Ratio huius est, quia isti actus oriuntur ex appetitu sensitiuo ex rebellione contra rationem ad propriū obiectum sensibile appetitus; sed talis rebellio non fuit in Christo, vt docet *Sanct. Thom.* supra *Quæst.* 15. *Art.* 2. ergo. Et denique, quia propter perfectionem scientiæ non poterat præueniri ratio ab appetitu sensitiuo, & sicut Corpus in vltima resurrectione propter coniunctionem cum anima beata non poterit habere tales actus indeliberatos, multo minus Corpus Christi, qui etiam fuit comprehensor, & quamuis simul esset Viator, vt daretur locus passioni dotes corporales non fluxerunt ad Corpus ex dispensatione; hæc dispensatio solum se extēdit ad hoc, quod Corpus fiat passibile, non peccabile, & ideò quantum ad peccabilitatem nulla fuit dispensatio in Christo.

ARTICVLVS III.

Vtrùm in Christo fuerint duæ Voluntates quantum ad rationem?

Conclusio. Si loquamur de potentia voluntatis est vna sola voluntas humana in Christo: si loquamur de voluntate, quæ est actus; alia est voluntas, quæ est natura, & alia, quæ est ratio.

Exclusa Iam, duobus Præcedentibus Articulis, voluntate increata, seu Diuina, & voluntate sensualitatis à mente humana Christi, quia vtraque distinguitur à voluntate rationali, vna per excessum, & alia per defectum, in hoc Articulo restabat inquirere, Si quantum ad rationem humanam erant duæ voluntates in Christo? Et hoc resoluit *D. Thom.* Conclusione posita. *Et Probatur,* Quia vna potentia sufficit respectu finis, & eorum quæ sunt ad finem; actus vero diuersus est; ergo si voluntas sumatur pro potentia, vna solum est, si autem pro actu diuersa est, quatenùs est diuersus actus ille, qui tendit ad finem, & ille qui tendit ad media; primus vocatur *Voluntas vt natura,* secundus vero *Voluntas vt ratio*: primus vocatur à Damasceno *Thelysis*; secundus *Bulysis* Ex quo constat, quod voluntas potest accipi & pro potentia, & pro actu, vt dictum est *Art.* 1.

ARTICVLVS IIII.

Vtrùm in Christo sit Liberum Arbitrium?

Conclusio Est Affirmatiua. Probatur in *Argumento sed Contra* ex illo Isaiæ 7. *Vt sciat reprobare malum, & eligere bonum,* quod est actus liberi arbitrij. Ratio in Corpore est clara. Quia in Christo fuit duplex actus, vt dictum est *Art. Præcedenti*, vnus ad finem, alter ad media, qui est electio, seu ratio, & iste est proprius actus liberi arbitrij. Ergo ponendum est in Christo.

In Solutione ad 1. notanda est explicatio *Damasceni*, qui *Lib.* 3. *de Fide Capite* 14. inquit,

quit, Quod in Christo non fuit electio, & idem dixerat *Lib. 2. Cap. 22. & S. Thom.* explicat quod intelligitur secundum quod electionis nomine importatur dubitatio includens ignorantiam, quæ non fuit in Christo, vt habetur supra *Quæst. 15. Art. 3.* & sic inquit *D. Thom.* quod electioni accidit dubitatio secundum quod est in natura ignorante, sed sine tali defectu potuit esse electio in Christo, sicut in Deo, & idem repetit ad secundum.

In Solutione ad 3. tetigit *D. Thom.* Punctum difficile de compositione impeccabilitatis Christi cum eius libertate, quod Aliqui Commentatores hic disputant; sed Nos supra *Quæst. 15. Art. 1.* de hoc ex professo egimus, & ideò hic illud omittimus. Etiam hic solet disputari de actu potissimo dilectionis Dei, quomodo potuit esse liber in Christo? Sed de hoc *Quæst. Sequenti* in Materia de Merito dicemus.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Voluntas Humana Christi fuerit omnino conformis diuinæ voluntati in volito?

Prima Conclusio. Voluntas sensualitatis potuit velle in Christo aliud, quam Deus, & non conformari voluntati Diuinæ in volito.

Secunda Conclusio. Voluntas rationalis secundum actum in quo operatur per modum naturæ, poterat velle aliud, quam voluntas Diuina.

Tertia Conclusio. Voluntas rationalis secundum actum per modum rationis semper volebat idem, quod Deus.

Duæ Primæ Conclusiones probantur à *D. Thom.* ex eodem principio tradito ab ipso supra *Quæst. 14. Artic. 1. ad 2.* scilicet, Quod Christus ante passionem, ex quadam dispensatione permittebat carni agere, & pati, quæ sunt ei propria; & idem est de omnibus viribus animæ. Et Ratio huius erat, vt verè, & propriè pateretur, hoc est cum dolore, & tristitia, sicut alij homines: sed passio Christi fuit contraria eius sensualitati, quia pœnæ, & dolores sunt contra bonum naturæ, vtpotè destructiua illius: ergo voluntas sensualitatis recusabat dolores sensibiles, & etiam voluntas per modum naturæ volebat non pati mortem contrariam sibi; ergo non erant conformes voluntati diuinæ in volito materiali, sed volebant aliud, quia voluntas Dei erat vt Christus dolores, & passiones, & mortem pateretur, ex ordine ad finem humanæ salutis.

Tertia Conclusio Probatur. Quia Christus dixit, *Non sicut ego volo, sed sicut tu; Non mea voluntas, sed tua fiat.* In quibus verbis explicat conformitatem diuinæ voluntati, ex electione, & deliberatione circa idem volitum, quod eisdē verbis refugere ostendit dum dicit, *Non mea voluntas; non sicut ego volo.* Clarè ergo constat conformitas rationis cum diuina voluntate in ly *Fiat*, & non conformatio cum sua alia voluntate.

Circa Duas Primas Conclusiones notanda est Solutio *D. Thomæ* ad 3. Vbi ponit differentiam inter Christum, & alios beatos; alij enim beati nullam actionem habent, quæ non sit conformis voluntati diuinæ ex parte sensualitatis, seu ex parte voluntatis vt natura; at verò Christus erat simul Viator, & comprehensor, & quatenùs Viator habebat carnem, & Corpus passibile per dispensationem diuinam, vt dictum est; & ideò dabatur locus vt voluntas sensualitatis, & rationis vt natura non conformaretur voluntati diuinæ in volito materiali. Post resurrectionem verò cessauit hæc ratio, & ideò post resurrectionem conformabantur istæ voluntates cum voluntate Diuina in volito materiali; & idem est de alijs beatis. Et hoc notat *Caiet hic*, ad explicandam Solutionem *S. Thomæ* ad 1. & inducit illam distinctionem ex parte obiecti, vel subiecti, quia videlicet obiectum ex se abstrahit à conformitate, ex parte verò subiecti conformes sunt in beatis, & in Christo post resurrectionem actus vtriusque voluntatis.

Circa 2. & 3. Conclusionem occurrit Oppositio, quia Secunda Conclusio, quæ asserit de voluntate vt est natura, quod in Christo non est conformis voluntati diuinæ, vel intelligitur quantum ad actus ineffi-caces, vel efficaces: si solum quantum ad actus inefficaces, nulla erit differentia inter voluntatem, vt est natura, & vt est ratio, quia etiam voluntas vt ratio, quantum ad actus inefficaces potest non conformari voluntati diuinæ in volito materiali, & cōsequenter Tertia Conclusio absolutè etiā debebat negare conformitatem in voluntate vt est ratio, sicut Secunda Conclusio

negat

negat de voluntate vt est natura, propter eamdem rationem. Si vero intelligatur, quantum ad actus efficaces, inconueniens est, quod aliquis actus efficax Christi non conformetur cum voluntate diuina, siquidem neque in Beatis ponitur.

Respondetur, Quod Secunda Conclusio non intelligitur quantum ad actus efficaces de voluntate vt natura, quod expressè dixit *D. Thom. in* 3. *Distinct.* 17. *Quæst.* 1. *Art.* 2. *Quæstiuncul.* 1. *in Corpore* sic. *Patet igitur quod voluntas vt natura imperfectè vult aliquid, & sub conditione nisi feratur in ipsum, sicut in finem; ex his potest patere qualiter voluntas rationis diuinæ voluntati in Christo conformabatur in volito, quia voluntas vt natura nunquam in Christo mouebatur ad aliquid, sicut in finem, nisi quod Deus vult, & cum voluntas vt ratio nunquam moueatur nisi ex ratione finis, patet quod voluntas vt ratio conformabatur diuinæ voluntati in volito; sed voluntas vt natura mota in aliquid non sicut in finem non conformabatur diuinæ voluntati in volito, quia sic Christus volebat non pati; hoc autem non est perfectè velle aliquid; sed sub conditione: vnde à Magistris Velleitas appellatur.* In his verbis *S. Thomas* distinguit de voluntate vt natura, & vt ratio, & etiam de voluntate vt natura subdistinguit, aut quando mouetur in aliquid sicut in finem, & in hac consideratione ponit conformitatem etiam, aut quando mouetur in aliquid absolutè nō sicut in finem, & iste motus est imperfectus, conditionalis, & velleitas, & de hoc docet, quod non est conformis volūtati diuinæ in volito. Quod etiam dixit infra *Quæst.* 21. *Artic.* 4. quantum ad istum actum imperfectum, & correspondet doctrinæ huius Articuli.

Ad Rationem Dubitandi Respondetur Primo, Quod voluntas vt ratio in Christo non habuit actus inefficaces, quod satis indicat *S. Thom. in hoc Art.* & in *Quæst.* 21. infra *Artic.* 4. citato, vbi postquam dixerat, *Quod secundum motum voluntatis simplicis, quæ consideratur natura non simpliciter volumus, sed secundum quid*, &c. subdit *Secundum actū voluntatis rationis Christus nihil aliud voluit, nisi quod sciuit Deum velle.* Et in 3. Quæstiunc. citata in Corpore inquit, *Eorum, quæ ordinantur ad finem habet voluntas vt ratio vltimum iudicium, & perfectum.* Et de hac in verbis allatis inquit, quod conformatur semper voluntati diuinæ. In hoc modo dicendi nullam difficultatem habet obiectio, quia benè posita est conformitas in

A Tertia Conclus. & benè negata est in Secunda specialiter, quia actus inefficaces sunt communiores in voluntate vt natura, & *D. Thomas* solum vult, quod possit esse non conformis, & ad hoc sufficit quantum ad aliquos actus. Et hæc Solutio est *Caietani* hic, & aliorum.

Secunda Solutio Asserit, quod in Christo voluntas vt ratio habuit actus etiam efficaces, & inefficaces. Fundatur hæc Solutio Primo in *D. Thom. in* 3. *Distinct.* 17. *Quæst.* B 1. *Art.* 2. *Quæstiunc* 1. citata vbi inquit. *Patet igitur, quod secundum voluntatem rationis conformabatur diuinæ voluntati in volito, quantum ad omne, quod perfectè, & absolutè volebat, non autem quantum ad id, quod volebat imperfectè.* Ponderatio est, quod secundum voluntatem rationis distinguit perfectè, & imperfectè. Sed hæc authoritas nihil fauet, quia ibi *S. Thomas* accipit voluntatem rationis, vt contraponitur voluntati sensualitatis, de qua immediatè loquitur, & sic C accipit voluntatem rationis pro ipsa potentia, quam ibi immediatè ante diuiserat vt natura, & vt ratio, & vt natura appellat imperfectam, & vt ratio perfectam.

Deinde fundatur hæc Solutio, quia in Deo, & in beatis dantur actus inefficaces, quia *Deus vult omnes homines saluos fieri*, & hoc etiam possunt velle beati eodem modo, & sic possunt poni in Christo actus inefficaces in voluntate vt ratio. Sed potest responderi, quod sufficiebat ponere illos in Christo absolutè; sed in hac Solutione D, quod dentur in voluntate vt ratio, *Respondetur* ad Rationem Dubitandi, quod quando *Sanct. Thomas* loquitur in Secunda Conclusione de voluntate vt natura, loquitur de illa absolutè, & secundum se, hoc est sine ordine ad finem, & sic secundum se considerata potest non conformari voluntati diuinæ, & sic etiam est imperfecta. In Tertia Conclusione similiter loquitur de voluntate vt ratio, & absolutè est perfecta, E & absolutè conformatur voluntati diuinæ, vt habet *D. Thom.* in verbis immediatè allatis in hac Solutione.

Præter quam, quod istæ voluntates inefficaces, si dantur in Christo quantum ad rationem sicut in beatis, & in Deo erunt etiam conformes voluntati diuinæ adaptando singula singulis, scilicet inefficax Christi inefficaci Dei, & efficax Christi efficaci Dei, sicut contingit in beatis etiam. Hoc autem non habet voluntas vt natura, cuius obiectum abstrahit à conformitate,

vt

vt in notabili præcedenti allatum est ex *Caietano* hic; & sic non semper est conformis.

Solum Potest Esse Obiectio, Quod nulla voluntas efficax Christi ponitur, quæ non cõformetur voluntati diuinæ, & consequenter, quæ non impleatur, & sic explicatur voluntas, quæ non impletur, nec conformatur de voluntate inefficaci imperfecta. Sed contra hoc est, Quod in VI. Synodo Generali in Epist. Agatonis ex aliquibus locis sacræ Scripturæ probatur cõtra Monotholitas, quæ fuit in Christo voluntas humana præter Diuinam, vt diximus supra in *Artic. 1. huius Quæstionis*, & vis rationis consistit in hoc, quod in aliquibus locis sacræ Scripturæ ponitur, quod voluntas Christi non fuit impleta, vt Marci 7. *Voluit occultari, & non potuit latere*, & in alijs locis iam allatis, *Non mea voluntas, sed tua fiat; non sicut ego volo, sed sicut tu*. Ex quo inferebatur à Pontifice, hæc voluntas Christi non impletur, ergo est humana, nam si esset Diuina adimpleretur. Hoc tamen Argumentum non haberet vim si non loqueretur de voluntate humana efficaci, quia de voluntate inefficaci nihil probat, quia voluntas diuina inefficax etiam non semper impletur, vt illa, qua *Vult omnes homines salvos fieri*, supponendo quod est de omnibus, & singulis.

Respondetur Primo, Quod loquitur Pontifex de voluntate humana absolutè, vt dictum est in Solutione, & illa est voluntas vt natura absolutè, & secundum se considerata, & benè arguit, quod de voluntate Diuina secundum se, & absolutè considerata nõ potest dici quod non impletur, sed quando dicitur, quod non impletur voluntas diuina, debet esse cum addito, & si absolutè de aliqua voluntate Christi, & sine addito cõceditur, quod non impletur, debet esse voluntas humana.

Secundo Respondetur, Quod voluntas efficax stat multipliciter, vt diximus 1 Parte de Voluntate Dei *Disp. 5.* vide *Art. 1.* specialiter *Numero 7.* & infra *Disput. 3. Art. 1. Notab. 2.* Efficacia creata potest impediri, & benè potest aliqua voluntas creata aliquid velle efficaciter, sed iuxta media, & vires proprias, & sic potest frustrari ex alia superiori causa, ita voluntas humana Christi, qua volebat latere, & non mori poterat dici efficax, sed vt humana, siquidem non fuit impleta. Si autem esset efficax Diuina impleretur, verum est quod secundum quid potest dici efficax in hoc sensu, sed simpliciter inefficax. Ita exponit *D. Thom.* infra *Quæst. 21. Artic. 4. ad 1.* illam petitionem Christi *Transeat à me calix iste* Matthæi 26. ex Ambrosio, Origine, & Chrysostomo in Vltima expositione, & sic concludit, *Quod ad instructionem nostram volebat demonstrare nobis suam voluntatem naturalem & motum sensualitatis, quem sicut homo habebat*. Et hãc voluntatem naturalem in Corpore dixit esse *Velleitatem*.

Tertio Respondetur, Quod non probat Pontifex esse voluntatem humanam solum, quia non impletur, sed etiam, quia à Christo ostenditur distincta à voluntate diuina, & non conformis illi dicente, *Non mea voluntas, sed tua fiat; Non sicut ego volo, sed sicut tu*. Ex quo benè probatur quod sit in Christo aliqua voluntas humana.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm in Christo fuerit Contrarietas Voluntatum?

Conclusio Est Negatiua. Probatur à *D. Thom.* in *Argumento sed Contra* ex Epistola Agatonis recepta in VI. Synodo Generali Actione 4. vbi dicitur *Prædicamus duas voluntates non contrarias*.

In Corpore Probat, Quia contrarietas est oppositio in eodem circa idem, vnde deficit contrarietas si vnum secundum vnam rationem ametur, & secundum aliam reijciatur, & sic quamuis motus sensualitatis, & motus voluntatis vt natura refugerent mortem, & voluntas diuina, & voluntas vt ratio volebant mortem Christi, non erat contrarietas, quia ratio erat valde diuersa, scilicet aut vt malum naturæ, aut vt bonum humano generi Esset autem contrarietas si voluntas inferior retardaret voluntatem actus superioris, aut voluntas superior impediret actum inferioris, quod non contingit, quia voluntas sensualitatis, vel natura non retardabant executionem voluntatis diuinæ, nec voluntas diuina impediebat sensualitatem, imò volebat, quod voluntas vt natura, & sensualitas mortem refugerent.

Conclusio D. Thomæ est de Fide, Nam præter Sextam Synodum allatam habetur etiam in Concilio Lateranensi 1. *Canone* 15. Et non solum est de fide quantum ad

vo-

voluntatem rationis, sed etiam quantum ad voluntatem sensualitatis, quod illa non fuit contraria voluntati diuinæ. Verum est, quod si Aliquis ita explicet contrarietatem, ac si dicat non conformitatem in volito materiali, est quidem sensus Catholicus, vt vidimus Articulo præcedenti; tamen modus loquendi erroneus est, quia contrarietas in rigore terminorum explicat oppositionem, quæ ab actibus Christi omnino reijcienda est.

Et Ab Inconuenienti patet error contrarius. Quia si duo actus in Christo essent contrarij, & vnus erat bonus, alius debebat A esse malus, vel non erant contrarij, & vnus alium expelleret, & hæc pugna actuum redundaret in Suppositum, quia Suppositum, aut non poterat actuum conuenientiam causare, aut poterat. Si poterat, & nolebat, deficit in gubernatione: si non poterat, deficit in potentia, & denique hæc contrarietas oriretur ex fomite peccati, & ex rebellione virium inferiorum contra rationem, vel rationis contra Deum, quod totum est alienum à perfectione Christi,

QVÆ-

QVAESTIO XIX.

DE PERTINENTIBVS AD VNITATEM CHRISTI QVANTVM AD OPERATIONEM.

EXPOSITIO LITTERÆ.

PRO *Maiori Luce Litteræ* Primi Articuli *D. Thomæ* aduertendum est cum *Domino Caietano* hic, quod quando *D. Thom.* inquirit in præsenti de Vnitate operationis Christi, idem est atque inquirere de principio operatiuo propria virtute, siue illud sit diuinitas, siue sit humanitas, siue compositum ex vtraque. Imaginari ergo potest, quod operatio Christi sit vna, aut principium operatiuum tripliciter. *Primo modo taliter*, quod consideremus humanitatem esse vnitam Verbo solum in ratione instrumenti, & quia de ratione instrumenti non est habere propriam virtutem operatiuam, sed operari in virtute principalis agentis, ideò tantum in Christo esset ponenda vna operatio principalis agentis, nempè Suppositi Diuini vtentis humanitate vt instrumento.

Hæc Autem Positio Hæretica est, *Tum* Quia tollit veram Vnionem Hypostaticam, cum solum asserat humanitatem esse vnitam vt instrumẽtum, sicut serra, vel calamus vnitur artifici vt instrumentum ad secandum, vel scribendum. *Tum etiam*, Quia tollit ab humanitate naturalem operationem, quam habuisse constat ex sacra Scriptura. *Ac tandem*, Quia non sequitur quod si vnita est humanitas vt instrumentum non habeat operationem propriam, quia licet de ratione instrumenti vt sic non sit habere operationem propriam procedentem à sua propria forma, tamen habere illam non repugnat instrumento, vt patet in instrumentis animatis. Quare non benè sequitur humanitas est vnita Verbo vt instrumentum; ergo non habet operationem sibi propriam; & hoc ostendit *D. Thom. in Corpore Articuli*, & in hoc sensu præcipuè impugnat errores Hæreticorum.

Secundo Modo consideràri potest, quod licet humanitas Christi sit vnita Hypostaticè, & habeat propriam operationem, illa non sit operatio omninò naturalis, non habens ex se aliquam libertatem, aut saltem non habens ex se aliquam moralitatem, sed solum esse bonam moraliter, eo quod dirigebatur à Voluntate Diuina. Itaque sicut in puro homine est vnica tantum operatio moralis, si consideretur ratione sui principij, quod in homine est vnicum tantum, videlicet ratio, & voluntas, quamuis exerceatur à lingua, vel manu. Ita similiter imaginari posset in Christo, quod operationes humanitatis se haberent in ordine ad diuinitatem, sicut in puro homine se habent operationes manus, aut linguæ ad rationem, vel voluntatem, & consequenter, sicut in puro homine est tantum vnica operatio humana ab vnitate vnius principij, vt *D. Thom.* docet *in Seq.* ita similiter in Christo esset vnica tantum operatio libera ab vnitate vnius principij liberi, nempè diuinitatis.

Et Hanc Positionem etiam impugnat *D. Thomas* in præsenti Articulo ostendendo, qua ratione in Christo sit duplex principium operatiuum liberum, nempè Voluntas Diuina, & voluntas rationalis humana. Ex quo consurgit plena intelligentia illius differentiæ, quæ versatur inter vires inferiores animæ, quatenùs subijciuntur superioribus, & inter voluntatem humanam Christi, quatenùs subijcitur Diuinæ; quæ consistit in hoc, quod vires inferiores, & similiter instrumenta Corporis non habent aliam bonitatem, seu moralitatem nisi quam participant à voluntate, & ratione. Et voluntas humana Christi simul cum ratione est principium moralitatis actionis humanæ.

Tertio Modo imaginari posset esse in Christo vnicam tantum operationem, eo quod ex Diuinitate, & humanitate conflaretur vnum principium operandi tanquam aliquod tertium resultans ex virtute operatiua diuinitatis, & humanitatis. Sed hæc positio non tantum est hæretica, sed omninò impossibilis, vt diximus in simili de naturis suprà *Quæst.* 2. *Artic.* 1.

Pro Intelligentia Tituli Secundi Articuli *D. Thomæ*, & Conclusionis responsiuæ notandum est, quod *D. Thomas* non agit de vnitate numerali, aut specifica, aut generica operationum Christi Domini; istæ enim plures sunt in Christo Domino, sicut in quolibet alio homine, sed inquirit de principio operatiuo humano communi omnibus prædictis operationibus.

Deinde Aduertendũ Est, quod etiã non loquitur in præsenti *D. Thom.* de operatione humana strictè sumpta, sicut in 1. 2. *Quæst.* 1. & *Q.* 6. id est de operatione humana libera, sed de operatione, quæ procedit à principio humano,

humano, videlicet à ratione, & Voluntate, siue liberè, siue necessariò procedat. Quod aduerterim propter visionem beatificam Christi, quæ licet necessaria sit, tamen sub eadem ratione operationis humanæ comprehenditur à *D. Thoma*, quia ab eodem principio, scilicet ab intellectu procedit.

Pro Intelligentia Tertij Articuli *D. Thomæ* notandum est, Quod materia illius grauissima est, de qua ex professo disputant Doctores cum Magistro in *3. Dist. 18. & 19.* & *D. Thom.* in præsenti cum omnibus suis Interpretibus, quibus adiungendus est *Sapientissimus Magist. Vincent. in sua Relect. de Gratia Christi Quæst. 5. Art. 3. Pag 397.* & deinceps, vbi elegantissimè materiam istam pertractat. Nos autem claritatis gratia ad duo Capita materiam istam reducemus, in primo disputabimus de ipso Merito Christi in communi, an in illo fuerit, quo tempore, & per quos actus exercebatur? In secundo autem de his rebus, quæ sibi meruit, vel non meruit Christus, & quid alijs meruerit.

Pro Intelligentia Quarti Articuli *D. Thomæ* notandum est, Quod multa dubia à Nobis disputanda essent in præsenti, videlicet Vtrùm Christus meruerit Angelis gratiam primam, & gloriam essentialem? Vtrùm etiam gratia Sanctorum Patrum veteris legis data fuerit ex meritis Christi, &c. sed de Primo dicemus hic, de Secundo supra *Quæst. 2. Artic. 11.* egimus.

DISPVTATIO XVII.

DE ACTIONIBVS MERITORIIS CHRISTI QVO AD SVBSTANTIAM REGVLAM, ET TEMPVS.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Omnes Operationes Christi essent humanæ, hoc est, ex deliberatione rationis Procedentes?

PRO *Explicatione* huius Difficultatis aduertendum est ex *D. Thoma* in *hoc Artic. & 1. 2. Quæst. 1. Artic. 1.* quod actio humana est illa, quæ procedit ex voluntate deliberata per rationem. Aliæ verò actiones, quæ in homine reperiuntur non procedentes isto modo, dicuntur quidem *Actiones hominis*, non tamen *Actiones humanæ*, vt ostendit *D. Thom. in hoc Artic.* dum apponit exemplum de actionibus, quæ procedunt secundum naturam elementi corporalis, quæ est in homine, vt ferri deorsum; & in actionibus, quæ procedunt secundum virtutem animæ vegetabilis, vt augeri, & nutriri. De Christo igitur propter maximam eius perfectionē est in præsenti Dubitatio, An omnes eius actiones, nulla excepta, essent humanæ, ita vt ex deliberatione rationis procederent?

Prima Conclusio. Omnes illæ actiones, quæ in Christo procedebant à voluntate deliberata per rationem, erant verè, & propriè humanæ. Hæc Conclusio clarissima est, & patet ex ipsa definitione actionis humanæ. Et similiter quia tales actiones in alijs hominibus erant verè, & propriè humanæ; ergo etiam in Christo. *Patet Consequentia.* Quia perfectiones naturæ humanę, quæ in alijs hominibus reperiuntur; multo excellentiùs ponēdæ sunt in Christo; ergo si in alijs hominibus sunt verè, & propriè humanæ, multo melius in Christo Domino.

Secunda Conclusio. Operationes procedētes in Christo ab appetitu sensitiuo erant actiones humanæ, *Probatur.* Quia illę actiones semper erant in Christo ex deliberatione rationis, & motione voluntatis, & non poterant præuenire rationem ipsam, sed directionem eius sequebantur; ergo erant actiones verè, & propriè humanæ.

Tertia Conclusio. Quamuis actiones animæ vegetabilis, videlicet nutritio, & augmentatio, & quæ procedunt secundum naturam elementi, ea parte, qua procedebant à principijs naturalibus dicerentur naturales Christo Domino, poterant tamen Vocari actiones humanæ in Christo. *Probatur Conclusio.* Quia voluntas humana Christi intimè concurrebat ad tales operationes procedentes ex principijs naturalibus propter perfectum dominium, quod habebat supra talia principia; ergo erant actiones humanæ. *Probatur Consequentia.* Quia principalis consideratio earundem actionum desumebatur per ordinem ad primum principium totius compositi, quod est voluntas.

Confirmatur. Quia licet voluntas humana Christi considerata vt instrumentū Verbi haberet virtutem supra talia principia naturalia productiua talium operationum, tamen quia erat instrumentum animatum taliter à principali agēte mouebatur, quod etiam moueret se liberè per consilium, & deliberationem, aut saltem per hoc, quod intellectus creatus ostendebat illi obiectum ad quod debebat concurrere dum mouebatur à Verbo, & ita voluntas ipsa se mouebat liberè, atque adeò poterat vt instrumētū Verbi liberè impedire tales operationes procedētes ex principijs naturalibus, quod sufficit, vt illæ actiones dicantur humanæ.

Sol-

Soluuntur Argumenta.

Pro Parte Negatiua Arguitur. Quia saltem operationes animæ vegetabilis, videlicet nutritio, & augmentatio, & quæ procedunt secundum naturam elementi, vt est ferri deorsum, non procedebant ex deliberatione rationis, aut ex motione voluntatis, sed ex principijs naturalibus, quæ non subduntur rationi; ergo illæ actiones non B fuerunt humanæ in Christo.

Quod Si Dicas: Quod principia proxima harum operationum sunt qualitates naturales, tamen primum principium à quo proueniunt est ratio, & voluntas deliberata, quia poterat Christus per suam voluntatem detinere, aut impedire talia principia naturalia, ne prodirent in actus suos.

Contra Hoc Est. Quia licet voluntas Christi impedire posset prædictas operationes, illud tamen non erat per virtutem C naturalem voluntatis humanæ, sed per virtutem supernaturalem sibi communicatam, quatenùs erat instrumentum Verbi; ergo hoc non erat sufficiens vt illæ actiones denominarentur propriè humanæ. *Consequentia Probatur.* Quia ad hoc vt voluntas conferat prædictam denominationem actionis humanæ, requiritur quod ipsa habeat rationem agentis principalis mouendo se, & reliquas potentias, atque adeò D non sufficit habere rationem causæ instrumentalis, quæ ab alio mouetur; ergo solutio insufficiens est. *Antecedens Probatur.* Quia ad hoc vt aliqua actio sit humana requiritur quod in illa se ipsum moueat homo per consilium, & deliberationem rationis.

Respondetur Solutionem Ibi Datam Optimam Esse. Ad cuius replicam Negatur Consequentia. *Et Ratio eius est,* Quia licet voluntas humana Christi esset causa instrumentalis mota à Diuino Verbo, tamen mouebatur iuxta naturam suam, hoc est per deliberationem rationis, atque adeò ad rationem E actionis humanæ vt sic non est necessariũ, quod sit à causa principali, vel instrumentali, sed quod procedat à voluntate deliberata per rationem, & cum hoc reperiatur in Christo respectu operationum animæ vegetabilis, & illas impedire poterat propter dominium, quod supra suum Corpus habebat, dici possunt tales operationes humanæ. Qua de causa dixit *D. Thom. in fine* A *Corporis Articuli*, quod in Christo multo magis erat vna operatio, quam in quolibet alio homine.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Reuera Christus mereri potuerit?

PRO *Decisione Difficultatis Notandum Est*, quod ad hoc vt aliquis actus sit meritorius necessariò prærequiruntur aliquæ conditiones ex communi Sententia Theologorũ, de quibus videatur *Magister Vincent. Pag.* 407. §. *Sed & alia.* Prima est, vt illa actio sit ab homine iusto, & grato, nam ab homine peccatore procedere nequit actio verè, & propriè meritoria. *Secunda,* Quod opus illud sit liberum, nam in naturalibus, vt *Arist.* ait, nec meremur, nec demeremur. *Tertia,* Quod opus illud sit bonum, & in Deum relatum, nam per opera praua potiùs demeremur. *Quarta*, Quod sit ab homine Viatore, defectu cuius actiones Beatorum existentium iam in termino non sunt meritoriæ. His suppositis sit

Prima Conclusio. De Fide est, quod reuera Christus meruit in suis operationibus. Probatur Conclusio ex sacra Scriptura; nam Isaiæ 53. dicitur, *Pro eo quod laborauit anima eius videbit, & saturabitur, &c.* Sunt etiam alia sacræ Scripturæ testimonia, quæ videri possunt in *Magist. Vincent.* loc. supra citat. *Probatur Etiam* ex determinatione expressa *Concil. Trident. Sess.* 6. *Cap.* 7. vbi definitur Christum fuisse causam meritoriam nostræ iustificationis. Et in *Extrau. Vnigenitus* Clemens VI. idem determinat, asserens *Quod Thesaurus Ecclesiæ ex meritis Christi constat.* Et est etiam communis, & antiquissima traditio Sanct. Patrum, quorum testimonia adducuntur à *Magist. Vincent.* vbi supra.

Deinde Probatur Ratione. Quia actionibus Christi Domini conueniunt omnes conditiones requisitæ ad rationem meriti à Nobis supra assignatæ; ergo erant verè, & propriè meritoriæ. Consequentia est optima, & Antecedens Probatur. Quia actio Christi erat ab homine iusto, & libera circa creaturas, vt modo supponimus; bona & studiosa, in Deumque relata, & ab homine simpliter Viatore; ergo verè, & propriè erat meritoria.

Secunda Conclusio. Falsum est asserere, quod Christus Dominus solum meruit ex quodam priuilegio, & miraculo, ita vt non posset mereri, si relinqueretur connaturali modo operandi ipsius Christi. Hæc ponitur contra *Scotum* relatum à *Cabrera* in hoc Art. *Disp.* 1. *Concluſ.* 2. & contra Alios, qui affirmant Christum sine miraculo mereri non posse, eo quod actus Charitatis eius erat necessarius. Sed tamen neque *Scotus* habuit hanc doctrinam, sed solum asseruit difficile esse explicare quomodo Christus potuerit mereri, cum fuerit beatus, & perfectè vnitus vltimo fini ab instanti tuæ Cõceptionis; neque ipsa doctrina vera est. *Et Probatur,* Quia operationes Christi sine nouo miraculo habebant conditiones requisitas ad rationem meriti, præcedenti Conclusione explicatas; ergo connaturale erat ipsis operationibus secũdum modum, quo à Christo eliciebantur esse propriè meritorias.

Tertia Conclusio. Operationes Christi eo modo, quo à Christo eliciebantur proprijssimè erant meritoriæ ex se ipsis, neque harum meritum fundabatur in aliqua extrinseca acceptatione Dei. Hæc est contra *Scotum* in 1. *Sent. Dist.* 17. *Quæst.* 1. & *in* 3. *Dist.* 19. Quem sequuntur *Gabriel*, & *Almainus*, quos *Suarez* refert *Disp.* 39. *Sect.* 1. Qui asserunt, quod meritum aliorum hominum iustorum, & etiam Christi fundatur in extrinseca acceptatione Dei. Quæ sententia falsa est, & quantum attinet ad meritum aliorum hominum impugnari solet 1. 2. *Quæst.* 114. Quantum verò attinet ad meritũ Christi impugnatur breuiter. Quia operationes Christi Domini ab intrinseco, & ex se ipsis habebant valorem, proportionem, & condignitatem cum præmio ordinis supernaturalis; ergo non conueniebat illis ratio meriti ab extrinseca acceptatione diuina, sed potiùs suppositа tali proportione, & cõnaturalitate operum cum præmio postea intelligitur eorum acceptatio. *Consequentia est nota, & Antecedens Probatur.* Quia actiones Christi ab intrinseco principio habebant esse amici Dei, & erant supernaturalis ordinis procedentes à gratia, & Charitate; ergo habebant intrinsecum valorem, & commensurationem cum præmio.

Quarta Conclusio. Ad hoc vt actiones Christi essent meritoriæ non erat necessarium, quod interuenitet de facto pactum, vel promissio Dei, quo pasciceretur se daturum præmium. Itaque licet de facto tale pactum, & promissio interuenerint, vt colligitur ex sacra Scriptura, Asserimus illud non fuisse necessarium, vt operationes Christi meritoriæ essent. Hæc ponitur cõtra *Suarez Disput.* 39. *Sect.* 1. Vbi loquitur æqualiter de merito Christi, & aliorum hominum quantum ad hoc, quod indigeant pacto, vel promissione Dei. Sed tamẽ quidquid sit de merito aliorum hominum (de quo Disputatur 1. 2. *Quæst.* 114. *Artic.* 6.) de merito tamen Christi loquentes, asserimus illam conditionem non esse necessariam ad hoc vt Christus aliquid à Deo mereretur, sed eo ipso quod Christus ordinaret suas operationes ad aliquod præmium, illud mereretur apud Deum. *Probatur Conclusio* ex differentia actionum Christi meritoriarum, & actionum aliorum hominum iustorum. Actio enim hominis puri, etiam in gratia existentis, non habet ex se sola rigorosam proportionem ex iustitia cum præmio supernaturali, & ita necessarium est vt interueniat pactum diuinum de reddendo præmio, si talia opera fiant. At verò operatio Christi ex se habet condignitatem ex iustitia rigurosa cum præmio quocumque supernaturali, eo quod procedit à Persona infinita simpliciter; vnde eo ipso quo talis persona ordinaret operationem suam ad aliquod præmium consequendum, ratio iustitiæ exposcebat, vt tale præmium conferatur, secluſa quacumque alia ordinatione extrinseca Dei, quia ipsa Persona ordinans operationem suam ad tale præmium erat Deus.

Soluuntur Argumenta.

Primo Arguitur Pro Parte Negatiua. Quia vt supra Diximus *Quæst.* 7. *Art.* 3. In Christo Domino non fuit fides, eo quod imperfectionem dicit in subiecto habente illam; sed meritum etiam dicit imperfectionem in merente; ergo nullatenùs debet poni in Christo. *Consequentia est bona.* Et *Minor Probatur.* Nam qui meretur expectat aliquid sibi conferendum ab alio tanquam à superiori, & consequenter dicit inferioritatem, & indigentiam in Persona merente; ergo nullatenùs debet poni in Christo.

Respondetur Verissimum Esse, Quod ad rationem meriti requiritur inferioritas ex parte merentis, & subiectio ad præmiantem, ex quo manifestè colligitur, quod

Sup-

Suppositum ipsum diuinum secundum se nullatenùs potest mereri, fuit tamen ita mirabilis ordinatio diuina in Mysterio Incarnationis, vt ad meritum Christi infinitum, & Suppositum diuinum, & natura humana concurrerent, ad id quidem quod perfectionis est, concurrit Suppositum diuinum, vtpotè conferens infinitatem valoris in operationibus, quam non posset humanitas, si in proprio supposito esset. Ad id autem quod imperfectionis est, videlicet ad inferioritatem, & subiectionem requisitam ad meritum cõcurrit humanitas Christi, quæ cum creatura sit, habet inferioritatem, & subiectionem ad Deum, & ex vtroque simul consurgit ratio infiniti meriti in Christo. Vnde meritum non petit inferioritatem in Supposito, sed in natura, ratione cuius est capax meriti.

Nec Est Simile de Fide virtute Theologica, quæ à Christo secluſa fuit, & tantum cõueniebat ratione naturæ humanæ; nam habere fidem supponit imperfectionem in ipsa natura humana, videlicet non videre Deum, quæ repugnat perfectioni naturæ humanæ suppositatæ à Verbo, vt ibidem diximus. At esse subiectam, & esse inferiorem Deo non est imperfectio in humanitate, nam eo ipso quod creatura est, quantumuis perfecta sit, habet necessariò esse subiecta Deo, & illi inferior, nec ab illa hoc auferri potest.

Secundo Arguitur. Cuilibet merito correspondet aliquod præmium; sed merito Christi nullum correspondet præmium; ergo non est tale meritum in illo. *Maior est nota cum consequentia.* Et *Minor Probatur*, Quia merito Christi, si daretur, nec respondet præmium infinitum, neque finitum; ergo nullum. *Primum Probatur.* Quia tale infinitum præmium non est dabile, videlicet infinita gloria essentialiter, & simpliciter. *Secundum verò Probatur.* Quia meritoria actio Christi, si in illo daretur, procederet ab infinito Supposito operante vt *Quod*, ergo esset meritoria infiniti præmij simpliciter, quia præmium correspondere debet merito.

Respondetur Negando Minorem, Nam merito Christi correspondet præmium infinitum, sicut & ipsum meritum infinitum est. Illud autem non est gloria infinita, quæ dabilis non est, sed omnia quæ dantur illi in præmium, dari ex toto rigore iustitiæ, quod quidem facit infinitatem in præmio, licet entitatiuè finitum esset. Ac etiam datur præmium infinitum Christo, quia meruit suam resurrectionem, & talis Resurrectio infinitatem habet ex ea parte, qua consequenter ad Vnionem animæ cum corpore resultauit Vnio Hypostatica Verbi Diuini ad totam naturam humanam, quod infinitum simpliciter est præmium. Nec de hoc in præsenti prolongandus est sermo, cum latissimè, dum de satisfactione Christi infinita differuimus, quæ ad hoc conducunt, explicauimus suprà *Quæst.* 1. *Art.* 2.

Tertio Arguitur. Quia Christus Dominus non potuit demereri; ergo nec etiam potest mereri. *Patet Consequentia.* Quia contraria nata sunt fieri circa idem. Antecedens autem suprà à nobis probatum fuit *Quæst.* 15. *Art.* 1.

Confirmatur Hoc Argumentum. Quia vt ait *D. Thom.* hic in *Solut. ad* 1. non merebatur Christus in quantum comprehensor, sed in quantum Viator; ergo non potuit mereri secundum animam, quia secundum animam erat beatus; & ex altera parte erat Viator secundum Corpus, secundum quam rationem non est capax meriti, quia meritum esse debet ab anima, & à voluntate, quæ potentia eius est, & non à viribus corporalibus; ergo secundum nullam partem potest competere Christo, quod actiones meritorias habere possit.

Vltimo Arguitur. Quia Christus Dominus, si per aliquem actum mereri posset, maximè per actum Charitatis, quæ est principium totius meriti, sed per actum Charitatis non potuit mereri; ergo per nullum. *Minor Probatur.* Quia actus Charitatis in Christo erat omninò necessarius, vtpotè actus comprehensoris; ergo non erat ille meritorius, quia ad rationem meriti requiritur libertas.

Ad Tertium Argumentum Respondetur, Quod contraria nata sunt fieri circa idem ex imperfectione subiecti in quo recipiuntur, quia cum subiectum habeat ex se potẽtialitatem indifferentem ad vtrumque cõtrariorum, ideò vnumquodque illorum recipere potest. Nihilominus attenta perfectione alicuius subiecti, cui non est admixta imperfectio in illo genere taliter potest vnum contrarium illi coniungi, vt alterum repugnet omninò in illo recipi. Nec de hoc deest exemplum in naturalibus, nam ignis ita determinatus est ad calorem, vt neutiquam possit recipere frigiditatem. Cum ergo Christus propter suam maximam per-

perfectionem semper esset determinatus ad bonum quantum ad specificationem, videlicet, quia si operabatur deberet operari conformiter ad rationem, inde est, quod non potuerit demereri, quamuis mereri posset, nam in nobis vtrumque reperiri prouenit ratione nostræ imperfectionis, qua ad bonum, & ad malum indifferentes sumus. A

Est Etiam Exemplum in Theologia, quo demonstratur actionem aliquam esse meritoriam, & tamen non posse esse peccatum, nec demeritoriam, vt patet in prima volitione voluntatis, quando mouetur voluntas à Deo, & non à se ipsa, hæc enim operatio in Angelis, & in hominibus non potest esse mala, quia est ab Authore naturæ tanquam ab applicante voluntatem ad talem operationem, & tamen illa cum bona sit, & quantum ad exercicium libera, potest esse meritoria, quamuis Deus nos ad illam moueat; hoc est enim magna misericordia Dei, quod nostra vult esse merita, quæ sua sunt dona. B C

Ad Confirmationem Respondetur, Quod quando dicitur, quod Christus erat Viator quantum ad Corpus, non sic debet intelligi, quod ratio tendentiæ ad patriam desumatur ex Corpore præcisè, sed quod ratione Corporis passibilis erat capax Christus tendendi ad patriam, ad quam secundũ Corpus nondum peruenerat. Debet ergo dici, quod Christus non tantum ratione Corporis præcisè, sed etiam secundum animam erat Viator, nam licet secundum partem superiorem animæ, hoc est, secundum quod regulabatur rationibus superioribus, esset comprehensor, tamen secundũ partem inferiorem animæ, hoc est, secundũ quod mouebatur rationibus inferioribus erat Viator. Vnde in eadem anima, & reperiebatur gaudium comprehensoris, & etiã tristitia Viatoris, quam explicuit Christus quando dixit, *Tristis est anima mea vsque ad mortem*. D E

Vltimum Argumentum petit specialem difficultatem de Virtute, qua mediante Christus meruit, quod consultò vltimo loco posuimus, vt occasione illius iam sequeretur.

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus meruerit per Actum Charitatis erga Deum; An verò solum per actum aliarum Virtutum?

CIrca *Istam* Difficultatem *Vazquez Disp. 74. Cap. 3.* tenet nullatenùs Christum meruisse, neque mereri potuisse per aliquem actum dilectionis circa Deum. Et pro illa Sententia Arguit, Quia si Christus Dominus mereretur per actum dilectionis Dei deberet talis amor esse liber, nam per actum omninò necessarium non potest mereri (vt Nos etiam diximus inter conditiones requisitas ad rationem meriti *Artic. Præced.*) sed in Christo nullus actus amoris Dei fuit liber, sed omninò necessarius; ergo per nullum actum amoris Dei mereri potuit. *Consequẽtia est manifesta.* Et *Minor* in qua est difficultas Probatur Primo ab illo Authore, quia si aliquis actus amoris Dei imaginari posset liber, maximè ille, qui sequeretur ex Scientia infusa animæ Christi, sed ad talem scientiam nullus actus amoris supernaturalis sequi potest; ergo nullus est dabilis liber. *Minorem Probat.* Quia Scientia infusa animæ Christi non attingit Deum, neque essentiam eius, aut Trinitatis mysterium quãtum ad Quid est, vt aperte docuit *D. Thom.* supra *Quæst. 11. Artic. 1.* ergo non correspondet illi aliquis amor Dei, atque adeò omnis amor Dei supernaturalis correspõdet visioni beatificæ, & consequenter erit necessarius.

Secundo Probat eamdem Minorem, Quia quamuis Scientia infusa Christi attingeret Deum ipsum, non tamen esset sufficiens ad inclinándam voluntatem humanam ad amorem Dei, quia in præsentia vehementioris cognitionis, cognitio minus perfecta non moueret voluntatem ad idẽ obiectum; ergo Scientia infusa animæ Christi in præsentia Visionis beatificæ, quæ efficacissima est, non moueret ad amorem Dei.

Tertio Probatur Eadem Minor. Quia ille actus liber amoris Dei, qui ab alijs imaginatur, esset eiusdem speciei cum amore beatifico, cum ab eodem habitu produceretur;

retur; sed impossibile est, quod duo actus, sicut & alia duo accidentia solo numero differentia sint in eodem subiecto; ergo nō potest dici, quod in Christo erga Deum sit vnus actus amoris necessarij sequutus ex visione clara Dei, & alius liber sequutus ex cognitione scientiæ supernaturalis Christo infusæ. Hanc eamdem sententiam videtur sequutus fuisse *Alexand. Alens.* 3. *P. Quæst.* 17. *Memb.* 1. in Solutionibus Argumentorum.

Conclusio. Christus Dominus meruit per B actum amoris Dei. Hanc existimo esse apertam *D. Thomæ* Sententiam in *Solut. ad* 1. Vbi postquam posuerat Argumentum ad probandum non meruisse per actum Charitatis, eo quod ille actus erat comprehensoris, & consequenter necessarius, & non liber. *Respondet*, Quod Christus meruit per talem actum Charitatis circa Deum non in quantum erat comprehensoris, sed in quantum erat Viatoris. Primo ergo patet quod *D. Thomas* pro comperto habeat per C actum dilectionis Dei Christum meruisse, & solum distinguit de modo tendendi in Deum liberè, aut necessariò, quod ad rationem Viatoris, & comprehensoris pertinet, & consequenter ad rationem meriti. Quod si ex *D. Thoma* non haberemus in hac Solutione, quod Christus per actum dilectionis Dei vt Viator erat, meruit, certè *D. Thomas* Argumentum à se propositum non soluisset, quod dici nequit.

Probatur Etiam Conclusio ex eodem D *D. Thoma* infra *Quæst.* 34. *Art.* 3. Vbi constituit motum liberi arbitrij Christi in Deum, quo fuit sanctificatus, & meruit; iam ergo ex aliquo actus amoris Dei (illum enim denotant illa verba *Motus liberi arbitrij in Deum*) Christus meruit.

Respondet Vazquez ad hanc Authoritatem, quod ibi non explicuit *D. Thom.* an talis actus amoris ortum habuerit ex tali Scientia infusa, vel non. Sed quis non videt, quam friuola responsio sit ista? Siue E enim sequatur ille amor Dei ad Scientiam infusam, vel non, semper saluandum est, quod *D. Thom.* asseruit per actum dilectionis Dei meruisse Christum, quod ipse negat contra *Doct. Sanct.* Quem tamen sequuntur in hac Conclusione discipuli eius, præsertim *Magist. Medina Quæst.* 2. istius Articuli in principio, & post Secundam Conclusionem *Magist. Zumel* 1. *Part. Quæst.* 22. *Art.* 4. *in Dub.* 2. annexo Disputationis illius Artic. & *Magist. Vincent. in sua Relect.*

A *Pag.* 414. imò & *Suarez Disput.* 39. *Sect.* 2. *Concluſ.* 1.

Et Probatur Conclusio Ratione. Tum ex generali principio, Quia omne meritum saltem perfectum dependet ab actu Charitatis, quo in Deum refertur, vt solet doceri 1. 2. *Quæst.* 114. *Art* 4. Tum etiam ex speciali, quia Sancti Patres opus nostræ redemptionis, quod constat fuisse ex meritis Christi, tribuunt eximiæ Charitati eius, qua maximè amabat Deum offensum, & qua B præcipuè nobis reddit placatum. Quod satis insinuasse videtur Christus quando Ioan. 14. dixit, *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio, surgite eamus hinc*, Id est ad passionem, & ad negociū nostræ redemptionis peragendum. Ecce quomodo actus obedientiæ imperatus fuit ab actu Charitatis, qua diligebat Patrem liberè; ex impulsu enim Charitatis hic & nunc operantis, & non antea, motus fuit Christus.

Supposito ergo quod Christus per actum C dilectionis Dei meruerit, vt est communissimum, magna differentia est inter Doctores in explicando modo, quo per talem dilectionem Dei meruerit; est enim res valde difficilis explicatu. *Quidam ergo primo loco* affirmarunt actum Charitatis beatificum esse in Christo meritorium ex speciali miraculo ipsius Christi, qui cum virtutem miraculorum haberet, etiam habuit vt miraculosè per actum dilectionis Dei beatificæ D mereretur. De quo iam diximus Art. Præced. Concluſ. 2. & reiecimus. *Secundo* Alij attendentes illud sine fundamento esse dictum, posuerunt actum amoris Dei beatificum esse necessarium, & simul meritoriū, eo quod ille actus esset in Viatore. Itaque ratione subiecti existentis in Via habebat rationem meritorij actus ille, quam non haberet ex se ratione necessitatis eius. *Tertio* Alij iudicantes hoc esse irrationabiliter dictum propter conditionem libertatis E omninò necessariam ad rationem meriti, dixerunt actum illum amoris beatifici in se quidem meritorium non esse, sed causam meriti in alijs actibus aliarum virtutum eos in Deum dirigendo; erat ergo meritorius causaliter tantum. *Quarto* Alij talem directionem actus necessarij circa actus liberos impossibilem iudicantes, & nè tollant à Christo meritum ipsius Charitatis, dicunt actum illum amoris beatifici, vt terminatum ad creaturas fuisse liberum, & Viatoris, ac meritorium; vt terminatum

verò

verò ad Deum fuisse necessarium, & beatificum, & non meritorium. *Quinto* Alij attendentes actum Charitatis esse de se meritorium, & radicem meriti ea ratione, qua Charitas est forma reliquarum virtutum, atque adeò illas in Deum dirigens, dixerũt illum eumdem actum amoris beatifici esse necessarium, & liberum, etiam in ordine ad ipsum Deum sub diuersis rationibus, & cõsiderationibus, quas statim explicabimus. *Vltimo* autem Alij hoc non percipientes, asseruerunt Christum reuera meruisse per actum dilectionis Dei, sed tamen esse in Christo duos actus amoris Dei, alterum beatificum, & necessarium, nec meritorium, alterum verò liberum, & meritorium. Qui modus dicendi etiam patitur suam non modicam difficultatem, vt infrà videbimus.

Sed Ex His tam varijs modis dicendi non parui momenti sumi potest Argumentum pro Conclusione nostra corroboranda, videlicet quod Christus meruit per actum dilectionis Dei, namque Tot, & Tanti Theologi prædictas difficultates aggressi sunt, pluraque inconuenientia concesserunt nè admitterent Christum non meruisse per actum Charitatis erga Deum; ergo hoc indicarent multo magis inconueniens. Ex dictis ergo ex dicendi modis quatuor priores nullam habent Fundamẽtum solidum, & communiter impugnantur ab expositoribus *D. Thomæ*. Supereſt vt quintum, & sextum modum dicendi examinemus.

Quintus Ergo Modus relatus est *Magistri Vincentij Pag.* 420. Quem sequuti sunt etiam Aliqui grauissimi discipuli *D. Thomæ*. Et videtur esse *Magistri Bañez* 2. 2. *Quæst.* 24. *Art.* 3. prope finem, & *Magistri Medinæ* hic in 1. *Dub. circa Solut. ad* 3. Qui modus dicendi in hoc consistit, quod eadem dilectio, qua Christus necessariò diligit diuinam bonitatem clarè visam secundum quod in se est, & propter se summè amabilem, est etiam actus liber; alia tamen ratione, videlicet qua diligit eamdem bonitatem prout est ratio formalis volendi redemptionem generis humani sua morte exequendam, ac adeò in illo actu amoris primam rationem meriti esse inuentam, & in alios deriuatam. *Hunc modum dicendi* satis reputat probabilem *Capreolus in* 3. *Dist.* 18. *Quæst. Vnic. Art.* 3. *ad Argumenta Aureoli vltimo loco adducta*, vbi existimat hanc esse mentem *D. Thomæ* in eodem Artic. *Ego tamen non existimo D. Thomam*, aut *Capreolum* in amore beatifico aliquam rationem meriti docuisse sine aliqua libertate. Vnde cum semper docuerint Visionem, & amorem beatificum esse actus necessarios, necessariò etiam ipsi intelligendi sunt de eis actibus vt beatificantes sunt. Et iursus in actu amoris esse admixtam aliquam libertatem secundum illam posteriorem considerationem, quæ per se ad beatitudinem non pertinet, cum sine illa saluari possit.

Probatur iste modus dicendi, Nam licet finis prout est per se amabilis, & prout est ratio appetendi media esse possit obiectum duorum actuum, tamen non apparet impossibile, quod sub vtraque ratione cũdem actum terminet, cum prima ratio sit origo, & ratio secunda; ergo satis probabiliter dici potest id actualiter reperiri in eminentissimo actu voluntatis, qualis est amor beatificus circa illam duplicem rationem bonitatis supra assignatam. *Tum sic*: Etiam non est impossibile, quod idem actus noster sit necessarius quo ad primarium obiectum quantum ad specificationem, & liber quantum ad secundarium obiectum etiam quantum ad specificationem; ergo non erit impossibile, quod ille actus amoris beatifici sit necessarius quo ad illam primã rationem quantum ad exercicium, & liber etiam quantum ad exercicium quo ad secundam rationem. *Probatur Consequentia*. Quia æquè distant libertas, & necessitas quo ad exercicium inter se, sicut necessitas, & libertas quantum ad specificationem, atque adeò si entitas finita sufficiens est ad coniungendas duas priores rationes, sufficiet etiam ad coniungendas duas posteriores. *Antecedens verò Probatur*. Quia idem actus esse potest circa finem, & circa media, vt docet *D. Thom.* 1. 2. *Quæst.* 12. *Art.* 4. Contingere autem potest quod circa finem sit necessarius quantum ad specificationẽ, vt dici solet 1. 2. *Quæst.* 10. *Art.* 1. & liber quantum ad specificationem circa media, nam si plura sint, potest quodlibet eligere, & alia respicere; ergo.

Confirmatur. Quia licet actus beatificus ea ratione, qua terminatur ad Deum sit necessarius, tamen vt terminatur ad creaturas est liber; ergo etiam respectu ipsius Dei secundum illam duplicem rationem considerati potest habere ille actus illam duplicem rationem liberi, & necessarij. *Probatur Consequentia*. Quia non est magis de necessitate beatitudinis amor Dei, vt est ratio amandi creaturas, quam amor ipse creaturarum.

rarum. *Secundo Probatur.* Quia amor ipse increatus habet vtramque rationem liberi, & necessarij respectu ipsius Dei considerati sub illa duplici conditione, vt constat ex 1. *Part. Quæst.* 19. sed amor beatificus præcipuè Christi est eminentissima participatio amoris increati; ergo illi tribuenda est ista perfectio.

Sextus Tamen Modus Dicendi est Affirmantium duplicem esse amorem Dei in Christo Domino, vnus quidem qui sequitur ad Visionem beatificam, alius verò, qui B sequitur ad Scientiam infusam. Hunc modum sequitur *Capr. in* 1. *Dist.* 1. *Quæst.* 3. *in fine*, quidquid aliqui Recentiores dicant, quia ibi præter amorem Dei necessarium ponit in beatis alios actus voluntatis liberos circa Deum. Eumdem modum sequitur *Ferr.* 3. *Contr. Gent. Cap.* 62. §. *Ad id quod vltimo, &c.* & *Magist. Soto Lib.* 3. *de Natura, & Gratia Cap.* 7. satis illum insinuat; agens enim de dilectione beata Christi dicit per illam non meruisse, sed per aliã C liberam eiusdem obiecti. Idem tenet *Magister Medina* in hoc Artic. *Dub.* 3. prope finem, & *Zumel* 1. *Part. Quæst.* 22. *Artic.* 4. & *Suarez Disp.* 39. *Sect.* 2. & communiter Discipuli *D. Thomæ*. Et satis probabilem illum reputat *Magist. Vincent. in sua Relect. Pag.* 415. Contra hunc tamen modum militat Argumentum *Vazquez*, & probationes eius, quas posuimus in principio Articuli, & illas suo loco soluemus. Probabilis D ergo mihi videtur Quintus, & Sextus modus dicendi vltimo loco relati, quamquam aliquas patiantur difficultates. Vnde iuxta vtrumque modum soluendum est Argumentum factum à *Vazquez*.

Iuxta Quintum Modum Dicendi Respondetur Negando Minorem. Et ad primam probationem eius Dicitur, Quod quamuis non detur alius actus amoris Dei in Christo Domino sequutus ad Scientiam infusam animæ eius, idemmet actus amoris Dei se- E quutus ex visione clara eius est necessarius secundum quod est fruitio boni infiniti iam visi, & habiti, & est etiam liber secundum alteram rationem, videlicet secundum quod respicit bonitatem diuinã prout est ratio formalis volendi Redemptionem generis humani sua morte exequendam. Nec est inconueniens quod idem actus sit liber, & necessarius secundum diuersas cõsiderationes, vt patet in amore beatifico, qui vt respicit Deum est necessarius, vt verò respicit creaturas est liber. Et patet etiã A in amore infinito ipsius Dei, qui vt modo dicebamus, est necessarius vt terminatur ad Deum in se ipso, & est liber quatenùs terminatur ad Deum, vt est causa creaturarũ. Reliquæ autem probationes Argumenti *Vazquez* non militant contra Quintum modum, sed contra Sextum, & ideo.

Ad Illas Iuxta Sextum Modum Dicendi Respondetur. Ad Primam, Quod ex Scientia infusa optimè sequi potest amor supernaturalis Dei in anima Christi. Nec obstat quod per illam scientiam non cognoscatur diuina essentia quantum ad Quæstionem Quid est, sufficit enim cognoscere per illam medijs effectibus supernaturalibus Deum quantum ad Quæstionem An est. Et inde est, quod ex illa non sequitur amor necessarius, sed liber.

Ad Secundam Probationem Respondetur, Quod scientia imperfectior in præsentia scientiæ eminentioris potest mouere voluntatem ex imperio eiusdem voluntatis, præcipuè quando non est circa obiectum omninò idem, vel aliquo modo contrarium obiecto proposito per superiorem scientiam, vt patet exemplis. Nam ego possum diligere Petrum vtendo scientia, seu experientia mihi euidenti de aliqua illius perfectione, & vtendo fide humana, qua aliquam perfectionem, vel eamdem de ipso credidi.

Ad Tertiam Probationem, quæ multo maiorem habet difficultatem, diuersimodè Respondetur à Diuersis. Prima enim solutio est valde communis, quod illa propositio *Duo accidentia solo numero differentia* non possunt esse in eodem subiecto, intelligenda est de accidentibus purè absolutis, non de eis, quæ aliquo modo respiciunt extrinsecum, atque adeò habent rationem respectiui. Hanc tradit *Magist. Medina in hoc Art. ad* 2. prope finem, & *Suarez Sect.* 2. citat. §. *Dices non esse, &c.* etiam prope finem, & *Magist. Vincent.* eam communem appellat *Pag.* 416. §. *Primum Argumentum, &c.* Et probari solet hoc Fundamento. Quia accidentia absoluta non habent vnde diuersificentur numero, nisi à subiectis in quibus sunt, & sic duo accidentia absoluta solo numero differentia nequeunt esse in eodem subiecto. At accidentia respectiua respiciunt extrinsecum terminum, vnde ex ordine ad illum diuersificari possunt numero in eodem subiecto. Quod & videtur confirmari posse ex *D. Thoma* 1. *Parte Quæst.* 76. *Artic.* 2. *circa finem Corporis*, vbi docet,

docet, quod in eodem homine esse possiunt phantasmata diuersa eiusdem speciei. Sic ergo dici potest, quod illi duo actus amoris Dei, quos fatetur Sextus modus dicendi, quamuis accidentia sint, habent tamen dicere respectum ad Deum diuersimodè cõsideratum, atque adeò ea ratione, qua respectiui sunt possunt esse in eodem subiecto, licet solo numero distinguantur.

Huic Tamen Solutioni nunquam acquieuere potui, quia eam iudico esse expressè contra *D. Thom.* nam infra *Quæst.* 35. *Art* 5. asserit, nec etiam duo accidentia respectiua solo numero differentia posse esse in eodem subiecto. Verba *D. Thomæ* subinferam: *Quia plures formæ eiusdem speciei non possunt simul inesse eidem subiecto, non est possibile quod sint plures paternitates in eo, qui est Pater plurium filiorum.* Sentit ergo Angelicus Doctor, quod non posse esse duo accidentia solo numero differentia in eodem subiecto non solum habet verum in accidentibus absolutis, sed etiam in respectiuis. Quod & ratione probari potest. Quia plura accidentia solo numero differentia tam absoluta, quàm respectiua respiciunt subiectum secundum eamdem rationem potentiæ, cum habeant eamdem rationem specificam actus; ergo plura esse non possunt in eodem subiecto, sed in eo iam identificarentur. Videatur de hoc *Iauellus* 5. *Metaphisicæ Quæst.* 18. *& Soncinas in* 7. *Quæst.* 4.

Ad Fundamentum adductum in oppositum *Respondetur*, Quod licet accidens respectiuum respiciat terminum, nihilominus vt distinguatur numero debet diuersimodè respicere subiectum, quod non potest dici de accidentibus eiusdem speciei.

Ad Confirmationem ex loco 1. *Partis D. Thom.* Respondetur, Quod non limitauit *D. Thomas* propositionem prædictam ad accidentia absoluta, vt constat ex loco adducto 3. *Part.* & ex *Tabula Aurea Dub.* 19. vbi aliter exponitur, & ex *Iauello*, & *Soncina* adductis; sed intelligendus iuxta *Caietanum ibi, §. Circa dicta S. Thom. &c.* quod illa phantasmata diuersorum lapidum sunt diuersæ speciei, ex eo quod omnis diuersitas proueniens ex parte obiecti ad diuersitatem specificam pertinet; dicuntur autem à *D. Thoma* eiusdem speciei denominatione extrinseca, quia scilicet repræsentant lapides, qui sunt eiusdem naturæ, & in hoc ponit ibi differentiam inter phantasmata, & species intentionales intellectus, quod talis naturæ lapidis vna sola species producitur in intellectu, plura verò phantasmata in phantasia.

Secunda Ergo Solutio illius tertiæ probationis est, Quod illi duo actus ameris Dei sunt quidem eiusdem speciei in ordine ad habitum Charitatis, quæ vna est specie athoma, sub inferiori tamen ratione differunt aliquo modo specificè. Hæc assignatur à *Caietano* 1. *Part. Quæst.* 82. *Artic.* 2. *in fine, & Mag. Medina Dub.* 2. Eam satis probabilem reputat, & similiter *Magist. Vincent. Pag.* 417. & eam exponit in duplici sensu. Primus est, quod illi duo actus amoris non differunt specie physicè, sed moraliter, quia vnus est necessarius, alter verò liber. *Secundus sensus est*, Quod differant specie non solum moraliter, sed etiam physicè propter illam diuersitatem obiecti pencs visum, & non visum. Eamdem solutionem sequitur *Suarez Sect. cit. §. Dices non esse, &c.* & in alio tertio sensu explicat, videlicet quod obiectum amoris beatifici est Deus secundum omnem perfectionem, & rationem propter quam est summè amabilis, quia omnis illa ratio distinctè, & clarè videtur, & proponitur voluntati. Alius verò actus amoris, qui sequitur Scientiam infusam tendit in Deum sub speciali aliqua ratione boni, videlicet iustitiæ, vel misericordiæ, vel etiam solum sub communi ratione boni confusè cogniti, quæ explicationes satis probabiles sunt.

Nihilominùs eamdem solutionem sic quarto modo explico, & probo illos duos actus esse diuersos specie, non tamen in ordine ad habitum Charitatis. Nam voluntas diuerso actu specie fertur in finem secundum quod est per se amabilis, & secundum quod est ratio appetendi media, vt constat ex *D. Thoma* 1. 2. *Quæst* 8. *Art.* 3. ibi enim *D. Thomas* hos actus asserit esse diuersos: est autem apertum non fuisse loquutum de diuersitate numerica actuum voluntatis, & facilè probari potest, quia illa diuersitas est in ordine ad obiecta per se illorum actuum, sed amor beatificus per se terminatur ad Deum vt est per se, & in se amabilis; hac enim ratione Deus perfectè beatificat; amor autem sequutus Scientiam infusam terminari potest ad Deũ vt est bonitas, & ratio mouens Christum ad amandũ genus humanũ, & ad exequendã eius redemptionẽ; ergo tales actus amoris Dei differũt specie, nõ in ordine ad habitum Charitatis, sed in ordine ad obiecta per se horum actuum.

Et

Et Confirmari Potest Hoc Ipsum. Quia vt compertissimum est apud Theologos actus aliqui, qui in ordine ad vnũ principiũ vniuersale sunt eiusdem speciei, in ordine ad aliud inferius principium differunt specie, nam duo actus intellectus, quicumque sint, considerati in ordine ad intellectũ eiusdem speciei sunt, in ordine vero ad habitus à quibus procedunt differre possunt specie, imò genere, vt patet in actu Fidei, & Scientiæ. Et rursus aliqui actus in ordine ad idem principiũ eiusdẽ speciei sunt, in ordine verò ad inferiora principia differunt specie, *V.g.* Cognitio scientifica physica grauitatis terræ, & leuitatis ignis in ordine ad Physicã eiusdẽ speciei sunt, in ordine verò ad obiectum proximũ horũ actuum cognitio propria cuiuscũque distinguitur specie ab altera; & idem continget in actibus voluntatis; atque adeò quãuis actus Charitatis Christi considerati in ordine ad habitũ Charitatis semper sint eiusdẽ speciei, tamẽ ratione alicuius causæ inferioris esse possunt diuersæ speciei, & consequenter reperiri in volũtate Christi. Ex dictis sequitur quod Christus non solũ meruit per actus aliarũ virtutum, vt imperabantur à Charitate, sed etiam per ipsam dilectionem Charitatis erga Deum.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Christus meruerit per actus, quos habebat in Præcepto?

Pro Resolutione tamen Dubij notandum est primo, Quod dubitatio ista solummodo procedit de actibus Christi, qui sub præcepto cadunt, nam alij actus licet intuerentur à Christo vt prædefiniti à Deo, & prædeterminati in particulari, & secundum omnes circũstantias, non ideò procedebant necessariò à voluntate Christi, sed omninò liberè, sicut in nobis contingit; de actibus autem præceptis magna, & specialis est difficultas, Quomodo liberè exercere potuerint à Christo?

Secundo Notandum Est, & pro certo supponendum, quod Christus Dominus ea ratione, qua homo est fuit capax præcepti diuini, & de facto illud habuit de subeunda morte pro redemptione nostra, quod eleganter probat, & explicat *Mag. Vincent in sua Relect. Pag.* 402. & tribus sequentibus.

Conclusio. Christus Dominus verè, & propriè meruit per actus, quos habuit in præcepto, & specialiter per mortem, quam pro nobis tulit. Hæc Conclusio ita cõmunis est, vt à nemine videam denegari; & ratio illius facilis est. Quia actibus istis, quorũ Christus habebat præceptũ cõueniunt omnes cõditiones, quas supra diximus esse necessarias ad rationẽ meriti; ergo sunt actus illi verè meritorij. *Antecedens Autem Probatur.* Quia si aliqua conditio deficeret, maximè libertas; hæc autem non; ergo. *Probatur Minor.* Quia præceptum esse aliquem actũ non ponit in voluntate omnimodã necessitatem, ita vt necessarius quantũ ad exercitiũ, & specificationem sequatur talis actus, hoc enim solum est de ratione summi boni clarè cogniti in beatifica visione; ergo adhuc posito præcepto actus ille sequitur absolutè liber, quod & amplius manifestum fiet in Solutionibus Argumentorum.

Soluuntur Argumenta.

Partem Negatiuam non Authorum multitudo, sed aliqua Argumenta suadent, in quorum Solutione vehementer anxiantur Authores. Breuiter aliqua in medium adducemus.

Primo Ergo Arguitur ex ipso amore beatifico. Quia voluntas Christi in illo actu necessario amabat Deum; ergo ex vi eiusdem amoris determinata erat, vt necessariò amaret etiam illa omnia, quæ necessaria erant ad conseruationem illius; tales autem sunt actus, qui cadunt sub præcepto, cum amor Dei esse non possit sine obseruatione præceptorum; ergo ex vi, & intrinseca dispositione amoris beatifici tales actus non erant liberi, sed necessarij, atque adeò nullatenus per actus, quos in præcepto habebat Christus mereri potuit.

Ad Hoc Argumentũ diuersimodè Respondetur à Theologis, Quorũ placita breuiter in mediũ adducemus, vt verã Solutionem exhibeamus. Prima ergo Solutio est, quæ vniuersaliter affirmat efficacẽ intentionẽ finis assequendi inferre efficacẽ electionẽ, seu potius acceptationẽ medij quacũque ratione necessarij ad talẽ finẽ, siue ex intrinseca bonitate, & necessaria cõnexione talis finis, & medij, siue ex præcepto superaddito. Cæterum amorem finis iam assecuti quantũuis efficacem, & necessariũ non necessitare voluntatem ad eligendũ, vel acceptandum quoduis mediũ, siue ex præcepto sit necessariò cõnexũ tali fini, siue ex extrinseca bonitate talis finis, & medij. Est ergo secundũ hanc Solutionẽ liber actus Christi acceptã-

tis mortē eo quod iam est habitus finis, atque adeò non necessitatur voluntas ad aliquod mediū. Hanc Solutionē refert *Mag. Vincent. Pag.* 432. & illam impugnat. Et facile contra eam potest fieri Argumentū loquēdo de medijs per se ordinatis, & ex natura sua ad talē finem, cum quo etiam connexionē habēt ab intrinseco, quia sicut cōsequutio talis finis per se dependet ex illis medijs, ita & conseruatio eiusdē; ergo sicut voluntas ex vi amoris efficacis consequēdi talē finem necessariò acceptat media ex natura sua necessaria ad talem finem, ita ex vi amoris efficacis finis iam habiti, & possessi acceptat media de se necessaria ad eiusdem conseruationem; aliàs enim non vellet perseuerare efficaciter in illa possessione finis. De alijs autem medijs, quæ intrinsecam cōnexionem non habent cum tali fine, alia dissimilis est ratio, vt inferius dicemus.

Secunda Solutio desumi potest ex *Magist. Zumel* 1.P. *Quæst.* 22. *Art.* 4. *Dub. Vltimo, §. Omissis istis* in fine, quod scilicet voluntas humana Christi, vt consequebatur eius visionē, & amorem beatificum, necessariò volebat facere opus præceptū; cæterum eadem voluntas vt sequebatur Scientiā infusam, & illū amorem Dei liberū à nobis vltimo loco explicatū *Art. Præced.* liberè etiā volebat adimplere præceptū illud, & cōsequenter per illā actionē adimpletiuam talis præcepti optimè saluari potest, quod Christus mereretur. *Hæc solutio in dupliei sensu* potest procedere. *Primus est*, Quod eodem actu id vellet voluntas necessariò, & liberè sub duplici illa cōsideratione, qua sequitur visionē beatā, & Scientiam infusam ad modū, quo suprà diximus *Art. Præced.* in quinto modo dicendi, quod idē actus volūtatis secundū diuersas consideraciones ibi explicatas esset necessarius, & liber. *Secūdus sensus est* quod diuersis actibus id appetat voluntas necessariò, & liberè, iuxta dicta ibidem in sexto modo dicēdi. Hoc vltimū placet *Suarez Disp.* 37. *Sect.* 4. *§ Quarto enim respōderi potest, & §. De actibus præceptis.* Vbi ait actū cadentē sub præcepto dupliciter cōsiderari posse. *Primo* sub ratione electionis, seu voluntatis medij necessarij ad obtinendū finē, seu ad conseruandū illum iam habitū. *Secūdo modo* vt est actus habens ex obiecto suo intrinsecā bonitatē obedientiæ nostræ, sub qua ratione actus ille est per se amabilis, & habet rationē non medij, sed cuiusdā finis. *Primo ergo modo* inquit, actus præceptus est necessarius, & cōsequenter nō meritorius. *Secūdo verò modo* est actus liber, & quia præceptū Dei obseruari potest, vel eligendo illud tanquā medium necessariū ad amorē, vel volēdo illud per se, obseruatio illa præcepti nō fuit simpliciter necessaria quantū ad exercitiū, vel specificationē ex vi amoris Diuini, atque adeò potuit esse meritoria.

Hæc Tamen Solutio, licet verum cōtineat substantialiter, in hoc tamen quod vltimo affirmat, displicet primo, Quia est prorsus impossibile quod actus omninò necessarius sit adimpletiuus præcepti; ergo falsum continet prædicta solutio in eo, quod affirmat præceptum Dei obseruari posse quolibet actu illorū dictorum, si vt asserit solutio primus actus est necessarius. *Consequentia est nota, & Antecedens Probatur.* Quia actus adimpletiuus præcepti est actus obedientiæ, atque adeò est actus studiosus, & liber; ergo est omnino impossibile, quod actus necessarius sit adimpletiuus precepti. *Secundò*, Quia ille actus adimpletiuus præcepti in Christo erat perfectissimè meritorius, vt supponimus; ergo procedebat ex impulsu, & ordinatione Charitatis Dei. Consequētia hæc Patet ex dictis *Art. Præced.* Ex quo rursus sequitur, quod iam ille actus habeat rationē electionis, atque adeò falsò prædicta solutio affirmat actū illum sumptū per modū electionis esse necessariū, sed meritoriū.

Tertia Solutio Primi Argumenti traditur à *Vazquez* in hac 3. *P. Disp.* 74. *Cap.* 5. Vbi postquā *Cap.* 4. *Præced.* refutasset Varias Solutiones Aliorū Theologorum, tandē ipse verā suo videri assignat, videlicet quod licet Christus ex vi amoris Diuini nō potuerit non obseruare mandatū diuinū actu electionis, potuit tamē illud non obseruare illo actu singulari, vt de facto exercebatur, ex eo quod talis actus multa includebat, quæ sub præcepto non cadebant, circa quæ optimè saluatur libertas volūtatis Christi omninò requisita ad rationē meriti. Itaque licet mors Christi esset præcepta quantū ad substantiā, nō tamen quo affectu, vel motiuo exercenda esset, aut qua virtute moueretur ad illā Christus, misericordia, fortitudine, religione, &c. circa quæ tanquā nō præcepta saluari potest optimè libertas in Christo; imò etiā postquā se determinasset Christus ad exercēdā mortē ex aliqua virtute in particulari, *V.gr.* Religione adhuc mouebatur liberè voluntas Christi quantū ad intēsionem illius actus; poterat enim pro sua libertate operari hac, vel illa intentione. Primo autem hic Author probat, quod res istæ supra dictæ non fuerint determinatæ sub præcepto in Christo. *Primo*, Quia de præcepto

cepto Christi non debemus aliter philosophari, quam de præceptis alijs hominibus impositis. At præceptū in nobis non determinat motiuū, nec intentionē actus vt constat; ergo nec in Christo. *Secundo*, Quia si omnes isti modi, & circūstātiæ, aut motiua supra relata determinata essent in præcepto Dei, nullatenùs ex aliqua parte remaneret libertas in Christo circa tales actus, quos in præcepto habebat, atque adeò omnino esset tollendum meritum a talibus operationibus Christi.

Hæc Tamen Solutio valdè mihi displicet. *Primo*, Quia iste Author non saluat, quod actus cadens sub præcepto sit meritorius quo ad substātiā talis actus, quod magnū inconueniens est; sed affirmat solū esse meritoriū ratione alicuius circūstantiæ, ex motiuo talis virtutis, & ex intensione tali. *Secūdo*, Quia affirmare, quod dato aliquo actu singulari de se libero per hoc solū quod super illū cadat præceptum fiat omninò necessarius, mihi videtur valde absurdum, & implicare in dictis, quia eo ipso quod imponitur præceptū supra illum actū constituitur actus ille obediētiæ, qui antea nō erat obedientiæ vt constat; ergo constituitur in speciali ratione actus studiosi, & cōsequenter retinet rationem actus liberi. Falsò ergo asserit *Vazquez* præceptū diuinum libertatē tollere circa omnia illa supra quæ cadit præceptū, imò existimo oppositū dicendū, quod scilicet si præceptū esset impositum Christo nō solū de substantia actus, sed etiā de omnibus illis circūstantijs, & intēsione, nihilominus Christus mereretur per illum actū, quia eo ipso quod esset actus obediētię esset actus liber. Et ex hoc patet Solutio ad secundam probationē Sententiæ *Vazquez*.

Ad Primam vero Probationē Dico, Quod satis probabiliter affirmari possit præceptū impositum fuisse Christo sub omnibus illis circūstantijs, motiuis, & intensione, neque philosophandū esse in Christo eodē modo, & in nobis, vt *Vazquez* in illo Argumento contendebat, quod constat ex diuersitate motiui impositionis horū præceptorum; nāque nobis imponuntur præcepta ex eo quod volūtates nostræ nō sunt adeò prōptæ ad exequendā superioris volūtatē, vnde nec oportet eam omninò relinquere suo arbitrio, neque etiā adeò strictè illam obligare ad aliquos actus, vt etiam obligata maneat secundū omnes circūstantias, & motiua, quia multoties in hoc deficeret, sed medio quodā modo, vt suaue esset præceptū, atque adeò obligans ad substantiam operis, non tamen ad specialia motiua, & omnes circūstantias. Cæterum in Christo non sic res se habet, non enim illi fuit impositum præceptum moriēdi ex hoc motiuo, sed ex duplici causa, quā latè, & optimè exponit *Mag. Vincent. Pag.* 403. Prima fuit ex parte Dei, vt scilicet omnibus modis ostenderet Deus suā Charitatē erga homines, qua nec Filio suo pepercit, nec solū efficaci volūtate decreuit vt sua morte nostrā destrueret, sed etiā strictissimo præcepto ipsum obligauit ad substantiam operis, & circumstantias.

Secūda Causa fuit ex parte Christi, vt scilicet eius passio non solum esset actus perfectissimæ Charitatis, & aliarum virtutū, sed etiā perfectissimæ obediētiæ. Ex quibus satis rationabiliter dici potest non esse philosophandum de mandato Christo impositō, sicut de impositō nobis, sed dici potest satis probabiliter taliter fuisse præceptum Christo impositū, quod caderet super actū, & omnes eius circūstantias. Quod satis insinuat *Mag. Vincēt. Pag.* 427 & sequēribus, & *Suarez Disp.* 37. *Sect.* 3. *§. Sed hæc sententia, &c.* Vbi probat ex aliquibus locis sacræ Scripturæ id satis apparenter colligi.

Quarta Solutio desumi potest ex *Suarez Disp.* 37. *Sect.* 4. *§. Propter hæc potest, &c.* & *§.* 3. *de actibus, &c.* Vbi primo supponit, quod actus amoris Dei secutus ex Scientia infusa non cadebat sub aliquo præcepto in Christo, atque adeò ratione illius vtpotè liberi potuit mereri, non obstante præcepto acceptandi mortem. Supponit Secundo, Quod ex eo, quod Christus simul Viator fuit, & cōprehensor, consequenter effectū fuit miraculosè, quod amor Dei beatificus fuerit retētus in superiori parte animæ, ita vt non redundaret in inferiorē partem, neque eius perfectionem illi communicaret.

Ex Quibus Colligit, Quod in Voluntate Christi moriendi fuit perfectum meritum ex ordine ad illū actum ex Scientia infusa sequutū, qui liber fuit, eo quod nec ab intrinseco necessitabat voluntatē obiectum eius, cum non versaretur circa Deum clarè visum, nec ab extrinseco, cum de illo non esset præceptum. Hæc autē Solutio magis insufficiens est, & probatur. *Tum*, Quia non saluat id de quo dubitamus, videlicet quod Christus meruerit per opera, quæ cadebant sub præcepto; nam vt iste Author dicit, Christus merebatur per illum actum amoris Dei, qui sequitur ex Scientia infusa, quem actum amoris non cecidisse sub præ-

cepto, nec voluntas acceptandi mortem ipse ex professo probat. Displicet etiam solutio in eo, quod ponit miraculum illud nouum nunquam nobis reuelatum, neque à Sanctis Patribus, aut Theologis ex Mysterio Incarnationis aliquando deductum.

Quinta Solutio est satis communis inter Discipulos *D. Thomæ*, quam adhibet *Magist. Bañez* 1. *Part. Quæst.* 19 *Art.* 10. *§. Tertium Documentum, &c.* vsque in finem Dubij, quam etiam insinuat *Zumel loc. cit. in principio*, Quod scilicet ex amore necessario finis infertur quidem necessaria electio, seu potius acceptatio medij ex propria natura, & bonitate necessarij ad talem finem, non verò est necessaria absolutè electio, vel acceptatio medij tantum necessarij ab extrinseco, id est ex præcepto, sed absolutè potest opus præceptum liberè exerceri. Quam Solutionem veriorem existimo præcipuè eo modo, quo à Nobis explicabitur, videlicet supponendo illud obiectum esse omnino necessariò, & absolutè volitū, quod ex meritis suis ratione intrinsecę bonitatis eius omnino determinat volūtatem ad sui amorem, vt contingit in beatitudine, vbi ratione omnimodæ bonitatis, quam cognoscit beatus in Deo clarè viso, mouetur voluntas necessariò ad amorem Dei, vt est in se summum bonum. Immo etiam ad medium intrinsecè, & physicè necessariò connexum cum tali fine, videlicet ad ipsam visionem continuandam, quæ veluti medium est ad talem amorem. Quãdo autem obiectum non habet talem omnimodam bonitatem, nec ratione sui ipsius mouet voluntatem ab intrinseco, quamuis ex suppositione sequatur actus necessarius in genere moris, videlicet supposito præcepto, & impeccabilitate Christi, tamen absolutè circa illud obiectum mouet voluntas indifferens, eo quod ex meritis obiecti nõ necessitatur. Quare cum ex natura sua non sit intrinseca connexio inter amorẽ Dei, & obiectũ actus præcepti, vt patet, quia ante præceptũ poterat vnum amari sine alio, inde est quod superaddito præcepto circa tale obiectum, additur etiam aliqualis ratio necessitatis secundum quid, videlicet ex suppositione; remanet tamen absolutè libertas ab intrinseco voluntati circa illum actum; atque adeò meritorius absolutè esse potest.

Quod Si Obijcias. Quia supposito præcepto voluntas Christi erat necessitata ad acceptandã mortem; sed impositio illa præcepti nõ erat in potestate volũtatis humanę Christi: ergo absolutè necessitabat illam.

Respondetur Negando Consequent. Nam impositio præcepti, cum non ponat in obiecto illius actus omnimodã bonitatem, sed adhuc posito præcepto maneat iudiciũ de indifferentia obiecti ex meritis eius, nõ necessitabat voluntas Christi absolutè ad illum actũ; necessitabatur autem secundum quid, & ab extrinseco ex suppositione præcepti, atque adeò illo posito sequebatur actus ille obedientiæ necessarius, non quidẽ necessitate consequentis, sed solũ necessitate consequentiæ infallibiter, quod absolutè libertati voluntatis Christi circa opus præceptũ non derogat, aliàs nunquã esset possibile Deo imponere Christo aliquod præceptũ sub hac forma, *Præcipio tibi vt hoc liberè, & spontaneè facias*, quod est valde absurdum.

Quæ Solutio sic explicata absque dubio omniũ est probabilissima, & amplectenda. *Suarez vero Dis. p.* 39. *Sect.* 4. *§. Respõderi ergo secundò potest &c.* prædictã Solutionem minus probabilẽ iudicat, & contra illã vehementer insurgit quibusdã Argumentis, quibus rem sibi probare videtur. *Primò ergo arguit Contra.* Quia quacumque ratione mediũ sit necessariũ, siue ab intrinseco, siue ab extrinseco eius amor habet necessariam connexionem cum amore finis: ergo falsò affirmat prædicta solutio, quod si amor medij ex natura sua necessitet ad talem finem, necessarius erit præsuppositio necessario amore finis, nõ verò si amor medij solũ necessitet ex præcepto extrinseco. *Consequẽtia est nota, & Anteced. Prob.* Primo Ratione. Nam hæc connexio inter actus sequitur necessario ex connexione necessaria inter obiecta vt constat: ergo si re vera inter obiecta sit illa necessitas, impertinens est quod oriatur ex causa intrinseca, vel extrinseca, ex præcepto, vel aliunde.

Secundò Prob. Anteced. Exemplis, Nam si quis vult efficaciter conseruare vitã, & hic, & nunc non habet nisi hoc medium, *V. gr.* Vti hoc cibo, vel fugere inuasorẽ, omnino necessariũ est, quod amet tale medium, aut tollat priorẽ voluntatem efficacem finis, siue illa necessitas medij ab intrinseca, vel ab extrinseca causa proueniat. *Item*, qui nunc efficaciter vult saluari, necessarium est vt baptizari velit, licet hoc medium non sit necessarium ex natura gratiæ, vel gloriæ, sed solum ab extrinseco, scilicet ex præcepto impositio à Christo Domino.

Confirmat Primo hic Author, & magis ex-

explicat Argumentum. Quia amor efficax Dei includit voluntatem efficacem seruandi omnia mandata, siue naturalia, siue positiua, diuina, vel humana, hac tantum ratione, quia scilicet obseruatio omnium, sicut necessaria est ad honestatem morum, ita & necessaria est ad conseruationem amoris Dei: ergo impertinens est illa distinctio medij de se necessarij, vel solum ex præcepto ad hoc vt eius amor sit liber, vel necessarius supposito amore efficaci finis.

Confirmat Secundo. Quia si voluntas finis hic, & nunc est absoluta virtualiter includit omne medium, quod hic, & nunc est necessarium, quacumque de causa necessitas illa oriatur, quod à posteriori facile probatur. Quia tunc recedere à medio quomodolibet necessario, esset virtualiter recedere à fine: ergo non habet maiorem connexionem cum amore finis amor medij necessarij ex natura sua, quam amor medij necessarij solum ex præcepto; falsa ergo erit illa Solutio Quinta.

Pro Solutione Horum Argumentorum videantur, quæ eleganter docet *Mag. Vincentius Pag.* 433. & deinceps. Ex nostra tamen doctrina iam ad Primum Argumentum *Respond.* Quod amor medij quomodolibet necessarij, habet quidem necessariã connexionem cum amore finis, hoc est, infallibilem; stat autem optimè, quod talis amor medij possit esse absolutè liber, & absolutè necessarius, iuxta diuersitatem mediorum. Ad hoc autem vt infallibilis sit, sat fuerit, quod sit necessarius ex suppositione alicuius extrinseci, quod non tollit libertatem.

Ad Primam Probationem Anteced. Respõd. Verum esse quod ex necessaria connexione inter obiecta colligitur necessaria connexio inter actus, & consequenter ex diuersa natura talis connexionis obiectorum, colligitur diuersa connexio actuum. Quando ergo fuerit inter medium, & finem connexio connaturalis ex propria cuiusque entitate intrinseca, etiam erit necessaria, & intrinseca connexio actus. Vnde si amor finis fuerit necessarius, etiam electio, aut acceptatio medij intrinseci erit necessaria absolutè. Cæterum si talis connexio finis, & medij fuerit ab extrinseca lege, & non connaturalis, non oportet quod si amor finis fuerit omnino necessarius, sit etiam omnino necessaria electio, aut acceptatio medij: sufficit enim quod sit necessaria secundum quid, id est, ex suppositione illius extrinseca, quod est esse infallibilem, & tantum necessariam necessitate consequentiæ, non consequentis, vt diximus.

Ad Secundam Probationem ex exemplis *Respond.* Quod simili efficacia, qua in illis casibus quis amat finem debet amare illa media, quia ad conseruationẽ vitę omnino necessarius est naturaliter cibus, & iste in particulari, si non adest alius; & similiter fugere inuasorẽ, supposito quod aliter mors nequit euitari, baptizari etiam in noua lege supposita copia baptismi est medium intrinsecè necessarium ad salutem ex institutione Authoris gratiæ, atque adeò de necessitate intrinseca volentis salutem est velle baptismum supposita tali ordinatione. Quare in omnibus illis exẽplis ex intrinseca connexione finis, & medij acceptãda sunt media. At in nostro casu nõ ab intrinseco ponitur necessitas circa opus præceptũ, sed solum ab extrinseco, atque adeò remanet indifferẽtia absoluta circa talẽ actũ.

Secundam Rationem diuersitatis assignat *Mag. Vincentius* vbi supra, quod scilicet in prioribus casibus intentio finis suam efficaciam sumit à libertate voluntatis, cui talis finis, & media indifferenter subsunt, atque adeò simili efficacia omnia appetit, & finẽ, & media. At Charitas non eodem impulsu, & propensione determinat in patria volũtatem ad amorem necessarium finis, & ad quodcumque mediũ ad illum, sed ad amorem medij necessarij ab intrinseco determinat necessariò ex intrinseca connexione eadem necessitate, qua ad finem; ad amorem vero medij tantum necessarij ab extrinseco non ex necessitate absoluta, sed secundum quid, id est, ex suppositione.

Ad Primam Confirmationem ex modo dictis *Respõd.* Verum quidem esse Quod efficax intentio finis includit voluntatem efficacem seruandi omnia mandata, non tamẽ intentio finis necessaria includit volitionẽ omnino necessariam circa obseruationem in particulari, sed solum necessariam secundũ quid ex suppositione vt diximus. Vtrùm autem sit ponenda aliqua differentia inter voluntatem seruandi præcepta naturalia, & positiua. Videatur *Mag. Vincentius Pag.* 438 & deinceps, vbi determinat in Christo specialiter vtrorumque præceptorum adimpletionem esse liberam absolutè ex eo quod cum beatitudine animæ esset etiã absolutè Viator, quod in alijs beatis non contingit, & si per naturalia præcepta non mereretur Christus, nec etiã per humilitatẽ,

& subiectionem in ordine ad Deum, quod non iuris positiui, sed naturalis est, nequit autem dici Christum non meruisse per humilitatem, & subiectionem in ordine ad Deum, quia oppositum constat ex sacra Scriptura.

Ad Secundam Confirmationem Respond. Quod ex intentione finis, ita infallibiliter sequitur efficax amor medij de se non necessarij ab intrinseco, sicut efficax amor medij de se intrinsecè necessarij. Vnde etiã à posteriori ex negatione amoris efficacis cuiuscumque medij sequitur negatio efficacis amoris finis. Ad hoc autem non est necesse, quod æquali necessitate coniungãtur, quia inter finem, & medium de se necessarium, est coniunctio necessaria ab ipsa natura rei proueniens; vnde si circa primum non est libertas, nec etiam circa secundum poterit esse. Inter finem autem, & medium solum necessarium ab extrinseco non est naturalis connexio, sed moralis, atque adeò etiam stante necessario amore circa finem potest esse libertas absoluta circa istud medium, cum sit necessarium sola necessitate consequentiæ, quæ est secundum quid.

Ad Secundum Argumentum in principio vt Respondeamus, aduertendum est adeò difficile visum fuisse *Magistro Vincentio Pag.* 435. vt ingenuè fateatur se libentiùs velle audire solutionem eius, quam tribuere. Multo ergo magis variant Doctores circa Solutionem eius, dum septem, & amplius assignant solutiones, quas de consulto omitto, tum propter fastidium, tum etiam quia ex supradictis refutari possunt. Vt igitur in forma ad Argumentum Respondeamus, iuxta doctrinam à Nobis superius traditam, supponendum est, quod negatio actus ea ratione dici debet necessaria, vel non necessaria, seu contingens, & libera, sicut eius actus oppositus fuerit impossibilis, vel contingens, aut liber. Vnde ad positiuum maximè attendendum est, cum negatio per illud regulari debeat. Cõcedendum ergo est absolutè *Antecedens*, scilicet Quod Christus sit omnino determinatus ad non offendendum Deum, & ad non violandum præceptum, & constat quia omnino est impossibilis oppositus actus, scilicet *Volo offendere Deum. Volo violare præceptum*, atque adeò negatio istius actus in illo Antecedenti assumpta, est omnino necessaria Christo. Est autem distinguendum *Consequens*, quia in sensu composito, hoc est, supposito præcepto non potuit non facere; potuit tamen in sensu diuiso, id est, loquendo solum ex meritis obiecti illius actus, scilicet mortis sustinendæ, & ex modo intrinseco operandi ipsius voluntatis tam negatio illius actus, quàm etiam actus positiuus voluntatis circa illud obiectum libera fuit Christo, & quantum ad exercicium, & quantum ad specificationẽ, & hic sensus est diuisus ab illa suppositione præcepti, & sufficiens ad absolutam libertatem. At loquendo ex suppositione præcepti, & impeccabilitate Christi non potuit non facere, quia non habebat libertatem vt vnum cum altero componat, id est, ad non facere cum præcepto faciendi, & impeccabilitate Christi; habet vero potentiam ad non facere considerato illo obiecto secundum se, & secluso quocumque extrinseco, & hoc sufficit ad libertatem actus oppositi.

Et Cum Subditur in probatione Consequent. quod idem est non facere, atque trãsgredi diuinum præceptum, Dico quod non facere in sensu composito, id est, supposito præcepto, verum est idem esse quod transgredi diuinum præceptum; sed non facere in sensu diuiso, id est, non supposito præcepto, non est idem quod violare mandatum. Vnde quamuis ex suppositione actus acceptandi mortem sit necessarius quantum ad specificationem, & oppositus impossibilis, tamen absolutè est liber.

Contra Hoc Autem Insurgit Suarez hac obiectione, quam validam, ac perdifficilem vocat. Sequitur (inquit) quod in Christo sit potentia physica ad peccandũ, & consequenter Christum absolutè loquẽdo posse transgredi præceptum diuinum illi impositum, quod esse omnino falsum supra *Quæst.* 15 *Artic.* 1. probatum fuit. *Prob. Sequela.* Quia Christus liberè adimpleuit præceptum moriendi obligans hic, & nunc; ergo potuit implere, & non implere; sed posse non implere tale præceptũ est posse peccare: ergo absolutè, & simpliciter peccare potuit.

Respond. Negando Sequel. Christus enim non habuit potentiam physicam ad peccãdum formaliter, nam licet habuerit potentiam physicam ad actum, & ad negationem actus absolutè, non vero habuit potentiam physicam ad illum actum, vel negationem actus secundum quod inductiua erat priuationis regulæ rationis. Nec ad hoc saluandum est necessarium recurrere ad paratum

Dei

Dei concursum, vel non paratum, vt recurrit *Suarez*, sed ad ipsam Christi intrinsecam dispositionem. Sicut enim non habet potentiam ad operandum, nisi coniunctam primæ regulæ secundùm esse, ita neque vt exeat in actum, nisi eidem regulæ coniunctam, & subordinatam, atque adeò non habet potentiam physicam nisi ad rectè operandum.

Cæterum ex meritis ipsius obiecti habuit potẽtiam physicam ad eos actus, quos si eliceret supposito præcepto peccaret, scilicet, *Volo non mori*, aut *Volo non redimere genus humanum*, quod grauissimi Discipuli *D. Thomæ* libenter fatentur, & *Molina* 1. *Part. Quæst.* 14. *Art.* 3. *Disput.* 18. §. *Vt ad Argumenti Solutionem, &c* Supposito tamẽ præcepto Dei impossibile fuit, quod eos actus eliceret, quare nunquam est concedendum, quod ad omissionem horum actuum *Volo mori*, aut *Volo redimere genus humanum*, secundum quod isti actus in præcepto cadebant, haberet Christus potentiam physicam.

Ad Confirmationem Respond. Non esse inconueniens, quod in bona Consequentia Antecedens sit omnino necessarium, & consequens solum secundum quid, dum tamen sit infallibile supposito antecedenti ex aliqua coniunctione infallibili cum illo, nunquam enim instabitur, vt dici solet 1. *Part. Quæst.* 14. *Artic.* 13. est enim hæc consequentia necessaria *Deus scit Petrum peccaturum: Ergo Petrus peccabit*, & tamen antecedens est omnino necessarium, & cõsequens tantum secundum quid, id est vt subest scientiæ diuinæ.

Pro Cuius ampliori notitia aduertendum est, Quod potentia de se determinata ad rationem superiorem est indifferens ad materialia subiecta, quæ per accidens coniunguntur illi superiori rationi. Exemplum est in potentia visiua, quæ de se determinata est ad colorem in communi, indifferens vero ad hominem, & equum, in quibus reperitur color per accidens. Sic ergo dici potest, quod potentia Christi, quæ est voluntas, determinata est ad bonum rationis in communi, indeterminata vero ex se ad hanc rationem boni in particulari, quæ de se non est intrinsecè coniuncta cum bono rationis, sed per accidens, & ab extrinseco. Et notandum quod res liberæ cognitæ à Deo per reductionem ad scientiam diuinam habent libertatem, & vt subsunt scientiæ diuinæ habent necessitatem, aliter tamen, & aliter, nam esse intelligibile rerum cognitarum prout subest scientiæ diuinæ habet necessitatem, quia infallibiliter, & necessariò cognoscitur, habetque connexionem cum scientia diuina. At verò physica entitas actus liberi per reductionem ad scientiam Dei habet libertatem, quia Deus cognoscit illum secundum modum liberum, & cognitio Dei dat id quod cognoscit rebus, non supponit, nec ab illis accipit.

ARTICVLVS V.

Vtrùm Christi Meritum fuerit Infinitum simpliciter?

Dvbium Istud benè tractatur à *Magist. Medina* hic *Dub.* 3. & à *Magist. Vincentio Pag.* 442. & deinceps, à *Magist. Cabrera*, & alijs. Quia tamen Nos agentes de infinita satisfactione Christi supra *Quæst.* 1. *Art.* 2. *Dub.* 9. *Disput.* 2. ferè omnia, quæ ad Disputationẽ hanc pertinent absoluimus, breuiter ab eo expediemur. Solum supra omnia illa ibi tradita aduertentes, quod quamuis omnes Doctores communiter conueniant in asserenda infinitate simpliciter meritorũ Christi, nihilominus disconueniunt in modo explicandi illam infinitatem.

Quidam Enim Dicunt, quod operationes Christi eo ipso, quo à Supposito diuino eliciebantur erant infinitè meritoriæ simpliciter, quia Persona operans erat Deus, & hoc est assignare causam infinitatis meriti veluti à priori. *Alij vero à posteriori* talem infinitatem meriti in Christo colligunt ex eo, quod illi de facto datur infinitum præmium, hoc vero non eodem modo assignatur à Doctoribus, nam Quidam dicunt tale infinitum præmiũ de facto fuisse Christo collatum in Resurrectione, in qua ex reunione partium ad inuicem secuta fuit vnio Suppositi diuini ad totam humanitatem, quod infinitum quid est simpliciter. *Alij ponunt infinitatem* præmij non in re illa in qua Christus fuit præmiatus de facto, sed in modo, quo præmium illud conferebatur, videlicet, ex eo quod tribuebatur ex toto rigore iustitiæ. *Ac tandem Alij* infinitatem meritorum Christi in eo consistere docent, quod eius passio proponatur vt vniuersalissima medicina, sufficientissima omnibus hominibus existentibus, præteritis;

tis, futuris, imò & possibilibus ea vti volentibus pro quibuscumque peccatis quantumcumque numero, aut intensione grauissimis.

Qui Omnes Modi Dicendi satis probabiles sunt, & etiam iste vltimus mihi magnopere arridet, qui est *Magist. Vincentij Pag.* 348. ex eo quod valdè cedit in excellentiam, & honorem Christi Domini, & operationum eius, quidquid in oppositum dicat *Suarez Disput. 4. Sect. 4. §. Fatendum est ergo.* Vbi non vult concedere, quod omni proprietate termoris Christi meritum fuerit infinitum conferens actuale ius ad infinitum præmiũ. Cuius oppositum egregriè docet *Mag. Vincentius* loco citato.

Et Notandum Quòd principium *Quod* operans in Christo, licet in ratione vniti, & communicati finito modo se communicauerit humanitati, tamen in ratione principij vt *Quod* in quantum est principium *Quod* manet infinitum simpliciter cũ persona sit infinita, & personaliter vnita, quod non contingit in visione beatifica, vbi Diuina essentia vnitur vt principium *Quo* etiam in ratione principij *Quo* finitè, & accidentaliter. Principium autem dignitatis, & valoris moralis operum non sumitur ex principio *Quod* vt operatur mediante aliquo principio *Quo* finito, sed aliquo principio *Quod*, vt *Quod* est, nam actio Regis non quia fit manu, aut alia potentia habet dignitatem, sed à persona Regis immediatè.

Secundo Notandum Est, Quod quando *Magist. Vincentius Pag.* 445. negat Christũ suscepisse infinitum præmium in Resurrectione, quod alij Doctores admittunt, non negat illud absolutè, sed in eo sensu, quo ab alijs affirmatur, videlicet, quod tantum beneficium collatum fuit humanitati in Resurrectione, sicut in ipsa Incarnatione Verbi, quando primò facta est. Displicet tamen id quod consequenter affirmat per modum consequentiæ, videlicet, quod si tantum beneficium collatum fuisset humanitati per Resurrectionem, ac per Incarnationem, consequenter affirmandum esset, quod per solam Resurrectionem totum Christi meritum esset præmiatum, ita quod eius opera non haberent vltra rationem meriti respectu nostræ gratiæ, & gloriæ, & quod iam opera Christi recepissent adæquatum præmium in Resurrectione. Ex quo videtur plane sequi Sapientissimum Mag. in illa esse Sententia, quod si Christus ordinasset sua merita ad Incarnationẽ Patris, aut Spiritus Sancti, ea consecuta non posset vltra se extendere meritum Christi ad aliquod aliud præmium etiam inferioris ordinis. Quod & probat hoc Argumẽto. Quia summum bonum eminenter cõtinet omnia bona creata, & secundum Opinionem probabilem multorum Thomistarum, etiam secundum rationem numericam secluſis imperfectionibus: ergo summum bonum sufficientissimum præmium est infiniti meriti, ita quod solo ipso accepto præmiatur meritum totaliter, nec potest ad aliud bonum, etiam creatum se extendere.

Hæc Autem Assertio vt Dixi, mihi displicet, & communiter Theologis, & ratio pro illa, licet probet, quod vltra infinitum præmium simpliciter non possit aliquid aliud mereri, quod sit superius, aut excedens infinitum simpliciter, non tamen probat, quod alia bona inferiora non possint esse verè præmia infiniti meriti ex adeptione infiniti præmij simpliciter. Vnde Respond. ad illam, Quod sicut diuinum esse continet eminenter creaturas, ita meritum communicationis diuini esse ad humanitatem esset virtuale meritum communicationis aliorum bonorum. Quod si ad ea communicanda tale meritum ordinaret Christus, vt de facto ordinauit ad gratiam, & gloriam nostram, iam tale meritum est meritum formaliter respectu eorum.

ARTICVLVS VI.

Vtrùm Christus in primo instanti suæ Conceptionis Meruerit?

Partem Negatiuam Plures ex antiquioribus Theologis tenuerunt, inter quos est *Alensis*, *B. Albertus Magnus*, *D. Bonauent.* *Durand* *Hugo de Sancto Victore*, *Magister Capr* *Holcot.* *Enricus* citati à *Vazquez Disp* 75. *Cap.* 1. & à *Cabrera Disp.* 2. statim in principio.

Conclusio. Christus Dominus meruit in primo instanti suæ Conceptionis verè, & propriè. Hæc Conclusio est expressa *D. Thom. infra Quæst.* 34. *Artic.* 3. Quem sequuntur communiter eius Discipuli, & extra Scholam eius tenet eam *Scotus in* 3. *Dist.*

Dist. 8. Quæst Vnica. §. Est igitur, &c. Thomas de Argentina, Gabriel, Almain. Marsilius, Drieda, citati à *Vazquez Disp. 75. Cap. 2.*

Probant Autem communiter omnes Doctores prædicti, & Thomistæ huius tēporis hanc Conclusionem ex illo ad Hebr. 10. *Ideò ingrediens mundum* (nempè Christus) *dicit, Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, holocaustomata, & pro peccato non tibi placuerunt; Tunc dixi ecce venio, vt faciam voluntatem tuam.* Et paulò inferius, *Qua voluntate sanctificati sumus*; sed in primo instanti suæ Conceptionis ingressus est in mundum; ergo tunc habuit voluntatem illam, in qua sanctificati sumus, atque adeò actum meritorium.

Vazquez Autem loco proximè cit. ait malè Authores prædictos vti isto testimonio ad probandum fuisse meritum in Christo in primo instanti suæ Conceptionis, quia (inquit) nullus ex Sanctis Patribus, vno, scilicet *S. Thoma*, excepto, refert prædictum testimonium ad instans primum Incarnationis, sed ad totum tempus vitæ mortalis Christi. Item illa verba, *In qua voluntate sanctificati sumus*, ait non sunt referenda ad voluntatem Christi ingredientis mundum, & acceptantis mortem, sed ad voluntatem Dei, de qua dixit Christus, *Vt faciam voluntatem tuam Deus*, Et sensus erit, Per hanc voluntatem Dei, quam Christus impleuit veniens in hunc mundum, saluati sumus. Quod testimonium consonat 1. ad Thessalonic. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.*

Sed Immeritò Author iste prædictum testimonium reiecit, præcipuè cum viderit *S. Thomam* in sensu, quem ipse impugnat prædictum interpretasse, ibi enim *Lect. 1.* de instanti Incarnationis illum exponit, in quo proposuit pati mortem vt hoc sacrificio Deus placatus, & mundus esset redemptus. Quam expositionem etiam satis apertè tradit *D. Anselmus* super illum locum vbi ait, *Ingrediens mundum sine retardatione se obtulit Patri spontaneè, dum primo hanc hostiam sòlam sibi placere considerauit.* Quæ expositio ita est Textui conformis vt *Mag. Vincent.* affirmet oppositam sententiam hac solum ratione non conuinci hæresis ex hoc testimonio, quia dicere possunt Authores illius id Christum non fecisse in primo instanti, sed statim tempore illi proximo, quod cum parum distet à primo illo instanti nihil distare videtur. Vnde dici etiam possumus sanctificati meritoriè illa A voluntate Christi, qua ipse voluntatem Patris adimplere voluit. Quod si aliqui Sancti de altera voluntate Dei aliquando prædictum testimonium explicent, intelligendi sunt de causa sanctificante prima, & principali. Nullus tamen Sanctus nostram, & communem interpretationem de voluntate Christi impugnat.

Deinde Ratione Prob. Concl. Quia non est impossibile, sed potius vsitatum, quod operatio instantanea esse possit in eodem B primo instanti, quo res à Deo producitur: ergo eodem instanti, quo Christus conceptus fuit mereri potuit. *Consequent. indè Prob.* Quia præcipuum fundamentum Authorum oppositum Opinantium est affirmare, quod res operari nequit in eodem instanti, quo producitur. *Anteced. autem Prob.* Quia Sol in eodem instanti, quo creatus est à Deo, illuminauit, aliàs aliquo tempore esset Sol in rerum natura sine eo quod illuminaret cum inter primum instans suæ C creationis, & illum in quo illuminaret necessario mediaret tempus aliquod, quod dici nullatenùs potest; ergo etiam in eodem instanti, quo Christus conceptus fuit meruit actionibus voluntatis immanentibus, quæ in instanti produci possunt, & hac ratione affirmatur communiter à Theologis Angelum in primo instanti meteri potuisse. Quæ omnia amplius explicabuntur, & hæc ratio corroborabitur in Solutionibus D Argumentorum.

Soluuntur Argumenta.

Primo Arguitur Argumento Allensis. Nam in eodem instanti nequit res produci, & operari: ergo in eodem instanti nequit res produci, & mereri. *Prob. Consequent.* Quia meritum sine operatione esse nequit. *Anteced. autem* non probatur ab hoc E Authore, sed vt manifestum relinquitur.

Respond. ex his, quæ modo dicta sunt, benè enim potest res in eodem instanti operari in quo incipit esse.

Secundo Arguitur Argumento Magistri. Quia ad rationem meriti necessario requiritur libertas; sed in primo instanti Cōceptionis Christi non potuit in voluntate humana eius reperiri libertas; ergo neque meritum. *Consequent. est nota*, & *Maior patet* ex supra dictis Dub. 1. *Minor vero Prob. Primò*, Quia libertas esse non potest sine indifferentia; sed indifferentia ad opus respicit fu-

futurum tempus, non præsens; ergo non potest in illo primo instanti reperiri libertas in voluntate humana Christi. Et hac ratione existimauit *Magister*, neque Angelum in primo instanti potuisse mereri, aut demereri.

Secundo Prob. Eadem Minor à *D. Bonauentura*, & *B. Albert. Magno*, Quia in primo instanti alicuius rei non potest esse consultatio, quæ tempus requirit; sed consultatio requiritur ad libertatem: ergo esse non poterit in Christo in primo instanti suæ Conceptionis, atque adeò neque meritum.

Respond. Quod in primo instanti Conceptionis Christi optimè potest esse libertas requisita ad meritum, quia licet de ratione libertatis sit indifferentia, tamen illa non est intelligenda respectu temporis futuri tantum, sed in eodem momento temporis considerari potest, videlicet ex eo quod voluntas considerata prius natura quam operetur, indifferens erat ex se vt posset operari, & non operari.

Ad Secundam Probat. Eiusdem Min. ibi positam, Dico quod in primo instanti Conceptionis Christi potest esse deliberatio sufficiens ad merendum, quia hæc deliberatio non fit cum discursu, & labore, aut mora temporis, sed sola propositione indifferenti vtriusque partis, quæ in primo instanti temporis esse potuit, quia vt optimè docet *D. Thom.* infra *Quæst.* 34. *Art.* 2. *ad* 2. Qui perfectè cognoscit, non indiget discursu, aut mora temporis, sicut Citharædus ad pulsandam citharam. Non fuit autem necessarium in Christo aliquam consultationem præcedere, vt ibidem docet *D. Thom.* illa enim non præexigitur nisi propter inquisitionem incerti. Cum ergo esset Christus in illo primo instanti plenus scientia, non indiguit consultatione.

Tertio Arguitur Argumento Capreoli. Quia prior debet esse operatio naturalis, quam operatio libera; sed operatio naturalis nequit esse meritoria; ergo neque etiam prima operatio Christi in primo instanti facta.

Respond. Negando Maiorem, sine fundamento enim dicitur à *Capreolo* operationem naturalem debere esse tempore priorem, quam liberam, atque adeò ex hac parte nihil obstare potuit quominùs Christus mereretur in illo primo instanti. Potest enim dici, quod in Christo nulla fuit actio naturalis necessaria quo ad exercitiū, quæ sola est incapax meriti, omnes enim liberę fuerunt quantum ad exercitium, licet aliquæ necessariæ essent quantum ad specificationem, quæ libertas ad meritum sufficit.

Vltimo Arguitur Argumento Durandi, qui specialiter probat Christum non potuisse mereri in primo instanti suæ Conceptionis, quia aut meruit Christus operatione beatifica, aut alia actione voluntatis, quæ consequitur actionem intellectus secundum quod non videt Deum. Primum dici non potest vt constat, neque secundum quod sic probat. Quia nulla actio intellectus in illo primo instanti perficitur à qua actio voluntatis libera procedere possit: ergo. *Prob. Anteced. Inducliuè.* Nam actus ille intellectus prærequisitus non fuit scientiæ experimentalis, illa enim fit ministerio sensuum, quibus in illo instanti Christus non vtebatur; neque etiam fuit Scientiæ infusæ, quia hæc Scientia infusa necessariò pendet in viu à sensibus (sentit enim *Durandus*, vt supra vidimus, quod hæc Scientia infusa non differt specie natura sua à scientia acquisita) ergo non datur aliquis actus intellectus in illo primo instanti, à quo originetur actus liber voluntatis Christi in eodem instanti liberè eliciendus necessario prærequisitus ad meritum.

Respond. Verissimum esse Christum in illo instanti non meruisse per actum beatificum, qui est incapax meriti, sed per actum liberum voluntatis, qui sequitur ad Scientiam infusam. Nec aliquid valet impugnatio *Durandi*, ex eius enim ratione, quæ perfectum vsum sensuum in Christo requirit, sequeretur non solum in illo primo instanti, sed nec etiam toto tempore infantiæ potuisse mereri, quia eadem est ratio circa vsum perfectum sensuum in illo primo instanti, & in prioribus annis infantiæ Christi. Quare merito Sententia *Durandi* temeritatis nota censuratur à Theologis. Dicendum ergo est, Quod ad vsum scientiæ per se infusæ, quam habuit Christus Dominus ab instanti suæ Conceptionis, nullatenùs fuit necessariū, quod operationes sensuum exerceret, aut quod se conuerteret ad phãtasmata, licet pro sua libertate illud facere posset, vt supra diximus agẽtes de hac Scientia infusa *Quæst.* 11. *Art.* 2. atque adeò ad actum huius Scientiæ infusæ optimè sequi potuit actio voluntatis humanæ Christi libera, quæ de facto meruit in illo primo suæ Conceptionis instanti.

AR-

ARTICVLVS VII.

Vtrùm in illo primo instanti suæ Conceptionis Christus totum suum meritum consummauerit, taliter quod per alias actiones suæ vitæ mortalis nihil nouum meruerit?

Prima Conclusio. Christus Dominus non tantum meruit in primo instãti suæ Conceptionis, sed etiam alio toto tempore vitæ suæ mortalis per plures passiones, & actiones, & præcipuè per mortem suam. Hæc Conclusio satis colligitur ex sacra Scriptura, in qua multoties designatur Christũ præcipuè per mortem meruisse. Apocalyp. 5. *Redemisti nos Deus in sanguine tuo, &c.* Et Ecclesia canit in Cantico Ambros. & August. *Te ergo quæsumus tuis famulis subueni quos pretioso sanguine redemisti.* Et D. Paulus ad Colos. 2. *Et vos cum mortui essetis in delictis conuiuificauit cum illo delens, quod aduersus nos erat chirographum decreti affigens illud cruci, & spolians Principatus, &c.* In quibus verbis redemptionem, & alia multa bona tribuit D. Paulus morti Christi.

Deinde Probatur ex communi doctrina Sanctorum Patrum, præcipuè *D. August. Sermone* 11. *de Tempore*, vbi ait, *Adoremus pannos infantiæ ex quibus facta sunt emplastra naturæ.* Et certè non alio modo nisi quia dum Christus pannis inuolui pro nobis elegit, sanitatem nobis promeruit. *Et D. Bernard. Sermone* 2. *de Circumcis.* ait: *Merito sanè dum circumciditur puer, qui natus est nobis, saluator vocatur, quod videlicet ex hoc iam cæpit operari salutem nostram immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens.* Quid clarius pro nostra Conclusione dici potuit? *D. Ambros. Lib.* 2. *in Luc.* ait, *Meum ergo paupertas illius patrimonium est, & infirmitas Domini mea est virtus; maluit sibi egere, vt cibus abundaret.* Et certè non aliter, quam per meritum.

Secundo Prob. Conclusio Ratione, Quia si opposita sententia vera esset, sequeretur quod per primum actum meritorium Christi in primo instanti exercitum, consummatum, & perfectum esset totum nostræ Redemptionis opus. Consequens dici non debet, quia contradicit fidei qua assentimur Christum nos redemisse per suum sanguinem, & mortem: ergo nec etiam Anteced. *Sequel. Prob.* Quia si in illo primo instanti per primum actum meruit Christus totum præmium dabile, ita vt ibi meritum eius fuerit consummatum, & perfectum, per accidens fuit quod postea temporis decursu alios actus exerceret Christus, aut passionem, & mortem subiret, quia etsi ista non sequerentur, nihilominus totum meritum esset in re positum per primum actum.

Confirmatur, Quia etiam sequeretur, quod Christus per suam mortem non meruerit simpliciter. *Quod sic Probo.* Quia meritum simpliciter est illud, cui correspondet simpliciter debitum, sed iuxta oppositam sententiam non correspонderet debitum simpliciter morti Christi, sed solum secundum quid, & cum addito, hoc est, id etiam quod antea meruerat, solum nouo titulo: ergo non esset in passione Christi meritum simpliciter, quod nullus Theologus audebit concedere.

His Suppositis difficile est explicare, & hæc duo componere, Quomodo videlicet Christi meritum secundum se sit infinitum simpliciter, & nihilominus quomodo in prima operatione nõ meruit totum, quod in ratione præmij illi potest correspondere, siue finitum, siue infinitum sit? Et rursus Quomodo reũabit aliquid aliud merendum per plures operationes, & præcipuè per mortem? Circa quam difficultatẽ multa, & varia asserunt Theologi. Omissis tamen illis, quæ communiter impugnantur, veriora proferamus.

Secunda Conclusio. Si meritum Christi consideretur quãtum ad sufficientiã, Christus meruit per primum actum in primo instanti Conceptionis exercitum totum quod illi correspondere potuit in ratione præmij per reliquos actus virtutum, quos in discursu vitæ mortalis exercuit, immo per ipsam passionem, & mortem. Hanc existimo nullum Theologum negare posse, supposito quod asserat meritum Christi esse simpliciter infinitum ex Persona ipsa merente; nam cum primam operationem Persona illa infinita operata fuerit vt *Quod*, tantam illi operationi infinitatem, & valorem tribuit, quantum omnibus operationibus simul, atque adeò quantum ad sufficientiam omne præmium meruit à principio.

Quid

Quid Vero intelligamus per verba ista *Quantum ad sufficientiam*, facile explicabitur, & nihil aliud est, quam asserere quod si consideretur prima operatio Christi in primo instanti exercita secundum infinitatem, quam à Persona infinita participat, sufficientissima est ad se, & condignitatem habet cum præmio infinito, & finito, quod Christo dari potuit, ita quod si nullam aliam operationem in toto vitæ mortalis decursu operaretur Christus, illa prima operatio sufficeret ad merendum omnia, quæ Christus de facto meruit per omnes operationes.

Tertia Conclusio. Si meritum Christi consideretur quantum ad efficaciam, seu quantum ad applicationem Christi merentis respectu diuersorum præmiorum, Christus de facto non omnia meruit per primam operationem, sed semper per singulas aliquid nouum merebatur, & præcipuè per eius passionem, & mortem. Volumus dicere, quod licet meritum Christi primæ operationis esset sufficiens ad omne præmium (vt Conclusione præcedenti Dicebamus) de facto tamen non applicuit illam operationem ad omne præmium, sed diuersas operationes ad diuersa præmia, & præcipuè eius passionem, & mortem. Hæc Conclusio colligitur ex multis locis sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum affirmantium Christum per sudorem, & fatigationem, & circumcisionem meruisse aliquid nouum nobis; vbi consequenter affirmant Christum de facto non omnia præmia per primum actum promeruisse, vt facere potuit si voluisset; sed per singulas passiones, aut operationes singula præmia sibi fuisse debita. Probant istam Conclusionem rationes, quas Fecimus pro Prima Conclusione, quæ satis efficaces sunt, & præcipuè, quia esset magnum inconueniens asserere, quod per mortem tuam Christus nihil nouum meruit, quod in primo instanti non meruisset, cuius oppositum sonant Authoritates supra adductæ in Confirmationem Primæ Conclusionis, sed solum nouo titulo id quod antea iam promeruerat.

Ex His Duabus Conclusionibus conciliantur apertè duo loca *D. Thomæ*, quæ vehementer inter se pugnare videntur. Vnus est infra *Quæst* 48. *Art.* 1. *ad* 2. vbi postquam posuerat Argumentum, videlicet Quod Christus ab initio, & sibi, & nobis meruit, superfluum est iterum mereri; sed Christus in principio per primam operationem meruit nobis salutẽ: ergo per suam passionem eamdem salutem nobis non meruit. Respondet quasi concedendo, quod omnia Christus meruit in primo instanti, & non postea, sic enim ait; *Ad secundum Dicendum, quod Christus à principio suæ Conceptionis meruit nobis salutem æternam, sed ex parte nostra erant quædam impedimenta, quibus impediebamur consequi effectum præcedentium meritorum, vnde ad remouendum illa impedimenta, oportuit pati Christum.* Ecce quomodo non ponit *D. Thomas*, quod aliquid Christus meruerit per passionem, sed solum quod abstulerit impedimenta, vt nos consequeremur effectum præcedentium meritorum Christi.

Secundus Locus est in hac Part. *Quæst.* 46. *Artic.* 3. in Corp. vbi *D. Thom.* sic ait; *Christus per passionem suam non solum hominem à peccato liberauit, sed etiam gratiam iustificantem, & gloriam beatitudinis ei promeruit, vt dicetur* (inquit) *infra Quæst.* 48. In isto ergo testimonio clare patet, quod per passionem secundum mentem *D. Thomæ* Christus nobis meruit gratiam, & gloriam, & non solum ablationem impedimenti, cuius oppositum videtur dixisse in testimonio primo allegato.

Sed Certe quamuis *Vazquez* vbi supra dixerit, Nec satis capio quid in ea Solutione *S. Thomas* denotare voluit, quasi asserens illud esse inintelligibile, ista duo loca *D. Thomæ* optimè conciliantur, nec inter se pugnant, cum idem *S. Doctor* ab vno in alium locum se remittat vtrobique, quod nullatenùs faceret si oppositа in diuersis locis pronunciasset. Non ergo intelligit illum *Vazquez* ex defectu piæ affectionis ad Ipsum, & ad eius Scholam, quæ etiam ad intellectionem doctrinæ valde iuuat. In primo igitur loco *D. Thomas* loquitur de merito Christi quantum ad sufficientiam, & sic totum præmium meruit per primum actum, vt Diximus in 2. *Conclusione*. In secundo loco locutus fuit quantum ad applicationem meriti, & iuxta istam diuersam applicationem necessariam ad assecutionem præmij diuersa diuersis actibus meruit, & præcipuè per passionem, quam pro nostra salute, & redemptione, iustificatione, & glorificatione de facto applicuit. Quid autem per singulas operationes promeruit nobis, definire certò non potest ille, cui reuelatum non fuerit, cum ex mera voluntate Christi nobis non nota pendeat. Loca tamen sacræ Scripturæ, & Sanctorum

ctorum Patrum sufficientissimum fundamentum præbent, vt in diuersis operationibus diuersa nobis promeruisse fateamur.

Soluuntur Argumenta.

Arguitur Primo Ad Probandum, Quod Christus Dominus solo illo instanti primo promeruerit, non vero alio tempore suæ vitæ mortalis, ex *D. August.* à *Magist. Cabrer.* relato *Disput. 3. Num. 18.* Qui ait, Quod *Christus in merito non profecit*; ergo cùm determinatum sit *Dub. Præced.* quod in primo instanti meruerit, si in illo merito non creuit, solo illo instanti promeruisse dicendum erit, aliàs meritum cresceret.

Item D. Thom. infra *Quæst. 34. Artic. 3. ad 3.* ait, *Nihil prohibet idem esse alicuius ex diuersis causis, & secundum hoc Christus gloriam immortalitatis, quam in primo instanti suæ Conceptionis meruit, potuit etiam post prioribus actibus, & passionibus mereri, non quidem vt esset magis debita, sed vt sibi ex pluribus causis deberetur.* Ex quibus verbis satis apertè colligi videtur Christum Dominum omnia, quæ sub eius merito cadunt præmia in primo instanti suæ Conceptionis meruisse, & quod postea per alios actus à se exercitos toto vitæ suæ mortalis decursu nihil nouum meruit, sed idem pluribus alijs titulis.

Ad Hoc Argum. ex doctrina data facilis patebit Solutio, nam quando *D. August.* ait, *Christum in suo merito non profeciſſe*, sensus planus est, Quod non fuerit maioris valoris secunda operatio, aut reliquæ, quam prima meritoria, quia in gratia, aut virtutibus Christus non profecit, atque adeò nec in merito quantum ad sufficientiam, vt Nos Diximus *2. Conclus.* Per hoc tamen nullatenùs negare voluit, quod per alia opera à se exercita non meruerit aliquid de nouo per applicationem meriti sui ad peculiare præmium, sed potius id fatetur vt constat ex testimonio adducto in Probationem *Primæ Conclusionis.*

Ad Authorit. D. Thomæ Dico verissimum esse, quod illa, quæ vno titulo iam sunt promerita possint etiam promereri alio nouo titulo, sed tamen negamus, quod senserit *D Thomas*, quod omnia de facto meruit Christus quantum ad efficaciam, & applicationem per primam operationem suam, sed tunc omnia meruit quantum ad sufficientiam, tamen quantum ad applicationem meruit simpliciter de facto nostram gloriam, & reparationem per eius mortem, vt apertè fatetur *D. Thom.* infra *Quæst. 36 Art. 3.* Quod si plures operationes ad vnum determinatum præmium applicuisset, vt videtur fecisse respectu nostræ Redemptionis, & salutis, omnia illa habuerunt vices vnius tantum meriti, & præmium illud adæquatum erat efficaciæ, & applicationi talium meritorum.

Secundo Arguitur Ratione, Quia meritum Christi, quod habuit in primo instanti suæ Conceptionis infinitum fuit simpliciter: ergo prima operatio meritoria in illo primo instanti exercita fuit meritoria cuiuscumque præmij, atque adeò nihil nouum per alias operationes vitæ suæ mortalis potuit Christus mereri.

Respond. Concedendo Anteced. & Distinguendo Consequens, Prima operatio fuit meritoria cuiuscumque præmij quantum ad sufficientiam, & valorem, *Concedo.* Quantum ad efficaciam, & applicationem, *Nego.* Itaque non ex defectu valoris operationis primæ Christi non meruit omnia de facto per illam, sufficientissima enim erat illa sola, si nulla alia superadderetur, sed ex hoc quod Christus alia opera excellentiora ex obiecto, & magis ardua ad diuersa præmia applicare voluit.

DISPVTATIO XVIII.

DE HIS, QVÆ CHRISTVS SIBI, ET ALIIS MERVIT.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Christus sibi meruerit gloriam essentialem animæ, gratiam habitualem, & alia Supernaturalia Dona, quæ habuit?

IN *Hac Disputatione* primo agendum erat de Vnione quo ad substantiam, sed quia de hoc egimus supra *Disp.6. Artic.2.* illa omissa ad ea, quæ Vnionem sequuntur properamus.

Quantum Attinet ad gloriam essentialem animæ, de facto eam sibi Christum meruisse senserunt plures Theologi *B. Albert. Magn. Altisiodorens. Maior, Bassolis*, & Alij, quos adducunt *Magist. Medin. Dub.5. Mag. Vincent. Pag.504. Suarez Disput.40. Sect.2. & Vazquez Disp.78. Cap.1. & Alexand. Allensis* Gratiam etiam, & gloriam Christū sibi meruisse, reputauit probabile.

Secunda Sententia est Quorundā Theologorum affirmantium Christum de facto nec gratiam suam, nec gloriam animæ meruisse; potuisse tamen essentialem gloriam mereri. Sic sentit *D Bonauent. & Ricard. in 3. Dist.18.* & Quidam Moderni Thomistæ in hoc conueniunt, addentes quod etiam de potentia Dei absoluta gratiam suam habitualem mereri non potuit; de quo inferius dicemus *Conclu. 3.* Alij vero Theologi, inter quos est Gabriel, dixerunt Christum saltem potuisse mereri continuationem suæ gratiæ, & gloriæ; ac tandem *Scotus* ait nullatenùs potuisse Christum ista mereri.

Prima Conclusio. Christus de facto nec gratiam suam, nec gloriam meruit. Hæc Cōclusio est ita certa, vt à *Mag. Medina* iudicata fuerit opposita sententia temeraria; excessit tamen *Magister* in hac cēsura, cum habeat illa Sentētia Authores pro se grauissimos. Iudicatur tamen probabilis his tēporibus. Nostra tamen Conclusio communissima est inter Theologos Modernos, & Authores pro illa videātur apud *Vazquez*, specialiter vbi supra *Cap.2.* Prima ergo pars Coclusionis, quæ de gratia loquitur, probari potest primò ex differentia, quæ assignari solet in sacra Scriptura sanctificationis Christi, & aliorū hominum; dixit enim Angelus Gabriel Beatissimæ Virgini, *Quod enim ex tena, cetur Sanctū vocabitur.* Quod non solū de sanctitate natiuitatis, sed etiam de sanctitate Conceptionis intelligi debet. In quo distinguitur ab alijs hominibus. In quibus verbis denotatur Christo conuenire sanctitatē ex vi natiuitatis, aut Conceptionis, eo quod simul esset vnita humanitas Diuino Verbo. Hoc idē probari potest multis Sanctorum Patrum Authoritatibus, quæ videri possunt in Authoribus citatis.

Secundo Probatur Ratione Conclusio. Quia vt docet *D. Thom* supra *Quæst.2. Art.11.* & Nos ibi latè explicuimus, principiū meriti non potest cadere sub merito, sed gratia Christi (quāuis de possibili nō fuerit omnino necessaria ad meritū) tamen de facto fuit principium cuiuscumque meriti eiusdem Christi: ergo non meruit illam de facto. *Cōsequentia* est nota cum maiori, & *Minor Prob.* Quia quælibet actio meritoria Christi in suo genere perfectissima fuit secundum modum essendi connaturalem ipsi, & oppo-

oppositum afferere est irrationabile : ergo talis operatio procedebat ex habitu supernaturali gratiæ, quæ est connaturale principium ipsius meriti.

Confirmatur. Quia gratia, & virtutes Christi immediatius se habent ad ipsam animam Christi, quam operationes meritoriæ : ergo operationes Christi Domini præsupponunt gratiam, & virtutes in Christo, atque adeò esse non potuerunt meritoriæ gratiæ, & virtutum eius. *Anteced. Prob.* Quia gratia (vt diximus *Quæst.* 7.) vel dimanat ab vnione hypostatica vt propria passio, vel saltem est Christo connaturali iure debita ratione Vnionis Hypostaticæ. Virtutes autem, vt docet *D. Thom.* 1. 2. *Quæst.* 110. *Artic.* 3. tanquam propriæ passiones ex gratia sequuntur.

Secunda Pars Conclusionis, quæ de gloria Christi loquitur, his eisdem rationibus, & authoritatibus probatur, & specialiter à fortiori. Quia lumen Scientiæ infusæ, quæ deseruire posset ad actum liberum meritorium Christi, iuxta dicta superius, præsupponebat Scientiam beatam à qua deriuatur tanquam à primo, & supremo in genere cognitionis : ergo prius natura considerabatur esse in Christo lumen gloriæ, & Scientia beata, quam Scientia infusa, atque adeò multo minus cadere poterat sub merito, quam gratia, aut virtutes loquendo de facto, & prout res gestæ sunt.

Secunda Conclusio. Supposito modo, quo de facto Christus habuit gratiam, & gloriam, nullatenùs fuit possibile, etiam de potentia Dei absoluta, quod talem gratiam, aut gloriam mereretur. Hanc tradit *Mag. Medin.* in præsenti *Conclus.* 4. & *Mag. Vincent. Pag.* 513 & est communis inter Discipulos *D. Thomæ.* Est autem contra *Suarez Disp.* 40. *Sect.* 1. *§. Secundo modo, &c.* Vbi affirmat per opera subsequentia potuisse Christum gratiam, & gloriam animæ mereri. Nostra tamen Conclusio Probatur. Nam connaturalis modus, quo Christus Dominus de facto talem gratiam, & gloriam habuit, in hoc consistit, quod prima eius operatio fuit beatitudo, quæ simul cum gratia Christo fuit debita iure connaturalitatis ex Vnione Hypostatica, ex qua vnione necessariò fuit secuta gratia, & gloria, hoc est nullo mediante, aut interueniente actu libero, qui præsupponeretur ipsi gratiæ, aut gloriæ, vt supra probatum est : ergo supposito modo, quod de facto ista Christus habuit, nequit illa promereri.

Quod Si Arguas. Quia non obstat aliquid dari titulo connaturalitatis & simul titulo meriti, vt patet in gloria Corporis, etiam Christus habuit, quæ illo duplici titulo ipsi collata est : ergo etiam posset dari gratia, & gloria animæ titulo connaturalitatis, & simul titulo meriti.

Respond. Negando Consequent. Quia hoc quod est dari iure meriti in ipsa actuali collatione, denotat conferri tanquam aliquid aduentitium, & quod de facto connaturali modo datum non est, atque adeò cum gratia, & gloria animæ data fuerit de facto debito connaturalitatis, non potuit illo supposito Christus illam mereri. Nec est simile de gloria Corporis, quæ supposita Incarnatione eo modo, quo de facto perpetrata est, videlicet quod Corpus Christi remaneret passibile, vt per mortem nos redimeret, non data fuit de facto illa gloria Corporis quasi ex debito connaturalitatis, aliàs illam statim in principio haberet, sed illi collata fuit ex meritis suæ passionis, quæ quidem gloria Corporis, si ex decreto Dei Christus in carne impassibili veniret, daretur illi de facto ex debito connaturalitatis eo ipso, quod Incarnatio poneretur in executione, & in tali casu Christus illã mereri nõ posset.

Quod Si Iterum Arguas, Fieri potuisse, vt gratia, & gloria de facto Christo conferretur titulo connaturalitatis, ita vt non antecederet aliquod meritũ, & tamẽ per subsequentia merita posset illam mereri, atque adeò hoc duplici titulo illam haberet.

Respond. Quod si attendamus ad modũ connaturalẽ, quo de facto ista collata sunt, negamus etiam quod per opera subsequentia potuerit illa Christus mereri, vt etiam in simili negauimus supra *Quæst.* 2. potuisse Christum suam Incarnationem mereri nõ solum per opera antecedentia, sed etiam per opera subsequentia, eo quod Incarnatio fuit de facto principium cuiuscumque meriti Christi, atque adeò cadere non potuit vllo modo sub merito, nec operationis antecedentis, nec subsequentis. Cum igitur gratia Christi fuerit de facto principiũ connaturale totius meriti Christi, nullatenùs dari potuit ex meritis per opera subsequẽtia. Quod etiam de gloria animæ Probatur. Quia quod datur iure connaturalitatis independenter datur à quolibet alio extrinseco : ergo non potuit in casu de quo loquimur dari ex meritis subsequentibus, aliàs ab illis dependeret in sui collatione, quod debito connaturalitatis repugnat.

Tertia Conclusio. Si de potentia absoluta loquamur benè potuit fieri vt Christus non solum gloriam animæ suæ, sed etiam gratiam habitualem promeruerit. Hæc Conclusio quantum attinet ad gloriam animæ, communissima est inter Theologos, & ratio pro illa satis perspicua. Nam de potentia Dei absoluta potuit Verbum assumere naturam humanam dono supernaturalis gloriæ orbatam, sicut de facto assumpsit Corpus sine gloria eius, & tamen cum gratia habituali: ergo tunc per opera eius ex gratia procedentia optimè potuit suæ animæ gloriam promereri, si ad illam tua merita dirigeret, in quo nulla prorsus inuenitur repugnantia.

Maior Autem difficultas est de ipsa gratia habituali, An illam de potentia Dei absoluta potuerit Christus mereri? Et *Cabrera hic Disput. 7. Concluſ. 3.* iudicat hoc omnino esse impossibile, & cum illo Aliqui ex modernis Thomistis. Quorum ratio præcipua est. Quia gratia est simpliciter, & absolutè principium cuiuscumque meriti, taliter quod omnino repugnet dari meritum aliquod sine gratia, atque adeò omnino impossibile est, quod Christus suam gratiam mereatur; dependet enim ab illa meritum tanquam à principio vitali.

Nihilominus Nostra Conclusio est expressa Sapientissimi *Mag Vincentij Pag.* 505. & Aliorum Thomistarum, Qui sine dubio magis ad veritatem accedunt, & digniùs loquuntur de Vnione Hypostatica. Esto enim omne meritum puri hominis fundetur in gratia, quod verissimum est, atque adeò sub merito puri hominis gratia cadere non possit, nihilominus meritum Christi (vt supra diximus *Quæst. 7. Art. 1.*) non dependebat necessariò à gratia habituali; quamuis enim illa esset necessaria ad hoc vt operationes Christi secundum communem, & ordinariam legem, & modo connaturali essent meritoriæ, nihilominus (vt ibidem Diximus) dato casu possibili potentiæ Dei, quod Christus nec gratiam habitualem, nec etiam aliquod aliud donum supernaturale haberet, adhuc operationes eius ex eo, quod essent ab homine Deo substantialiter, & infinitè grato gratitudine Personali, essent simpliciter, & absolutè meritoriæ infiniti præmij.

Quibus Suppositis Probatur illa pars Conclusionis. Nam si gratia habitualis à principio non fuisset Christo collata, vt potuit A Deus facere de sua potentia absoluta, operationes à Christo procedentes possent ab eo dirigi ad obtinendam gratiam ex voluntate eius; ergo posset de eadem potentia illam mereri. *Prob. Consequentia.* Quia tunc gratia non esset principium meriti operationum Christi: ergo posset habere rationem præmij. *Anteced. autem Probatur.* Quia quælibet operatio Christi eo solum, quo à Persona infinita procederet haberet infinitam dignitatem, & valorem, B cum talis valor infinitus non sumatur de facto à gratia habituali, quæ est in Christo, quæ finita est in esse physico (vt supra Diximus) sed à persona operante: ergo posset dirigi ad gratiam obtinendam, cum præmium istud non superaret meritum. Hæc ratio currit dato casu, quod anima Christi nec gratiam, nec aliquod aliud donum supernaturale haberet. Ex qua etiam soluitur ratio fundamentalis oppositum Opinantium

C *Sed Forte Argues* contra Conclusionem. Nam in isto casu operationes Christi essent ordinis naturalis præcisè, cum supponatur assumpta natura omni dono supernaturali destituta: ergo non habebant operationes illæ proportionem cum gratia habituali, quæ ordinis supernaturalis est, quæ quidem proportio inter meritum, & præmium necessaria est.

Ad Hoc Argument. Respond. Quod in tali casu, quamuis operationes Christi essent ordinis naturalis ex obiecto suarum D potentiarum, secundum quam considerationem non esset proportio inter actiones ordinis naturalis, & gratiam, nihilominus si actiones illæ considerentur ex Persona operante, sunt ordinis infiniti simpliciter, cum persona operans sit Deus, ex qua etiam operatio ipsa est infiniti ordinis in genere meriti, atque adeò non solum habet in tali consideratione proportionem cum gratia, verum etiam su- E perexcedunt illam taliter, quod illis operationibus posset Christus mereri Incarnationem Patris, si ad illud præmium operationes illas dirigeret. Et hæc est solutio efficax. Nihilominus dici etiam posset, Quod de potentia Dei absoluta benè poterat fieri, quod operationes illæ Christi non habentis gratiam habitualem procederent tanquam à principio proximo ab aliquo supernaturali auxilio, quod proportionem haberet iam cum gratia.

Ex

Ex His Tribus Conclusionibus colligitur, Quod iudicium ferendum sit de Sententijs in initio Dubij relatis, & in quo sensu aliquam veritatem contineant. De continuatione vero gratiæ, de qua loquebatur *Gabriel*, dici debet sicut de ipsa gratia, videlicet de facto illam non meruisse, quia de facto fuit gratia principium totius meriti Christi. Eo autem modo, quo de possibili potentiæ Dei diximus in Tertia Conclusione potuisse gratiam cadere sub merito Christi, Dicimus etiam potuisse cadere continuationem eius. Secunda autem Conclusio nostra etiam verificatur de continuatione gratiæ, sicut de gratia ipsa. Continuatio vero gloriæ animæ optimè potuit cadere sub merito Christi, sicut de facto cadit sub merito nostro.

Soluuntur Argumenta.

Primò Arguitur Ratione. Quia Christus se disposuit per actum liberi arbitrij ad gratiam suscipiendam; sed illa dispositio, vt prior ordine naturæ ipsa gratia fuit meritoria: ergo de facto Christus Dominus suam gratiam, & consequenter suam gloriam meruit. *Consequentia est bona, & Maior* expressè asseritur à *D. Thoma* infra *Quæst. 34. Artic. 3.* vbi ait, Quod Christus fuit sanctificatus secundum proprium motum liberi arbitrij, admodum quo sanctificantur Adulti; & de Angelis idem affirmauit *1. Part. Quæst 62. Art. 6.* & de Adam *Quæst. 95. Art. 1. ad 5.* & de alijs hominibus adultis id manifestum est ex Materia de Gratia. *Minor vero Prob.* Quia ille actus consideratus vt prior natura ipsa gratia est supernaturalis, cum ad gratiam disponat. *Item* procedit à Persona grata per gratiam vnionis, quæ sufficit ad rationem meriti, vt supra diximus *Quæst. 7.* ergo est meritorius gratiæ, si ad illam obtinendam ordinetur.

Ad Hoc Argument. variè tenentur Respondere Discipuli *D. Thomæ*, Namque in sententia asserentium, Quod Christus fuit iustificatus ex dispositione liberi arbitrij, quam sequitur *Mag. Medina* in præsenti ad Vltimum Argum. & latiùs infra *Quæst. 34. Artic. 1. Dub. 3.* Quam etiam satis insinuat *Mag. Bañez 2. 2. Quæst. 24. Art. 3. §. Nobis tamen aliter, &c.* Necessariò dicendum est, Quod licet actus Christi fuerint priores ipsa gratia, & gloria in genere causæ materialis, sunt tamen posteriores in genere causæ efficientis: vnde cum iam gratia, & gloria sint principia illorum actuum non possunt cadere sub merito. Quæ solutio sufficientissima est.

Nihilominus Contra Eam Arguitur Primò, Quia illæ operationes vt priores natura ipsa gratia in genere causæ materialis nō intelliguntur procedere à gratia: ergo ex hac parte intelligi possunt, quod illam possint promereri. *Consequent.* videtur nota, & *Anteced. Prob.* Quia si in illo priori intelligerentur procedere à gratia, iam intelligerentur formatæ ipso gratiæ influxu, atque adeò non disponere ad illam.

Secundò Arguitur. Quia ex eo operationes illæ in nobis, vt priores natura ipsa gratia in genere causæ materialis, non sunt meritoriæ illius, quia vt sic informes intelliguntur, cum non intelligantur esse hominis grati; sed operationes Christi quantumuis priores ipsa gratia habituali, intelligebantur esse hominis grati per gratiā vnionis: ergo sub ea ratione erant meritoriæ gratiæ habitualis.

Ad Primum Horum Respond. Primò, Quod operationes illæ, licet prout in illo priori non intelligantur dimanare à gratia, eo quod in tali signo rationis non considerantur secundum habitudinem ad suum principium, quod est considerare genus causæ efficientis, tamen quia re vera gratia habitualis erat illorum meritorum principium, sub merito eorum cadere non poterat.

Secundò Respondeti Potest, Quod Ratio meriti, vt docet *D. Thomas Quæstion. 29. de Verit. Artic 6.* ad genus causæ efficientis reducitur, nempè moralis, & hac ratione eo ipso, quod operationes intelliguntur meritoriæ, intelliguntur etiam à gratia procedere, & consequenter esse nequeunt meritoriæ illius. Itaque operationes meritoriæ licet in genere causæ materialis, & dispositiuæ præcedant, non tamen in illo genere præcisè sumpto inuenitur ratio meriti, sed etiam pensari debet in ordine ad principium à quo procedit.

Ad Secundum ex modo factis *Respond.* Quod dispositio hominis adulti, qua ad gratiam per contritionem disponitur, non est meritoria illius ex eo, quod re vera illa contritio à gratia procedit, & sic est ab homine reuera grato, quamuis secun-

dum illud prioritatis naturæ non sic intelligatur. Quod idem dicendum est de Christo quantum ad hoc; quando enim ad gratiam se disposuit per suum actum, illa dispositio licèt in illo genere causæ materialis non intelligatur à gratia procedere, eo quod tunc non consideratur genus causæ efficientis, tamen reuera talis actus à gratia procedebat, atque adeò illam non poterat mereri.

Secundò Ad Principale Argument. Respond. ex *Magist. Soto* citato à *Medina Quæst.7.Art.13.Dub.2.*& ex *Mag.Vincent. Pag.237.& Pag.526.* cum alijs Discipulis *D.Thomæ*, quibus consentit *Suarez Disput. 40.Sect.2. §.Ad secundum*, Quod Christus non fuit iustificatus, vel glorificatus in anima ex dispositione liberi arbitrij, ita quod eius actus præcesserint gratiam, & gloriam in aliquo genere causæ etiam materialis. Quæ solutio sine dubio fundamentum habet in doctrina *D. Thomæ*, Quia in Testimonio citato in Argumento non affirmat *D.Thomas*, quod Christus fuerit sanctificatus per motum liberi arbitrij, sed secũdum motum liberi arbitrij, ad quod sufficit quod talis motus concomitanter se habuerit ad sanctificationem, id est, in eodem instanti, & in hoc esse potest similitudo inter sanctificationem Christi, & aliorum adultorum, & præcipuè Angelorum, primorumque Parentum. Neque oportet quod etiam sint similes in hoc quod sicut in eorum sanctificatione motus liberi arbitrij præcedit, vt iuxta mentem *D. Thomæ* docent eius Discipuli *1.2.Quæst.112.Art.2.* præcipuè *Mag.Medina,& Zumel* ibi *Disp. 1.Dub.illi annexo*, ita in Christo præcedere debeat talis dispositio in genere causæ materialis, quia est maxima diuersitas in his sanctificationibus, nam in sanctificationibus reliquorum hominum constituitur primo speciale matrimonium inter Deũ, & creaturam per gratiam; vnde non mirum quod de lege ordinaria prærequiratur saltem ordine naturæ vtriusque consensus. Cæterum speciale matrimonium inter Verbum, & humanitatem factum fuit per gratiam vnionis, ad quam non fuit prærequisitus consensus, atque adeò neque etiam ad gratiam ei debitam secundum legem ordinariam prærequiri debuit.

Quod Si Contra Hoc Arguas, Quia *D. Thom.* supra *Quæst.9.Art.3.ad 2.* expressè fatetur Scientiam infusam esse dispositionem ad beatam: ergo etiam amor secutus ex Scientia infusa erit dispositio ad amorem beatificum, quia eadem est proportio, & consequenter iam in aliquo genere, scilicet dispositiuo, erunt priores actiones Christi, quam Visio beata; & cum ex altera parte procedant ab homine grato per gratiam vnionis dicendum erit quod talem gloriam de facto promeruerit.

Respondetur, Quod in eodem Testimonio idem *D Thomas* expressè distinguit duplicem dispositionem, vna quæ se habet vt via ad terminum, scilicet formam; altera quæ se habet per modum effectus ad benè esse formæ; & in hac vltima Consideratione Scientiam infusam appellat dispositionem ad beatam, qua etiam amor secutus ex Scientia infusa potest dici dispositio, videlicet consequens ad Scientiam beatam, & amorem beatificum, & ad gratiam habitualem, sicut etiam ipse *D. Thom. Quæst. 7. Art.13.ad 2.* appellat gratiam habitualem dispositionem ad gratiam vnionis, cum tamen in nullo genere causæ, etiam materialis, illam præcedat, vt ibidem Diximus.

Secundo Arguitur. Quia si propter aliquam rationem non esset dicendum quod Christus meruit sibi gratiam, & gloriam, maximè quia opporteret, quod Christus caruisset tali gratia, & gloria pro aliquo tempore, quæ carentia dignitati Christi derogaret, vt docet *D. Thom. in hoc Art.* sed ad hoc vt Christus mereatur suam gratiam, & gloriam non est necessarium, quod illis aliquando caruerit; ergo nihil obstat, quod illas promeruerit. *Consequentia est bona*, & *Minor* in qua est difficultas Probatur. Quia non repugnat, quod meritum, & præmium sint simul in eodem instanti temporis, vt patet in augmento gratiæ, quod in eodem instanti temporis est in quo & meritum illius. Et similiter ex parte Dei præmiantis non repugnat conferre præmium in eodem instanti, in quo est meritum eius.

Confirmatur. Quia licet meritum comparetur ad præmium vt causa moralis ad effectum, & vt via ad terminum, tamen nõ repugnat simul esse causam, & effectum, viam, & terminum in eodem instanti temporis: ergo benè poterit stare, quod in eodem instanti primo temporis habuerit gratiam, & gloriam, & illas promeruerit. *Prob. Minor* in Sole, qui in eodem instanti in quo creatus fuit causauit effectum illuminandi aërem, & ipsa illuminatio prout est mutatio quædam in fieri dicitur esse via, & prout est illuminatum esse est terminus:

quæ

quæ omnia in eodem temporis instanti sunt. Et similiter dispositio ad gratiam cõsideratur vt via, & vt terminus in eodem instanti temporis.

Ad Hoc Argum. Respond. Quod quamuis loquendo de merito in communi non repugnet illud aliquando esse simul cum præmio, vt in casu Argumenti, nihilominus in casu nostri dubij, si Christus mereretur gloriam essentialem animæ suæ, oporteret carere illa secundum communem cursum rerum, vt constat in gloria Corporis, quam meruit, & hoc intendit *D. Thomas in hoc Art.* Esset etiam necessarium vt ante gloriam essentialem animæ præsupponeretur actio libera Christi Domini, qua mereretur illam gloriam, & hoc quidem fuit impossibile, supposito quod Christus eam habuit titulo connaturalitatis, & quod prima operatio eius fuit ipsa Visio beatifica; non ergo repugnat Christum mereri suam gloriam ex eo, quod meritum, & præmium vt sic non possint esse in eodem instanti, sed quia cuiuscumque operationis Christi meritoriæ, ipsa gloria fuit principium, non quidem formale, quale est gratia, sed veluti radicale, quia ex gloria animæ resultauit in Christo gratia, & virtutes iuxta ea quæ Diximus post Secundam Conclusionem nostram. Et per hoc patet ad Confirmationem.

Tertio Arguitur. Quia si opposita Sententia vera esset, maximè quia gratia, & gloria connaturales erant ipsi Christo, atque adeò non potuit carere illis; sed non repugnat habere illas ex debito connaturalitatis, & simul ex merito; ergo dicendum est, quod illas meruit. *Prob. Minor.* Quia gloria Corporis ipsius Christi data fuit illi ex meritis (vt infra Dicemus) & etiam data fuit debito connaturalitatis, nam eo ipso quod habebat gloriam animæ, debebatur connaturaliter illi gloria Corporis, quam nisi interueniret miraculum, statim haberet: ergo nihil obstat vt Christus gratiam, & gloriam sibi promeruerit de facto.

Ad Hoc Argum. Respond. Concessa Maiori, Negando Minorem, & ad Probationem eius *Dico*, Quod non est simile de gloria Corporis, & animæ, quia quamuis gloria Corporis, nisi nouum miraculum interueniret, consequeretur statim ad glorificationem animæ, tamen supposito quod vsque ad Resurrectionem non erat illam habiturus, benè potuit esse locus merendi illam, & sic de facto non fuit data quasi ad modum connaturalitatis; gloria tamen animæ taliter fuit data de facto titulo connaturalitatis, quod statim tanquam primum donum illi collata est, atque adeò tanquam principium vnde reliqua dona haberent radicem, & consequenter nullus fuit locus, vt simul cum hoc debito connaturalitatis haberet eamdem titulo meriti.

Sed His Omnibus sic dispositis authoritatem *D. Thomæ* valde difficilem inueni, in qua videtur apertè docere, Quod Christus meruit sibi gloriam animæ, & gratiam. Verba habentur in hac 3. *Part. Quæst.* 48. *Artic* 1. *in Corp.* vbi postquam quæsierat, An passio Christi causauerit nostram salutem per modum meriti, sic ait: *Respondeo dicendum Quod Christo data est gratia non solum sicut singulari personæ, sed in quantum est Caput Ecclesiæ, vt scilicet ab ipso redundaret ad membra, & ideò opera Christi hoc modo se habent tam ad se, quàm ad sua membra, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Manifestum est autem, quod quicumque in gratia constitutus propter iustitiam patitur, ex hoc ipso meretur sibi salutem secundum illud Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Vnde Christus per suam passionem non solum sibi, sed etiam omnibus membris suis meruit salutem.* Hæc D. Thom. Sed omnibus mẽbris suis meruit gloriam essentialem, & gratiam; ergo etiam sibi; vtrumque enim nomine *Salutis* appellatur.

Ad Prædictam Authoritatem, quam fateor esse difficilem, & à Nemine, quem viderim explicatam, *Respond. Primo*, Quod vt patet ex toto contextu Articuli, & intento *D. Thomæ* tantum vult docere, quod Christus sic meretur sibi, & membris, scilicet omnibus nobis ex eo quod est Caput totius Ecclesiæ, sicut homo particularis in gratia constitutus sibi soli; non autem debet intelligi, quod eadem prorsus, & sibi, & nobis meruerit, sed sibi meruit gloriam Corporis, & alia quæ Dubio sequenti dicemus; alijs vero membris suis *Salutem* hoc est, gratiam, & gloriam, quam sibi non meruit. Et hanc existimo maximè quadrare litteræ; notanter enim *D. Thomas* non dixit in fine Art. Vnde Christus per suam passionem non solum sibi meruit salutem, sed potius dixit, *Non solum sibi*, & ibi est punctus, quasi dicat, non solum sibi aliquid meruit, sed etiam omnibus suis membris meruit salutem.

Secundo Responderi Potest, Quod si intelligatur

gatur illud Verbum, taliter quod sibi meruerit salutem, & membris, non debet intelligi eodem modo, sed diuersò, taliter quod alijs meruerit gratiam, & gloriam absolutè, sibi autem non illam gratiam, & gloriam secundum quod persona particularis erat, sed meruit quod illa gratia, quæ vocatur *Salus*, esset principium gratificandi alios homines, quod Christus meruit. Itaque meruit sibi, quod sua gratia habitualis esset gratia Capitis in alios deriuanda. Prima autem explicatio videtur mihi magis consona Textui, & doctrinæ *D. Thomæ* in hoc, & illo Articulo.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus meruerit sibi Gloriam Corporis, & Exaltationem sui Nominis?

Quantum Attinet ad gloriam Corporis cum Catholicis non est dissensio, omnes enim communiter in hoc conueniunt Christum eam sibi meruisse, quamuis in modo merendi illam aliquid dissentiat *Scotus* à reliquis, vt Conclusione Secunda Dicemus.

Est Autem Dissensio cum Caluino Hæretico, qui audacter sentit Christum Dominum nihil sibi meruisse, benè tamen nobis, & probat ex aliquibus locis sacræ Scripturæ, videlicet ex illo Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum vt Filium suum Vnigenitum daret, vt omnis qui credit, &c.* Et Ioan. 17. *Pro illis sanctifico me ipsum* Et ad Rom. 8. *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum.* Et eodem modo, ait, loquuntur Prophetæ, *Isai.* enim *Cap.* 9. dicit, *Puer natus est nobis, &c.* Zach. Cap. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, &c.* In quibus locis solum dicitur, Quod Christus pro nobis venerit, ad denotandum quod omnia nobis meruit, sibi autem nihil; atque adeò nec meruit gloriam sui Corporis, neque nominis exaltationem.

Ratione Etiam idem probat Caluinus. Quia reliqua, quæ illi data sunt alio titulo erant ipsi debita; ergo nihil sibi meruit. *Anteced. Probat* de exaltatione sui nominis, Quia illa debebatur propter Vnionem Hypostaticam; de Gratia Corporis, Quia debebatur titulo visionis beatificæ animæ suæ.

Prima Conclusio. Christus Dominus verè meruit gloriam sui Corporis, & exaltationem sui nominis. Hæc Conclusio est quo ad vtramque partem certa secundum fidem, & quidem de secunda eius parte nullus Catholicus dubitauit. Probatur enim apertissimis sacræ Scripturæ testimonijs. Inter quæ vnum est ad *Philip.* 2. vbi ait Paulus de Christo loquens: *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, &c. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quid expressius? *Et ad Heb.* 2. dicitur, *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Quibus testimonijs manifestè conuincitur hæresis Caluini sententia, qui existimauit nullum esse locum in sacra Scriptura in quo denotaretur aliquid sibi Christum meruisse. Nec admittenda vllo modo est euasio Caluini, qui ad prædicta testimonia Respondet, Quod in illis solum significatur simplex assecutio, non autem causa meritoria. Quis enim non videat quod illa particula *Propter* in vtroque Testimonio causalitatem veram denotet, quæ non potest esse alia nisi meriti?

De Prima autem parte Conclusionis aliqui Theologi existimarunt non esse de fide. Sed tamen *Mag. Medina, & Mag. Vincent.* loco supra citato, optimè censent etiã esse de fide, quam probant multis sacræ Scripturæ testimonijs. Mihi tamen ad idem sentiendum sufficeret illud Lucæ Vltimo, *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* In quo apertè de gloria Corporis Christi est sermo, iuxta omnium Patrum expositionem. Quibus testimonijs, & alijs apertè etiam significatur, quod Christus meruerit Resurrectionem sui Corporis, & Ascensionem in cœlum, circa quod cum non sit difficultas particularis, immorari non licet.

Secunda Conclusio. Christus verè, & propriè, & directè meruit gloriam sui Corporis, & non tantum ablationem impedimẽti. Hæc est contra *Scotum*, qui tenet solum Christum meruisse vt auferretur impedimentum illud, quo gloria animæ detinebatur ne redundaret in corpus. *Et Prob. Conclusio Primò*, Quia de facto nullum fuit impedimentum extrinsecum detinens gloriam animæ ne transiret ad Corpus, sed solum

solum detinebatur per substractionem cõcursus diuini; ergo non meruit remotionem talis impedimenti.

Nec Valet; si dicas in fauorem *Scoti*, quod meruit Christus vt cessaret illa suspensio diuini concursus, qua cessante resultauit gloria animæ in Corpus, quia quidquid sit de hoc, meritum Christi tendebat directè, & per se in glorificationem sui Corporis tanquam in finem; in remotionem autem impedimenti, quodcumque illud esset, solum tenderet indirectè veluti ad conditionem sine qua non: ergo asserendum est Christum ipsam gloriam Corporis meruisse principaliter, & consequenter quod ad id consequendum nullum restaret impedimentum, quod omnes Theologi fatentur. *Item*, Quia præmium directum est præmium, quo fruimur, sed remotione impedimenti non fruimur; ergo remotio nequit esse præmium prædicti meriti. Sed tamen pro complemento doctrinæ sit

Tertia Conclusio. Christus Dominus non solum meruit illam nominis sui exaltationem gloriosam, quam habuit post mortem, sed etiam illam, quam habuit in vita mortali, siue collatam ab hominibus, siue ab Angelis; meruit etiam Regiam dignitatem, & supremi Capitis excellentiam; summum etiam Sacerdotium secundum ordinem Melchisedec. Quæ omnia probantur optimè à *Mag. Medina* hic, & *Mag. Vincentio Pag.* 534. & inter Alios videantur *Magist. Cabrer.* in præsenti *Disput.* 8. *§* 4. *Numer.* 37.

Ad Argumenta Caluini in principio posita *Respond.* Quod in illis omnibus authoritatibus exprimitur id quod fuit primariæ intentionis Dei, videlicet salus nostra, & bonum nostrum; neutiquam tamen negari potest ex his testimonijs, quod aliquid sibi meruerit Christus; est enim Argumentum ab authoritate negatiua; ex eo igitur quod ibi commendetur Charitas Dei pro nobis, cum hæc fuerit primaria causa passionis Christi colligi non potest Christum nihil aliud meruisse, & quod illa fuerit primaria causa passionis, declaratur in Symbolo Apostolorũ in illis verbis, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem passus, crucifixus, mortuus, &c.* Et est apertum testimonium *D. Cyrilli Lib.* 3. *Thesauri Cap.* 2. vbi ait; *Sin vero* (videlicet si propter suam exaltationem, & sublimitatem Christus veniret primario) *pro se magis incarnatus esset, quam pro nobis.*

Ad Rationem etiam Caluini *Resp.* non esse inconueniens vt illud, quod aliàs debebatur titulo connaturalitatis, si illud non habuit à principio postea etiam per meritum proprium acquirat, vt diximus.

Determinauimus Iam, quid sibi Christus meruerit; restat ad complementum Materiæ de Merito Christi examinare, Quid alijs meruerit? Circa quod plures difficultates disputandæ essent, si illas aliàs non supponeremus tractatas. Prima difficultas se offerebat, Si Angelis meruit gratiam, & gloriam essentialem? Et similiter Secunda, Si meruit gratiam status innocentiæ? Sed has difficultates latè tractauimus supra *Quæst.* 8. *Disp.* 11. *Art.* 2 & 3. Tertia, Si meruit prædestinationem hominum? Sed ista ex professo tracta est 1. *Part.* in Materia de *Prædestinatione*, vide *Disp.* 8. *Art.* 6. vbi explicauimus Quomodo etiam illa meruit in singulari istis præ illis. Quarta, & quidem celebris, Si meruit Antiquis Patribus gratiam, & alia Dona, quibus ipsi meruerunt? Sed quia illam tractauimus in Materia de Incarnatione *Disp.* 6. hic omittitur ne eadem repetamus; ibi enim explicuimus quomodo Antiqui Patres Incarnationem meruerunt, & quomodo Christus illis meruit. Quinta denique difficultas poterat esse, Si Christus nobis meruit gratiam? Sed quia Resolutio affirmatiua ita clara est, vt nulla in ea specialis sit difficultas, ideò etiam omissam illam facimus pro nunc. Videantur tamen de illa *Magister Medina*, & *Nazarius* hic *Vincentius Pag.* 581. *Cabrera Disput.* 2 & 4 & Alij. Solum restat disputandum de dispositionibus, & alijs, quæ iustificationem nostram præcedunt, quod

Artic. sequenti tractabitur.

AR-

ARTICVLVS III.

Vtrùm Christus omnibus hominibus meruerit omnes illas dispositiones, seu motus supernaturales, qui eorum iustificationem præcedunt?

Partem Negatiuam huius Dubij tenuerunt Antiqui Theologi *Capreolus in 3. Distinct. 18. Quæst. Vnica Artic. 3. Driedo de Captiuitate, & Redemptione Tract. 2. Cap. 2. Part. 3. Artic. 4. Ferrara 4. Cont. Gentes Cap. 55. circa Responsionem D Thom. ad 7. Franciscus Somnius Lib. de Mysterijs Christianæ Religionis Tractatu 6. Cap. 19. Ricardus Tapper Tom. 1. Art. 6. Conradus 12 Quæst. 114. Art. 6.*

Conclusio. Christus Dominus meruit nobis omnes dispositiones, seu motus supernaturales, qui gratiam ipsam præcedunt, & concomitantur. Hæc est expressa Sententia *Diui Thomæ* supra *Quæst. 7. Artic. 9.* vbi dicit *Gratiam Christi plenam esse ex eo quod attingit omnes gratiæ effectus, & Quæst. 8. Art. 3. ad 2.* docet *Christum etiam in peccatores influere aliqua supernaturalia dona.* Quomodo autem cum hoc stet verum, quod *D. Thom.* asserit infra *Quæst. 79. Art. 7. ad 2.* dicemus in eius Solutione postea ad confirmationem Secundi Argumenti. Est etiam hæc Conclusio omnium Theologorum huius temporis communis consensus, à qua iam recedere non licet.

Probatur Primo multis authoritatibus sacræ Scripturæ, quas adducunt Commentatores *D. Thomæ*, & longum esset illas recensere; sufficiat nobis illud testimonium ad Ephes. 1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui Benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo.* Vbi omnia dona spiritualia nobis collata esse dicuntur per Christum.

Confirmari Etiam potest quam plurimis Sanctorum Patrum Authoritatibus, quas refert inter alios *Magister Cabrera Disp. 3. §. 3. Numero 25.* Sufficiat nobis illud Bernardi Serm. 13. in Cantica vbi ait, *Quidquid virtutis, quidquid Sapientiæ te habere confidis deputa Christo.* Et ante in primis verbis Sermonis dixerat *Origo fontium, &* A *fluminum omnium mare est, virtutum, & scientiarum Dominus Iesus Christus.*

Tandem Probatur breuiter Conclusio Ratione. Quia sequitur etiam quod Christus non meruisset nobis primam gratiam, si opposita sententia esset vera; consequens est Hæreticum, vtpotè contra determinationem Concilij Tridentini *Sess. 6. Cap. 7.* vbi inter causas nostræ iustificationis ponitur Christus *Causa Meritoria*; ergo nequit dici Antecedens. Probatur autem Sequela. B Quia omne agens, quod non habet virtutem ad introducendas omnes dispositiones necessarias ad aliquam formam in passo, nequit producere formam ad quam illæ dispositiones ordinantur; ergo si Christus non meruisset omnes illas dispositiones antecedentes ad gratiam, nequaquam illam gratiam mereretur.

Soluuntur Argumenta.

C *Arguitur Primo* ex illo Ioannis 6. *Nemo potest venire ad me nisi Pater, qui misit me traxerit eum*; quasi dicat Christus, Nemo potest mihi sociari, vt mea merita ei communicentur, nisi Pater pulsauerit cor eius vt in me credat, & credendo ad me accedat; ergo talis pulsatio, & tractio præuenit merita Christi, atque adeò data est ex mera Voluntate Dei. Videantur aliæ Authoritates sacræ Scripturæ apud *Magist. Cabrera* D hic *Disp. 3.* statim in principio.

Ad Hoc Argumentum Respondetur, Quod illo testimonio, quo Christus affirmat neminem venire ad ipsum nisi tractum à Patre, non excludit eius merita propter quæ trahatur, cum etiam eadem opera dicat ipse habere à Patre, Ioannis 5. *Opera, quæ dedit mihi Pater ipsa testimonium perhibent de me.* Voluit ergo Christus significare propriam causam efficientem auxilij, quo ad Christum trahimur, quæ est Deus, & propter excel- E lentiam talis tractionis tribuit illam Patri.

Arguitur Secundo Authoritate *D. Augustini Lib. 1. de Prædestinat. Sanctorum Cap. 15.* Vbi absolutè affirmat, *Quod ea gratia ab initio fidei suæ sit homo quicumque Christianus, qua homo ille ab initio factus est Christus*; sed ille homo factus est Christus absque suis meritis ex sola libera Dei voluntate; ergo etiam nos ex eadem libera voluntate facti sumus Christiani, id est credentes in Christum, atque adeò fides, quæ

ad

ad iustificationem requiritur, non datur nobis ex meritis secundum mentem *D. Augustini*.

Confirmatur ex *D. Thoma* infra *Quæst. 79. Art. 7 ad 2.* vbi affirmat, *Quod passio Christi effectum non habet nisi in illis, qui coniunguntur illi per fidem, & Charitatem.* Ex quo sequi videtur, quod auxilia, siue motus supernaturales præcedentes talem coniunctionem cum passione Christi per Charitatem, & fidem non sunt effectus passionis Christi, siquidem ait *D. Thomas*, quod passio Christi effectum non habet nisi in illis, qui prædicto modo coniunguntur illi.

Ad Hoc Argumentum Respondetur sensum verborum *Diui Augustini* esse apertũ, videlicet, Quod *Gratis*, id est, *Non ex meritis proprijs*, fit homo à principio vitæ suæ Christianus, sicut Christus sine meritis suis factus fuit Christus. Excludit ergo merita nostra respectu nostræ vocationis, non autem merita Christi. Et constat hanc esse veram expositionem, quia ibi loquebatur contra Pelagium, qui asserebat nos iustificari ex viribus liberi arbitrij nostri: excludit etiam *D. August.* merita Christi respectu Incarnationis eius.

Ad Confirmationem ex *D. Thoma Respondetur*, Quod ibi *D Thomas* loquebatur de effectu ex lege conferendo, & infallibiliter, de quo ibi loquebatur tractans de effectu sacramentali; & etiam intelligendus est *D. Thomas* de remissione culpæ, & infusione gratiæ, de quo etiam ibi loquebatur, videlicet quod passio Christi non proficiat quantum ad efficaciam ad hunc effectum quousque homo coniungatur Christo per fidem, & Charitatem; ex quo deduci non potest, quod ex Sententia *D. Thomæ* Christus dispositiones ad gratiam non meruerit nobis.

Tertio Arguitur Ratione. Quia Christus Dominus solum venit recuperare ea, quæ primus Parens, & sibi & nobis amisit; sed ille non amisit Fidem, & Spem, cum istæ virtutes non amittantur nisi per actus proprios infidelitatis, & desperationis oppositos, quos Adamus non habuit. Ergo Christi meritum non se extendit ad motus Fidei, & Spei nobis promerendos, saltim eos qui sunt ante iustificationem, qui in Adamo non defuerunt.

Confirmatur. Quia si Christus reuera non venisset in mundum Deus conferret filijs Adæ generalia auxilia gratiæ, per quæ aliquales motus Fidei, & Spei habere possint ex mera voluntate Dei; ergo eadem auxilia generalia gratiæ etiam nos habemus ex libera Voluntate Dei, & non ex meritis Christi.

Ad Hoc Argumentum Respondet Vazquez Disput. 77. Cap. 4. §. ad 4 Aliquos esse. & §. Ex his omnibus, &c. Quod Adamus quando peccauit reuera amisit fidem, sicut & Eua, quia eodem modo credidit dictum serpentis verum esse, videlicet *Nequaquam moriemini, & eritis sicut Dij.* Quam Sententiam etiam tribuit *D. Augustino Tomo 5. Lib. 14. de Ciuit. Dei Cap. 17. & Ambros. Lib. 7. in Lucam Cap. de Homine descendente ab Hierusalem in Iericho. D. Leoni Serm. 4. de Natiuit. D. Prospero ad excepta Genuensium in Responsione ad tria dubia priora*, & in *Lib. contra Collatorem Cap. 19. & 21. & D. Fulgent. Lib. de Incarnat. & Gratia Cap. 23.*

Quod si huic Authori obijciamus illud Pauli 1. ad Tim. 2. *Vir non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* Respondet, Quod ibi suppletur particula *Primus*, id est, *Non est seductus Primus*, sed secundus, sicut prius dixerat Apostolus *Adam primo factus est, deinde Eua.* Quam expositionem tribuit *D. Chrysostomo Homil. 9. super illam Epistolam. Et D. Thom. Lect. 3. & Epiphanio, Ecumenio, & Glossa.*

Sed Certe Vazquez falsò pro ista Sententia adducit prædictos Sanctos Patres, non enim omnes ita senserunt, nam *D. Augustinus*, quamuis reuera illo *Cap. 17.* dixerit hoc cognouerunt primi Parentes, scilicet quod nudi erant, quod fœlicius ignorarent si Deo credentes, & obedientes non committerent, quod eos cogeret experiri, & infidelitas, & inobedientia quod nocerent; non inde colligi debet *D. Augustinum* sic sensisse, quod vterque fuit infidelis per amissionem fidei virtutis Theologicæ, cũ enim loqueretur de ambobus simul, & vterque fuerit inobediens, & consequenter infidelis in ordine ad obseruationem mandati Diuini, qua ratione omnis transgrediens dicitur infidelis, quia non seruat fidelitatẽ, licet non amittat fidem virtutem Theologicam, & omnis obseruans mandata dicitur fidelis seruus; ideò dixit in plurali *Non credentes*, & quod infidelitas coegit experiri nuditatem, aut etiam quamuis ly *Non credentes* accipiatur secundum proprietatem, id est secundum infidelitatem, quæ fidei virtuti Theologicæ opponitur, loquutus fuit in plurali numero, quãuis Eua sola fidem

fidem amisserit,& est familiaris modus loquendi, quando enim siue in bonum, siue in malum loquimur de aliqua communitate, aut collectione duorum, peccata & virtutes vnius alteri tribuimus dicentes tales homines sunt Sapientissimi, aut ex Regia stirpe,aut tales homines sunt fures,aut falsi criminis impositores, quamuis vnus tantum illorum sit Sapientissimus, aut ex Regia stirpe,siue fur, aut falsi criminis impositor.

Et Quod D. Augustinus in sensu hoc loquatur, & non in altero à *Vazquez* excogitato,manifestissimum est, nam *Cap 11.* præcedenti in fine Capitis expressè dicit, *Quod credendo non sunt ambo decepti, licet ambo sint capti peccando.* Vnde Adamus potest dici deceptus solum illa generali ratione,qua decipitur omnis,qui peccat. Idē prorsus sentit *D.Chrysostom.* & *D. Thom* in loco,quem pro se allegat iste Author, licet det expositionem illam, videlicet Adam non est seductus primo,sed secundo, Paulo inferius fere statim ait. Seductio autem est duplex, scilicet in vniuersali, & in particulari eligibili, quæ est ignorantia electionis; quicumque ergo peccat seducitur ignorātia electionis in particulari eligibili. Mulier autem seducta fuit ignorantia in vniuersali, quando scilicet credidit quod serpens dixit,sed vir non credidit hoc, sed deceptus fuit in particulari potius consentiendo vxori in facto, quam Deo oppositum præcipienti.

Videte Obsecro, quam falsò pro sua Sententia afferat *Vazquez*, *D. August.* & *D. Thomam*, nec *D Ambrosius* illi fauet, aut Leo,quia quando dicit,quod *Adam exutus fuit fidei vestimento*,optimè intelligi potest, quod exutus fuit Charitate,quæ cum sit forma fidei, veluti vestimentum eius dici potest.

Veruntamen fateor *D.Prosperum*, & *D. Fulgentium* multum indicare Sententiam *Vazquez* dum vnus ait, *In Adamo infidelitas rapuit fidem*, Alter vero, *Adam sibi, & nobis fidem perdidit.* Quæ verba nisi de amissione fidei virtutis Theologicæ non videntur posse intelligi. Mihi tamen videtur illos piè exponi posse de infidelitate de qua supra loquuti sumus, qua dicitur infidelis,qui præcepta Dei non obseruat,& ad hoc præcipuè moueor, quia dicere, quod locus D.Pauli,*Adam non est seductus* intelligitur non est seductus amittendo fidem primo,sed post mulierem,non satis consonat Textui *D.Pauli*,nec intento eius in illis verbis. Textui quidem, quia *D.Paulus* affirmat, quod Adam non est seductus ea ratione, qua mulier, quod saltim intelligi debet, quod non sit seductus illa seductione, qua credidit serpenti, quasi verum dicenti,vt exponit *D.August* & *D.Thom.* Intento etiam *D Pauli*,quia ex eo loco Apostolus probat peculiari ratione mulierem non esse aptam ad docendum sicut vir, nempè quia circa veritatem speculatiuam seducta fuit, qua ratione non fuit seductus Adamus, sed quasi in praxi magis consentiendo petitioni vxoris, quam obediendo Deo.Hæc ita dixerim vt appareat quomodo,aut ex malitia, aut ex ignorantia falsò quandoque afferat pro se Sanctos Patres iste Modernus.

Respondetur Ergo Ad Argumentum, Quod licet Adamus non amisserit suam fidem peccando, nobis tamen eam amisit, sicut & reliqua dona gratiæ, quæ in nos transfunderet si non peccasset,atque adeò ad recuperandum omnia ista venit Christus merendo nobis fidem, & reliquas dispositiones ad gratiam. Quod vero nobis amiserit fidem constat ex *Concilio Arausicano 2.Canon. 25.* vbi dicitur, *Post peccatum primi Parentis ita fuisse attenuatum liberum arbitrium hominis, vt nec possit in Deum credere,nec sperare.*

Ad Confirmationem Respond. Quod si Incarnatio Diuini Verbi de facto non fuisset, non conferret nobis Deus auxilia gratiæ ex vi eiusdem decreti, quod nunc de facto confert; quod si ex vi alterius conferret ex sola libera Voluntate Dei non tollitur proinde quod modo de facto ex præsenti decreto non conferat nobis fidem, & reliqua dona,de quibus Disputamus, ex meritis Christi.

Quarto Arguitur. Quia si Christus Dominus hæc omnia disponentia ad gratiam nobis promeruisset, maximè quia meruit nobis gratiam iustificantem ad quam illæ dispositiones ordinantur, sed non est necessarium vt ille,qui aliquod donum meretur mereatur etiam omnia illa necessariò illi prærequisita:ergo non est necessarium, quod Christus tales dispositiones antecedentes gratiam prometuerit. *Minor Probatur.* Quia quamuis homo mereatur gloriam, nihilominus non meretur fidem, & gratiam ad talem gloriam prærequisitam.

Ad Hoc Argumentum Respondetur concessa Maiori, Dicendo ad Minorem, Quod licet

licet non sit necessarium in communi quod ille, qui meretur aliquid mereatur etiam totum, quod ipsum antecedit, vt benè probat Argumentum, tamen loquendo de Christo, fatendum est, quod nobis non solum meruit gratiam, & dona subsequentia, sed etiam omnes dispositiones, & dona spiritualia, quæ antecedunt, quia in ipso sumus electi, & dilecti à Deo. Nec propter hoc affirmandum est, quod nobis meruit bona naturalia, vt puta vitam nostram, aut salutem corporalem, nisi aliquando in casu raro, videlicet quando vita longior, aut breuior, siue ipsa salus fuerat effectus prædestinationis nostræ, quam etiam Christus meruit vt 1. *Part. in Materia de Prædestinatione* diximus.

Quinto Arguitur. Quia si Christus meruisset omnes dispositiones antecedentes ad gratiam, etiam mereretur vltimam, ex quo sequeretur, quod ipsam gratiam meruisset, quæ ad talem dispositionem infallibiliter, & necessariò consequitur. Consequens autem est falsum, quia cõtra D. Paulum ad Roman. 11. *Alias enim gratia iam non esset gratia si ex operibus*, & ex meritis daretur.

Respondetur Concedendo Sequelam, & ad impugnationem Dico, Quod hoc asserere nullatenùs est contra D. Paulum, nam quãdo Ipse dicit, quod si ex operibus iustificaremur iam non esset gratia, sed debitum, loquitur de operibus meritorijs nostris, si ex merito operum illorum gratia daretur, tunc enim iam esset debita sicut gloria, & consequenter non gratia; ex hoc autem, quod nobis gratis detur respectu nostri non tollitur, quod detur ex debito meritorum Christi.

QVAESTIO XX.

DE ADOPTIONE CHRISTI.

POstquam *D. Thomas* in Tribus Præcedentibus Quæstionibus egit de his, quæ conueniunt Christo, vt est subiectus Patri per comparationem ipsius ad Patrē, hic agit de his, quæ conueniunt per comparationem Patris ad Ipsum; hæc sunt duo Adoptio, & Prædestinatio: de Adoptione agit in hac Quæstione, quam in Quatuor Articulos diuidit. In Tribus prioribus agit de Adoptione in communi, & respectu aliorum; & in 4. Artic. determinatè de Adoptione Christi agit.

EXPOSITIO LITTERÆ.

In 1. Art. Resoluit, quod Deo conuenit adoptare creaturas in Filios, quod probat, Quia illos facit participes suæ Beatitudinis, & fruitionis, per quam ipse est beatus, & diues, & ideò hæc dicitur eius hæreditas, & sic facit participes suæ hæreditatis, quod est adoptare, quod quidem facit per gratiam habitualem, ad differentiam hominum, qui extrinsecè solum adoptant non dando, sed supponendo dignitatem.

In 2. Determinat, quod adoptare conuenit Toti Trinitati, quia Filius adoptiuus non est genitus, sed factus; omnis autem factio ad extra est communis Totæ Trinitati. Si autem Filius adoptiuus dicitur *Genitus*, est propter generationem spiritualem per gratiam, quæ etiam est effectus ad extra communis Totæ Trinitati.

In 3. Art. Explicat Quomodo conueniat creaturæ rationali adoptari, quia adoptatio est quædam similitudo filiationis naturalis, & Filius naturalis Dei habet vnitatem cum Patre per essentiam; sed per imitationem, & participationem creaturæ rationalis, fiunt vnum cum Deo per gratiam, & Charitatem, & sic adoptantur.

In 4. Art. Determinat D. Thomas, Quod Christus non est Filius adoptiuus, quia in Christo non est nisi Vna Persona Diuina, quæ est Filius naturalis, & sic illa non potest esse Filius adoptiuus; humanitas autem non est filia, & sic filiatio adoptiua nullo modo potest conuenire Christo.

DIS-

DISPVTATIO XIX.

DE ADOPTIONE CHRISTI.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Deo conueniat Adoptare omnem creaturam intellectualem per Gratiam?

IN Hoc Articulo explicabimus Doctrinam trium Articulorum *D. Thomæ*, breuiter tamen, quia solum est præambula ad Adoptionem Christi, quæ hic principaliter intenditur.

Pro Cuius explicatione supponenda est notitia de Adoptione humana, quæ ex Iure Ciuili habetur. Diffinitio igitur adoptionis est, *Adoptio est actio humana per quam adoptatus tranſit in potestatem adoptantis, & adquirit ius ad eius hæreditatem, ex ipsius beneuolentia.* In illa particula *Tranſit* explicatur, quod adoptatus est extraneus ab adoptãte, alias non transiret in eius potestatem. In illa particula *Ex beneuolentia* explicatur, quod sit gratis; in quo inuoluitur etiam, quod debeat esse ex beneplacito adoptati, & si est adultus habeat consensum ex propria voluntate: si vero sit in potestate alterius, vel tutoris, &c. ex voluntate illius Hæc omnia habẽtur *Instituta de Adoptionibus*, & etiam *ff. & C. eodem titulo*, & hoc quidem admittit *Concilium Francofordiense*, locis inferius adducendis, & eadem diffinitione vtitur *Sanctus Thomas* hic *Art.* 1.

Aliæ Tres Conditiones ponuntur de Filiatione adoptiua humana. *Prima*, quod adoptatus nõ succedat ad hæreditatem, nisi per mortem adoptantis. Hæc est accidentalis, quia ex beneplacito Patris benè potest Filius naturalis recipere hæreditatem, per resignationem voluntariam Patris, & idem erit de adoptiuo. Et hoc etiam potest reperiri in adoptione Dei. Est tamen differentia, quod quando Pater adhuc viuens resignat hæreditatem in Filium, non retinet illam. Istæ imperfectiones non reperiuntur in adoptione Dei, nec sunt necessariæ ad perfectam rationem adoptionis, sicut nec *Secunda Conditio*, scilicet, Quod Adoptio sit in supplementum Filiorum naturalium, in solatium parentum, qui non habent filios naturales, quia etiam in iure permissum est, quod habẽtes filios naturales adoptẽt alios. *Tertia Demque Conditio est*, Quod adoptatus non accipiat esse naturale ab adoptante, quæ ideò ponitur, quia in humanis esse naturale non accipitur, nisi per generationẽ, & ideò non accipit esse nisi vt Filius naturalis, propter quod excluditur filiatio adoptiua. Si autem possibile esset, quod acciperet esse naturale, & non per generationem naturalem tanquã non Filius, posset adoptari; sicut Eua respectu Adam ex vi modi, quo ex Adamo processit; sic respectu Dei, quamuis recipiamus esse naturale, possumus adoptari, quia ex vi modi recipiendi esse naturale, non sumus naturales filij.

Prima Conclusio. Deo conuenit adoptare aliquem in Filium. Hæc est Conclusio *Primi Articuli.* Et Ratio est ex Corpore. Quia ille adoptat, qui admittit ad participationẽ suorũ bonorũ, per quæ ipse est diues, alium tanquã ad hereditatẽ; sed Deus est diues per beatitudinẽ, & fruitionem sui ipsius, & sunt bona illius principaliora, & consequenter in his consistit substantia hæreditatis: sed Deus constituit, & designat aliquem ad participationem huius beatitudinis, & fruitionis ipsius, scilicet Angelum, & hominem; ergo Deo conuenit adoptare aliquem ad hæreditatem suam tanquam Filium.

Secunda Conclusio. Adoptare est actio totius Trinitatis. Hæc est Conclusio 2. *Articuli*, & probatur ratione illius. Adoptatio non est per generationem naturalem, sed per actionem liberam, vt patet ex diffinitione, & ideò non constituit filium naturalem, sed liberum; hæc autem actio libera est ad extra causando gratiam in creaturis; ergo est totius Trinitatis, sicut omnes actiones ad extra. A

Tertia Conclusio. Adoptio fit per gratiam habitualē, & ponitur à *D. Thoma* in 1. *Art.* in fine Corporis, & probatur ibidē ex differentia inter adoptionem Diuinam, & humanam reperta, Quia Deus adoptando facit hominem idoneum ad recipiendā hæreditatē; hæreditas vt dictū est, est beatitudo, & fruitio Dei; sed homo fit capax, vel idoneus ad videndum Deum, & fruendum illo; ergo per gratiam, & Charitatem, quia fruitio est actus Charitatis, & gratia est radix Charitatis, & semen gloriæ; ergo per gratiam, & Charitatem adoptatur; homo vero supponit idoneitatem in adoptando. B C

Confirmatur, & Explicatur. Filius adoptiuus debet esse eiusdem naturæ cū adoptāte in humanis; ergo eadem proportione in diuinis, vt aliquis adoptetur debet fieri particeps naturæ Dei adoptantis; sed gratia est participatio naturæ Diuinæ, & datur per modum naturæ in ordine supernaturali; ergo per gratiam fit adoptio. Quod expressè docuit *Tridentinum Sess.* 6. vbi *Cap* 3. refert verba Apostoli, *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, transtulitque in regnum Filij dilectionis suæ.* Prosequitur Cap. 4. *Vt fit translatio ab statu, quo homo nascitur Filius primi Adæ in statum gratiæ, & adoptionis Filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum.* Per statum gratiæ explicatur Adoptio Filiorum Dei. D

Quarta Conclusio. Omnis creatura intellectualis potest adoptari in Filiū Dei. Probatur. Adoptio fit per gratiam, & hęreditas cōsistit in beatitudine, & fruitione Dei; ergo omnis creatura intellectualis, quæ est capax gratiæ, & beatitudinis, est capax adoptionis. E

Ex Quo Sequitur Primo, Quod Angeli sunt Filij adoptiui Dei. Sic *S. Thom.* hic *Artic.* 3. *ad* 2 etiā Primi Parentes in statu innocentiæ. Præterea Prædestinatus existens in peccato mortali non est Filius, quia deficit forma, scilicet gratia; & hoc diffinitum est in Concilio Cōstantiensi, vbi diffinitur *Sess.* 8. & 15. contra Ioannē Hus, *Præcitos posse aliquando esse iustos, & viua mēbra Ecclesiæ, prædestinatus vero posse aliquando in peccato mortali, & pro tunc non esse Filios Dei.* Vbi definitur prædestinatos existentes in mortali non esse Filios Dei; reprobos vero existentes in gratia esse Filios Dei à contrario sensu propter eamdē rationē. Prædestinatio vero, & reprobatio nihil ponunt in homine, & sic esse Filium, vel non Filium formaliter regulandum est per gratiam.

Patres Legis Scriptæ existentes in gratia fuerunt Filij adoptiui. Hæc est de fide ad Roman. 9. *Qui sunt Israelitæ, quorū est adoptio Filiorū.* Et Matth. 15. *Non est bonū sumere panem filiorū, & mittere canibus.* Et Matt. 8. *Filij autē regni eijcientur in tenebras exteriores* loquendo de Iudæis. Exodi 1. *Filius meus Primogenitus Israel.* Isaiæ 2. *Filios enutriui, & exaltaui*, & plura alia.

Soluuntur Obiecta.

Contra Hoc sunt duo Testimonia præcipua Pauli 1. ad Rom. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filij Dei; non enim accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis Spiritum adoptionis Filiorum Dei.* Contraponit seruitutem adoptioni, seruitutem ponit in lege scripta, & adoptionem in lege gratiæ.

Respondetur Cum D. Thoma ibidem Lect. 3. vbi inquit, *Timor facit seruos, non autem amor*, & prosequitur explicando timorem seruilem, & inquit, *Sicut timor facit seruitutē, ita amor Charitatis facit libertatē Filiorū: lex igitur vetus data est in timore, quę significant Tonitrua, & alia huiusmodi, & ideo lex vetus per inflictionem pœnarum inducens ad mandata Dei seruanda, data est in spiritu seruitutis, & ideò hic dicit, qui Spiritu Dei aguntur, &c. Non enim iterum in noua lege, sicut in veteri lege fuit accepistis spiritum seruitutis in timore, scilicet pœnarum; sed accepistis spiritum scilicet Charitatis, qui est adoptionis Filiorum.* Galat. 4. *Vt adoptionem filiorum reciperemus: Non autem hoc dicitur, quasi sit alius, & alius spiritus; sed quia idem est spiritus, scilicet qui in quibusdā facit timorē seruilē, in alijs facit amorē, quasi quoddā perfectiū.*

Secūdum Testimonīū ad Galat. 4. *Vt adoptionē filiorū reciperemus, quoniam autem estis Filij Dei, misit Deus Spiritū Filij sui itaque iam non est seruus; sed Filius.* Vbi post missionem Filij dicitur, quod venit, vt adoptionem Filiorum reciperemus, vt iam quis

quis non sit seruus, sed filius; ergo ante aduentum Christi homines erant serui.

Respondetur cum *D. Thoma* ibidem, *Iam in tempore gratiæ non est aliquis nostrum, qui in Christum credimus, seruus, in timore, scilicet, seruiens.* Ioann. 15 *Iam non dicam vos seruos, sed amicos.* Roman. 8. *Non accepistis spiritum seruitutis; licet enim conditionis serui simus.* Lucæ 17. *Dicite serui inutiles sumus, tamen non sumus serui maleuoli ex timore, scilicet seruientes, quia tali seruo debentur tortura, & compedes, sed sumus serui boni, & fideles, amore seruientes.*

Vbi In Vtroque Loco D. Thomas explicat seruitutem Antiquorum Patrum, non quātum ad substantiam excludentem gratiam, & filiationem, sed quantum ad imperfectum modum operandi ex vi legis ex timore pœnarum tanquam serui; quamuis in illa lege, multi ex amore operabantur, sicut in lege gratiæ, multi ex timore seruili operantur, sed ex vi Euangelij per amorem ducimur tanquam filij. Et similiter explicanda sunt testimonia Patrum, qui Antiquos appellant seruos.

ARTICVLVS II.

Vtrùm sit de Fide, quod Christus non est Filius adoptiuus Dei, & in quo sensu?

IN Triplici sensu potest tribui Filiatio adoptiua Christo. *Primo* ponendo illum purum hominem, non Deū, quæ fuit hæresis Fotini, & sic erat solum Filius adoptiuus. *Secundus Sensus est,* Ponentium duo supposita Diuinum, & humanum, & sic ponunt duas filiationes, naturalem, & adoptiuam: hæc fuit hæresis Nestorij. *Tertius Sensus* est ponere solum vnam Personam, increatam, & Diuinam, cum duplici natura, humana, & Diuina. Secundum Diuinam est Filius Dei naturalis ab æterno ex Patre. Secundum humanam est genitus, & natus ex Matre, & sic quod secundū humanitatem est Filius adoptiuus Dei, vel in quantum homo. Iste sensus tertius tripliciter explicatur, vel quod ly *In quantum homo* reduplicet solum suppositum, vel solā humanitatem, vel vtrūque. Si reduplicat suppositum est sensus, quod ipsum suppositum secundum se, est Filius adoptiuus: hoc est incidere in hæresim Arrianorum. Si solam humanitatē, est sensus, quod humanitas est adoptata. Sic *Gabriel, Maior, Almainus* quāuis dicant, quod non est filia Si reduplicet vtrūque, sensus est, quod Christus secundum humanitatē, vel ratione humanitatis est Filius adoptiuus. Sic *Scotus* in 1 *Distinct.* 10. *Quæst.* 1 & in *Reportat. Dist. etiam* 10 *Quæst.* 1. probabiliter tantum, quia oppositum etiam iudicat probabile. Simpliciter vero *Durandus* in 3. *Dist.* 4. *Quæst.* 1.

De Primo, & Secundo Sensu, non est Controuersia inter Catholicos; sed solū de tertio. *Vazquez* hic *Disp.* 89. *Cap.* 6. & sequētibus, acriter defendit istum tertiū sensum, quātum ad duas explicationes vltimas esse damnatū ab Ecclesia. *Lorca* vero *Disp.* 84. *Memb* 2. contendit non esse damnatum ab Ecclesia. *Suarez Disp* 49. *Sect.* 2. inquit esse damnatū in loquutione absoluta, vel in prima explicatione, non vero si ly *In quantum homo* sumatur specificatiuè, & propriè, esse tamen improbabile: Communiter tamen Authores Scholastici, etiam in ista explicatione, aliqua specie censuræ inuruntillum.

Diuersitas sentiendi oritur ex hoc, quod Elipandus Episcopus Toletanus, & Felix Episcopus Vrgelitanus dixerunt, Christum esse Filiū adoptiuum in quantū erat homo, vel secundum humanitatem, & contra illos Congregatū est Concilium Francofordiēse, ex petitione Caroli Magni, quod fuit Nationale trecentorū Episcoporum, & in illo authoritate Adriani I. Pontificis damnata est Sentētia Elipādi, & Felicis, & *Vazquez* contendit, quod Sententia Elipandī erat iste tertius sensus, & quod non erat Nestorianus, sed quasi indirectè. Ibidē secūdus sensus, qui est hæresis Nestorij Damnata fuit. *Lorca* vero contendit sensum Elipandi fuisse hæretim Nestorij, & hanc solam fuisse Damnatā in illo Concilio; non vero tertiū sensum. *Suarez* autē concedit ibi esse damnatā propositionē absolutā *Christus est Filius adoptiuus;* non vero suppositū Christi, vt humanum, seu ratione humanitatis, vel secundum humanitatem, quod idem est.

Verumtamen quantum ex Concilio diligenter perlecto, colligere potui, Iudico, quod in eodē Concilio inueniuntur damnati omnes isti sensus, quidquid sit de mente Elipandi, quia quando Concilium procedit disputādo, vt cōtingit hic, potest iam vnū, iam alterū sensum attingere, & nō solū illū, qui primo, & per se intēditur ab Hæretico, sed omnes eius euasiones, & subterfugia occludendo, vt ex testimonijs ex ipso Concilio adducendis patebit, quibus standō

est, omissis omnibus coniecturis, quibus *Vazquez*, & *Lorca* vtuntur, ex quibus non firmum Argumentum fundari potest, sed coniecturale, & ideò non mirum si plus solito authoritates multiplicemus in hoc Articulo.

Duo Tamen Præmittenda Sunt. Primum est certitudo, & firmitas Concilij Francofordiensis, Aliqui enim de eius authoritate dubitauerunt; sed iam postquam authoritate Sedis Apostolicæ illud Concilium recognitum, & inter Concilia Ecclesiæ computatum, & Epistola Adriani longa Disputatione Romæ habita, tanquam authentica approbata, & inter Decretales inserta, non licet dubitare, quia non alia authoritate reliqua Concilia, & Epistolas Pontificum, Decretales immo, & Libros Canonicos sacræ Scripturæ recipimus, & approbamus, nisi Authoritate Sedis Apostolicæ, vt taliter recipiendos declarante.

Secundum Est, Quod Concilium hoc astutia Hæreticorum, per multa tempora latuit, postea diligentia Surij repertum fuit; & eo tempore, quo latuit, Doctores Scholastici, qui filiationem adoptiuam in Christo docuerunt, non sunt iudicandi in hæresim incidisse, vt *Scotus*, & *Durandus*, & Alij; quia pro tunc non constabat de Concilio; Alios vero qui contendunt hanc Sententiam his temporibus, defendere, etiam in tertio sensu non auderem excusare.

Igitur Concilium, quod habetur Tertio Tomo Conciliorum, quantum ad præsens punctum attinet, quatuor Tractatibus constat. Primus est Epistola Adriani in qua respondet Libelo Elipandi, quem Pontifex Pseudosylabum appellat. Secundus est liber Sacrosilabus approbatus in eodem Concilio: quamuis de Authore eius, An sit Paulinus Episcopus Aquileyensis, an ipse, & alij, non sit conuenientia inter Authores. Verum est, quod Colum. 1. Paulinus, vt disputans nomine aliorum loquitur. Tertius est Epistola Concilij ad Episcopos Hispaniæ, in qua verbatim referuntur plures claustulæ Libeli Elipandi, & Damnantur. Quartus Denique est Epistola Imperatoris, qui Elipando remittit damnationem sui Libeli à Concilio factam. Ex his adducemus testimonia sigillatim contra singulos sensus explicandos. Alia vero, quæ pertinent ad triplicem damnationem Erroris Elipandi, & ad Historiam, videantur in *Vazquez*, & *Lorca*, qui de hoc latè scripserunt,

A Nos pro breuitate Materiæ illa omittimus.

De Sensu Fotini, & Nestorij breuiter patet. Columna enim 3. in Lib. Sacrosylabo dicitur, *Asserunt Iesum Christum adoptiuum Dei Filium: hæc igitur dicentes, aut certè purum eum hominem sine Deo natum, quod cogitare impium est, necesse est fateantur.* Hæc est adoptio in sensu Fotini ponentis Christum purum hominem sine Deo. De Nestorio vero Adrianus in sua Epistola Colum. 4. sic habet, *Siquis aduersus diuinas Scripturas docet, alium dicens Filium Dei, & alium, qui ex Maria Virgine, hominem secundum gratiam adoptiuum, sicut nos, quasi essent duo filij, hunc anathematizat Sancta, & Apostolica Ecclesia.* Sic ex Athanasio, & prosequitur paulo inferius Pontifex, *Siquis introducit duos filios, vnum quidem, qui ex Patre, secundum vero, qui ex Matre, alienum eum à nostro consortio iudicamus.* Similia habentur in Libro Sacrosylabo Colum. 8. *Non duo filij, vt sicut illi errando existimant adoptiuus sit filius hominis, & sine adoptione Filius Dei.* Et Denique in Epistola Concilij Colum. 15. dicitur, *Nonne hæresis vestra in Nestorio ab vniuersali Sancta Ecclesia refutata, etiam, & damnata est?* Vbi clarè sensus Nestorij damnatur. Nec valet, quod *Vazquez* dicit, quod à Concilio vocatur hæresis Elipandi noua, quia etiam, dicitur antiqua, & ex veternosa radice reuiuiscere, tanquam noua vt Art. Vltimo circa paritatem de Seruitute adducemus.

Igitur His Omissis Punctus Difficultatis consistit in hoc, An sensus *Durandi*, & *Scoti* sit damnatus, propter Modernos, qui contendunt non esse damnatum?

Sit Prima Conclusio. Dicere, quod Christus in quantum homo sit Filius adoptiuus, si ly *In quantum* reduplicet humanitatem, vt sensus sit, quod Christus ratione humanitatis, vel secundum humanitatem est Filius adoptiuus, damnatur à Concilio.

Quatuor Sunt Testimonia in Concilio, quæ hanc Conclusionem expressè probant inter alia multa, quæ satis illam indicant; sed illis omissis hæc quatuor solum adducemus. Primus est in Epistola Pontificis, vbi Colum. 2. sic habet Adrianus, *Materia autē causalis perfidiæ inter cætera reijcienda, de adoptione Iesu Christi Filij Dei secundum carnem, hoc Catholica Ecclesia nunquam credidit, nunquam docuit, nunquam male credentibus assensum præbuit.* Vbi damnatur adoptio Filij Dei secundum carnem,

Se-

Secundum Testimonium non minus expressum est in eadem Epistola Colum. 9. vbi inquit Pontifex, *Animaduertite quia nihil vobis restat, vt secundum diuinitatem tantummodo credatis, dixisse Patrem, hic est Filius meus; sed potius secundum humanitatem, super quem Spiritum Sanctum dicitur descendisse.* Vbi Pontifex euasionem Modernorum excludit ibi, *Vt secundum Diuinitatem tantummodo credatis, sed potius secundum humanitatem, est Filius naturalis,* quod significant verba Patris dicentis hic est Filius meus in expositione Adriani, vt non solum secundum diuinitatem habeat filiationem naturalem, sed etiam secundum humanitatem.

Tertium Testimonium est ex Libro Sacrosylabo, vbi Colum. 6 sic habetur, *Petrus confessus est Christum verum Filium Dei viui, & tu hæretice dicis Christus adoptiuus Filius est fingeres forsitam, vt diceres, secundum Diuinitatem eum Filium Dei confessus est, sed quoniam cum additamento dixerat tu es Christus Filius Dei viui, omnium Hæreticorum ora, fidei suæ pugno attriuit; Christi namque nomen ab homine, quem assumpsit accepit.* Ergo non solum secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, quam assumpsit fides Petri declarat Christum Filium naturalem.

Quartum Denique est ex Epistola Concilij vbi Colum. 4. circa Authoritatē Augustini, quam Elipandus siniſtrè intellexit, inquit Concilium, *De Christo dixit* (scilicet Augustinus) *Vnicus natus de nobis vero homo adoptatus, quam adoptionem prauissimo sensu, qui scripsit Epistolam ad Christi voluit transferre humanitatem.* Vbi adducitur differentia, quam posuit *S. August.* inter Christum, & nos, quod Christus erat Filius Vnicus, in nobis vero homo adoptatus est, & Elipandus adoptionem referebat ad humanitatem Christi, & istum sensum Conciliū vocat prauissimum, & simul damnat. Ergo contra Concilium est dicere, quod Christo conueniat adoptio secundum humanitatem.

His Quatuor Testimonijs, quæ cum reduplicatione secūdum humanitatem loquuntur, placuit addere aliud, quod quamuis in loquutione absoluta, tamen in omni sensu, damnat adoptionem Christi: habetur in Lib. Sacrosylabo Colum. 3. *Asserunt, sed falsis Assertionibus irretiti, Dominum nostrum Iesum Christum adoptiuum Dei Filium de Virgine natum. Hæc igitur dicentes, aut in vtero Virginis eum suspicantur adoptiuum, quod dici nefas est.* Dicant ergo Moderni quando adoptatus est Christus secundum humanitatem; non antequam esset in vtero, quia tunc non erat homo; ergo in vtero, vel postquam exiuit de vtero: si postquam exiuit de vtero; ergo in vtero non habuit gratiam, vel non fuit adoptatus per gratiam; vtrumque est contra rectam Theologiam, restat, dicant in *Vtero*; hoc inquit Concilium *Dici nefas est.*

Secunda Conclusio. Adoptio tributa humanitati Christi damnatur expressè in hoc Concilio, quamuis non dicatur filia. In hac conuenit *Vazquez*, sed est contra *Suarium*, quatenùs contendit, quod in hoc sensu non damnatur adoptio, & est contra Scholasticos Antiquos supra relatos, qui affirmant humanitatem esse adoptatam. Pro hac Conclusione triplex est testimonium in Concilio.

Primum Testimonium in Libro Sacrosylabo Colum. 3. vbi sic habetur, *De Beatâ Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptauit carnem.* Non indiget ponderatione.

Secundum Testimonium est in Epistola Concilij, etiam Columna 3. vbi sic habetur, *Hoc quod Ioannes dixit, Vidimus gloriam eius gloriam quasi Vnigeniti à Patre, contra adoptionem carnis facit.* Si verba Euangelij faciunt contra adoptionem carnis, adoptio carnis in Christo contra Euangelium est, iuxta mentem Concilij.

Tertium Testimonium habetur in eadem Epistola Columna 7. sic, *Sequitur in Epistola vestra* (scilicet Elipandi) *nunc Filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus, scimus quia cum apparuerit similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est, similes vtique in carnis adoptione, non similes in Diuinitate.* Hæc verba refert Concilium ex Elipando, & impugnat ea, quantum ad duo. Primo quantum ad illam coniunctionem, *Et videbimus* dicendo cum *Augustino*, quod legendum est causaliter, *Quia videbimus.* Et Secundo, quantum ad illud *In carnis adoptione*, & ideo inquit, *Huius vero sententiæ, scilicet* (*nunc Filij Dei sumus, &c.*) *intellectum longe aliter Catholici Patres exposuerunt.* Et tandem concludit contra similitudinem in carnis adoptione, *Quis enim dementissimus dixerit Corpore nos, vel esse, vel futuros esse similes Deo?* Vbi similitudinem in carnis adoptione positam ab Elipando, tanquam dementiam excludit.

Ad Hæc Solum possunt respondere,

Quod

Quod non est idem adoptio carnis, & adoptio humanitatis, & quod solum damnatur adoptio carnis, & non adoptio humanitatis.

Sed Hæc Euasio Friuola est, Quia quando dicitur caro, vel adoptio carnis intelligitur caro animata, & caro animata est humanitas. *Tum*, Quia in illis verbis, *Verbum caro factum est*, ly *Caro* non intelligitur nisi animata, & idem est ac dicere, *Homo factum est Verbum*; aliàs esset incidere in errorem dicentium, quod Verbum solum assumpsit Corpus, & non animam. *Tum*, Quia in primo testimonio pro hac Conclusione allato, eodem modo affirmatur assumptio, & negatur adoptio carnis; sed in assumptione carnis affirmatur assumptio humanitatis, quia secundum fidem humanitatem assumpsit; ergo negando adoptionem carnis negatur adoptio humanitatis. Quod clarè indicatur in eodem Lib. Sacrosylabo Columna 9. vbi sic dicitur, *Non enim ignoramus ex duabus substantijs humanam subsistere naturam, & vnum sine alio perfectum non efficere hominem; quid enim est caro sine anima, nisi terra? Quid anima sine carne? Nonne spiritus? Homo enim ex vtroque. Vide quia Redemptor noster perfectum hominem assumpsit.* Vbi constat, quod numquam est sermo de carne sola, sed de carne animata, quæ est humanitas. *Tum Denique*, Quia si humanitas adoptatur caro adoptatur in illa, quia est passio illius, & si caro non adoptatur, neque humanitas adoptatur, quia non stat humanitas sine carne.

ARTICVLVS III.

Rationibus Theologicis deductis ex Concilio impugnatur filiatio adoptiua Christi secundum humanitatem, & adoptio humanitatis.

IN Hoc Artic. non intendimus impugnare nisi duos sensus in titulo positos, iuxta duas Conclusiones Artic. Præcedentis, quia de istis est Controuersia his temporibus, & inuenta iam veritate lumine fidei per diffinitionem allatam *Art. Præcedenti*, securi incedimus impugnando Opinionem contrariam, & eius falsitatem, & improbabilitatem ostendendo rationibus Theologicis, quibus Cõcilium concluſit diffinitionem contra illam. Non possumus omnes adducere, quia excedunt capacitatem materiæ; quinque eligimus pro Prima Conclusione, quæ principalior est.

Prima Ratio ad probandum, quod Christus non est Filius adoptiuus secundum humanitatem sic ponitur ab Adriano in sua Epistola Colum. 5. *Nam sicut peccata nostra non tolleret si ipse peccatum haberet; ita adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse propter hominem, quem assumpsit eguerit, vt gratiam adoptionis acciperet.* Quæ sic potest formari. Christus meruit nobis adoptionem; ergo non habuit illam. *Probatur Consequentia.* Quia si haberet illam, non posset mereri illam nobis. Quæ consequentia probatur à paritate. Si haberet peccatum non posset tollere peccata nostra, quod est certum. *Tum*, Quia existens in peccato non posset mereri. *Tum*, Quia etiã post remissionem peccati illi factam, non haberet virtutem, vt alijs mereretur remissionem peccati, quia de illo iudicandum esset, sicut de alijs hominibus, qui peccauerunt iuxta doctrinam *D. Thom.* 1.2. *Quæst.* 114. *Art.* 6.

Si Dicatur, Quod consequentia instatur. *Tum*, Quia Christus habuit gratiam habitualem, & tamen illam nobis meruit. *Tum*, Quia habuit gratiam prædestinationis, vt *Quæst. Sequenti* dicetur, & tamen meruit prædestinationem nostram.

Contra Hoc Est, Quod nostra ratio debet sumi in terminis formalibus sic: si Christus haberet gratiam adoptionis deberet habere illam iuxta illius naturam, hoc est gratiosè collatam, & non connaturaliter debitam, quæ est essentia adoptionis, vt alia ratione probabitur, & in hoc sensu tenet paritas. Si Christus habuisset peccatum etiam post remissionem illius, non posset mereri nobis de condigno remissionem peccati, sed solum decongruo, quia ille egebat remissione gratiosa sui peccati in illo casu, ideò non poterat mereri de condigno remissionem gratiosam peccatorum nostrorum, sed solum decongruo, scilicet fundato in gratia. Ergo si habuit gratiam adoptionis gratiosè, non potuit mereri de condigno nobis gratiam adoptionis, sed solum meritum decongro, sicut alius Sanctus.

Vnde Prima Instantia Deficit, Quia Christus non habuit gratiam habitualem gratiosè

tiosè collatam, sed connaturaliter debitam ex vi vnionis, vt habet *D. Thomas* supra *Quæst.* 7. *Art.* 13. & sic non tenet paritas. Similiter secunda instãtia deficit, quia Christus fuit prædestinatus ad filiationem naturalem, & non ad adoptiuam (vt *Quæstione Sequenti* dicetur) & ideò potuit mereri nobis prędestinationem ad filiationẽ adoptiuam, & si fuisset prædestinatus Christus ad filiationem adoptiuam sicut nos, non mereretur illam nobis propter eamdem rationem.

Secunda Ratio habetur in Epistola Concilij Colum. 14. vbi dicitur, *In vtraque Natiuitate Filij nomen nascendo haberet, vt esset verus Deus, & verus homo vnus Filius*, & præmiserat Colum. 6. *Ex Maria magnum Deum appellamus Iesum Christum Vnigenitum, & Primogenitum non adoptiuum.* Quæ sæpè sæpius repetitur in eodem Concilio. Quæ ratio sic formatur. Beata Virgo Maria est Mater Dei, & Filij Dei naturalis, vt supponimus quia in Christo non est alia persona creata, sed solum persona Filij Dei naturalis; sed non est Mater Filij Dei naturalis secundum Diuinitatem; ergo secundum humanitatem. Ergo Filius Virginis etiam vt genitus à Virgine est Filius naturalis; ergo secundum humanitatem Christus est Filius Dei naturalis, quia secundum humanitatem est Filius Virginis. Concluditur ergo quod secundum humanitatem non est Filius adoptiuus.

Si Dicatur, Quod secundum doctrinam *D. Thom.* supra *Quæst.* 16. *Art.* 11. hæc propositio Christus secundum quod homo est Deus, magis est neganda, quam concedenda, & consequenter, quod ista erit neganda, Christus secundum humanitatem est Filius Dei naturalis, quia idem est Filius Dei, & Deus, & idem est secundum humanitatem, & in quantum homo. Si ly *In quantum* accipiatur ita, quod reduplicatio cadat supra naturam, in quo sensu loquitur *Diuus Thomas*.

Contra, Quia *Sanctus Thomas* in eodem *Art.* 11. docet, quod si *In quantum homo* reduplicet supra suppositum est vera, quia tamen absolutè reduplicat supra naturam, docet negandam, sed in nostra ratione ponimus aliquod additum, quod determinat ad suppositũ, scilicet ly *Filius*, Filius enim non potest accipi pro natura, sed pro supposito, & sensus est, quod Filius secundum istam naturam genitus est Filius naturalis in ista natura, & quod ista natura est ratio vt

A Filius naturalis sit genitus ab ista Matre; Filius quidem naturalis non solum Matris, sed etiam Dei Patris, vt *Idem sit Filius Dei Patris, & Virginis Matris, & vtriusque naturalis*, quæ sunt verba Concilij sæpè sæpiùs repetita. Et sic vis rationis est secundum humanitatem est Filius naturalis Dei genitus à Virgine: ergo secundum humanitatem habet esse Filius naturalis, aliàs non esset genitus secundum humanitatem Filius Dei naturalis.

B *Tertia Ratio* ex Libro Sacrosylabo Colum. 7. desumitur, vbi sic habetur, *Adoptiuus dicitur, cui nihil à Patre adoptante debetur, sed gratis indulgendo conceditur abusiuè namque, & non essentialiter adoptiuus est Filius dictus.* Hæc ratio formatur sic. Si Christus esset Filius adoptiuus nihil ei à Patre adoptante deberetur; sed ipsa gratia, & gloria est debita Christo ratione Vnionis Hypostaticæ; ergo non est locus adoptionis. *Patet Consequentia*, Quia adoptiuus est cui C nihil debetur, & specialiter forma adoptionis est gratia, sed ipsa gratia est debita vt docet *D. Thomas* loco allato Prima Ratione; ergo adoptio esset debita, quod est implicatio in terminis, quod sit adoptio, & quod sit debita.

Si Dicatur, Quod est debita ratione suppositi, non ratione naturæ. *Contra*. Filiatio non tribuitur naturæ ita vt natura dicatur filia adoptiua, sed supposito naturæ; ergo si ratione suppositi est debita gratia, excluditur simpliciter quod faciat Filium adoptiuum; faciet quidem naturam gratam, non filiam. Semper quod dicimus, gratiam esse debitam, vel naturalem Christo, intelligimus vt explicatum est supra *Quæst.* 7. vide *Disp.* 10. supra *Art.* 3.

Quarta Ratio est *D. Thom.* hic *Art.* 4. *in Corpore sic* Filiatio est proprietas personalis, sed in Christo non est nisi vna persona increata; ergo filiatio adoptiua non potest dici de Christo. *Consequentia Patet* ex E Maiori, quia ex eo quod filiatio est proprietas personalis sequitur, quod non possit conuenire humanitati; restat ergo quod si conuenit conueniat personæ; sed persona increata non potest esse Filius adoptiuus; ergo nullo modo Christus potest dici Filius adoptiuus. *Minor Probatur*. Persona increata est Filius naturalis, & conuenit illi filiatio naturalis per naturam: ergo non potest illi conuenire filiatio adoptiua. *Probatur Consequentia*. Filiatio adoptiua est participata similitudo filiationis naturalis,

vt

vt dictum est in *Art.*3. in fine Corporis *Per gratiam, & Charitatem*, & talis assimilatio perficit rationem adoptionis; ergo cui cõuenit filiatio naturalis per naturam, non potest conuenire filiatio adoptionis per gratiam, & Charitatem. *Patet Consequentia*, Quia id quod dicitur tale per se, & naturaliter non potest dici tale per participationem.

De Hac Ratione inquit *Vazquez Cap.* 12. *Num.*70 quod ea non est vsum Concilium, & quod non conuincit de adoptione humanitatis.

Contra. Sanctus Thomas non intendit excludere adoptionem humanitatis sine filiatione; sed de filiatione adoptiua loquitur, & de illa iam conuincit in humanitate, quia filiatio est proprietas personalis, & non potest humanitati conuenire. De alia vero adoptione etiam potest applicari ratio *D. Thom.* vt patebit Conclusione Sequenti.

Id Autem, quod *Vazquez* dicit Concilium non fuisse vsum hac ratione *D. Thomæ* omnino falsum est. Ad cuius euidentiam aduertendum est, Quod sæpè sæpius Concilium facit hanc Consequentiam. In Christo est Vnica Persona, vnus Filius verus Dei, & Virginis, & *In vtraque substantia, vel in vtraque natura verus Filius*; ergo non est Filius adoptiuus, ac si diceret. Persona Christi est Filius naturalis; ergo non est Filius adoptiuus. Restat probare Consequentiam, & potest tripliciter probari secundum triplicem proprietatem oppositam vtriusque filiationis Prima Filiatio naturalis *Per naturam* habetur. Filiatio adoptiua *Per voluntatem, aut per affectum, vel amorem*. Secunda Filiatio naturalis est *Vera, & propria Filiatio*; adoptiua vero est *Abusiuè* filiatio Tertia vero est. Filiatio naturalis est talis *Per se, vel per essentiam*, vel *Essentialiter*; adoptiua vero est quædam *Participatio* eius, & *Similitudo*, & fere hæc tria in idem coincidunt, & sub istis terminis habetur hæc ratio in Concilio, & sub eisdem terminis in *D. Thoma* in præsenti.

In Libro Sacro ylabo Columna 7. sic habetur, *Adoptiuus dicitur, cui nihil à Patre adoptante debetur, sed gratis indulgendo conceditur, abusiuè namque, & non essentialiter adoptiuus est Filius dictus*, & paucis interpositis. *Adoptiuus enim nonnisi affectatæ loquutionis alienus dicitur Filius; omnis enim adoptio ex affectione ducit vocabuli sui originem, habet namque ex vtraque parte Vtinam aduerbium eleganter insitum, vt si dicas vtinam sis mihi in Filium adoptatum, & è contra Vtinam merear à te in Filium adoptari ex affectu quidem dilectionis pars subrepit parti vt in vtraque veniat dilectionis affectus.* Vbi de adoptione dicitur, quod *Gratis indulgetur*, & quod abusiuè est filiatio, & quod communicatur ex affectu, ex affectione ex dilectione. Istæ sunt proprietates filiationis adoptiuæ, quas *D. Thomas* ponit in *hoc Artic.* remittendo se ad præcedentem, vbi explicatur ratio adoptionis, scilicet, *Per gratiam, & Charitatem*, quod correspondet ad ly *Gratis*, & ad affectum, & ad dilectionem, quæ ponuntur à Concilio, & *Similitudinariè*, quod quidem est *Abusiuè*.

De Filiatione vero naturali dicitur essentialiter, quæ negatur de adoptione, & in eodem Lib. Colum. 3. dicitur de Christo, *Ac per hoc quasi eguerit adoptione à Patre in Filium sit adoptatus cum Deus nihil eguerit, quia erat in eo essentialiter per naturam.* Vide de filiatione naturali, quod erat in Christo *Per naturam, & essentialiter.* Et sic habet *Diuus Thomas Per naturam*, & etiam dicit *Per se*; & idem est per se tale, & essentialiter tale. Solus vnus terminus deficit, quod *D. Thomas* dicit *Participata Filiatio*, quod non habetur in Concilio, sed quamuis non haberetur idem est quod per affectum, & similitudinariè.

Sed In Epistola Concilij Colum. 7. sic habetur, *Hic vero Filius Dei à Deo Patre oleo exultationis est delibutus, quia Christus natura vnctus, nos per gratiam, quia in illo pleniter fuit Diuinitas.* Vbi clarè ponitur *Natura* de filiatione naturali, & *Per gratiam* de filiatione adoptiua, & *Pleniter* in Christo. *Pleniter* idem est quod plenum totum, & contrarium eius est pars.

Igitur Ratio Concilij est, Quod quia Persona Christi habet filiationem per naturam essentialiter, & plenariè, non potest habere filiationem adoptiuam, quæ est per gratiam, per dilectionem, & affectum, per similitudinem, & participationem, quia istæ sunt Conditiones oppositæ. Et hæc est ratio *D. Thomæ*.

Si Dicatur, vt Respondet *Suarez*, & *Vazquez* pro contraria Sententia, quod hæc ratio probat de Persona Filij secundum se, aut de Christo absolutè, non reduplicariuè *In quantum homo*, ita quod reduplicatio cadat supra humanitatem.

Contra. Etiam Persona Diuina in quantum homo, reduplicando supra hummanitatem,

tatem, non ita quod humanitas sit filia, vt *S. Thomas* dicit, sed ita quod humanitas sit natura illius Personæ, quæ est Filius, non potest verificari quod sit Filius adoptiuus; ergo. *Probatur Antecedens.* Illa Persona, quæ est suppositum humanum, vel prout terminat naturam humanam, est Filius Dei naturalis, quia Vnio Hypostatica facta est in Persona, & Persona constituitur formaliter per relationem Filij, & per filiationem naturalem; ergo in quantum Filius naturalis Dei supponitat naturam humanam, & terminat illam; alias vnio naturæ humanæ, non esset facta in Filio, seu in Persona Filij naturalis, sed in alio Filio, seu in alia filiatione.

Si autem Dicatur, Quod in eodem Filio est duplex filiatio, naturalis, & adoptiua; hoc expresse excluditur per rationē. Quia istæ duæ filiationes habent conditiones cōtrarias, & oppositas, & ad inuicem se excludentes; quia filiatio adoptiua dicit Filium non esse per naturam, quia Filius naturalis adoptari nequit; & Filius per naturam habens filiationem per essentiam, non potest habere filiationem abusiuam, seu similitudinariam. Sicut homo viuus, quia est homo per suam essentiam, & naturam, & substantiam, non potest esse homo pictus, & participatiuè: & sicut gratia habitualis, quia est participatio diuinæ naturæ, non potest cōuenire Deo habenti Deitatem per substantiam, & essentiam. Ita filiatio adoptiua, quæ habetur per gratiam, non potest esse in illo, vel conuenire illi Filio, qui habet filiationē per naturam, & per essentiam, in quacumque natura sit, & quia vt terminat naturam humanam manet Filius naturalis, non potest admittere filiationem adoptiuam.

Quinta Ratio Etiam est *D. Thomæ in 3. Dist. 10. Quæst. 2. Art. 2. ad 2.* Quod qui adoptatur debet saltim prius natura intelligi non Filius, sicut de Angelis, quod non potest stare de Christo. Quæ dupliciter potest intelligi *Primo,* Quod in aliqua prioritate durationis, aliquis intelligatur non Filius, quam Filius, & in hoc sensu etiam efficax est ratio, quia in Christo, nec prioritate naturæ fuit capacitas, vt esset non Filius, quia in nullo instanti rationis potuit intelligi capax filiationis, & non Filius, quia humanitas non est capax filiationis, sed suppositum, & in primo instanti, in quo intelligitur Persona Verbi, quæ est capax filiationis, intelligitur Filius, & non extraneus, sed proprius. Per quod excluditur Impugnatio *Scoti* contra hanc rationem. Cuius Solutionem *Scotus* Alijs quærendam remittit dicendo vt solet, *Quære Solutionem.* Existimabat enim *Scotus,* quod sufficiebat, quod natura humana præintelligeretur, quod tamen est falsum, quia non est capax filiationis. In secundo sensu potest intelligi sic, quod aliquis secundum se sit extraneus ab adoptante, quia adoptio est alicuius extranei, vt habet *D. Thomas* hic *Art. 1. Arg. 1. & in eius Solutione.* Sed Christus secundum quod est capax filiationis, numquam fuit extraneus à natura Dei Patris, quia nūquam fuit non Filius, & non Deus, etiam in quantum suppositum humanum; ergo non est capax adoptionis, etiam hæc ratio est Concilij pluribus in locis. Sufficiat vnus, scilicet ex *Lib. Sacrosylabo Colum. 7.* verbis iam allatis Ratione 4. Quia ista ratio ad illam reducitur, *Adoptiuus dicitur, cui nihil à Patre adoptante debetur; adoptiuus enim non nisi affectatæ loquutionis alienus dicitur Filius.*

Secunda Conclusio. Improbabile est, quod humanitas sit adoptata, quamuis non sit filia. In hac Conclusione debet conuenire *Vazquez,* quia contendit, quod Sententia contraria incidit inhæresim Elipandi.

Probatur Primo Ratione D. Thomæ sic applicata. Humanitati communicatur filiatio naturalis, quia trahitur ad esse Filij Dei naturalis quantum ad subsistentiam, & quantum ad existentiam, vt docet *D. Thomas Quæst. 17. Art. 2* Ergo nō recipit adoptionem. *Patet Consequentia.* Recipit substātialiter naturale esse adoptantis; ergo non potest recipere adoptionem, quia adoptio excludit naturam adoptantis, vt probatum est in Præcedenti Conclusione.

Secundo Probatur. Si humanitas esset adoptata Christus esset adoptatus absolutè, quia Christus absolutè est homo; ergo omnia prædicata, quæ conueniunt humanitati in abstracto significatæ, prædicantur de Christo, sicut ipsa humanitas in concreto, & sic Christus dicitur, *Rationalis, Risibilis, Albus, Crucifixus, Flagellatus, Mortuus.* Ergo si adoptio conuenit humanitati prout in Christo, quia extra Vnionem non disputamus, Christus dicitur adoptiuus. Hoc tamen semper abhorret Concilium, & Pontifex, vt visum est, immo & ipsi Authores, qui hanc Conclusionem tenent, negant; ergo hanc Conclusionem debent negare.

AR-

ARTICVLVS IV.

Soluuntur Argumenta Contra Resolutionem posita in duobus Articulis Præcedentibus.

ARguitur Primo, Quia in Epistola Concilij referuntur Tres Sancti Archiepiscopi Toletani, quos Elipandus pro sua Sententia adducebat. Sic enim habetur Colum. 4. *Sequitur in eodem Libelo vestro: Prædecessores nostri Eugenius, Ildephonsus, Iulianus Toletanæ Sedis Antistites in suis dogmatibus, ita dixerunt in Missa de Cœna Domini, quia per adoptiui hominis passionem. Item in Missa de Ascensione: Hodie Saluator noster, post adoptionem carnis Sedem repetiuit Deitatis, & cætera, quæ ex Parentum vestrorum posuistis.* Et ad hoc non aliter respondet Concilium nisi dicendo, *Vt manifestum sit quales habetis Parentes, vt notum sit omnibus vnde vos traditi sitis in manus infidelium; quia hominem Christum, verum Dei Patris Filium esse negastis. Melius est testimonio Dei Patris credere de suo Filio, quam Ildephonsi vestri, & si Ildephonsus vester in orationibus suis Christum adoptiuum nominauit. Noster Gregorius Pontifex Romanæ Sedis in suis orationibus semper cum vnigenitum nominare non dubitauit.*

Ex Quibus Argumentum Deducitur In Primis, Quod isti Sancti Eugenius, Ildephõsus, & Iulianus oppositam Sententiam habuere, & quod Concilium eos tanquam non Sanctos vituperat, & damnat, & hoc est contra Authoritatem Concilij, & suspectum illud facit.

Respondetur, Quod illi Tres Sancti non habuerunt Sententiam de adoptione Christi, & de Ildephonso patet clarè, quia in Libro aduersus eos, qui disputabant de perpetua Virginitate Mariæ sic habet, *Non ergo illum vt cæteros adoptio Filios Dei, fecit Filium, sed Diuinitatis natura illum in proprium Dei Filium exaltauit.* Et post pauca, *Nunquam igitur ipse purus homo conceptus, nec natus, sicut cæteri nascuntur infantes, vt ei adoptionis gratia præstaretur.* Vbi clarè negat adoptionem Christo.

Nec Valet, Quod *Lorca* dicit eum loquutum fuisse sensu Nestoriano, quia excludit suppositum creatum. *Contra enim est*, Quod ex hoc quod non sit suppositum puri hominis, sed solum suppositum Diuinum arguit, quod non potuit esse adoptiuus, & sic potiùs suppositum fidem contra Nestorium, & ex hoc infert, quod non fuit adoptio in Christo.

Præterea. Authoritas Missæ Cœnæ non est Ildephonsi, sed Isidori, qui composuit Missam Mozarabem, & *Isidorus Lib. de Doct. & Fide Ecclesiasticorum Dogmatum* expresse excludit adoptionem dicens, *Vt veritas vnigeniti, non adoptione, neque appellatione, sed in vtraque natiuitate Filij nomen, nascendo haberet.* Ex quo patet, quod Elipãdus falsò hoc testimonium inducit, neque in Missa Verbum tale inuenitur, & quamuis inueniretur explicandi essent Sancti, sicut *D. Thomas* explicat de adoptione impropria, & largo modo, hic *ad* 1.

Quod Autem Concilium vituperet illos Tres Sanctos, non minuit Authoritatem Concilij. *Tum*, Quia loquitur conditionaliter ibi *si Ildephonsus vester* ex suppositione, quod haberent Sententiam hæreticam, vt Elipandus asserebat. *Tum*, Quia non erat tam nota sanctitas illorum apud extraneos pro illo tempore, & sic non mirum, quod homines non noti vt Sancti, & alias allati pro Sententia hæretica, quando illa damnabatur reijcerentur, & vituperarentur, ex suppositione, quod illam haberent, & ideò Concilium hos Sanctos vocat *Innotos*.

Secundo Arguitur Authoritate aliquorum Patrum, qui dicunt Christum fuisse Filium adoptiuum, vt *Hilarius* allatus à *D. Thoma* hic *Art.* 4. *Argum.* 1. & idem est de alijs, qui possent adduci, & solutio est *D. Thomæ*, quod est impropria loquutio. *Vazquez* explicat *Hilarium Cap.* 15. dicendo, Quod non dicit humanitas adoptatur, sed adoratur. Hæc explicatio solum in cõiectura fundatur. *Sanct. Thomas* Verbum *Adoptatur* admittit, & explicat. Alios admittit *Vazquez* Sententiam contrariam tenere, sed sine necessitate, cum possint explicari, sicut explicat *Hilarium D. Thomas*, & *Irineum*, *Suarez* explicat sufficienter, quod non loquitur de Christo, sed de alio quocunque homine, quando dicit, *Qui Filius Dei est, Filius hominis factus est, vt adoptionem percipiens fiat Filius Dei.* Quam expositionem extortam appellat *Vazquez*, ex ipso Textu, sed certè Textus non rectè consonat, si intelligatur de ipso Christo vt vult *Vazquez*, quia sensus esset, *Quod qui Filius*

Filius Dei est factus est homo, vt adoptionem percipiens fiat Filius Dei; si iam erat Filius Dei, Quomodo potest fieri Filius Dei absolutè, & in eodem sensu sicut sonant verba. Et in hac explicatione *Vazquez* debēt sub intelligi duo termini, scilicet, *Filius naturalis*, & *Filius adoptiuus*, vt distinguantur duæ filiationes; melius subintelligitur vnus, scilicet, *Homo*, & sensus erit completus, & verus.

Tertio Arguitur. Fuit donum pietatis in Christo; sed donū pietatis est respectu Dei vt Patris; ergo Christus comparatur vt Filius adoptiuus ad Deum Patrem. *Maior* habetur à *D. Thom.* supra *Quæst.* 7. *Artic.* 5. & colligitur ex illo *Isaiæ* 11. loquēdo de Donis cōparatiuè ad Christū, *Spiritu scientiæ, & pietatis.* Minor probatur, Quia *D. Thom.* 2. 2. *Quæst.* 121. *Art.* 1. ponit differentiam inter virtutē, & donum pietatis, quod virtus exhibet cultū parentibus carnalibus, & donum Deo vt Patri. *Consequentia vero Probatur.* Quia *D. Thomas* ibidem explicat donum pietatis de filiatione adoptiua ex duplici loco 1. ad Roman. 8. *Accepistis spiritū adoptionis Filiorum*, sic in Corpore; & ad 3. ex illo Sapientiæ 6. *Ecce quomodo computati sunt inter Filios Dei.* Ergo Christus, vel non habuit donum pietatis, vel si habuit, fuit Filius adoptiuus, quia Filius naturalis, & adoptiuus sunt diuersæ rationis, sicut & ipsæ filiationes. Ergo donum pietatis, quod est in alijs hominibus tanquam in Filijs adoptiuis, si est in Christo debet esse tanquam in Filio adoptiuo, & non vt in Filio naturali; nisi ponatur in Christo donum pietatis diuersæ rationis, ac in alijs hominibus, sicut ponitur filiatio diuersæ rationis.

Confirmatur. Christus in quantum Filius Virginis potuit adoptari ab alio homine; ergo à Deo, quia non est maior ratio.

Si Dicatur, Quod ab alio homine, cuius non erat Filius naturalis poterat adoptari, nō tamen à Beata Virgine, cuius erat Filius naturalis, & similiter neque à Deo Patre.

Contra. In quantum Filius naturalis Dei Christus habebat Dominium omnium rerum, & ius naturale ad omnia; patet ex illo Psalmi 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius oues, & bobes, insuper, & pecora campi.* Et ex illo Psalmi 2. *Postula à me, & dabo tibi Gētes hæreditatem tuam, & possessionē tuam terminos terræ.* Ergo si non obstante hoc iure naturali ad bona temporalia, potest habere adoptionē, & ius liberum, ex vi adoptionis ad illa bona, si adoptaretur ab aliquo homine, non obstante iure naturali ad hæreditatē, poterit adoptari ad illā à Deo Patre, vel saltim ad hanc tēporalem hæreditatē poterit adoptari à Deo Patre, de qua dicit ei *Postula à me, & dabo tibi hæreditatem tuam.*

Confirmatur Secundo. In humanis Filius naturalis potest adoptari à Patre; ergo in Diuinis. *Consequentia Patet* à paritate; & *Antecedens Probatur.* In aliquibus Prouincijs secundū Ius Ciuile potest Pater priuare Filiū iure naturali, & postea illi restituere ius, & hoc est adoptare illum, qui erat Filius naturalis: & similiter in aliquibus Familijs in Fundatione Maioratus relinquitur potestas Patri, vt Maioratum tribuat secundo Filio, vel tertio omisso Primogenito; sed hoc est adoptare Filium naturalem secundum, *Verbi grat.* Ergo non est implicatio, quod Filius naturalis adoptetur.

Respondetur, Quod donū pietatis abstrahit à Filio adoptiuo, vel naturali, & idem à Patre adoptiuo, ac à Patre naturali: sicut etiā virtus pietatis. Filius enim naturales, & adoptiui per eādem pietatem specie colunt Patrem naturalem, & adoptiuum. *Ratio est*, Quia Filius adoptiuus succedit loco Filij naturalis in ordine ad eādem hæreditatē, & similiter ad eamdē venerationē, & reuerētiā exhibendam Patris, & per consequens ad eamdē virtutē. Similiter est de dono pietatis; quāuis enim sit in omnibus hominibus tanquam in Filijs adoptiuis, in Christo fuit tanquā in Filio naturali, & est eiusdem speciei, quia est ad eamdē hæreditatem, & materialiter se habet, quod sit filiatio naturalis, vel adoptiua respectu eiusdem doni, & sic Christus per hoc donum pietatis respicit Deum, vt Patrem naturalem, & alios homines vt Filios adoptiuos Dei, & Fratres suos per affectum.

Ad Primam Confirmationem Respondetur, Quod vt habetur in Libro Sacrosylabo Colum. 7. *Adoptiuus dicitur, cui nihil à Patre adoptāte debetur.* Et quia si Christus cōsideretur ratione suppositi, nō potest dici, quod aliquis homo nihil ei debeat, quia vt sic est Deus, & sic titulus Creationis supremi dominij, & omnia debētur ei, & si cōsideretur in quantū homo, etiā est redēptor totius generis humani, *Tradidit enim semetipsum pro nobis, & redemit nos in sanguine suo*, & sic titulo Redemptionis omnia, quæ habemus, ei debemus, quia omnia amittere vsque ad anihilationē meruimus per peccatum, & sic propria adoptio nō potest esse in Christo, etiam respectu alterius hominis,

Sed dato, quod posset fieri, non est bona cõsequentia, quod posset adoptari à Deo Patre, quia ab illo à quo habet ius naturale, respectu alicuius boni, non potest habere ius adoptionis, quia eo ipso, quod in quantũ Pater naturalis tribuit illi ius naturale ad aliquam hæreditatem, tribuit ius quod habet, & sic non relinquitur locus, vt per voluntatem tribuat ius, quod iam Filius habebat. Respectu vero alterius dominij, quod ab alio habente ius ad eamdem hæreditatẽ possidetur, posset adoptari si non est Filius naturalis. Cũ ergo homines habeant aliquod dominiũ bonorum temporaliũ, & possint illa tribuere, possent etiã in honorẽ, & venerationem Dei, vel Christi, vel Virginis, vel alterius Sancti illa cõsecrare, & hoc potest dici adoptio, sed valde impropria respectu Dei, vel Christi, cui aliàs debita sunt; non enim omnis donatio, vel largitio eleemosynæ est adoptio, vt etiam patet in humanis.

Ad Secundam Confirmationem, quam Aliqui Scotistæ magni faciunt Respondetur facile, negãdo quod Pater naturalis in humanis possit adoptare Filium naturalem ad hæreditatem naturaliter illi debitam iure naturæ. Si autem in voluntate Patris est aliquid super addere hæreditatis, hoc est respectu illorum bonorum, ad quæ non habet ius naturale, & ita est in Maioratibus quando potest secundus Filius designari, quia hoc est superadditum ad ius naturale, & potest tribui cuicumque ex Filijs naturalibus. Si autem propter delictum, potest Pater priuare Filium hæreditate naturaliter debita, etiam potest priuare vita iustè aliquando Sicut Rex potest occidere Filium iustè propter delicta. Si autem semel ablato iure naturali, postea pœnitentia facta illum adoptet, est quasi adoptare Filium non naturalem, & tunc melius est dicere, quod neque adoptat, sed reddit illi ius, quod abstulerat.

Quarto Arguitur. Gratia habitualis est forma constituens Filium adoptiuum; sed in Christo est gratia habitualis, vt docet *Diuus Thomas* supra *Quæstione* 7. ergo facit illum Filium adoptiuum. *Probatur Consequentia.* Quicumque est capax alicuius formæ est capax effectus formalis eiusdem formæ; ergo si Christus in quantum homo est capax gratiæ habitualis, erit etiam capax filiationis adoptiuæ.

Confirmatur Primo. Christus in quantum homo est creatura rationalis; sed omnis creatura rationalis est capax adoptionis; ergo Christus in quantum homo. *Maior est D. Thomæ* supra *Quæstione* 16. *Artic.* 10. Minor posita est *Artic.* 1. huius Disputationis. *Consequentia est bona ex Maiori.*

Confirmatur Secundo. Ad adoptionem solum requiritur, quod adoptandus sit in natura extranea, vel aliena à natura adoptantis; sed Christus in quantum homo est huiusmodi, quia in quantum homo est suppositum naturæ humanæ, & natura humana est extranea à natura Diuina, quæ est natura Patris adoptantis; ergo est capax adoptionis.

Respondetur Negando quod filiatio adoptiua sit effectus formalis gratiæ habitualis, quia quælibet filiatio est relatio, & gratia habitualis est qualitas, & sic non potest esse effectus formalis gratiæ, quia non potest qualitas habere pro effectu formali relationem. Et dato quod esset effectus erat secundarius, & iste potest separi à forma propter aliquam incapacitatem subiecti. Igitur non est nisi fundamentum, & non quomodocumque, sed gratiosè data: in Christo autem, quia est debita non potest fundare relationem sicut in nobis, vel est fundamentum in subiecto non impedito.

Ad Primam Confirmationem Respondetur, Quod nomen *Creatura* significat aliquid quod potest conuenire supposito, vel naturæ, & sufficit quod conueniat naturæ, vt cum reduplicatione naturæ prædicetur de toto, vt ibidem diximus: at verò filiatio adoptiua non potest conuenire naturæ, sed solum supposito, & si illud est incapax, quamuis reduplicetur natura, facit sensum semper respectu suppositi, & ideò non potest de illo prædicari esse Filium adoptiuum.

Ad Secundam Confirmationem Respondetur, Quod adoptandus debet esse in natura extranea secundum illud, secundum quod adoptio potest cadere super illud, & quia adoptio in Filium non potest cadere supra naturã, sed supra suppositum quia suppositũ solum potest esse Filius, suppositum debet esse extraneũ vt posset adoptari, & natura propria illius, non vero natura vnita.

Dices Natura vnita potest facere suppositum, cui vnitur intraneum respectu principij, cui ipsa natura est intranea, quamuis suppositum secundum se consideratum esset extraneum tali principio; ergo similiter natura extranea potest facere suppositũ,

cui

cui vnitur extraneum respectu principij, respectu cuius natura est extranea, quamuis respectu eiusdem principij suppositum secundum se consideratum sit intraneum; ergo potest facere illud capax adoptionis. *Patet Vtraque Consequentia* à paritate, quia eadem est ratio, & eodem modo comparatur ad Filium naturalem, & intraneum natura intranea, sicut ad Filium adoptiuum, & extraneum natura extranea, & nulla apparet ratio quare natura intranea possit facere, quod suppositum, quod secundum se erat extraneum fiat intraneum, & capax filiationis naturalis, & quod natura extranea non possit facere suppositum, quod secundum se erat intraneum fieri extraneum per illã, & capax filiationis adoptiuæ. *Primum Antecedens Probatur*, Quia humanitas vnita Verbo Diuino facit illud intraneum, & capax filiationis naturalis respectu Matris, respectu cuius Verbum ante Incarnationem erat extraneum, & sic intentum est, quod eadem humanitas, quæ respectu Æterni Patris est extranea per Incarnationem trahat suppositũ Verbi ad suã extraneitatẽ, & faciat illud capax adoptionis respectu Patris.

Respondetur, Quod non eodem modo comparatur natura intranea ad Filium naturalem respectu suppositi, quod secundum se erat extraneum, sicut natura extranea ad Filium adoptiuum respectu suppositi, quod secundum se erat intraneum; & ratio disparitatis est manifesta. Quia natura intranea trahit suppositum secundum se extraneum ad suam intraneitatem nihil auferendo ab illo de prædicatis intrinsecis positiuis naturaliter illi conuenientibus, sed solum quãdam priuationem, seu carentiam intraneitatis, quæ carentia aufertur per aduentum formæ intraneæ substantialiter illi vnitæ. At verò forma extranea vt faciat suppositum, quod secundum se erat intraneum transire ad extraneitatem debet ab illo auferre illa prædicata positiua, & naturalia per quæ erat secundum se intraneum; & si illa prædicata auferret non maneret idem, sed aliud, quia perderet propriam naturam suppositi.

Et Exemplo Allato in Replica manifestatur, *Verbi gratia*, Christus est Filius naturalis Patris Æterni per diuinitatem secundum generationem æternam, & idem suppositum secundum se erat extraneum ante Incarnationem respectu Virginis Matris; facta autem Incarnatione humanitas substantialiter illi vnita facit illud intraneum Matri, sine eo quod ab illo aliquid positiuum auferatur. *Sed quod erat pe. mansit, & quod non erat assumpsit.* Et mansit simul intraneum Patri, & Matri sine aliqua incompatibilitate; tamen eadem humanitas, quæ est extranea Patri Æterno si faceret suppositum vnitum extraneum respectu Patris excluderet à supposito Verbi intraneitatem naturalem, quam habebat respectu eiusdem Patris, quia esse intraneum, & extraneum respectu eiusdem includit contradictionem manifestam; quia opponuntur priuatiuè.

Et Quod sit secundum diuersas naturas non tollit implicationem, eo quod duæ naturæ non possunt ponere in eodem subiecto formam, & priuationem eiusdem formæ simul; sed ex hoc ipso quod vna natura ponat priuationem alicuius formæ in aliquo subiecto debet excludi forma cuius est priuatio, quamuis proueniat ab alia natura ab eodem subiecto, & è contra sicut humanitas ponendo intraneitatem in supposito Verbi respectu Matris aufert priuationem talis intraneitatis à Verbo, & hæc priuatio potest auferri, quia non est prædicatum positiuum, & essentiale saltim in ordine ad Omnipotentiam Dei. Et similiter si humanitas poneret extraneitatem respectu Patris in supposito Verbi, quia extraneitas includit essentialiter priuationem intraneitatis deberet excludere à supposito Verbi intraneitatem, quam habet per naturam diuinam ex vi generationis æternæ, quod implicat per quamcumque potentiam.

Hoc Idem in humanis verificatur si posset suppositum creatum terminare naturam alienam substantialiter, *Verbi gratia*, Suppositum Petri, qui est Filius naturalis Pauli terminaret naturam alienam genitam à Maria, & Ioanne, posset quidem esse Filius naturalis vtriusque, Pauli scilicet, & Ioannis, & Mariæ, non tamen esse adoptiuus respectu Pauli, quamuis natura sit extranea à Paulo, quia prædicatum naturæ non semper conuenit supposito, quia quando in subiecto est cõditio repugnans non conueuit illi, sicut in Christo natura humana est creatura, & hoc prædicatum non potest tribui supposito Verbi.

Et Quando Dicimus, Quod natura potest facere suppositum intraneum, intelligimus eodem modo si suppositum sit capax terminandi generationem naturalem, quia loquimur de intraneitate requisita ad

filiationem naturalem; vnde si natura diuina vniatur Personæ creatæ, illa Persona nõ esset Filius Dei naturalis; quia illa Persona non posset esse genita, vel terminare generationem Æternam Patris, quia implicat hoc creaturæ, & est error Arrij; & Persona Spiritus Sancti quamuis habeat naturam diuinam non habet intraneitatem sufficientem ad filiationem naturalem, quia non habet illam ex vi generationis.

Dices Iterum. Saltim ipsa humanitas posset adoptari, quamuis non vt filia, quia ipsa est extranea, quod est contra Secundam Conclusionem Articuli præcedentis.

Respondetur, Quod (vt ibi dictum fuit) natura humana trahitur ad esse naturale, & proprium adoptantis, & hæc assumptio, vel vnio non potest dici adoptatio, quia non debebat trahere illam ad suum proprium esse, sed relinquere illam in esse alieno, & extraneo, vt verificaretur adoptio, igitur est quidem gratia, & magna gratia, sed non omne beneficium gratiosum est adoptio.

Arguitur Quinto contra rationem *D. Thomæ.* De Christo dicitur ens creatum ratione humanitatis, increatum ratione Personæ, & sic dicitur tale per essentiam, & per participationem. Et ad hunc modum possunt adduci plura exempla, vt de passionibus entis, & de perfectionibus naturalibus, & supernaturalibus, vt de vita, intellectu, & voluntate, de scientia, de lumine gloriæ, de beatitudine, de Charitate, Iustitia, Misericordia, &c. Et denique de omni perfectione, quæ dicitur *Simpliciter simplex*, quæ formaliter potest esse in humanitate secũdum esse creatum, & in Persona secundum esse increatum. Idem est de Potestate Iudiciaria, de Dominio, de Legũlatore; ergo idẽ erit de filiatione, quod in quãtum Deus erit talis per essentiam, & in quantum homo erit per participationem, & sic Filius naturalis, & adoptiuus.

Confirmatur Primo. Sanctitas per essentiam conuenit humanitati ratione Verbi, quia sanctificatur substantialiter à sanctitate increata, & per essentiam; quidquid sit de Opinionibus, sub qua formalitate sanctitas sanctificat (de quo in Materia de Gratia Christi) & eadẽ humanitas sanctificatur per participationem, scilicet gratia habituali, quæ est participatio Diuinitatis. Ergo etiã in eadem humanitate potest esse sanctitas per essentiam, & sanctitas per participationem, quod est contra rationem *D. Thomæ.*

Confirmatur Secundo. Verbum Diuinum est genitum, & natum generatione, & natiuitate æterna, quæ est per essentiam talis, & idem Verbum est genitũ, & natum ex Virgine tẽporaliter, & hæc generatio est participatio illius; ergo benè potest id, quod est tale per essentiam esse tale per participationem.

Respondetur ad hoc Argumẽtum à principio, Quod omnia illa relata distincta per essentiam, & participationem conueniunt Christo secundum diuersum extremũ, scilicet ratione diuinitatis, vel ratione humanitatis, & sic non falsificatur quod id, quod est tale per essentiam non potest esse tale per participationem, quia Persona Diuina, quæ est ens per essentiam, & ens increatum non est ens creatum, sed quædam entitas illi cõiuncta est ens creatũ; & non implicat quod id, quod est tale per essentiam adunetur, vel coniungatur cum alio, quod est tale per participationem, quia coniungi, vel vniri illi non est esse illud. Et idem est de omnibus exemplis ibi allatis, quia perfectiones participatæ sunt in humanitate, & per essentiam in Persona Diuina, & Diuina Persona est distincta entitas ab humanitate, quamuis in concreto ratione suppositi Deus sit homo, & homo Deus; entitas tamen suppositi, non est entitas humanitatis.

Ad Primam Confirmationem, Concedo, quod humanitas est sancta sanctitate per essentiam sibi vnita, tamen humanitas non est sancta per essentiam. Aliud est, quod sit sancta sanctitate per essentiam, aliud quod sit sancta per essentiam, quia primo modo non identificat, sed vnit; in secundo modo identificat, & in hoc secundo modo excluditur sanctitas participata, sicut natura diuina, seu Verbum non potest esse Sanctum per gratiam. Quod vero sanctitas participata, & per essentiam coniungantur in aliqua entitate non implicat, vt dicebamus de alijs exemplis.

Ad Secundam Confirmationem Respondetur, Quod respectu diuersorum benè potest habere vnum prædicatum per essentiam, & aliud per participationem. *Verbi gratia,* Petrus Filius naturalis Ioannis potest adoptari in Filium à Frãcisco, & simul est Filius naturalis Ioannis, & Filius adoptiuus Francisci, & hoc non implicat Et hoc modo etiã Christus posset esse Filius Dei naturalis, & adoptiuus alterius hominis ex vi huius rationis formaliter, hoc est, si hoc, quod est esse Filiũ naturalẽ Dei non inuolueret, nisi ius ad solam gloriam, quia tamen

in-

inuoluitur ius ad bona temporalia, ex hoc capite non potest adoptari propriè ab homine, quia habet ius naturale, vt ad Argumentum præcedens dicebamus. Eodē modo quia esse genitum, vel natum à Matre temporaliter, est respectu diuersi parentis, quā Pater cuius est Filius naturalis ab Æterno ideò potest verificari; non tamē potest esse, quod ab eodem Patre sit genitus tēporaliter per generationem, & filiationem, etiam participatā, sed per eam, per quā per essentiam ab Æterno est Filius, per quam in tempore potest dici, *Ego hodie genuite*, nō per aliam: in quo defecit *Vazquez Cap.* 12.

Sexto Arguitur contra illud principiū, quod filiatio est proprietas personalis. Probatur quod est falsum. *Tum*, Quia filiatio est relatio fundata in generatione; sed generatio non est proprietas personalis, quia conuenit naturæ saltim vt quo; ergo etiā filiatio non est proprietas personalis; sed conuenit naturæ saltim vt quo: ergo sicut alia prædicata prædicantur de Christo, quia conueniunt humanitati vt quo, etiam esse Filium adoptiuum ratione humanitatis prædicabitur de Christo, quamuis Persona secundum se sit Filius naturalis. *Consequentia Patet*, Quia vbi est fundamentum est relatio, & non est ratio aliqua quare esse genitum, vel natum non sit proprietas personalis, & filiatio sit propria personæ.

Tum, Quia relatio geniti, & Filij est eadem; sed relatio geniti est in natura; ergo relatio Filij saltim vt quo. *Consequentia est bona. Maior Probatur.* Quia aliàs in diuinis essent plusquam quatuor relationes reales. *Minor Probatur* ex *D. Thoma* in 3. *Distinct.* 8. *Quæst.* 1. *Art.* 5. *ad* 1. vbi dicit, *Quod natiuitas temporalis, siue generatio passiua Christi est quædam relatio, quæ secundum rem fundatur in humana natura, & ex hoc nominatur natum, sicut, & homo.*

Confirmatur. Dato quod esset filiatio proprietas personalis posset conuenire supposito Christi, quia illi conuenit esse Filium naturalem Virginis, & filiatio est in Persona Christi, quamuis non sit realis, sed rationis ad Matrem, quia Persona non est capax accidentis realis, tamen si esset capax posset relationem realem recipere in tempore, quamuis esset Filius naturaliter ab Æterno: ergo ex hoc principio non saluatur ratio *D. Thomæ*, scilicet quia filiatio est proprietas personalis, & quia id, quod est tale per se non potest esse tale per participationē, quia si esset capax esset etiam Filius per participationē. Ergo recurrendū est ad aliā rationē, scilicet incapacitati propter immutabilitatē, non quia est tale per essentiā.

Tum, Quia filiatio rationis est talis per participationem, & solum similitudinariè, sicut quodlibet ens rationis, & tamen Persona Christi, qui habet filiationē per se potest recipere hanc filiationem rationis, quæ est per participationem; ergo deficit ratio *D. Thomæ*, scilicet quod est tale per se non potest esse tale per participationē. *Vlterius*; ergo sicut dicitur Filius Virginis verè, & propriè, potest etiam dici adoptiuus verè, & propriè per filiationē rationis. *Patet Cōsequētia*, Quia filiatio adoptiua, aut per se est relatio rationis in omnibus, aut saltim in Christo propter incapacitatē subiecti erit rationis, tamen eiusdem speciei erit Filius adoptiuus per relationē realem, siue per relationem rationis, quia filiatio adoptiua abstrahit ab hoc, quod sit per relationē realē, vel rationis, sicut filiatio naturalis abstrahit à relatione reali, vél rationis; in Christo enim est rationis ad Matrem, in alijs hominibus est realis ad Matrem, & Christus est vniuocè Filius Virginis naturalis, sicut alij respectu Matris. Ergo sicut Christus ratione Personæ est Filius per se, & ab Æterno Patris, & simul Filius per participationem per filiationē rationis ad Matrē, ita poterit esse Filius adoptiuus per filiationem rationis; in hoc est paritas, quidquid sit de relatione maternitatis, si denominat realiter Christum Filium.

Tum, Quia si filiatio esset proprietas non personalis, sed naturæ saltim ratio *D. Thomæ* nō probaret, quia ad hoc ponitur, quod est proprietas personalis vt excludatur à Persona; sed adoptio est proprietas naturæ, quāuis non vt filiæ; ergo poterit esse adoptata natura humana. *Patet Consequētia* Sicut aliæ proprietates, quæ conueniunt naturæ conceduntur per participationem, etiam si ratione personæ habeatur idem per essentiam, eadem ratio erit de adoptione: hoc autem est contra Secundam Conclusionem Articuli præcedentis; ergo.

Respondetur ad Argumentum à principio, quod non est necesse, quod relatio fundetur in eadem entitate, in qua est fundamentum, sed sufficit, quod sit in subiecto, vel supposito illius, vel potest dici melius, quod esse genitum per modum entis completi est fundamentum relationis filiationis, & hoc solum conuenit personæ, & sic ponitur filiatio cum fundamento. Ratio

autem quare esse genitum per modum entis cõpleti est fundamẽtum relationis filiationis traditur à *D.Thoma* in 3.*ad Anibald. Quæst.Vnica Art.4.ad* 1.vbi inquit, *Dicendum, quod natiuitas non est tota causa filiationis, sed natiuitas cum esse completo nascentis.* Et in 3.Sententiar.Distinct.8.Quæst.1. Art.5.ad 1.inquit, *Subiectum filiationis non potest esse natura cum sit eius, quod habet complementum speciei, vt supradictum est.* Et in eadem Quæst.Art.1.ad 5. sic habet, *Ad filiationem requiritur plusquam ad natiuitatem, vel ortum, scilicet, vt quod exijt per generationem à generante sit completum in specie generantis, & ideò fructus arborum, oua auium, & capili, & alia huiusmodi, non habent rationem filiationis, quamuis dicantur nasci.* Quod etiam habet ibidem *Distinct.5.* in Expositione Textus. Ecce rationem quare quamuis natura dicatur aliquo modo generata, vel nata, non potest dici filia, & quare filiatio respicit suppositum, quia respicit ens completum in specie generantis, & ideò vermes non sunt Filij, & hæc est natura, & essentia filiationis.

Ad Id Quod Dicitur de Relatione geniti *Respondetur*, Quod *S.Thomas* in eodem loco ex 3.*Sententiarum* expressè distinguit relationem geniti à relatione filiationis, & relationem geniti ponit in natura, filiationis vero in supposito, & ratio est immediatè allata: Quia filiatio est relatio entis completi, & 3.*Part Quæst.35. Art.5. ad* 1. reddit rationem, quare relatio geniti potest subiectari in natura, scilicet, *Quia aliquo modo est subiecta natiuitati, & quod natura humana nullo modo potest esse subiectum filiationis, quia hæc relatio directè respicit personam, & oporteret quod aliquo modo natura humana esset subiectum filiationis, sicut est aliqualiter subiectum natiuitatis. Cum enim Æthiops dicitur albus ratione dentis, oportet quod Æthiopis dens sit albedinis subiectum.* Et in Corpore dixerat, *Subiectum filiationis non est natura, vt pars naturæ, sed solum persona, vel hypostasis.*

Ad Impugnationem Respondetur, Quod in Diuinis propter summam identitatẽ substantialem possunt identificari relatio geniti, & filij realiter. Quod si attenderet *Suarez* hic *Sect* 2. non impugnaret rationem *D.Thomæ* in hoc, quia *S.Thomas* nunquam negauit aliquam relationem posse subiectari in natura, sed solum relationem filiationis, & quod alia subiectetur non concedit, quod etiam filiatio posset subiectari propter rationem datam.

Ad Id Quod Dicitur de Filiatione, quæ est relatio rationis, *Respondetur*, Quod vt dictum est ad 2. Confirmationem Argumenti præcedentis, non probat quod qui est Filius naturalis vnius, non sit Filius naturalis, vel adoptiuus alterius, siue per filiationem realem, siue per filiationem rationis. In quo deficit *Suarez*, sicut deficit *Vazquez* in natiuitate in Argumento præcedenti, quia *S.Thomas* expressè concedit infra 3.Parte Quæst.35. Art.5. ad 1. *Quod natiuitas temporalis causaret in Christo temporalem filiationem realem si esset ibi subiectum huiusmodi filiationis capax.* Et idem est si ab aliquo homine posit adoptari in Filium, posset recipere relationem filiationis Filij adoptiui, & si esset capax, relationem realem. Sed hoc non est contra rationem *D.Thomæ*, quia procedit respectu eiusdem, vt sæpè dictum est, & non tetigerunt hoc *Suarez*, & *Vazquez* impugnando illam. Si enim Christus non haberet ius ad bona tẽporalia, quamuis esset Filius Dei naturalis, & haberet ius ad hæreditatem æternam; quamuis (inquam) esset talis per essentiam, posset esse Filius adoptiuus alterius hominis; sicut est Filius naturalis Virginis, & hoc non impugnat rationem *D.Thomæ*, quia non est respectu eiusdem. Et ratio huius est. In humanis Filius Petri naturalis potest esse adoptiuus Ioannis, & illa adoptio non est similitudo huius filiationis, sed alterius, quæ debetur Filio naturali Ioannis, quia filiatio est relatio ad talem terminum, & non ad alium, & respectu eiusdem termini negatur vtraque filiatio, quia esset simul participata, seu similitudo, & veritas, & proptia. Sicut Petrus non potest esse similitudo sui, nec sua pictura, benè tamen potest similis alteri homini esse. Vt habet *D.Thom.* infra *Quæst.32 Art.3.*

Ad Id Quod Additur, quod filiatio rationis est similitudo relationis realis. *Respõdetur*, Quod hæc similitudo est in prædicato communissimo relationis, & non est inconueniens, quod qui habet vnam relationem realem, habeat aliam relationem rationis. Nec ratio *D.Thomæ* procedit in hoc sensu, sed solum de prædicato specifico, & particulari, vt qui est homo viuus non potest esse homo pictus, & sic qui est Filius per naturam non sit Filius per voluntatem.

Ad Vltimum, quod dicitur si filiatio conueniret humanitati. *Respondetur*, quod si con-

conueniret sicut conuenit relatio geniti, vt dictum est posset per illam referri ad Virginem, eo modo, quo natura refertur per relationem geniti, hoc est vt subiectum *Quo*, tamen respectu Dei Patris, non posset recipere filiationem adoptiuam natura, neque adoptionem sine filiatione, quia vt diximus Artic. Præcedenti Conclusione 2. eo ipso, quod per vnionem trahitur ad esse naturale Filij Dei, est incapax adoptionis respectu Dei, quia si iure naturæ ex vi vnionis debetur illi gloria non potest deberi iure adoptionis, & ex libera voluntate.

Si Obijcias verba Apostoli ad Colossenses 1. *Transtulit nos in regnum Filij dilectionis suæ*; vbi Christus dicitur *Filius dilectionis*, & voluntatis.

Respondetur, Quod Apostolus non loquitur comparatiuè ad Incarnationem, vt in præsenti loquimur, sed respectu generationis æternæ. Sic *S. Thomas* in Commentario ibidem *Filij dilectionis suæ dicitur, id est Filij sui dilecti, vel Filij essentiæ suæ, id est habens essentiam suam quasi materialiter, sicut dicitur aliquis egregiæ formæ, id est habens egregiam formam, & sic est vera Ioannis 3. Pater diligit Filium.* Et 1 Part. Quæst. 41. Artic. 2. in Argumento 2. Obijcit sibi hanc Authoritatem intendens probare, quod Filius sit genitus voluntate, quia Apostolus dixit, *In regnum Filij dilectionis suæ*, & Respondet, *Ad secundum dicendum, Quod Apostolus nominat Christum Filium dilectionis Dei in quantum est à Deo superabundanter dilectus, non quod sit genitus voluntate.*

Vltimo Arguitur. Christus fuit prædestinatus in quãtum homo, vt docet *D. Thom. Quæst. Sequenti*; sed prædestinatio est actio libera, & gratiosa; ergo in quantum homo potest terminare actionem liberam, & gratiosam Dei; ergo potest terminare actionem adoptiuam, & gratiosam.

Confirmatur. Christus in quantum homo fuit fideiiussor, & accepit obligationem satisfaciendi pro nobis Deo; ergo potest esse Filius adoptiuus Dei. *Patet Consequentia.* Non requiritur maior distinctio inter fideiiussorem, & creditorem, quam inter adoptantem, & adoptatum, nec maior subiectio, & inferioritas; ergo si ratione humanitatis datur distinctio, subiectio, & inferioritas in Christo respectu Dei, vt satisfactor, dabitur etiam quæ sufficiat vt sit Filius adoptiuus.

Respondetur, Quod (vt in *Quæst. Sequenti* dicemus) Christus non fuit prædestinatus ad filiationem adoptiuam sicut alij homines, sed ad filiationem naturalem, & ideò hæc prædestinatio est diuersæ rationis à prædestinatione nostra: adoptio vero esset ad filiationem adoptiuam, quæ est incompatibilis cum filiatione naturali, & propter hoc non potest terminare hanc actionem liberam, & gratiosam, benè tamen alia in qua nulla incompatibilitas reperitur, vt *Quæstione Sequenti* patebit.

Ad Confirmationem Respondetur, Concedendo Antecedens, & Negando Consequentiam. Ad Probationem Concedimus, quod ad satisfactionem non requiritur maior distinctio, immo minor sufficit, quia sufficit distinctio naturæ, vt explicuimus in *Materia de Incarnatione*, & inferioritas naturæ sufficit ad subiectionem, vt docet *D. Thomas* supra *Quæst. 20. Art. 1.* vt etiam ibidem Explicuimus, & *Art. 2.* ibi propter humanitatem docet *S. Thomas*, quod fuit subiectus sibi ipsi vt Deo, sicut etiam satisfecit sibi ipsi vt Deo, & hoc non sufficit ad adoptionem, quia adoptio terminatur ad suppositum directè. Verum est, quod inter suppositum Christi, & Patris Æterni est distinctio realis, & ideò non excluditur adoptio ex defectu distinctionis, sed ex defectu subiectionis, & inferioritatis, quæ debet esse non solum in natura, sed in persona adoptati, respectu adoptantis, quia non natura, sed persona est quæ adoptatur in Filium, & hæc inferioritas inter Personam Christi, & Æterni Patris

ARTICVLVS V.

Vtrùm Christus in quantum homo sit Seruus Dei, & Filius naturalis Totius Trinitatis?

Duas Difficultates complectitur Titulus, quæ ex præcedentibus originantur. *Prima est* de Seruitute Christi. Secunda de Filiatione Christi ratione termini, scilicet respectu cuius dicatur Filius naturalis.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Hanc Tetigit D. Thom. hic *Artic. 4.* Argum.

gum 3. sic, *Christus secundum quod homo est seruus; sed dignius est esse Filium adoptiuum, quam seruum; ergo multo magis Christus secundum quod homo, est Filius adoptiuus.* Et Respondet S. Thom. *Quod esse creaturam, & etiam seruitus, vel subiectio ad Deum non solum respicit Personam, sed etiam naturam, quod non potest dici de filiatione, & ideò non est similis ratio.* Differentia consistit, quod *Seruitus* respicit naturam, *Filiatio* verò nō, sed Personam. Quædoctrina traditur etiā à D. *Thoma* supra *Quæst.* 20. vbi docet, Quod Christus secundum humanam naturam est subiectus Patri, & seruus Patris, secundum verba Apostoli ad Philip. 2. dicentis, *Formam serui accepisse.* Et ibidem Art. 1. ad 1. inquit D. Thomas, *Quod sicut non est simpliciter intelligendum, quod Christus sit creatura, sed solum secundum humanam naturam, siue ponatur ei determinatio, siue non, vt dictum est* (scilicet Quæst. 16. Artic 8.) *ita etiam non est simpliciter intelligendum, quod Christus sit subiectus Patri, sed solum secundum humanam naturam, etiam si determinatio non ponatur.* Et consequenter prosequitur ibidem ad 2. *Quamuis non propriè dicatur, quod natura sit Domina, vel serua; potest tamen propriè dici, quod quælibet hypostasis, vel Persona sit Domina, vel serua secundum hanc, vel illam naturam, & secundum hoc nihil prohibet Christum dici Patri subiectum, vel seruum, secundum hanc naturam.* Ex quibus constat, quod *S. Thomas* eodem modo loquitur de Seruitute, ac de ratione creaturæ in Christo, quod vtraque conuenit illi non simpliciter, sed cum addito ratione naturæ, & cum tali addito expresso, vel intellecto potest verificari, Christum esse seruum.

Pro Cuius Maiori Intelligentia, notandum est, Quod *Seruitus* multipliciter potest accipi, aut pro seruitute peccati, secundum quam dicitur, quod *Qui peccatum facit seruus est peccati*; aut pro seruitute, qua quis alteri est subiectus, & subditus tanquā inferior, & tenetur eius obedire mandatis: & hæc dupliciter contingit, vel tanquam mancipium, vt siquis in bello sit captus, & in seruitutem redactus, vel pecunijs emptus: mancipiorum huiusmodi est seruitus coacta. Alio modo est seruitus sine tali coactione, sicut alij, qui sunt liberi, & seruiunt dominis suis, & isti propriè sunt serui, & respectu Dei Christus potest dici seruus in hoc sensu.

Sed Adhuc in hoc distinguendum est, quod non conueniat illi hæc subiectio ratione suppositi, vel personæ, sed solum ratione naturæ secundum quod dicitur. Lucæ 2. *Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi in sanctitate, & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Et in hoc sensu S. Thom. 2. 2. Quæst. 81. Art. 1. ad 3. inquit, *Quod cum seruus dicatur ad Dominum necesse est, quod vbi est propria, & specialis ratio dominij, ibi sit specialis, & propria ratio seruitutis. Manifestum est autem, quod dominium conuenit Deo secundum propriam, & singularem quamdam rationem, & ideò specialis ratio seruitutis ei debetur, & talis seruitus nomine Latriæ designatur.* Cum autem in Christo sit virtus Religionis respectu Dei non potest negari in Christo propria seruitus voluntaria, non coacta, sicut mancipij, sed sicut Filij subditi inferioris Deo seruientis, & eius mandata obedientis, sicut dicit Apost. *Factus obediens*, & sicut ipse dicit, *Sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.*

Pater Vazquez supra *Quæst.* 20. *Disput.* 80. per totam intendit excludere Seruitutem à Christo, & quamuis *Cap.* 1. *Num.* 7. distinguat seruitutem mancipij, & subditi Inquit tamen, quod seruitus subditi est impropria, & mancipij est propria; & *Num.* 8. ibidem inquit, quod Controuersia est cum Elipando, An conditionem mancipij, & serui retinuerit humanitas Christi? Et *Cap.* 2. refert pro parte affirmatiua Elipandum, & Felicem Hæreticos, & post illos *S. Thom.* & quamuis dicat, quod Sententia *S. Thomæ* longe est à mente Elipandi, & promittit explicare *Cap.* 10. in illo tamen *Capite*, nec mentionem facit *D. Thomæ*. Exponit tamē alios Sanctos Patres asserentes Christum esse seruum, & expositio potius est contradictio. Igitur *Vazquez* per totam Disputationem loquendo communiter nomine *Serui*, intendit excludere seruitutem à Christo, etiam cum addito secundum humanam naturam.

Et Hoc Intendit probare esse diffinitum in Concilio Francofordiensi. Et notandū, quod neque *Vazquez* postea, nec Concilium verbis ab ipso adducendis, vtitur nomine *Mancipij*, & intentum eius est, quod eodem modo damnetur in Concilio seruitus, & adoptio in Christo, quia Elipandus seruum, & adoptiuum appellabat Christum, & quia neque Elipandus nomine *Mancipij* vtitur, solum nomine *Serui* damnatur à Concilio; & cum *S. Thomas* concedat

cedat Christum seruum ratione humanitatis, restat videre in quo sensu Concilium diffinit contra Elipandum, & quomodo non tetigit contra sensum *D. Thomæ*, & plurium Sanctorum Patrum *Augustini, Ambrosij, Athanasij, Cyrili, Chrysostomi, Hieronymi, Hilarij*, quos communiter referunt Moderni.

Igitur Vazquez Cap. 3. adducit ex Concilio in Epistola Adriani, vbi sic habetur: *Tanta nimirum vos temeritatis dementia deludit, vt adoptiuum eum Filium, & quasi purum hominem calamitati huic subiectum (& quod pudet dicere) seruum eum impij, & ingrati tantis beneficijs liberatorem nostrum non pertimescitis venenosa fauce iussurrare. Cur non veremini quaruli obtrectatores Deo odibiles illum Seruum nominare?* Et præterea ex Epistola Concilij vbi sic dicitur, *Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, quem Deum colimus, & adoramus, seruum prædicatis, & adoptiuum.* Ex quibus verbis *Vazquez* intendit probare, damnatum esse dicere, Christum esse seruum.

Respondetur, Quod Concilium solum damnat dicere Christum esse seruum absolutè, & ratione personæ; non vero solum ratione naturæ.

Contra Hanc Solutionem Replicat *Vazquez* ibidem *Cap.* 7. Nam Adrianus in sua Epistola inquit, *Et Deus, & homo erat, qui secundum Deum dicebat, Ego & Pater vnum sumus, & secundum humanitatem Pater maior me est; & tamen non ait Pater Dominus meus est.* Vbi expendendum, quod secundum humanitatem non dixit Pater Dominus meus est, vt notauit Pontifex; ergo nec secundum humanitatem Christus erat seruus.

Secundo Adducit Vazquez alia verba Pontificis in eadem Epistola dicentis, *Animaduertite, quod nihil vobis restat, vt secundum Diuinitatem tantummodo credatis dixisse Patrem, hic est Filius meus dilectus, ipse vtique vnus, proprius, & dilectus, & non seruus, & adoptiuus*; ergo non solum exclusit Pontifex dicere seruum secundum Diuinitatem, sed etiam secundum humanitatem.

Tertio Obijcit ex Epistola Concilij post medium, vbi sic habetur, *Quid est aliud dicere eamdem Virginem adoptiuum, vel seruum genuisse nisi negare Deum illum genuisse; si Deus generatus est, nequaquam adoptiuus, sed Filius, quia alia Persona est Persona Filij, alia adoptiui, vel serui.* Et paulo post *Credamus eum Dominum, non seruum; credamus eum omnia velle, quæ meliora sunt, omnia posse, quæ vult; quis negat meliorem esse proprietatem Filij, quam adoptionem?* Et concludit, *Cur non debuit ex meliori Filiorum dignitate, & multo excellentiori nostram sibi in vnitate Personæ assotiare humanitatem, quatenùs sua glorioſa, & propria nobilitate nostræ seruitutis redimeret ignobilitatem.* Denique aggregat *Vazquez* verba Caroli in sua Epistola ad Elipandum dicentis, *In forma Dei Creator, in forma Serui Redemptor.*

Respondetur ad omnia hæc Testimonia duplici Solutione. *Prima est iam data*, quæ est optima, scilicet, Quod Concilium damnat seruitutem in Christo ratione Personæ, iuxta sensum Nestorianum. Hanc Solutionem omittit *Vazquez* impugnare, quia inquit *Cap.* 4. quod in *Disput.* 89. demonstrabit, quod Elipandus non fuit Nestorianus, sed Nos ostendimus supra *Art.* 2. in sensu Nestorij impugnatum fuisse Elipandum à Concilio, verbis ipsius Concilij ibi allatis.

Nec Contra hoc faciunt verba, quæ adducit *Vazquez*, in quibus hæresis Elipandi dicitur noua, quia etiam dicitur antiqua. In *Libro enim Sacrosylabo Colum.* 3. sic dicitur, *Hæresim veternosam illustrium fortium, scilicet, virorum calcibus mirabiliter inculcatam; Catholicaque falce olim funditus destructã spinoso moliuntur recidiua radice suscitare destirpe.* Et ibidem Colum. 12. *Elipandum, & Felicem nouos hostes Ecclesiæ, sed veternosa face perfidiæ pollutos.* Ita ibi: Ex quibus satis patet, quod hæresis Elipandi ita dicitur noua, quod etiam fuit veternosa, & damnata antiquitus ab Ecclesia, & ideò dicitur noua, quia reuiuiscere facit mortuam hæresim, vt Concilium ait, vel in sensu Fotini propter adducenda, quæ excludunt seruitutem vt puri hominis, in vtroque excluditur seruitus ratione Personæ, quod est intentum huius Solutionis.

Igitur In Hac Solutione Dicimus, Quod Concilium damnauit in Christo seruitutem ratione Personæ. Et ad primum locum à *Vazquez* adductum *Respondetur*, Quod hæc solutio in eisdem verbis Pontificis habetur ibi, *Vt adoptiuum eum Filium, quasi purum hominem calamitati huic subiectum, & seruum, &c.* Vbi quasi purum hominem (inquit Pontifex) sed purus homo non est seruus ratione humanitatis solum, sed ratione Personæ; ergo si damnat dicentes Christum esse seruum quasi purum hominem, damnat dicentes esse seruum ratione

Per-

Personæ. Mirum est, quod *Vazquez* hoc non viderit in suo testimonio. Et in hoc etiam sensu damnatur filiatio adoptiua in hoc loco, iuxta dicta *Art.* 2.

Confirmatur Hæc Solutio verbis Pontificis in eadem Column. explicando testimonia adducta ab Elipando pro seruitute Christi, vbi sic ait, *Nam etsi in vmbra prophetiæ dictus est seruus propter seruilis formæ conditionem, quam sumpsit ex Virgine.* In quibus verbis admittit Pontifex nostram doctrinam. Prosequitur, *Sicut scriptum est, considerasti seruum meum Iob. Hoc nos intelligimus secundum Historiam de Sancto Iob allegoricè de Christo dictum. Nunquid propterea serui ei nomen imponere debemus, quia sub persona Iob Scriptura eum typicè designat. Hinc etiam alius Propheta, O Domine ego seruus tuus, ego seruus tuus, & Filius Ancillæ tuæ. Et rursus. Da imperium puero tuo, & saluum fac Filium Ancillæ tuæ. Et illud. Noli timere serue meus Iacob. Quæ cuncta, & iuxta litteram propheticè, & misticè reuelata nostri mediatoris designant Personam.* Ita Pontifex.

Vbi Clarè Ostendit, quod seruitus, quam negat est seruitus relata ad Personam *Iob, Iacob, Dauid* in Historia, & prophetia ad *Personam nostri Mediatoris*, & sic Pontifex vtrumque facit, & admittere, quod ratione humanitatis ex Virgine desumptæ dicatur Seruus, quia illa est *Forma serui*, & negare, quod *Ratione Personæ* dicatur seruus. Quod patet, tum ex ipsis terminis; tum, quia si Pontifex vellet impugnare seruitutem solum ratione naturæ, malè recurreret ad Personam, quia est diuersa, & quia erat clara responsio illi, quod hæreticus non de seruitute naturæ loquebatur, sed Personæ.

Nec Valet Si Obijciatur, Quod si Pontifex impugnaret seruitutem ratione Personæ, & non ratione naturæ, posset faciliter explicare illa testimonia de seruitute ratione naturæ, & non recurrere ad prophetiam, & figuram. Hoc inquam non valet, quia licet verum sit, quod si hæreticus loqueretur de seruitute naturæ, posset Pontifex respondere concedendo illam, sicut in principio concedit, & licet vt verum est, respondendo Hæretico loquenti de seruitute Personæ, posset Pontifex explicare testimonia de seruitute naturæ, & benè, & rectè responderet; tamen quia hæreticus intendebat seruitutem in Persona, & ad litteram testimonia illa de seruitute personarum intelligebantur in sensu Historico, ideò melius Pontifex explicat sensum Historicum, & misticum, & negat simul seruitutem à Persona Christi, vt in solutione verificaretur prius sensus Historicus, quia in Historia testimonia non poterant explicari de seruitute solius naturæ.

Ad Replicam Respondetur Primo, Quod si ibi Pontifex excluderet seruitutem, quæ est in inferioritate naturæ determinaret contra *Vazquez*, qui *Cap.* 1. hanc seruitutem non negat in Christo in quantum erat obediens, & Subditus Patri, sed solum dicit, quod est impropria acceptio seruitutis, & lata significatio. Nos vero intendimus esse propriam cum *D. Thoma* locis allatis.

Secundo Respondetur, Quod Pontifex ibidem excludit seruitutem ratione Personæ, quia immediatè ratione naturæ illam concedit; prosequitur enim sic, *Enim vero etiam in ipso Articulo passionis, in quo seruilis forma pati parata erat, non eum Dominum appellauit, sed Patrem.* Seruilem formam concedit Pontifex in Christo patiente, & hæc est humanitas, & tamen non vocauit, *Deum Dominum, sed Patrem*, quia quamuis esset Dominus comparatiuè ad formam seruilem, nō erat Dominus comparatiuè ad Personam. Et loquitur iuxta sensum absolutum, hoc est secundum dignitatem Personæ; vt inquit *D. Thomas*, quod intelligendæ sunt loquutiones absolutè, & loquutio de seruitute naturæ non debet esse absoluta.

Ad Secundum Locum Respondetur Primo, Quod ly *Secundum diuinitatem tantum, sed potius secundum humanitatem* refertur ad filiationem adoptiuam, quæ secundum humanitatem excluditur ibi, vt adduximus *Artic.* 2. *Concluſ.* 1. Postea vero post plura verba inquit absolutè Pontifex, Quod ipse est proprius, & dilectus, non seruus, & adoptiuus, & ex vi testimonij Patris, *Hic est Filius meus*, solum adoptio excluditur. Vel secundo quod ibi excluditur seruus secundum seruitutem peccati, de qua in sequenti Solutione.

Ad Tertium Locum Respondetur, Quod in eisdem verbis continetur solutio nostra ibi, *Quia alia Persona est Persona Filij, alia adoptiui, vel serui*, vbi clarè loquitur de seruo, quo ad Personam. Et similiter in alijs verbis, quæ adduntur, intelligitur in eodem sensu, quia dicitur, *Credamus eum non seruum.* Et redditur ratio, *Assotiari humanitatem in vnitate Personæ*, per quod solum excluditur seruitus Personæ. Et quando dicitur,

citur, *Quod sua gloriosa nobilitate nostræ seruitutis redemit ignobilitatem.* Certum est, quod refertur ad redemptionem, qua nos redemit de seruitute peccati, quæ non fuit in humanitate assumpta.

Ad Verba Caroli Respondetur, Quod sunt pro nobis ibi, *In forma serui redemptor.* Vbi satis denotat, quod humanitas adhuc existens in Christo, remaneat forma serui, non vt vult *Vazquez*, quod antea fuerat forma serui, & seruitutem amiserit per assumptionem à Verbo, siquidem in forma serui est redemptor.

Quæ Solutio etiam in eadem Epistola Concilij expressè habetur Colum. 8. circa illa verba Pauli, *Moysis quidem tanquam famulus, Christus vero tanquam Filius amplioris gloriæ iste præ Moyse dignus est habitus.* Prosequitur Pontifex, *Quomodo amplioris gloriæ si seruus sicut Moyses, vel ex seruo adoptiuus?* In quibus verbis duplex solutio satis declaratur Prima est ista ibi, *Si seruus sicut Moyses*; sed Moyses fuit seruus in Persona; ergo hæc seruitus excluditur à Christo. Secunda ibi, *Vel ex seruo adoptiuus.* Certum est, quod adoptio est per gratiam; ergo si transit ex seruo ad adoptionem est transire ex seruitute contraria gratiæ adoptionis, & hæc est seruitus peccati, quæ erit Secunda Solutio. De seruitute vero ratione naturæ, quam ponit *S. Thomas* in quantum est creata, non loquitur Concilium quando damnat *Seruitutem*, sed solum quando dicit *Forma serui*, & tunc approbat, & ideò ibidem *Colum.* 12. adducitur *Augustinus*, qui etiam adducetur à *D. Thoma* pro sua sententia dicens, *Dominus noster etiam in forma serui non seruus, sed in forma etiam serui Dominus fuit.* Vbi ponitur doctrina *D. Thomæ*, quæ vtrumque componit, scilicet quod cum forma serui non sit absolutè, & simpliciter seruus, sed Dominus, si autem reduplicaretur forma, quia illa est forma serui, esset seruus secundum quid, hoc est secundum formam.

Secunda Solutio Est, Quod excluditur *Seruitus* à Christo, quæ est per culpam. Probatur ex Epistola Concilij vbi Colum. 12. sic habetur, *Si ergo Deus verus, quomodo tunc potest adoptiuus esse, vel seruus? Deum enim nequaquam audetis confiteri seruum, vel adoptiuum, & si eum Propheta seruum nominasset, non tamen ex conditione seruituris, sed ex humilitatis obedientia, quia factus est Patri obediens vsque ad mortem, Papa Leone dicente, assumpta est de Matre Domini natura, non culpa; creata ex forma serui sine conditione seruili.* Vbi admittitur seruitus ex humilitatis obedientia, quæ est propria creaturæ, & humanitatis, quæ dicitur forma serui, negatur tamen seruitus per culpam ibi, *Non culpa*; & conditio seruilis eiusdem culpæ.

Præterea Prosequitur Concilium Colum. Sequenti, *Sed & hoc volumus à vobis audire, An Adam primus humani generis Pater de terra Virgine creatus est, liber esset conditus, siue seruus? Si seruus, Quomodo tunc imago Dei? Si liber, Quare & Christus quoque non ingenuus de Virgine, meliori quidem terra etiam animata, & immaculata, Spiritu Sancto operante, factus est homo, dicente Apostolo factus est Primus homo de terra terrenus. Secundus de cœlo cœlestis? Si terrenum liberum confitemur, Quare non multo magis cœlestem liberum confitemur? Vnde Adam fuit seruus factus, nisi ex peccato, Apostolo Petro attestante, Qui peccatum facit seruus est peccati? Christus autem non fecit peccatum, & ideò seruus non est peccati, sed magis liberator, & redemptor eorum, qui serui sunt peccati.*

Quæ Verba tam clara sunt ad excludendam seruitutem peccati à Christo, vt non egeant ponderatione nostra, & etiam consequenter Concilium excludit seruitutem respectu hominum, & Angelorum.

Vazquez Cap. 4. obijcit contra hanc Authoritatem Concilij Authoritatem Elipandi, inquit enim, quod Patres Concilij viderunt Libellum Elipandi, & non potuerunt Sententiam Elipandi falsò intellectam impugnare, & addit, quod Elipandus non fuit tam hæbes ingenij, nec tam impudens, & blasphemus in Christum; & quis audeat Elipandum inter impudentissimos hæreticos enumerare? Et adducit verba confessionis Elipandi, quæ non sunt ad intentum. Non est nouum in hoc Patre ingenia hæreticorum defendere.

Respondetur Facile, quod Patres Concilij viderunt Libellum Elipandi, vt Ipsi testantur, & illum impugnant, & cum illo loquuntur ibi, *Volumus à vobis audire, &c.* Et Pontifex satis denotat impudentiam Elipandi dum inquit, *Et quod pudet dicere seruum non pertimescitis, &c.* Si pudet referre impudens est relatum. In Lib. Sacrosylabo dicitur, Quod Epistola Elipandi *Est plena blasphemijs* Colum. 2. & Colum. 7. *Si iuxta vestram vesaniam*, & Colum. 12. *Nisi ab hac stultitia resipiscant.* Et in Epistola Concilij Co-

Colum. 7. *Tam ridicula est, tam stulta huius sententiæ expositio apud vos. Vazquez* videat si est hæbes ingenij Elipandus in æstimatione Concilij. Et Colum. 3. dicitur, *Ecce prauitas omni tergiuersatione deterior.* Et Columna 7. in eadem Epistola Concilij adducuntur verba Hieronymi sic, *Vbi est inquit serpens Arrius, vbi Eunomius coluber, neque vero alium Iesum Christum alium Verbum dicimus, vt noua hæresis calumniatur in vtraque natura esse Vnigenitum, & Primogenitum, non adoptiuum, neque ex eo fratres nominari, vt Heluidius blasphemat.* Vbi inter impudentissimos hæreticos cõputatur Elipandus, immo & eius hæresis deterior iudicatur. Et Pontifex, *Tanta dementia vos deludit.* In verbis à *Vazquez* allatis peior est dementia, quam stultitia.

Hæc Manifestant veritatem doctrinæ *D. Thomæ* hic *Art. 4. ad 3.* constituentis differentiam inter *Seruitutem*, & *Filiationem* adoptiuam, quam *Vazquez* dum verbis profitetur veram, impugnationibus calumniabatur.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Quod Christus in quantum homo non est Filius naturalis Totius Trinitatis.

Secunda Difficultas, quæ tangitur in Titulo Articuli est, Si Christus est Filius naturalis respectu Totius Trinitatis? Ratio dubitandi est, Quia relatio Filij est ad Patrem, sed in quantum homo est effectus Totius Trinitatis, quia in quantum homo constituitur per vnionem duarum naturarum in vna Persona, & illa vnio est aliquid creatum, vt habet *S. Thomas* supra *Quæst. 2. Art. 7.* Ergo Christus in quantum homo respicit Totam Trinitatem, quia omnis effectus ad extra est à Tota Trinitate. Ergo si Christus in quantum homo est Filius naturalis Dei erit Totius Trinitatis, & non solius Patris.

Confirmatur. Si Spiritus Sanctus fieret homo, vel esset Filius adoptiuus, vel naturalis: si adoptiuus, etiam Christus, quod est contra dicta: si naturalis, quia haberet ius naturale ad gloriam, quia esset homo Deus, non esset Filius solius Patris, quia non est genitus ab illo. Ergo Totius Trinitatis. Ergo similiter Christus.

Pater Vazquez hic *Disp. 89. Cap. 143* & *Suarez Disput. 49. Sect. 1.* tenent, quod esset Filius totius Trinitatis. Fundamentum est ratio posita. Dupliciter enim (dicunt) potest aliquis esse Filius naturalis. Primo modo per naturalem generationẽ, per quam Filius accipit naturam à Patre. Secundo modo per vnionem substantialem cum Persona Filij. Hoc secundo modo Christus dicitur Filius naturalis in quãtum homo, & quia vnio est à tota Trinitate, Christus in quantum homo dicitur Filius totius Trinitatis; non secundum speciales proprietates personarum; sed secundum Diuinitatem communem tribus personis. Adducunt Adrianum in sua Epistola sæpiùs citata in præcedentibus super illa verba Matthæi 17. *Hic est Filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Vbi inquit Pontifex, quod referuntur ad Totam Trinitatem.

Sed Pontifex ad Totam Trinitatem refert illud Verbum *Complacui*, quia inquit, *In homine Christo tota complacuit Trinitas*, sed hoc non est dicere, quod sit Filius totius Trinitatis, esse vero Patrem totam Trinitatem nullibi dicit Pontifex, quidquid dicat *Vazquez*, non enim adducit verba, quæ hoc significent.

Fundamentum Etiam Nullum Est. Quia licet verum sit principium, quod filiatio naturalis potest esse duplici modo dicto, aut per generationem, aut per vnionem: falsum est tamen, quod causa vnionis dicatur Pater, & quod vnitum dicatur Filius. Solum enim dicitur effectus, & habebit relationem effectus ad causam, non relationem Filij ad Patrem, quia non omnis causa est Pater, neque effectus Filius, nisi largo modo, & per vnionem ad Filium ponitur ratio Filij. Ergo si vnio fiat Personæ Spiritus Sancti, qui non est Filius, non sequitur esse Filium naturalem: ergo malè, & incõsequenter arguit *Vazquez*, quod si Spiritus Sanctus fieret homo esset Filius naturalis, quod impugnauimus tanquam temerarium ad minus in *Materia de Trinitate.* Vide *Disput. 12. Art. 7. Num. 36.* & sequẽtibus. Et ideò omisso hoc puncto de Spiritu Sancto, solum hic de Christo probabimus, quod ex illo ad istum locum tanquam ad proprium referuauimus.

In Primis Authoritate Concilij Toletani 11. vbi ex Augustino adducitur, quod illa verba, *Hic est Filius meus dilectus, sunt* de

de Patre Æterno intelligenda. Et addit Concilium, *Neque enim Iesus, etiam Spiritus Sancti Filius, aut suus etiam Filius credi, aut intelligi potest.*

Respondet Vazquez, Concilium loqui de filiatione ratione æternæ generationis, nō ratione sanctificationis, & quod Adrianus ad filiationem Christi secundum humanitatem retulit.

Contra. Concilium Toletanum expressè dicit *Iesus*, Iesus autem non est solum Persona in generatione æterna, sed incarnata; & valde ineptum erat dicere, quod Filius in generatione æterna non erat Filius sui ipsius, neque Spiritus Sancti. Intelligit ergo Concilium secundum humanitatem, sicut etiam Adrianus, qui non retulit filiationem ad Trinitatem, vt dictum est.

Confirmatur ex omnibus locis allatis *Art.* 2. ante Primam Conclusionem, vbi Concilium excludit duos filios, non solum in sensu Nestoriano, sed affirmando, quod est vna persona, & vnus Filius Dei ex *Deo Patre, & ex Virgine Matre.* Sed in hac sententia ponitur duplex filiatio, vna ad Patrem Æternum in persona, quia illa non amissit per Incarnationem; alia ad totam Trinitatem ratione vnionis, & hæc duplex filiatio distincta est, & distinctæ rationis; ergo constituit diuersum Filium etiam diuersæ rationis. Ergo sunt duo Filij in Christo in vna Persona; sed Concilium dicit vna Persona, & vnus Filius in Christo, In Lib. Sacrosylabo Colum. 8. & in Epistola Adriani Colum. 4. *Siquis introduxit duos filios, vnum quidem, qui ex Deo Patre, secundum vero qui ex Matre, alienum eum à nostro consortio iudicamus.* Loquitur respectu Dei; sed in hac sententia ponuntur duo Filij Dei, vnus ex Patre, alius ex Matre, quamuis in eadem Persona secundum diuersas filiationes diuersæ rationis, quia implicat duas filiationes respectu Dei non constituere duos filios Dei distinctos secundum distinctionem filiationis; ergo hæc Sententia est contra Concilium.

Confirmatur Secundo. Illa filiatio ad totam Trinitatem vbi subiectatur? *Suarez* Respondet, quod in Persona, & quod est rationis; ergo sola Persona est Filius totius Trinitatis. *Vazquez* autem dicens, quod hæc filiatio est vnio passiua cum illa realiter subiectetur in humanitate, dicit quod filiatio est in humanitate. Ergo humanitas erit filia, quod est alienū à recta Philosophia, & à fortiori ponetur duplex Filius realiter distinctus vnus ratione Personæ, alius ratione humanitatis.

Vltimo Confirmatur. Non potest negari in hac sententia duplex Pater Diuinus respectu Christi, Vnus Prima Persona secundum rationem relatiuam, alius tota Trinitas, vel Deus secundum rationem absolutam; ergo duplex Filius. *Patet Consequentia.* Quia Pater, & Filius correllatiua sunt, quod sapit modum loquendi Hæreticorum.

Secundo Principaliter. Quia Apostolus ad *Hebræos* 1. refert verba illa *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, & explicat de Deo Patre respectu Christi, sicut & omnia alia testimonia, quæ ibi adducit ad explicandam excellentiam Christi, in quantum Filij super Angelos. Ex quo fit Argumentum destructiuum fundamenti contrarij, & rationis eius. Illa vox *Filius meus es tu* dicta fuit per Prophetam à tota Trinitate; ergo tota Trinitas etiam protulit alia verba, *Ego hodie genui te.* Ergo si est Filius totius Trinitatis, est genitus à tota Trinitate, quia illud pronomen *Ego* refert illud antecedens, scilicet, ille qui dixit *Filius meus es tu.* Et saltim, quia est vox prolata ad extra sicut in Iordane, & in Thabor erit vox totius Trinitatis hic sicut ibi: ergo verificabitur, quod tota Trinitas genuit Christum, quod tamen negat *Vazquez*, & patet esse falsum, quia tota Trinitas, non habet actionem generatiuam naturalem, neque ad intra, neque ad extra; ad intra est de fide; ad extra, etiam debet esse certum, quia creatio non est generatio, nec productio vnius ex alio, non est generatio naturalis tanquam Filij naturalis in rigore, aliàs omnes creaturæ essent Filij Dei rigorosè. Ergo cum solum sit actio vnitiua, quæ non habet rationem generationis, vnitum formaliter, prout vnitum, non potest habere rationem Filij.

Quod Euidenter ostenditur ex principijs naturalibus. Nullus est Filius, qui non sit genitus, quia genitus est prædicatum superius essentiale; licet enim aliquid sit genitum, & non sit Filius, sicut vermis, fructus arborum, &c. tamen nullus est Filius, qui non sit genitus sicut nullus est homo, qui non sit animal, & nullus est genitus, qui non est terminus generationis. Ergo si Christus habet filiationem distinctam à filiatione Personæ, vt comparatur

ad totam Trinitatem, debet esse genitus à tota Trinitate generatione distincta à generatione Personæ, & sic actio vnitiua debet esse generatio; vel si non, non ponit filiationem distinctam.

Veritas ergo est, quod illa vnio est à tota Trinitate; falsum tamen est, quod tota Trinitas sit Pater, & quod Christus ratione Incarnationis sit Filius totius Trinitatis, & habeat filiationem distinctam à filiatione Personæ; sed solum habet filiationem Personæ, quam habet per generationem æternam, respectu solius primæ Personæ, scilicet, Patris Æterni; illa tamen filiatione humanitati vnita est Filius etiam in humanitate, sed respectu solius principij generantis. Vnio tamen facta à tota Trinitate constituit effectum, & sic in quantum vnitum habet relationem effectus ad totam Trinitatem tanquam ad causam. Per quod euanescit totum fundamentum contrarium.

Et Per Hoc Soluitur Ratio dubitandi à principio posita; per eamdem enim relationem, per quam Verbum ab Æterno refertur vt Filius in natura Diuina ad Patrem Æternum, refertur in natura humana ad eumdem Patrem Æternum, quia per Incarnationem est Filius in natura humana Æterni Patris, qui erat Filius antea solum in natura diuina. Et per hoc est vera illa doctrina, quod quis potest esse Filius per generationem, & per vnionem; sed in hoc sensu per eamdem filiationem vnitam erit Filius in natura, quæ vnitur, & respectu eiusdem Patris, & sic Verbum Diuinum per Vnionem est Filius in natura humana tanquam per actionem applicantem filiationem præcedentem, non tanquam per actionem facientem, vel tribuentem aliam filiationem. In quo valde decepti sunt Authores oppositæ sententiæ.

Ex Quo Sequitur, Quod sicut Christus est Filius in duplici natura, scilicet in Diuina, & humana, habet hæreditatem etiam in vtraque natura, iuxta conditionem, & proportionem vtriusque naturæ, & hæreditas est beatitudo, & gloria, & ad hæc cõsequuntur. Et vt Filius in natura Diuina habet beatitudinem increatam, infinitam, immensam, in eadem æqualitate cum Patre; in natura vero humana habet hæreditatem beatitudinem creatam, finitam iuxta proportionem naturæ humanæ; quamuis hoc in summo gradu, iuxta dicta de Intensione gratiæ supra *Quæst.7.*

Hæc Sententia est expressa *D. Thomæ* infra *Quæst.33. Art.3.* in Corpore vbi sic habet, *Christus autem est Filius Dei secundum perfectam rationem filiationis: vnde quamuis secundum humanam naturam sit creatus, & iustificatus; non tamen debet dici Filius Dei, neque ratione creationis, neque ratione iustificationis, sed solum ratione generationis æternæ, secundum quam est Filius Patris solius, & ideò nullo modo debet dici Christus Filius Spiritus Sancti, neque etiam totius Trinitatis*, vbi clarè contrariam Sententiam exclusit.

Respondet Vazquez, Quod *Sanctus Thomas* intelligitur de filiatione ratione creationis, vel iustificationis per gratiam habitualem, quæ est filiatio adoptiua. Sed hæc explicatio nullius momenti est, quia *Sanctus Thomas* concludit *Nullo modo debet dici Christus Filius Spiritus Sancti, neque etiam totius Trinitatis*, quæ est negatiua vniuersalis excludens omnem modum filiationis.

Præterea Sanctus Thomas supra *Quæst. 3. Artic.5. ad 2.* sic habet, *Sicut Filio Incarnato, adoptiuam filiationem accepimus ad similitudinem filiationis naturalis eius; ita Patre Incarnato adoptiuam filiationem reciperemus ab eo, tanquam à principio naturalis filiationis, & à Spiritu Sancto, tanquam à nexu communi Patris, & Filij.* Vbi expressè *Sanctus Thomas* asserit, quod si Pater assumeret carnem, non esset Filius, sed esset Principium Filij, quod est dicere, quod sicut de facto in Christo verificatur, quod hic homo est Filius, ita tunc verificaretur, quod ille homo esset Pater; & si Spiritus Sanctus fieret homo, ille homo esset amor Diuinus. Cuius contrarium tenet *Vazquez* dicendo, quod essent Filij naturales totius Trinitatis per gratiam Vnionis, sicut Christus, & sic in vanum laborat explicare *Diuus Thomas*, vt ostendat non esse contrarium suæ sententiæ.

Ex Quo Patet ad Confirmationem positam in principio Difficultatis, Quod in casu quo Spiritus Sanctus fieret homo, neque esset Filius naturalis, neque adoptiuus; & quamuis haberet ius naturale ratione Personæ Diuinæ ad hæreditatem in humanitate, non inde sequitur, quod sit Filius, quia multi non Filij habent ius ad hæreditatem alterius, qui non est Pater in humanis, & in diuinis ipse Spiritus Sanctus ex vi spirationis habet ius ad beatitudinem increatam, seu illi connatu-

naturaliter debetur increata beatitudo in natura Diuina; & tamen non est Filius. Et sic similiter si fieret homo, illud ius communicaretur humanitati, cui deberetur beatitudo creata sine filiatione.

Ex His Etiam Sequitur, inconueniens contra Sententiam *Vazquez*, Quod si Christus esset Filius naturalis totius Trinitatis esset Filius sui ipsius, & Spiritus Sancti, quod videtur falsum, est enim contra lumen naturæ, quod idem sit Filius, & Pater.

Respondet Vazquez Cap. 14. citato *Numer.* 86. Quod non debet concedi absolutè, quod Christus est Filius sui ipsius, benè tamen cum addito, quod Verbum in quãtum Deus est Pater sui ipsius in quantum homo, sicut dicitur Deus sui ipsius. Sed hæc solutio nulla est, quia Deitas refertur ad naturam, & filiatio ad suppositum, & implicat quod idem suppositum sit Pater, & Filius sui ipsius, etiam in diuersa natura, quia diuersitas naturæ non facit diuersitatem suppositi, & filiatio semper est ad suppositum, & sic implicat in eodem suppositio filiatio, & Paternitas.

De Spiritu Sancto Idem inquit, ne demus occasionem existimandi duos esse Patres in loquutione absoluta; cum addito tamen concedit, quod Christus in quantum homo potest dici Filius Spiritus Sancti. Sed hoc propter eamdem rationem est falsum, quia humanitas non est filia, sed Persona est Filius, & Filius originatur in Patre, & Pater non est natura, sed Persona, & sic Persona Filij originaretur in Persona Spiritus Sancti, quod est contra fidem; ideò enim Filius quantum ad originem missionis, dicitur mitti à solo Patre, quamuis terminus missionis sit à tota Trinitate, & si Spiritus Sanctus esset Pater, ratione missionis, vel aduentus Christi, seu vnionis in humanitate initium missionis haberet originem in Persona Spiritus Sancti, aliàs non esset Pater secundum missionem, si missio non originatur in ipso, & si originatur est per aliquam actionem sicut in Patre, quod alienum est à fide. Igitur hæc sententia plena est inconuenientibus, & omni probabilitate caret. Quando autem dicimus, quod Pater, vel Spiritus Sanctus si fieret homo non esset Filius, intelligitur respectu Dei, vel totius Trinitatis. Benè tamen posset esse respectu Matris, quamuis posset ex non Matre assumere carnem, sicut Adam, & tunc nullo modo esset Filius, vt habet *D. Thom. in 3. Distinct. 1. Quæst. 2. Art. 3. ad 1. & ad Anib. ibi Art. 4. ad 1.*

QVAESTIO XXIV.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI.

POstquam *Sanctus Thomas Quæst. Præcedenti* excluſit à Chriſto Domino Filiationem adoptiuam, In hac Quæſtione tractat de eius Prædeſtinatione, quæ erat ſecundum ex his, quæ conueniunt Chriſto per comparationem ad Patrem ſecũdum habitudinem Patris ad Ipſum, & quamuis Prædeſtinatio conueniat Chriſto ſecundum humanitatem, quæ eſt eiuſdem rationis in Chriſto, & in nobis, tamen Prædeſtinatio eſt diuerſæ rationis, vt dicit *S. Thom. Art. 1. ad* 1. Et Ratio eſt. Quia Prædeſtinatio noſtra eſt ad filiationem adoptiuam, ſecundum illud ad Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum.* Prædeſtinatio verò Chriſti eſt ad filiationem naturalem, vt idem Apoſtolus inquit ad Rom. 1. *Qui Prædeſtinatus eſt Filius Dei in Virtute*, & ideò quamuis 1. *Part. Quæſt.* 23. egerit de Prædeſtinatione hominum, hic neceſſarium erat agere de Prædeſtinatione ſecundum proprium eius, & vt differt à Prædeſtinatione aliorum. Et hanc Quæſtionem in Quatuor Articulos diuidit, in duobus primis agit de illa ſecundum ſe, & in duobus vltimis de illa per comparationem ad aliorum Prædeſtinationem.

EXPOSITIO LITTERÆ.

In Primo Articulo determinat *Sanctus Thomas*, Quod ipſum eſſe Chriſti, ſeu hoc Vnitum, vel coniunctum ex Perſona Verbi, & humanitate fuit Prædeſtinatum, quod probat in Corpore. Quia talis Vnio eſt effectus ſupernaturalis, & cõſequenter debet cadere ſub Prædeſtinatione, quia nihil eſt in tempore, quod Deus ab Æterno non præordinauerit ſe facturũ, quia aliàs ſequeretur diuinæ menti aliquid de nouo accidere. In Solutionibus verò Argumentorum determinat quomodo Prædeſtinatio Chriſti ſit ad filiationem naturalem Dei, & per conſequens quod eſt diuerſæ rationis à noſtra, & quod non conuenit humanitati, ſed illi vt homini,

vt

vt exponit verba Apost. ad Roman. 1. *Qui Prædestinatus est Filius Dei in virtute* secundum quod factus est homo, & ideò ponit antecessionem in hoc, quod est fieri hominem, ad hoc quod est iam factus homo, est prædestinatus Filius, quæ antecessio solum est secundum rationem, quia est conditio ad prædestinationem requisita, quod subiectum præcedat terminum, & sic ponit vtrumque effectum Prædestinationis, scilicet fieri hominem, & vt hominem factum, prædestinari ad esse Filium, non tamen verificatur quod sit *Factus Filius*, quia participium *Factus* non appellat, sicut participium *Prædestinatus*, quia non explicat actum animæ interiorem; nam fieri pertinet ad ipsam rem secundum quod in se est, & Suppositum Christi non incæpit esse Filius, nec potuit fieri Filius, quia etiam Fieri denotat mutationem in termino, quam non denotat participium *Prædestinatus*.

In Secundo Articulo cum reduplicatione determinat *S. Thom.* Quod est vera hæc propositio, Quod Christus secundum quod homo est Prædestinatus Filius Dei; & in Corpore explicat occasione huius, quomodo in hac singulari Prædestinatione Christi reperiantur aliæ duæ conditiones necessariò requisitæ ad prædestinationem, vt sit vera, & propria Prædestinatio. *Prima*, Quod effectus subsequatur Prædestinationem tanquam quid temporale. *Secunda*, Quod sit donum Dei gratuitum; & vtraque conditio verificatur de Christo ratione naturæ humanæ, quia non semper fuit Vnita Verbo, sed incæpit in tempore, & quia per gratiam est ei collatum vt Filio Dei in Persona vniretur. Ex quo infert *Sanct. Thom.* Quod ratione naturæ humanæ conuenit Christo Prædestinari, & per consequens secundum quod homo est Prædestinatus.

In Solutionibus Argumentorum docet, Quomodo sit intelligenda hæc doctrina, scilicet quod non conueniat ratione naturæ humanæ, quod sit Filius Dei, quia hoc conueniret omni habenti naturam humanam, sed quod sit capax, vt ratione naturæ humanæ dicatur terminare actum Prædestinandi, & recipere gratiam Prædestinationis, & quod non ita propriè dicatur, quod Christus secundum quod Filius Dei est prædestinatus esse homo.

In Tertio Articulo resoluit *Sanct. Thom.* Quomodo Prædestinatio Christi sit nostræ Prædestinationis Exemplar, considerata prædestinatione secundum illud ad quod aliquis prædestinatur. Et prout sic dupliciter docet verificari. *Primo*, Quia ipse est Prædestinatus ad hoc, vt esset Filius Dei naturalis, Nos vero prædestinamur ad filiationem adoptiuam. *Secundo* ex parte modi, quia in Christo nullis præcedentibus meritis natura humana est Vnita Filio Dei, Nos verò ex meritis eius, quia *De plenitudine gratiæ eius nos omnes accepimus.*

In Quarto Artic. resoluit *Sanct. Thom.* Quomodo Prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis, non ex parte actus diuini sumpta prædestinatione, quia actus diuini non datur causa, & quia eodem actu Deus prædestinauit Ipsum, & nos, sed ex parte termini prædestinationis, quia ab Æterno Deus præordinauit nostram salutem prædestinando, vt per Iesum Christum compleretur, sicut inquit Apostolus ad Ephes. 1. *Prædestinauit nos per Iesum Christum.*

DIS-

DISPVTATIO XX.

DE PRÆDESTINATIONE CHRISTI SECVNDVM SE.

ARTICVLVS I.

Vtrùm Vnio Hypostatica, & extrema Vnita cadant sub Diuina Prædestinatione?

ARticulus iste quasi præambulus necessariò præmittendus videtur ad explicandum punctum difficilius Prædestinationis Christi, & alia ex illo consequentia, vt videbitur in Articulis Sequentibus. In titulo huius Tria insinuantur, de quibus potest esse difficultas. *Primum est*, ipsa Vnio, seu ipsum Vnitum, quod est compositum ex Persona Verbi, & humanitate, & est quasi inquirere, si hoc Vnitum cadit sub diuina Prædestinatione, quod explicatur, An scilicet hoc complexum *Deum factum esse hominem in tempore*, sit obiectum prædestinatum à Deo ab Æterno? *Secundum est*, Vtrùm verificetur, quod principale extremũ huius Vnionis, vel compositi, scilicet Persona Filij Dei sit prædestinata esse homo? *Tertium est*, de alio extremo, quod est humanitas, An verificetur, quod fuit prædestinata, vt assumeretur à Verbo, vel ad Vnionem cum Verbo.

Quibus Suppositis Dico Primo. Filius Dei, seu Verbum ab æterno fuit prædestinatum esse homo. Hæc Conclusio debet admitti cum isto addito, *Esse homo*, vel *Fieri homo*, vt inquit *Suarez* hic *Disput.* 50. *Sect.* 1. *Concluſ.* 4. Et est expressa Sancti Thomæ hic Art. 2. ad 3. vbi inquit, *Potest dici, scilicet, quod & Filius Dei Prædestinatus sit esse homo.* Ita ibi Vbi clarè tenet Conclusionem. Et in 3. *Dist.* 7. *Quæst.* 3. *Art.* 2. *Quæstiunc.* 1. in fine Corporis inquit, *Conceditur, quod Filius Dei est Prædestinatus esse homo, quia hoc ab æterno præordinatum est.* Idem habet ad 2. & ibidem *Quæstiunc.* 3. *in Corp.* sic habet, *Hæc, Filius Dei est prædestinatus in quantum homo, est vera*, ita ibi. Et vt patet in Titulo Quæstiunculæ Sermo erat de Prædestinatione simpliciter, & intendebatur quod simpliciter esset falsa hæc, *Filius Dei est Prædestinatus*, & *Sanct. Thom.* hoc concedit sumpta sine addito, & cũ addito est vera.

Probatur Ratione Sancti Thomæ in Quæstiunc. 1. proximè cit. in Corp. *Prædestinatio importat ordinem ad finem; quando autem simpliciter ponitur, intelligitur præordinatio ad finem vltimum; quando autem additur aliquid, importat præordinationem tantum ad id quod adiungitur; ergo per hunc modum debet concedi, quod Filius Dei est prædestinatus esse homo.* Patet Consequentia ex Antecedenti. Quia per illud additum *esse homo* non determinatur aliquid quod sit finis vltimus, vt coniunctio per gratiam, & gloriam, neque Vnio ad Personã, quod conuenit homini, vel humanitati, sed explicatur quidam terminus immediatus talis Prædestinationis, qui Personæ conuenire potest, scilicet vniri humanitati, tanquam suppositum illam terminans.

Dices: An sit vera ista, *Filius Dei est prædestinatus ad Vnionẽ humanitatis*, quia videtur idem esse Prædestinatus esse homo, & Prædestinatus ad Vnionem, quia idem est atque ad esse homo?

Resp.

Respondetur cum *Sancto Thoma* in 3.ad Anibaldum Dist.7. Quæst.Vnica Art.4. ad 3. *Quod hæc propositio, Filius Dei est Prædestinatus esse homo, distinguenda est, quia potest notari antecessio respectu subiecti, vel respectu prædicati, vel respectu totius copulati; in primo sensu est falsa, in duobus reliquis est vera, & ideò potius iudicanda est vera, quam falsa.* Hæc *Sanct.Thom.* Ecce sensum in quo ponitur à nobis hæc propositio tanquam vera, sicut ponitur à *Sancto Thoma* hic, & in alijs locis citatis. Si tamen intelligatur, ita vt denotetur antecessio respectu subiecti est falsa, vt inquit *Sanct.Thom.* & iste videtur sensus dicēdo *Prædestinatus est ad Vnionem*, quia propter ly *Ad* denotatur, quod Vnio tenet se solum respectu termini, vel prædicati, & sic denotatur antecessio in ipso Filio Dei, ponendo solum illum ex parte subiecti, & sic videtur neganda, & nullibi inuenitur in *Sanct.Thom.* affirmata. Immo in eodem 3. *ad Anibald. Dist.*10. *Quæst. Vnica Art.*4. *in Corp.* inquit, *Præparari ad gratiam Vnionis Personæ non conuenit secundum se, sed in quantum est suppositum humanæ naturæ.* Ita ibi. Vbi negat illam cum illa particula *Ad gratiam Vnionis*, & concedit, *Vt Suppositum*, quia vt sic est in sensu nostræ Conclusionis, & *Esse homo* ponitur etiam ex parte subiecti prædestinationis, in quo inferioritas, & posterioritas reperitur cōparatiuè ad Prædestinationem, vt postea dicemus.

Dico Secundo. Hæc est vera, *Humanitas est prædestinata ad Vnionem cum Persona Verbi.* Hæc etiam est *Sancti Thomæ* hic Art.1. ad 2. vbi inquit, Quod illa Opinio Glossæ ab ipso allata ibidem, quæ asserebat Prædestinationem intelligendam esse de natura posse explicari sic, *Prædestinatum est, vt humana natura vniretur Filio Dei in Persona.* Vbi *Sanct.Thom.* admittit illam Opinionem in hoc sensu, sed illam impugnat tanquam impropriam, & extortam expositionem Verborum Apostoli Rom.1. *Qui prædestinatus est Filius Dei*, vt mox respondendo impugnationibus *Vazquez* dicemus. Et Artic.2. ad 3. inquit, *Quia tamen gratia non est facta Filio Dei, vt esset homo, sed potius humanæ naturæ, vt Filio Dei vniretur, magis propriè potest dici, quod Christus secundum quod homo est prædestinatus.*

Et in 3. *Dist.*10. *Quæst.*3. *Quæstiunc.*1. in qua per totam disputat hanc Conclusionem, & expressè in *Argument.*2. *Sed Contra*, & *in Corp. Quæstiunc.* & ad 1. Sequuntur etiam communiter Theologi, Antiqui, & Moderni, *Durandus in* 3. *Distin.*7. *Quæst.*3. *Num* 9. *Palud. Quæst.*3. *Artic.*3. *Conclus.*1. *Scotus Quæst.*3. *Richard. Artic.*2. *Quæst.*4. *Gabriel Dist.*10. *Quæst. Vnic. Art.*3. *Dub.*2. *Maior. Quæst.*1. *Bonauentura Dist.*10. *Artic.*2. *Quæst.*3. Et Commentatores *S.Thomæ* in hac Quæstione *Medina, Suarez Sect.*4. *Cabrera Disp.*1. § 6. & alij.

Probatur Ratione Sancti Thomæ, quam *Vazquez Disp.*90. *Cap.*4. *Num.*29. potius voluit tribuere *Scoto*, quam *S.Thomæ*, qui in *Quæstiunc.*1. *citat. in Argument.*1. *Sed contra* sub his terminis illam proponit: *Ex hoc aliquis prædestinatur, quod præuidetur Deo vniendus per gratiam Vnionis; sed humana natura ab æterno est præuisa Deo vnienda per gratiam Vnionis; ergo humana natura est prædestinata in Christo.* Ita ibi. Maior colligitur ex definitione Prædestinationis.

Confirmatur Primo ex Corp. eiusdem Quæstiunc. vbi ait, *Prædestinatio secundum quod propriè accipitur importat ordinem ad gratiam, gratia autem creaturæ facit Vnionē ad Deum, quæ Vnio est duplex, aut per operationem, vt cognoscendo, & amando, & hoc modo nos vnimur Deo, alio modo in Persona, & hoc modo humana natura fuit vnita Deo.* Iste est discursus *Sancti Thomæ*, qui sic reductus ad formam conuincit Conclusionem. Homines non aliter prædestinantur à Deo nisi quatenus præordinātur ab æterno ad Vnionem cum Deo per gratiam habitualem; sed gratia Vnionis in Persona non est minor, nec minus perfecta in ratione Vnionis cum Deo; ergo quidquid præordinatum fuerit à Deo, vt vniatur ipsi per gratiam Vnionis in Persona, non minus, nec minus propriè erit prædestinatum, quam homines: sed huiusmodi est natura humana; ergo. *Probatur Min.* Quia de facto natura humana est vnita; ergo de facto fuit præordinata à Deo ad hanc Vnionem; ergo non solum de possibili potuit prædestinari ad hanc Vnionem, sed de facto fuit prædestinata. *Patet Consequentia.* Non aliter homines sunt prædestinati ad gloriam, nisi quia sunt præordinati ad illam; ergo similiter humanitas si est præordinata ad Vnionem est prædestinata ad illam. *Consequentia tenet*, Tum à priori, à diffinitione ad diffinitum. Tum à paritate aliorum.

Confirmatur Secundo ex *Sanct.Thom. in* 3. *ad Anibald. Dist.*10. *Quæst. Vnic. Art.*4. *in Corp.*

Corp. vbi inquit, *Prædestinari est ad gratiam præparari; hoc autem dupliciter est, vel ad gratiam adoptionis, vel ad gratiam Vnionis. Præparari ad gratiam adoptionis conuenit alijs, non Christo: præparari verò ad gratiam Vnionis conuenit naturæ, quæ est vnita, &c.* & postea, *Ideò prædestinatio potest vtrique conuenire in Christo, sed primo, & principaliter naturæ*, ita ibi. Vbi ponit expressè Conclusionem, quod naturæ conuenit primo, & principaliter prædestinari ad gratiã Vnionis, quod idem est atque ad Vnionem, & hoc infert ex antecedenti, quæ est diffinitio Prædestinationis. Omnes rationes, quæ à Modernis pro ista Conclusione adducuntur, ad istas *Sancti Thomæ* reducuntur.

Dico Tertio. Vnio Hypostatica, seu hoc Vnitum, vel complexum, *Verbum factum est caro*, seu *Deus factus est homo*, prædestinatum est ab æterno à Deo. De hac Conclusione non est dubium inter Authores, vt Ipsi fatentur locis inferius citandis. Est expressa *Sancti Thomæ* hic *Artic.* 1. *in Corp.* & *Artic.* 2. *ad* 3. expressè asserit, *Illa susceptio sub Prædestinatione cadit tanquam gratuita*; loquitur de susceptione de qua Augustinus ibidem allatus inquit, *Quod est ineffabiliter facta homini à Deo Verbo.* Et in 3. Dist. 10. Quæst. 3. Quæstiunc. 1. ad 1. Vbi inquit, *Prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam Vnionem.* Hæc *Sanctus Thomas.* Simili modo loquitur *Augustinus* allatus à *Sancto Thoma* hic *Art.* 2. *in Corp.* de Prædestinatione Sanct. *Cap.* 15. dicens, *Prædestinata est ipsi naturæ humanæ tanta, & tam celsa, & summa subuectio, vt quo attolleretur altius non haberet.* Ecce quomodo non dixit prædestinata est natura humana, sed prædestinata est *Subuectio naturæ humanæ*, & non dixit *ad Vnionem*, sed *Tanta & tam excelsa*, ideò satis significat, quod ipsa Vnio naturæ nomine *Subuectionis* explicata est prædestinata.

Probatur Ratione, quæ est *Sancti Thomæ* hic *Art.* 1. *in Corp.* sic, *Prædestinatio est quædam præordinatio ab æterno de his, quæ per gratiam Dei fienda sunt in tempore; sed in tempore factum est per gratiam Vnionis hoc complexum, vt homo esset Deus, & Deus esset homo; ergo ipsa Vnio naturarum in Persona Christi cadit sub æterna Dei Prædestinatione.* Maior supponitur ex 1. *P. Quæst.* 23. & est diffinitio Prædestinationis: Minor est Fides Catholica explicata Ioan. 1. in illis verbis: *Verbum caro factum est*, & multis alijs sacræ Scripturæ testimonijs, vbi dicitur, quod *Christus est Deus, & Iesus est Filius Dei.* Consequentia Patet. Quia non potest dici, quod Deus in tempore aliquid de novo cognosceret, vel sciret, quod ab æterno non ordinauerit, de quo 1. *Part.* in Materia de Scientia, Voluntate, & Prædestinatione Dei. Hæc Conclusio amplius patebit ex sequenti.

Dico Quarto. Hæc propositio, *Christus est prædestinatus* absolutè prolata sine aliquo addito ex parte subiecti, vel prædicati est vera, & propria locutio. In hac Conclusione conueniunt omnes Theologi Antiqui, & Moderni, colligiturque ex sacra Scriptura ita clarè, vt oppositum non sit tutum in fide (vt inquit *Cabrera* hic *Art.* 1. *Disput.* 1. *Conclus.* 3.) ad *Rom.* 1. inquit Apost. de Christo, *Qui Prædestinatus est Filius Dei in Virtute.* Vbi absolutè ponitur prædestinatus: & 1. Corinth. 2. de Sapientia Incarnata, quę est Christus inquit Apost. *Loquimur Dei Sapientiam in Mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Vbi etiam absolutè ponitur Verbum *Prædestinauit*, & 1. Petr. 1. *Christus dicitur agnus immaculatus, præcognitus quidem ante mundi constitutionem, manifestatus autem nouissimis temporibus.* In his locis ponitur Verbum *Prædestino*; ergo cum proprietate Sermonis debet accipi, quia Verba sacræ Scripturæ debent cum proprietate intelligi, quando non sequitur aliquod inconueniens, vel absurdum; sed ex hoc quod verè, & propriè dicatur, quod Christus sit prædestinatus nullum sequitur inconueniens, vel absurdum in Theologia, vel Philosophia, vt ex Solutionibus Obiectionum patebit; ergo.

Hanc Conclusionem tenent *D. August. Libr. de Bono Perseuerantiæ Cap. Vltim.* & *Tract.* 105. *in Ioan.* & *Libr. de Prædestinat. Sanct. Cap.* 15. verbis allatis Præced. Concl. *D. Hieronym. Ambros. Anselm.* & *Sanctus Thomas* super illum locum ad Rom. 1. *Qui Prædestinatus est Filius Dei, &c.* & communiter Commentatores eiusdem loci. Verba Sanct. Thom. sunt ibidem Lect. 3. *In Christo ipsamet illius compositio, non est merè naturalis, & ideò verè, & propriè est prædestinata, & ab illa potest Christus absolutè, & simpliciter denominari prædestinatus.* Approbant etiam illam *Hilarius Lib.* 7. *de Trinitate, Irinæus Lib.* 3. *Contra hæreses Cap.* 18. & 32. Ex Scholasticis *Magist. Sent. in* 3. *Dist.* 7. Omnes Commentatores *S. Thom.* ibidem, & hic sequuntur ipsum *Caietanus*,

Me-

Medina, Suarez, Vazquez, Cabrera, Nazarius, Aluarez, & omnes Moderni, qui omnes in Conclusione, vt iacet, conueniunt, scilicet quod Christus sit propriè prædestinatus quamuis in modo explicandi subiectum, & terminum prædestinationis ad aliud prætet Vnionem, magna sit disconuenientia inter illos, vt inferiùs patebit. At verò hæc Conclusio nihil determinat modo, nisi solum ipsam Vnionem Hypostaticam, & compositum ex illa, vt Vnitum esse obiectum, & terminum diuini actus prædestinationis.

Rationes Pro Hac Conclusione sunt allatæ pro præcedenti, quia solum distinguuntur istæ duæ Conclusiones in terminis; idē enim quod significat hoc complexum, *Deus factus est homo*, vel *Humanitas est Vnita Verbo*, significat iste terminus incomplexus *Christus*; cum autem significatum per hanc Vocem *Christus* sit quid supernaturale, ex libera Dei voluntate proueniens, non à casu respectu Dei, sed altissimo consilio diuinæ Sapientiæ dispositum, & in magnam gratiam humani generis, propter cuius libertatem tantum mysterium est patratum, & hoc cedat etiam in ostensionem diuinorum attributorum, non potest negari habere rationem obiecti, & termini diuinæ prædestinationis.

Confirmatur. Christus est prædestinatus propriè ad filiationem, vt *Art. Sequent.* dicemus, vel saltem impropriè (vt Alij volunt) & ad minus fuisse prædestinatum ad gratiam, & gloriam est communis consensus Scholasticorum, vt *Artic.* 4. videbitur; ergo ex vi talis prædestinationis ponitur in re subiectum talis termini. *Patet Consequentia*. Prædestinatio ad aliquid, aut supponit subiectum ordinabile ad illud, sicut in Angelo, & homine prædestinatio supponit Angelum, & hominem in esse naturæ, ex vi alterius actus diuini determinantis esse naturale ipsorum; si autem subiectum non præsupponatur determinatum, debet poni ex vi prædestinationis, ne frustretur prædestinatio; sed huiusmodi est hoc compositum *Christus*, quia non est naturale, & sic non potest præsupponi; debet ergo ex vi prædestinationis poni. Ergo Prædestinatio terminatur, & ad ponendum Christum, & ad ordinandum illum, & ad filiationem, & ad gratiam, & gloriam.

Soluuntur Argumenta.

Contra Primam Conclusionem potest primo obijci ex Authoritate Tum Concilij Toletani XI in Præfatione fidei, vbi dicitur, *Hic autem* (loquitur de Christo) *per hoc quod de Deo Patre sine initio prodijt, natus tantum, nam neque factus, neque prædestinatus accipitur*. In illis verbis *De Deo Patre sine initio prodijt*, & ly *Natus* clarè ponitur ratio Filij in diuina natura, & de illo negatur, quod sit prædestinatus. Tutu *Sanct. Thom. in 3. Dist. 7. Quæst. 3. Artic. 2. Quæstiunc. 3. in Corp.* & ibidem *ad Anibaldum Artic. 4. ad 5.* inquit, *Dicendum quod hæc est falsa, Filius Dei est prædestinatus*; ergo Conclusio, neque in Concilio, neque in *Sanct. Thom.* admittitur.

Respondetur, Quod Concilium statim post verba obiectionis subdit, *Per hoc quod de Maria Virgine natus est, & prædestinatus esse credendus est*. Ita ibi. Et similiter *Sanct. Thom.* in vtroque loco subdit post verba allata in obiectione, *Cum non ponatur aliquid respectu cuius possit antecessio denotari, sed hæc, Filius Dei est prædestinatus in quantum homo est vera, quia potest importari antecessio respectu hominis quantum ad naturam*. Hæc *Sanct. Thom.* Vbi constat, quod sine addito falsum est, quod Filius Dei sit prædestinatus; cum addito tamen *Esse homo*, est vera, & hoc denotat Concilium *Per hoc, quod* (inquit) *de Maria Virgine natus est*. Et Sanct. Thom. *In quantum homo*, & reddit rationem differentiæ, quia sine addito nulla est antecessio, & sic non potest verificari, quod sit prædestinatus Filius in diuina natura, benè tamen esse hominem, quia est antecessio ad naturam humanam.

Si Dicatur, Quod *Sanct. Thom.* concedit istam, *Filius Dei est prædestinatus in quantum homo*, & hoc non est idem ac dicere esse homo? *Respondetur*, Quod etiam *Sanct. Thom.* concedit istam *Esse homo* locis allatis in Conclusione, & ista, *In quantum homo* potest habere istum sensum, *Prædestinatur in quantum homo esse*, & tunc quidem est idem ac dicere *Esse homo*, & in hoc adducitur à nobis, & posset intelligi alio modo, scilicet prædestinatus in quantum homo ad filiationem, vel ad gratiam.

Secundo Obijcitur ratione contra eamdem

dem Conclusionē. Prædestinatio est transmissio prædestinati ad terminum prædestinationis; ergo prædestinatio Filij Dei vt homo, erit transmissio eius. Antecedens est definitio Prædestinationis, quam tradit *Sanct. Thom.* 1. *Part. Quæst.* 23. *Artic.* 1. *in Corp.* vbi inquit, *Ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ Prædestinatio nominatur, nam destinare est mittere.* Ita ibi. Sed Filius à solo Patre mittitur, quia vt habet idem *Sanct. Thom.* 1. Part. Quæst. 43. Art. 1. *Quod missio Diuinæ Personæ conuenire potest secundum quod importat ex vna parte processionem originis à mittente, sicut Filius dicitur esse missus à Patre in mundum, secundum quod incipit in mundo esse per carnem assumptam.* Ita ibi. Propter quod in eadem *Quæst. Artic.* 8. *in Corp.* inquit, *Non quælibet Persona mittit, sed solum illa cui conuenit esse principium illius Personæ* (scilicet Missæ) *& sic Filius mittitur tantum à Patre, Spiritus Sanctus autem à Patre, & Filio;* ergo Filius solum est prædestinatus à Patre. *Patet Consequentia.* Prædestinatio est missio; solum mittit Pater Filium; ergo solus Pater prædestinat illum. Sed hæc non est prædestinatio propria de qua loquimur, quia prædestinatio est actio absoluta communis toti Trinitati; ergo hæc prædestinatio Filij non est propria.

Respondetur, Quod *Sanct. Thom.* in eodem *Art.* 8. immediatè post verba allata in obiectione subdit, *Si vero Persona mittens intelligatur esse principium effectus secundum quem ostenditur missio, sic tota Trinitas mittit Personam Missam.* Ita ibi. Et in illo Corpore retulerat *Sanct. Thom.* duas Opiniones. *Prima*, quod Persona non mittitur nisi ab eo, à quo æternaliter procedit. *Secunda*, quæ est *Sanct. August.* asserentis, quod licet mitti non conueniat nisi Personæ procedenti ab alia, mittere tamen conuenit cuilibet Personę, & inquit Sanct. Thom. *Quod vtrumque habet aliquo modo veritatem*, & componit vtramque Opinionem distinguendo in Missione, & id quod includit ex parte originis, & id quod includit ex parte termini, & quantum ad originem inquit, *Quod Filius non mittitur nisi à Patre*, Quantum verò ad terminum, inquit, *Quod mittitur à tota Trinitate, quia tota Trinitas est principium illius termini, vel effectus.*

Quod Latiùs explicuerat 1. *Distinct.* 15. *Quæst.* 3. *Art.* 2. vbi in principio Corporis ponit triplicem missionem Filij, *Vnam, qua missus est in carnem, aliam qua mittitur in mentem, tertiam qua mittitur ad prædicandum.* Et in fine Corporis concludit, *Sed quia vt dictum est, non requiritur de necessitate, quod in mittente sit authoritas respectu missi, sed tantum efficientia respectu eius secundum quod missus dicitur mitti, ideò concedimus quod Spiritus Sanctus, & tota Trinitas mittit Filium secundum quamlibet missionem, & præcipuè cum Augustinus expressè dicat eum missum à Spiritu Sancto loquens de missione in carne 2. de Trinitate, Mitti inquiens à Patre sine Spiritu Sancto non potuit, quia Pater intelligitur eum misisse, cum fecit eum ex fœmina, quod vtique non fecit sine Spiritu Sancto.* In his ergo verbis clarè soluit *Sanct. Thom.* Argumentum propositum, negando quod Filius mittatur à solo Patre in carnem, quod idem est, ac esse hominem, & hoc cum Augustino asserendo verba eiusdem Augustini.

Nec Potest Dici, Quod loquatur de Missione impropria. Quia in *Art.* 1. immediatè præcedenti disputans de Missione Spiritus Sancti, in medio Corporis refert Opinionem Aliquorum dicentium, quod ista est falsa, *Spiritus Sanctus mittit se*, & impugnant *Magistrum Sent.* oppositum asserentem, & reddunt rationem, *Quia missio includit in se notionem, & ideò non oportet quod in potentia, vel operatione missionis Tres Personæ conueniant, sicut neque in generatione, vel potentia generandi, & dicunt etiam non esse simile de missione in carne, secundum quam Filius seipsum mittere dicitur: quia in illa Missione natura creata assumitur in Vnitatem Diuinæ Personæ, quod non contingit in alijs Missionibus.* Hæc refert *Sanct. Thom.* Vbi expendendum est, quod quamuis negassent illi de Missione visibili Spiritus Sancti, quod esset à tota Trinitate, hoc concedunt de Missione Filij in carnem. Vnde apparet, quod minor difficultas est de hac Missione, de qua loquimur.

Et Statim Sanctus Thomas resoluit, *Sed quia Sancti communiter talibus locutionibus vtuntur, præcipuè Augustinus, & Magister hoc concedunt.* Et paucis interpositis refert Opinionem Præpositini, & Altissiodorensis, *Quod propriè non mittit se Spiritus, & Filius, sed impropriè*, & alios dicentes, *Quod propriè* addit, *Et vt huic consentiendū videtur, si virtus nominis attendatur, Dico igitur, quia ponit missum esse in aliquo, eo modo quo prius non erat, & sic fieri in illo secundum illum modum importat quamdam factionem, non dico realem, sed rationis tantū,*

quæ

quæ terminatur ad relationem rationis, & non rei, sicut dicitur Deus factus refugium; sensus ergo est, Spiritus Sanctus est missus, id est, factus est ens ab alio existens in creatura. Vnde oportet ad hoc vt dicatur missus, quod & sit ab alio, & fiat in aliquo secundum nouam habitudinem, propter quod Pater non potest dici mitti, quia non est ab alio & cuicumque Personæ conuenit facere, quod sit in aliquo secundum nouam habitudinem, dicetur mittere Spiritum Sanctum, quamuis non sit principium Spiritus Sancti, & quia tota Trinitas facit Spiritum Sanctum esse in aliquo secundum nouam habitudinem, ideò tota Trinitas dicitur mittere Spiritum Sanctum, & ipse seipsum mittit & ipse à se mittitur. Hæc omnia sunt verba *Sancti Thomæ*, quæ consultò allata sunt, quia ex ipsis soluuntur omnes difficultates, quæ ex hoc Argumento oriri possunt.

Tum, Quia missio Personæ diuinæ propriè loquendo est à tota Trinitate. *Tum*, Quia missio ex parte principij continet originem a quo procedit, & ex parte termini nouum modum essendi in creatura, & ex vtroque componitur proprie missio, propter quod non conuenit Patri Æterno mitti, neque à se, neque à tota Trinitate; benè tamen Filio, & Spiritui Sancto (Quæ erat Replica, quæ statim se offerebat, quod posset mitti Pater.) *Tum*, Quia ratio missionis est quasi ratio factionis, vt sit Persona missa in aliqua creatura secundum nouum modum, quo antea non erat, & quia hoc facit tota Trinitas, tota Trinitas propriè mittit. Et ex his constat Solutio Argumenti ex ipsa maiori assumpta, quod quia Prædestinatio est missio, ideò neganda est minor, quod Filius non mittatur à tota Trinitate, vt homo, & consequenter à tota Trinitate prædestinatur. Videatur *Sanct. Thom.* loco citato, vbi latiùs allatam doctrinam tradit.

Tertio Arguitur. Non omnes conditiones Prædestinationis propriæ conueniunt Filio Dei; ergo falsa est hæc propositio *Filius Dei est prædestinatus esse homo.* Probatur Antecedens. Quinque conditiones ex his, quæ solent assignari prædestinationis propriæ sunt. *Prima*, Quod sit posterioritas in eo, qui prædestinatur respectu Prædestinationis. *Secunda*, Quod reperiatur inferioritas eodem modo. *Tertia*, Quod illi fiat gratia. *Quarta*, Quod prædestinetur ad finem aliquem. *Quinta*, Quod non sit de supposito comparatiuè ad naturam: sed omnes istæ conditiones non verificantur; ergo. *Probatur Minor* quo ad primam, quia Filius Dei est Æternus, & sic non potest dicere posterioritatem respectu prædestinationis etiam æternæ, neque prædestinatio antecessionem ad illum.

Quod ad Secundam Probatur. Quia prædestinatio dicit inferioritatem in prædestinato, sicut missio, & Filius Dei nullam dicit inferioritatem respectu alicuius. *Quo ad Tertiam Probatur.* Quia Filio Dei nulla gratia facta fuit in Incarnatione. *Quo ad Quartam Probatur* Quia esse hominem, neque aliquid aliud potest habere rationem finis respectu Filij Dei, & per consequens nec Filius Dei potest esse prædestinatus, quia prædestinatio est transmissio, vel ordinatio alicuius ad aliquē finem. *Quo ad Quintam Probatur.* Quia Filius Dei est suppositum naturæ humanæ, sicut in alijs suppositum creatum, sed Petrus, *Verbi grat.* Non potest prædestinari ad esse hominem; ergo neque Christus etiam vt suppositum naturæ humanæ.

Respondetur ad Primam Conditionem ex *Sanct. Thom.* in 3. *Distinct* 7. *Quæst.* 3. *Artic.* 2. *Quæstiunc.* 1. vbi ponit hoc Argumentum, & respondet sic, *Ad Primum dicendum, Quod prædestinatio non importat antecessionem ad prædestinatum simpliciter, sed comparatione ad illud, quod sibi prædestinari dicitur, quamuis autem Filius Dei sit ab æterno, non tamen ab æterno fuit homo.* In quibus verbis ait *Sanct. Doct.* quod prædestinatio non importat antecessionem in Filio Dei, sed in esse hominis, quod illi prædestinatur, hoc est, quod illi conuenit ex vi prædestinationis: & hoc sufficit ad saluandam hanc Conditionem. Idem habet ibidem *Artic* 1. *ad* 3 *& ad Anibaldum Quæst. Vnic. Art* 4. *ad* 1 *& 2.*

Contra. Sanct. Thom. in eodem Articulo *Quæstiunc.* 3. *ad* 1. inquit, *Missio non importat temporalitatem in eo, qui mitti dicitur, sed in eo in quo per nouum effectum inhabitat & ideò mitti dicitur Persona diuina; sed prædestinatus ponit posterioritatem respectu prædestinationis in eo, qui prædestinatur, & ideò non est similis ratio.* Ecce quomodo *Sanct. Thom.* ponit hanc Propositionem, *Prædestinatus ponit posterioritatem in eo qui prædestinatur*; ergo si Filius dicitur prædestinari, in Filio ponit posterioritatem; ergo falsò dicitur quod non ponit posterioritatem in Filio, sed in esse hominis, & si *Sanct. Thom.* oppositum dixerit,

erit

erit sibi contrarius in eodem Articulo.

Secundo Quia *Sanct. Thom.* ibi contraponit prædestinationem cum missione, & dicit, quod missio non ponit temporalitatem in eo, qui mitti dicitur, sed in eo ad quem mitti dicitur, & quod prædestinatio ponit posterioritatem in eo, qui prædestinatur, propter quod Persona Diuina potest mitti, non tamen prædestinari. Si autem intelligeretur, quod prædestinatio solum ponit posterioritatem in esse hominis, & non in filio, esset solum ponere posterioritatem in termino, qui est esse homo, & cum missio etiam ponat posterioritatem, siue temporalitatem in termino, vt *Sanctus Thomas* docet, malè poneret differentiam inter missionem, & prædestinationem quantum ad hoc. Denique malè allata est paritas missionis, & prædestinationis in Solutione Præcedentis Argumenti, siquidem *S. Thom.* hic non solum parificat, sed contraponit illas.

Respondetur, Quod illa propositio *Prædestinatus ponit posterioritatem in eo, qui prædestinatur respectu prædestinationis*, est vniuersaliter vera, quia vt habet *S. Thom.* 1. *Part. Quæst.* 23. *Artic.* 2. quamuis prædestinatio sit actus immanens; & ideò non ponatur in prædestinato, sed in prædestinante, tamen ibi *ad* 4. explicat, quod prædestinatio est causa respectu eius, quod prædestinatur, & sic necessarium est, quod ponat posterioritatem in illo, & illa præcedat. Et hoc clarè docuit *Sanct. Thom.* etiam hic *Art.* 2 *in Corp.* dicendo, Quod *Prædestinatio importat antecessionem quamdam respectu eius, quod sub prædestinatione cadit.* In quibus verbis attendendum est ad terminum, qui ponitur *Prædestinatus*, qui est terminus *Qui* prædestinationis, vt *Artic.* 3. explicabitur, & si est habens aliquod esse, non est qui prædestinatur, quia nemo prædestinatur ad id quod est, sed potest esse subiectum respectu alterius esse, quod ex vi prædestinationis illi conueniat, vt si dicamus *Petrus prædestinatur ad gloriam*, esse substantiale Petri supponitur ad Prædestinationem, & hoc non est, quod prædestinatur, hoc est, quod habet esse per prædestinationem, & ideò non dicitur terminus *Qui*, sed subiectum Prædestinationis; sed esse gloriosum est quod cadit sub prædestinatione. Si autem dicatur solum *Petrus Prædestinatur*, vt verificetur, debet ex vi prædestinationis recipere esse Petrum, sic dicit *Sanct. Thom.* quod hæc est falsa, *Filius Dei est prædestinatus* absolutè, & sine addito in illa *Quæstiunc.* 3 *in Corpore*, quia denotatur posterioritas in esse Filij, quod est falsum. Si verò ponatur *Homo*, est vera, quia verificatur posterioritas in esse hominis, & sic in vtroque loco idem dicit: missio verò non causat id quod mittitur, sed supponit.

Per Quod Patet Ad Primam Instantiam Argumenti, Quod Filius absolutè nunquam dicitur prædestinatus sine addito, sed *Vt Homo*, & posterioritas ponitur in esse hominis illi conueniens.

Ad Secundam Patet Etiam, quia missio in eo, qui mittitur, nihil causat, nec esse missum est esse causatum, sicut esse prædestinatum, nec terminum ad quem missio causat, sed supponit: prædestinatio verò causat terminum ad *Quem*, & applicando illum subiecto facit terminum *Qui*, & sic facit posterioritatem in illo.

Ad Tertiam Patet. Quia in Solutione Argumenti Præcedentis ponitur paritas in missione, & prædestinatione respectu principij, quod vtraque est à tota Trinitate, hic ponitur dispartas ex parte effectus, qui prædestinatur, & mittitur, quia in Missione præsupponitur, & in prædestinatione subsequitur.

Ad Secundam Conditionem Respondetur, sicut ad præcedentem: sicut enim prædestinatio petit posterioritatem in eo, qui prædestinatur, sed non simpliciter, sed quantum ad aliquid, & cum hoc verificetur in hoc complexo *Filius Dei esse homo*, non ratione Filij Dei secundum se, sed ratione eius, quod est esse homo, ideò Filius Dei absolutè non dicitur prædestinatus, sed cum addito, *Esse homo*, ita quod *Esse homo*, etiam sit quid prædestinatum tanquam subiectum prædestinationis; & quantum ad hoc prædestinatio habet paritatem cum missione, quæ est per imperium, vel consilium, quia hæc superioritatem habet in mittente, vel vt imperans, vel vt sapientior; non tamen habet paritatem cum missione solum secundum originem, sed quantum ad hoc; non vero quantum ad dicta in Solutione Præcedentis Argumenti. Quæ doctrina est *S. Thom.* ibidem allata.

Ad Tertiam Conditionem de Gratia,

& supernaturalitate *Respõdetur*, Quod quãtum ad rationẽ gratiæ sæpiùs posuit *Sanct. Thom.* hoc Argumentum, tam hic, quàm in vtroque 3. *Sent.* & semper soluit eadem doctrina quo ad substantiam, & sic sufficiet adducere vnum locum, qui est in 3. *Dist.* 7. *Quæst.* 3. *Art.* 2. *Quæstiunc.* 1. *ad* 3. vbi inquit, *Dicendum, quod quamuis non sit gratia Filio Dei quod sit homo, tamen hoc habet per gratiam Vnionis, per quam humana natura assumpta est in vnitatem Personæ Diuinæ.* Cum igitur completus terminus sit, quod Filius Dei sit homo, sufficit quod gratia fiat humanitati, sicut sufficit ratione illius inferioritas, & posterioritas. Et de supernaturalitate satis constat, quod ipsa Vnio Hypostatica est supernaturalis, & in altiori gradu, quam communis gratia.

Ad Quartam Conditionem de Fine, *Respondetur* cum *Sanct. Thom.* in 3. *Distin.* 10. *Quæst.* 3. *Quæstiunc.* 1. *ad* 1. vbi inquit, *Dicendum, quod prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam Vnionem, quia filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed consequitur ad Vnionem.* Et Distin. 7. Quæst. 3. Art. 2. Quæstiunc. 1. in Corpore, loquẽdo de Prædestinatione Christi dicit, *Quod importat ordinem ad finem, & quando simpliciter ponitur, intelligitur ad finem vltimum, qui est per gratiam, vel gloriam in Persona.* Ecce ponit prædestinationem ad Vnionem tanquam ad finem, sed non respectu Personæ, cui fit vnio, sed respectu, vel humanitatis, vel subiecti, quod est homo, qui dicitur prædestinatus, & in hoc sensu, non Filius, sed Christus potest dici prædestinatus ad filiationem, tanquam ad finem, sicut venisse Redemptorem propter nostram salutem.

Ad Quintam de Supposito, *Respondetur* duplici Solutione vtraque *Sanct. Thom.* in 3. *Distinct.* 7. *Quæst.* 3. *Artic.* 2. *Quæstiunc.* 1. *ad* 2. vbi inquit, *Dicendum, quod Suppositum Petri non fuit antequam esset Petrus homo, & ideò non potest dici, quod sit prædestinatus esse homo, sed Suppositum Filij Dei fuit antequam ipse esset homo, & ideò non est similis ratio.* Et iterum, *Petrus nullo modo habet esse homo per gratiam; Filius autem Dei habet esse homo per gratiam Vnionis, non quidem sibi factam, sed humanæ naturæ.* Hæc *Sanct. Thom.* Et quia vtraque solutio clara est, non indiget explicatione, nec ponderatione aliqua.

Quarto Arguitur Contra Secundam Conclusionem ex *Sancto Thom.* in 3. *Distinct.* 10. *Quæst.* 3. *Quæstiunc.* 1. in principio Corporis, vbi ait, *Prædestinatio accipitur communiter, & propriè; communiter pro præscientia, & præordinatione cuiuscumque, & sic patet, quod prædestinatio potest esse de natura.* Et hic Artic. 1. ad 2. Impugnat Opinionem Dicentium prædestinationem intelligendam esse de natura duplici ratione, Prima, quia *Prædestinatio est suppositi, cuius est agere propter beatitudinis finem.* Secunda, *Quia non conuenit humanæ naturæ esse Filium Dei.* Et inquit, *Quod est locutio impropria, & extorta expositio Apostoli*; ergo. Secundum *Sanct. Thom.* Conclusio non debet admitti de propria prædestinatione.

Respondetur, Quod *Sanct. Thom.* in loco *Sentent.* dicit, quod est prædestinatio propria, quæ est ad Vnionem in Persona, quæ conuenit naturæ, vt dictum est in Conclusione, & sic quando dicit, quod prædestinatio impropria potest esse de natura, loquitur respectu prædestinationis suppositi comparatiuè ad eumdem finem, vel filiationis, vel beatitudinis, ad quem humanum suppositum propriè prædestinatur, & natura impropriè, sicut impropriè est filia, & impropriè dicitur operans vt *Quod.*

Ad Secundum Locum Respondetur, quod *Sanct. Thom.* impugnauit Opinionem illorum, quia dicebant, quod natura prædestinata erat ad filiationem, & sic inquit, quod esset impropria locutio Apostoli in illis verbis, *Qui Prædestinatus est Filius*, & quod est extorta expositio dicere, prædestinatum est, vt humana natura vniretur Filio Dei in Persona. Vnde clarè constat, quod non impugnauit illam Opinionem, quia dicebat, quod humana natura est prædestinata ad Vnionem, sed quia ex hoc inferebant, quod esset prædestinata, vt esset Filius Dei in sensu Apostoli, & *Sanct. Thom.* admittit quidem rationem Illorum, scilicet, quod natura fuit vnita Verbo, & Filio Dei, sed impugnauit, quod ex hoc inferebant, Prædestinationem scilicet factam in Christo ad filiationem de qua loquitur Apostolus, intelligendam esse de natura, & hoc benè impugnatur à *Sanct. Thom.* quod esset impropria locutio Apostoli, & extorta expositio ex Vnione inferre prædestinationem ad filiationem.

Quod Notandum est propter *Vazquez*, qui in hac parte valde allucinatus est *Disput.*

put. 90. Cap. 4. vbi Numer 26. refert Sanct. Thom. in hac solut. ad 2. impugnando illos, qui intelligebant verba Apostoli, *Qui prædestinatus est Filius Dei*, de natura humana, postea in eodē Cap. Num. 30. inquit, Quod dixit Sanct. Thom in illa Solutione Secundi difficile est, qua ratione negauerit id quod illi dicebant, nempè naturam humanam esse prædestinatam; illi enim loquebantur de prædestinatione illius ad Vnionem, & in hunc sensum intellexit S. Doct. Hæc Vazquez. In quibus verbis in primis apparet contradictio, & æquiuocatio, contradictio clara, quia in principio Capitis dixerat, quod S. Thom. illos impugnauit, quatenùs dicebant quod, *Qui Prædestinatus est Filius Dei* referendum erat ad naturam, & sic clarè explicuit illos de prædestinatione ad filiationem, & postea inquit, quod intellexit eos de prædestinatione ad Vnionem, quæ sunt valdè contrariæ, & diuersæ explicationes. Æquiuocatio est clara etiā propter dicta, quia non distinxit Vazquez inter rationem, & Cōclusionē illius Opinionis. *Ratio erat*, quia est vnita Filio, *Conclusio*, quod propter hoc intelligerentur de illa verba Apostoli, *Qui Prædestinatus est Filius Dei*, & Vazquez ponit rationem pro Conclusione illorum, quod non est ita; in ratione autē est veritas in illa Opinione; in Conclusione verò falsitas, quia esset impropria locutio Apostoli, & extorta Expositio.

Præterea prosequitur Vazquez impugnādo S. Thom. dicens; Adde quod licet eorum Sententia falsa esset, non rectè illā impugnaret S. Doct. & probat hoc, Quia licet non sit natura prædestinata ad visionē, quia operari non est naturæ, sed suppositi, non inde sequitur non posse prædestinari ad Vnionem, verum explicari potest vt ante diximus, quod solū voluerit non esse prædestinatam humanitatem vt sit Filius Dei, ne sit contrarius sibi in 3. Hæc Vazquez. In quibus satis apparet cupiditas huius Authoris ad impugnādum Sanct. Thom. Siquidem sine vlla necessitate fingit quid impugnet in illo, quia Sanct. Thom. explicationem, quam ipse Vazquez addit expressè ponit in littera, quod videlicet impugnet humanitatem prædestinari, vt sit Filius, quod clarè impugnauit Sanct. Thom. in Secunda Ratione scilicet, quod humanitas non est filia propriè Et similiter rectè impugnauit illam Opinionem vt falsam in priori ratione, quam reijcit Vazquez, scilicet, quia naturæ non est operari, sed suppositi, & ideò non impugnauit prædestinationem naturæ ad Vnionem, vt falsò illi imponit Vazquez, sed ad beatitudinem, & filiationem, & quamuis Vazquez teneat oppositū, scilicet operari non esse solius suppositi, sed etiam naturæ abstractæ referendo se supra Disp. 21. Cap. 2. vbi illam Sententiam defendit, & secundum illam, quod potest prædestinari natura ad Visionē Beatam, hoc falsum est, tam pricipium, quàm illatio: de principio supra diximus Disput. 1. & de Conclusione dicemus infra Art. 4. huius Disputationis

Quinto Arguitur Etiam contra Secundam Conclusionem. Humanitas nō est ens completum; ergo non potest esse prædestinata. *Patet Consequentia.* Quia Prędestinatio est entis completi, & suppositi, cum ergo natura humana significetur per modū partis, significatur vt ens incompletum; ergo si dicitur prædestinata, non est propriè, sed impropriè.

Respondetur. Quod circa modum loquēdi de prædestinatione humanitatis variè procedunt Authores, *Medina* hic tenet, quod Humanitas est verè prædestinata, sed non propriè, quia non est ens cōpletum, & solū Christus dicitur propriè prædestinatus, quia primo, & per se terminatur Prædestinatio ad illū, & secundario ad extrema, ex quibus cōponitur Christus: in hoc *Suarez* impugnat *Medinā*, tanquā sibi contrariū & *Cabrera* hic *ad 4.* illū defendit, & excusat à cōtrarietate, quia quādo affirmauit, solum potuit verè prædestinari, & quādo negauit, negauit *Propriè*, in quo nulla est cōtrarietas, & multum laborat in re minus difficili.

Dicimus Ergo supponendo, quod non loquimur de prædestinatione humanitatis ad filiationē, vel ad beatitudinē, sed solū ad Vnionē, quod prædestinatio qua prædestinatū fuit hoc cōpositum *Deum esse hominē*, vel *Christum*, est prædestinatio propriè, vt *Art. Sequent.* videbimus, & terminat primo, & per se, ad hoc totū compositū, & secundario ad vniendū extrema vt fiat totū, sicut generatio hominis terminatur ad totū hominē ponendū in re, primo, & per se, tāquā ad terminum *Quod*, quem ponit extra causas, & quasi secundario ad vniendū animam cū Corpore. Sic Prædestinatio Christi est ad hoc compositum *Christus* primo, & per se, & tanquam ad terminum *Quod*, ex consequenti vero, & quasi secundario ad extrema, quæ vniuntur ex vi prædestinationis in toto per se intento. Si ergo sensus sit,

quod humanitas non est propriè prædestinata, tanquam terminus primo, & per se intentus, verum est; si tamen tanquã terminus secundarius, inclusus tamen in prædestinatione propria, falsum est, quod hoc modo non sit propriè prædestinata, quia licet secundario, & vt quid incompletum, prædestinata est ex vi propriæ prædestinationis. Sicut in Prædestinatione hominis, totus homo prædestinatur primo & per se, & partes quasi secundario, & potẽtiæ, sicut intellectus, & volũtas, immo & Corpus ad gloriã resurrectionis, & quamuis sint entia incõpleta prædestinata ex vi tamẽ prædestinationis propriè sunt prędestinata propriè.

Sunt Enim aliquæ rationes, quæ & propriè conueniunt toti, & partibus eius, quãuis aliæ non. *Verbi grat.* Brachium non est homo propriè, sed pars hominis; tamẽ verè, & propriè viuit, & sentit, quãuis sit pars viuentis, sic prædestinatio, quæ tendit ad compositum significatum per ly *Christus* ponendum in re propriè, etiam est prædestinatio propria extremorum, sicut actio vnitiua, & productiua compositi vnit partes. Nec contra hoc videtur esse dissensio inter Authores, & patet Solutio ad Argumentũ Quod vero dicenda sit humanitas prædestinata absolutè, vel cũ illo addito ad *Vnionem* Respondetur ex dictis, Quod quãdo conceditur propriè prædestinata, debet intelligi ad Vnionem, si verò intelligatur ad filiationem, vel beatitudinem est impropriè prædestinata; absolutè verò sine aliquo addito potius videtur impropria, quam propria, quia absolutè non est prædestinata, sed tolum est comprædestinata.

Dices: Aliud extremum, scilicet *Filius* non dicitur prædestinatus ad Vnionem cum humanitate; ergo neque humanitas dicetur prædestinata cum Filio. *Patet Consequentia*, quia humanitas, & Filius sunt extrema in hac Vnione.

Respondetur Quod vt dictum est *ad 3.* quantum ad Primam, & Secundam Conditionem ideò hæc est falsa, *Filius prædestinatur ad Vnionem*, quia in Filio Dei non est inferioritas, nec posterioritas respectu prædestinationis, & ideò debet poni additũ ratione cuius vtraque conditio verificetur, vt si dicamus. *Filius Dei prædestinatur esse homo*, vt dictũ est in Prima Conclusione; tamen humanitas secundum se sumpta potest habere inferioritatem, & posterioritatem respectu prædestinationis, & ideò potest dici prædestinata ad Vnionem. Quod expressè docuit *S. Thom in 3. ad Anibaldum Dist. 10. Quæst. Vnic. Art 4 in Corp.* vbi inquit, *Prædestinari, est ad gratiam præparari, præparari verò ad gratia Vnionis conuenit naturæ, quæ est vnita Personæ autẽ non conuenit secundum se, sed in quantum est suppositum humanæ naturæ* In quibus verbis conceditur ista, *Humanitas prædestinatur ad Vnionem*, & negatur ista, *Filius prædestinatur* in eodem sensu, & conceditur ista, *Filius in quantum Suppositum humanæ naturæ prædestinatur.*

Sexto Arguitur Contra Tertiam Conclusionẽ. In prædestinatione alicuius termini debet assignari subiectũ respectu talis termini, quia prædestinatio est ordinatio vnius ad aliud; sed respectu huius termini. *Qui est*, hoc cõpositum *Deum esse hominẽ* nõ est subiectũ, sed potius ipsum cõpositum est subiectum prædestinationis Christi ad filiationẽ, vel gloriam; ergo hoc compositũ nõ est terminus, seu obiectũ prædestinationis.

Respondetur. Quod quando aliquid prædestinatur vt subiectum alicuius termini ad quẽ, ex vi prædestinationis ordinatur, quãuis posset dici, quod prædestinatio terminatur ad ipsum subiectum, non est necesse, quod respectu illius assignetur aliud subiectũ, quia non est intentus à prædestinatione vt terminus purè, & sic contingit in præsenti, hoc enim compositum *Christus* taliter terminat prædestinationẽ, quod nõ est simpliciter terminus, sed terminus immediatus intentus, vt ordinandus ad aliũ terminũ, vt docet *S. Thom.* in 3 *Dist.* 10 *Quæst.* 3 *Quæstiuc.* 1. *ad* 1. vbi inquit, *Prædestinatio Christi primũ effectum habet ipsam Vnionem.* Et statim, *Filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed sequitur ad Vnionẽ* Præter quam quod posset dici, quod ipsa extrema vnita in Christo ex vi prædestinationis, scilicet Persona, & humanitas, quælibet suo modo, sicut dicuntur prædestinari, vt fiat homo iuxta dicta in præcedẽtibus, & ad id ordinari, possunt dici in fieri considerata quasi subiectum comparatiuè ad prædestinationẽ compositi in facto esse; sicut in generatione hominis dicuntur partes ex quibus homo resultat, quasi terminus à quo respectu compositi in facto esse.

Vltimo Arguitur Contra Quartam Conclusionem, & eius censuram. Fundamentum Conclusionis sunt verba Pauli ad Rom. 1. *Qui Prædestinatus est Filius Dei*; sed ex vi huius authoritatis nulla prædestinatio admittitur in Christo; ergo nec Conclusio, neque censura ibi posita est admittenda.

Pro-

Probatur Minor dupliciter. *Primo*, Quia etiamsi admittatur Participium *Prædestinatus* potest intelligi pro eo quod *Manifestatus*, iuxta consuetudinem sacræ Scripturæ, in quo sensu *Gloßa ad Rom.* 1. explicat Participium *Prædestinatus*, vt adducit *S. Thom.* in 3. *Dist.* 7. *Quæst.* 3. *Art.* 2. *Quæstiunc.* 2. *in Corp.* & hic *Art.* 1. *ad* 3.

Secundo, Quia in Textu Græco loco illius termini *Prædestinatus*, ponitur alius terminus, qui correspondet Latinè huic participio *Prædestinitus*, & ly *Diffinitus* duas habet significationes principales, *Prima* est idem ac *Statuere*, ac *Determinare*. Secunda est, *Declarare*, seu *Manifestare*, propter quod dicunt Dialectici, quod diffinitio est *Oratio naturam rei, aut termini significationem exponens*, & locum illum Patres Græci intelligunt in secunda significatione, quæ est idem quod *Declarare*. Chrysostomus ibidem *Homil.* 1. *Theofilatus, Euthimius, Cyrillus Lib. de Fide ad Reginas, Damascenus Lib.* 4. *de Fide Cap.* 19. *Erasmus in Annotationibus*. Et Ratio est, Quia ista significatio est magis vsitata in lingua Græca, & quia facilius soluit, vel vitat difficultatem maximam prædestinationis Christi.

Respondetur. Illam expositionem in primo sensu adduci à *Sancto Thoma* in illis locis, & illam non sequitur, sed reijcit hic Art. 1. ad 3. *Sic non propriè prædestinatio accipitur, nam aliquis dicitur propriè prædestinari secundum quod dirigitur in finem beatitudinis; beatitudo autem Christi non dependet ex nostra cognitione, & ideò melius dicendum est.* Hæc *Sanct. Thom.* Quo ad alium sensum Respondetur cum *Lorca* hic *Disput.* 85. *Memb.* 1. *Num.* 4. Quod licet locus ille habeat illam expositionem, etiam habet nostram, quia vulgata trāstulit Verbum Græcum non in significatione declarandi, sed determinandi, vel statuendi, & sic posuit Verbum *Prædestino*, quod cum proprietate solum significat prædeterminationem, vel præordinationem, & vulgata debet admitti tanquam vera sacra Scriptura ex Decreto Tridentini. Et non est inconueniens, quod vnus locus habeat duplicem sensum, & in præsenti vterque iste sensus potuit esse intentus à Paulo cōprehensus in Verbo Græco, scilicet, & quod Christus sit prædestinatus, & quod sit declaratus Filius Dei, & sic debet nostra expositio admitti, & illam negare non excusatur à censura, in eo gradu certitudinis, quo ex Textu vulgatæ Latinæ sequitur veritas Conclusionis.

Vel Secundo posset dici Quod quamuis non admitteretur sensus ille, Verbi in Græco positi, non poterat negari Textus vulgatæ, sed dicendum erat, quod quia vulgata transcripsit non in significatione declarandi, sed in significatione statuendi, vel determinandi per Verbum *Prædestino*, iste sensus debebat admitti tanquam legitimus Pauli in illo loco.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Christus absolutè, vel in quantum homo, sit propriè prædestinatus Filius Dei?

Supposito quod Christus sit prædestinatus quantum ad esse Christi, hoc est, quantum ad primam rationem Vnionis Hypostaticæ, sequitur modo inuestigare, si tale compositum prædestinetur ad aliquem terminum? Et quia duplex terminus excogitari potest, vnus accidentalis, qui est gratia, & gloria ad quā alij homines, & Angeli electi prædestinantur; alius est substantialis, & est ipsa filiatio naturalis Dei; de vtroque disputandum est, & primo de Filiatione tanquam de priori, & principaliori termino, vtpotè substantiali, & pertinente ad ordinem Hypostaticum, de quo in hoc, & *Art. Sequent.* agendū est. Et quantum ad præsens duplex punctū tangitur necessario discutiendum. *Primum*, An Christus prædestinetur ad filiationem absolutè; & An talis prædestinatio sit propria, vel impropria? *Secundum* Ratione cuius competat Christo hæc prædestinatio, scilicet, An ratione suppositi, vel humanitatis? Quod explicatur in illa reduplicatione posita in Titulo, *In quantum homo*, quam ponit *Sanct. Thom.* hic *Art.* 2.

Circa Quod duplex extremum quasi Capitale reperitur. *Primum* negat prædestinationem propriam in Christo respectu filiationis naturalis; *Aliud* affirmat. Extremum negans varias cōprehendit sententias secūdum diuersas expositiones Apostoli, *Qui Prædestinatus est Filius Dei*, quia cum tota hæc controuersia ex istis verbis oriatur secūdū diuersas expositiones, seu explicationes Apostoli, diuersificantur sententiæ, quas ad longum adducunt *Lorca, Suarez*, & Alij.

Breuiter tamen nos illas recopilabimus, quia sine illarum notitia difficilè penetrabitur punctum Disputationis. Reducuntur igitur omnes expositiones ex isto extremo ad Sex, & illæ ad tria Capita. *Primum* ratione subiecti, scilicet Christus. *Secundum* ratione termini, scilicet Filius. *Tertium* ratione modi, quo Filius terminat, & in quolibet illorum duæ sunt Sententiæ, & explicationes Apostoli.

Igitur Prima Explicatio refert prædestinationem Christi in verbis Apostoli ad humanitatem, non ad Christum. Hæc explicatio *Art. Præced.* impugnata est *ad* 4. cum *Sanct. Thom.* Licet enim humanitas prædestinetur ad Vnionem, & sit quasi subiectum partiale prædestinationis ad esse Christum, vt dictum fuit *ad* 6. tamen falsum est, quod humanitas sit subiectum ad filiationem naturalem, & sic est extorta expositio Apostoli, quia facit eius locutionem impropriam, vt latè diximus loco citato *ad* 4.

Secunda Explicatio est, excludendo significationem termini *Prædestinatus*, & quod sensus est, *Declaratus Filius Dei*, iuxta duplicem sensum allatum *Art. Præcedent. in Vltim.* Vel quia sic solet interpretari Scriptura *Fieri* pro *Manifestari*, vel propter rigorem Textus Græci. Hæc expositio est impugnata etiam ibi, propter Authoritatem Vulgatæ Latinæ. Istæ duæ Expositiones non ponunt in Christo rationem subiecti prædestinationis, neque ad filiationem naturalem, neque ad alium terminum, immò ad esse Christum.

Tertia Explicatio ponit Christum prædestinatum, sed non ponit filiationem esse terminum. Sic Origines citatus à *S. Thom.* hic *Art.* 1. *ad* 2. quamuis *Suarez* ex *Caietano* illum referat, & dicat *Caietanum* approbare Sententiam *Origenis*; sed *Caietanus* non approbat, sed non improbat, sicut nec *Sanct. Thom.* sed relinquit illam eligendo aliam. Sensus ergo *Origenis* est, quasi dicat Apostolus, *Qui Prædestinatus est*, tanquam si dixisset, *Qui omnipotens, &c. est Filius Dei*, est quasi sensus identicus, Quod *Christus est Prædestinatus, & Christus est Filius Dei*, quod est verum; tamen deficit, quod non posuit huius prædestinationis Christi terminum esse Filium Dei, quod ad intelligentiam veram, & rigorosam Apostoli debebat dici.

Quarta Explicatio ponit quidem Christum prædestinatum, sed non ponit terminum Filiationem, sed Virtutem ad patranda miracula, propter id, quod addit Apostolus, *Filius Dei in Virtute*, id est, ad habendam Virtutem, vt patraret miracula tanquam Filius Dei. Hanc habet *Augustinus* in expositione inchoata Epistolæ ad Romanos, & *Titelman* in eamdem *Epistolam Collation.* 1. & *Caietanus* ibidem ad verba Apostoli, & *Cyrillus Lib.* 1. *ad Reginas.* Hanc explicationem adducit *Sanct. Thom.* & *Suarez* inquit, quod est probabilis. Ad istam reducitur alia expositio, quod Christus est prædestinatus ad gratiam, etiam vt Caput, & gloriam correspondentem illi, quia totum hoc est quid consecutum ad Filium Dei Incarnatum. Hæc explicatio quatenùs affirmat istum terminum accidentalem, non est contra Nos, quia *Art.* 4. illum ponemus. Si tamen neget terminum substantialem, scilicet *Filiationem* esset cõtra nos; sed eius Authores hoc non negant, sed solum affirmant vnum, non negando alium. Et in alijs locis *Augustinus*, & *Caietanus* affirmant terminum, quem hic non negant. Istæ duæ explicationes positiuè non excludunt rationem termini in filiatione, sed solum negatiuè non ponunt.

Quinta Explicatio ponit quidem Filium esse terminum, sed non in prima generatione Christi, sed in Resurrectione, vbi filiatio homini restituta est, quia mortuo Christo non mansit homo Filius, & resurgens resurrexit homo Filius; & quia in hoc sensu intelligitur Psalmus, *Ego hodie genui te.* Et ad Ephes. 1. *Primogenitus ex mortuis, & prædestinatus ex resurrectione.* Actor. 13. Quam expositionem habet *Hieronymus, Ad Rom.* 1. *Anselmus, & August. loc. cit.* Hæc explicatio si solum sit, quod in Resurrectione maximè manifestatus fuit Christus Filius Dei, coincidit cum Secunda; & sic in hoc sensu adducit Secundam *Sanct. Thom.* in 3. *Distinct.* 7. *Quæst.* 3. *Art.* 2. *Quæstiunc.* 2. *in Corp.* Sed sensus videtur esse distinctus in Sanctis præallegatis, scilicet non solum quo ad manifestari, sed quo ad esse, propter quorum Authoritatem intelligenda est hæc explicatio sicut præcedens, quod taliter affirmet, quod non neget; est quidem verum reassumptionem per resurrectionem ex vi prædestinationis fuisse habitam, non tamen est verum, quod per primam generationem factam non fuisset ex vi prædestinationis, quod & Sancti isti non negant, & Apostolus satis indicat in illis verbis præmissis, *Qui factus est ei ex Semine*

Da-

Dauid secundum carnem. Vbi loquitur de generatione Christi in principio Incarnationis facta.

Sexta Expositio est, quod Filius est quidem terminus prædestinationis, sed impropriè, vt sensus sit, prædestinatum esse hunc hominem esse Filium Dei. Pro hac Sentẽtia solum refert *Suarez*, *Durandum*, & *Paludanum*, sed *Vazquez Disput.* 91. *Cap.* 1. vlterius adducit *Marsilium*, *Gabrielem*, *Almaynum*, & *Scotum in* 3. *Distinct.* 7. *Quæst. Vnic. in* 4. *Solut. ad* 1. At verò *Suarez* adducit *Scotum* ibidem *Quæst.* 3. pro contraria Sententia adducenda, & *Vazquez* in *Disput.* immediata præcedenti *Cap.* 2. refert *Scotum* in eadem *Dist. Quæst.* 3. *Lorca* hic *Disput.* 85. *Memb.* 3. hanc sequitur Sententiam, & *Numer.* 26. intendit probare esse mentem *Sancti Thomæ* Argumentis postea adducendis, sed *Sanct. Doctor* hanc Sententiam refert, & reijcit, vt infra patebit.

Extremum verò affirmatiuum, & Sententia Capitalis est omnibus præcedentibus contraria, quod verba Apostoli sunt cum omni proprietate accipienda, ita quod quando dicitur, *Christus Prædestinatus est Filius Dei*, subiectum prædestinationis est *Christus*, & terminus *Filius Dei naturalis*, & actio prædestinandi hoc subiectum ad illũ terminum est propria prædestinatio. Hæc est Vltima Explicatio Apostoli, & vera Sẽtentia à Nobis tenenda. Eam tenet *Augustinus Lib. de Bono Perseuerantiæ Cap. Vltim.* & *Tract.* 105. *in Ioann.* & *Lib. de Prædest. Sãctor. Cap.* 15. *Sanct. Bernardus Lib.* 5. *de Consideratione circa finem*, *Glossa Interlinealis*, *Lyra*, *Carthusianus*, *Beda*, *Adamus*, & *Sanct. Thom.* ad verba Pauli. Ex Scholasticis *Magist. Sent.* in 3. *Dist.* 7. *Bonauentura*, & *Sanct. Thom.* ibidem, *Richardus Artic.* 1. *Quæst.* 3. *Scotus Quæst.* 3. *Alensis* 3. *Part. Quæst.* 3. *Marsilius Quæst.* 7. Quos refert, & sequitur *Suarez* hic *Disput.* 50. *Sect.* 2. eam etiam tenent *Vazquez* hic, *Caietanus*, *Medina*, *Asturicensis*, *Cabrera*, *Nazarius*, *Aluarez* locis citandis Artic. Sequent.

Hæc Etiam Sententia Capitalis plures patitur Explicationes, non iam circa verba Pauli, sed in modo intelligendi, seu explicandi sub qua formalitate, aut ratione *Christus* sit subiectum, & *Filius* terminus prædestinationis. Sed quia in hoc est tota Difficultas prædestinationis Christi Domini, ideò illud reseruamus *Artic. Sequent.* In præsenti verò solum disputabimus contra Aduersarios non admittentes hanc explicationem explicando principia in quibus omnes Authores illam admittentes conueniunt.

Pro Cuius intelligentia Notandum est ex *Sanct. Thom.* Quod prædestinatio Christi in aliquo conuenit, & in aliquo disconuenit cum prædestinatione aliorum. Conuenit quidem ex parte prædestinantis, quia vtrobique Deus est, & vtraque prædestinatio est à tota Trinitate (vt dictum est *Art. Præced. ad* 2.) Etiam ex parte prædestinati est conuenientia, quia in Christo etiam cõsideratur prædestinatio respectu gratiæ, & gloriæ, ad quam Homines, & Angeli prædestinantur, sed differunt, quia gratia habitualis, & gloria est quasi terminus primarius prædestinationis illorum; in Christo verò est secundarius, quia datur alius terminus primarius, qui est filiatio, seu esse Filium Dei naturalem: *Et secundum hoc attenditur essentialis differentia inter prædestinationem Christi, & nostram, quia differentia cuiuslibet operationis attenditur penès terminum ad quem; illud autem ad quod est prædestinatio non est vnius rationis in Christo, & in nobis, quia prædestinatio Christi est ad Vnionem in Persona; prædestinatio autem nostra ad Vnionem per operationem, aut per habitum assimilantem; & hæ duæ Vniones non sunt vnius rationis, sed se habent secundum prius, & posterius, & perfectum, & diminutum, & ideò prædestinatio Christi, & nostra non est vnius rationis secundum Vniuocationem, sed secundum Annalogiam.* Hæc *Sanct. Doct.* in 3. *Dist.* 10. *Quæst.* 3. *Quæstiunc.* 2. *in Corp.* Et in Præsent. Art. 1. ad 1. *Quia alij prædestinantur Filij adoptiui, Christus autem est Filius Dei naturalis, ita quodam singulari modo est prædestinatus.*

Ex Quo Constat, Quod quia proprius terminus prædestinationis Christi per quẽ pluſquam specificè differt à nostra, siquidem Analogicam solum, & non Vniuocam conuenientiã inter illas posuit *Sanct. Thom* est esse Filium Dei naturalem, & in illo est identitas cum subiecto, quia Christus est Filius Dei, ideò est difficultas in hoc puncto, in quo est æquiuocatio in Authoribus oppositæ Sententiæ, quia ponunt prædestinationem terminatam solum ad Vnionem humanitatis cum Persona, non tamẽ posita hac Vnione intelligunt, quod possit ipse Christus prædestinari ad filiationem, quod intendit *Lorca* cum Authoribus allatis pro opposita Sententia in Sexta Explicatione. Tamen *Sanct. Thom.* vtrũque

que terminum posuit, de primo, quem ponit *Lorca* patet in locis à Nobis allatis *Art. Præcedent. Conclus. 3. & 4.* ex ipso adducendis in prima obiectione.

De Secundo Termino Patet, quod *Sanct. Thom.* hic *Art. 1. ad 2.* inquit, explicando illa verba Apostoli, *Cum prædixisset Apostolus, Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, subiunxit, Qui prædestinatus est Filius Dei in Virtute, vt daret intelligere, quod secundum hoc quod est factus ex semine Dauid secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei in Virtute, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam.* Ex quibus verbis hæc propositio colligitur, quod factus ex semine Dauid secundum carnem, est subiectum quod prædestinatur Filius Dei. Et ibidem ad 3. inquit, *Melius dicendum, quod illa antecessio, quam importat hoc participium* Prædestinatus, *non refertur ad Personam secundum se ipsam, sed ratione humanæ naturæ, quia scilicet Persona illa, & si ab æterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in humana natura fuerit Filius Dei.*

Et Post Pauca. *Et considerandum, quod licet hoc participium* Prædestinatus *importet antecessionem, prædestinari autem pertinet ad aliquem secundum quod est in apprehensione alicuius præordinantis; id autem quod subest alicui formæ, vel naturæ secundum rem, potest apprehendi, vel vt est sub forma illa, vel etiam absolutè, & quia absolutè non conuenit Personæ Christi, quod inceperit esse Filius Dei, conuenit autem ei secundum quod intelligitur, vel apprehenditur, vt in natura humana existens (quia scilicet hoc aliquando incæpit esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei,) ideò hæc est vera Christus est prædestinatus Filius Dei.* In quibus verbis ponit *Sanct. Thom.* antecessionem requisitam ad prædestinationem, & illam verificat de Persona Diuina Verbi comparatiuè ad filiationem, & non secundum se, sed ratione naturæ humanæ, scilicet prout subsistens in natura humana, & prout sic subsistens inquit prædestinari Filius Dei, quatenus per apprehensionem sub illa formalitate, *Vt subsistens in natura humana* præintelligitur prædestinari Filius Dei.

Et Art. 2 ad 3. inquit, *Potest dici, quod Filius hominis prædestinatus sit esse Filius Dei* Et statim, *Propriè potest dici, quod Christus secundum quod homo est prædestinatus esse Filius Dei.* Ecce ponitur ex parte subiecti prædestinationis *Filius hominis*, vel *Christus* secundum quod homo, & de isto propriè dicitur, est prædestinatus esse Filius Dei.

Ad Has Authoritates Respondet *Lorca Memb 3. Num. 26* Quod *Sanct. Thom.* reddit rationem sic, *Quia scilicet hoc aliquando incæpit esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei*; ex quibus patet *Sanct. Thomam*, non alium sensum admisisse, quã illum quo enunciatur complexum, vt homo esset Filius Dei.

Sed Certe hoc non euertuat vim Argumenti, quia causalis *Sancti Thomæ* est vera, & necessaria. Est quidem vera, quia Filius Dei ab Æterno est ipsa Persona Verbi, sed ipsa in tempore existens, vel subsistens in humana natura, etiam prout sic incipit esse Filius Dei, quia ab Æterno non erat existens in humana natura, & ideò ab æterno non potuit incipere esse Filius Dei, nec secundum se, neque prout existens in humana natura, sed in tempore, quando incepit esse subsistens in humana natura prout sic subsistens incepit esse Filius Dei.

Ex Quo Patet, Quod etiam est necessaria ista causalis *Sancti Thomæ*, Quia si non esset subsistens in humana natura non posset Persona Verbi prædestinari Filius Dei; debet ergo præintelligi subsistens, & quia sic est subsistens intelligitur prædestinatus vt sit Filius Dei. Vnde distinctus est sensus *Sancti Thomæ* ab illo quem intelligit *Lorca*, quia in illo complexo *Filius Dei factus est homo* prius intelligitur Vnio Personæ cum humanitate, & hoc vnitum est prædestinatum, vt dictum est *Art. Præced. Conclus. 2.* sic vnitum esse. Et hoc explicatur per ly *Christus*, vel ly *Homo*, vel *Subsistens in natura humana*; sed vltra hoc *Sanct. Thom.* inquit, quod hic homo prædestinatur, vt sit Filius Dei. Pro quo est specialis locus in *3. Distinct. 10. Quæst. 3. Quæstiunc. 1. ad 1.* vbi inquit, *Prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam Vnionem, quia filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed consequitur ad Vnionem.* Ecce ponitur à *Sanct. Thom.* primus, & secundus effectus prædestinationis; ergo non solum facit sensum intentum à *Lorca*, sed vlterius facit sensum à nobis explicatum.

Præterea Sanct. Thom. in *3. Distinct. 7. Quæst. 3. Art. 1. ad 1.* inquit, *Dicendum quod diuersa consideratio nihil variat eorum, quæ sunt in re; variat autem ea, quæ pertinent ad actum animæ.* Prædestinatus *autem est participium, quod imponitur ab actu animæ, scilicet*

licet præuidere, vel præordinare, & ideò quãuis suppositio æterno non conueniat secundum se prædestinari esse Filium Dei, conuenit tamen sibi secundum quod est humanæ naturæ suppositum. Vbi quia prædestinatio est actus animæ potest cadere sub illo quod iam est, scilicet secundum quod est humanæ naturæ suppositum, & vt sic prædestinari Filius Dei, sicut homo albus incipit cogitari quod sit homo. Et ibidem ad 5. *Dicendum, quod licet homo non præintelligatur ad Filium Dei ratione suppositi, tamen præintelligitur ratione naturæ.*

In Quibus Verbis pro nunc solum expendo ad indagandam mentem *S. Thom.* quomodo non potest esse sicut explicat *Lorca*, quia soluit eius fundamentum, quod etiam fuit *Durandi*, & ponit præcedentiam secũdum rationem, & si esset sensus, quem intendit *Lorca*, scilicet *Prædestinatum est hominem esse Deum*, non esset necessaria hæc distinctio rationis, nec *Sanct. Thom.* negaret hanc propositionem, *Filius Dei est Prædestinatus*, sicut illam sæpè sæpius negat.

Sufficiat Locus præcipuus allatus *Art. Præcedent* scilicet in 3. *Distinct. 7. Quæst 3. Art. 2. Quæstiunc. 3. in Corp. & ad 1* Quia si sensus est iste, *Prædestinatum est Filium Dei esse hominem*, nulla inferioritas, nec posterioritas ponitur in Filio Dei, & sic propter hoc non deberet negari, sicut negatur à *Sanct. Thom.* loco citato Immo istum sensum impugnauit *Sanct. Doct.* hic *Artic. 1. ad 2.* dicens: *Nisi forte quis vellit sic exponere extorta expositione, qui Prædestinatus est Filius Dei in Virtute, id est prædestinatum est, vt humana natura vniretur Filio Dei in Persona.* Et iste est sensus intentus à *Lorca*, in quo scilicet denotatur complexum, & prædestinatio cadit supra totum complexum, dicendo, *Prædestinatum est hoc complexum Deum esse hominem*, vel *Humanitas vniri Filio Dei*, quod dicitur à *S. Thom.* extorta expositio Verborum Apostoli.

Et Sanct. Augustin. expressè etiam habet hanc Sententiam, in primis de *Prædestinatione Sanct. Cap. 15.* allatus à *Sanct. Thom.* hic Art. 1. ad 3. *Prædestinatus est Iesus, vt qui futurus erat secundum carnem Filius Dauid, esset Filius Dei in Virtute.* Ecce prædestinatus est Iesus, vt esset Filius Dei. Et in eodem Cap. inquit, *Ipsum donum gloriæ, qui in quãtum homo factus est Dei Filius, Prædestinatum esse dicimus.* Quæ etiam adducuntur à *Sanct. Thom* hic *Artic. 2.* in Argument. Sed contra. Et superiùs ad hæc verba in eodem Cap. inquit, *Homo ille Prædestinatus est, vt in Vnitatem Personæ assumptus esset Vnigenitus Filius Dei.* In quibus verbis ponitur, quod ille assumptus in Vnitatem Personæ Prædestinatus est, vt esset Filius Dei.

Respondet *Lorca Memb. 3. Numer. 28.* Quod licet *Augustin* concesserit propositionem illam, non fuisse solicitum de rigore, & proprietate enunciationis, quia indifferenter loquitur de Prædestinatione naturæ, & de Prædestinatione hominis Christi, & nunc humanitatem, nunc hominẽ Prædestinatum dicit, & in tantum dicit Prædestinatum, in quantum homo factus est Dei Filius.

Sed Hæc Solutio omnino reijcienda est. Quia ex hoc quod concedatur *Humanitas Prædestinata*, & etiam *Homo Prædestinatus*, solum sequitur, quod *Augustinus* vtrumque teneat, & hoc non est inconueniens. Nos etiam vtrumque tenemus, quia vtrumque est *Sanct. Augustin.* & *Sanct. Thom.* Vnum in *Artic. Præced. Conclus. 2.* & aliud hic; & sic male addit, quod Authoritas *Augustini* nõ confirmat nostram Sententiam, & quod *S. Augustinus* dicat illam causalem, quia factus est homo, non obest, sed potius iuuat, vt etiam diximus de *S. Thom.*

Et Etiam falsò asserit *Vazquez Disput. 90. Cap. 3. Numer. 20.* Quod ex *Augustino* non potest hæc Sententia comprobari, & adducit aliqua testimonia, ex quibus inquit non posse probari, & nullum ex istis tribus adductis à *S. Thom.* hic *Artic. 1.* adducit, & quæ ipse adducit, non adducuntur à *Sanct. Doct.* & quæ adducuntur à *S. Thom.* debebat ipse adducere, & soluere.

Probatur Ratione Primo. Prædestinatio Christi est exemplar Prædestinationis nostræ; sed prædestinatio nostra est propria; ergo & Christi Prædestinatio. *Maior* est *Sanct. Thom.* hic *Art. 3. in Corp.* & admittitur à *Lorca* supra *Quæst. 1. Disp. 10. Memb. 2. Numer. 22.* Minor ab omnibus admittitur. *Consequentia verò Probatur* Nulla ratio communis exemplari, & exemplato est propria in exemplato, & impropria in exemplari; quæ vniuersaliter est vera; & Ratio à priori est; Quia exemplarum dicitur tale, quia vniatur exemplar, & participat eius perfectionem; ergo si nostra prædestinatio est exemplata à prædestinatione Christi, & nostra Prædestinatio est propria, etiam Prædestinatio Christi est propria.

Si Dicatur, Quod Prædestinatio Christi est

est exemplar nostræ Prædestinationis, secundum quod Christus prædestinatur ad gratiam, & gloriam, ad quam nos prædestinamur, non vero secundum quod prædestinatur Filius Dei.

Contra. Quia *Sanct. Thom.* expressè hic *Art.* 3. inquit, *Prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis, primo quidem quantum ad bonum ad quod prædestinamur; ipse enim est prædestinatus ad hoc quod esset Filius Dei naturalis, nos autem prædestinamur ad filiationem adoptiuam, quæ est quædam participata similitudo.* Et ad 3. & in 3. Dist. 10. Quæst. 3. Quæstiunc. 2. in Corp. supr. cit. idem habet. *Et Ratio est clara.* Quia gratia, & gloria nostra est eiusdem speciei at homæ cũ gratia, & gloria Christi quo ad substantiam, & sic propter hoc non potest esse vna exemplar, & alia exemplata, nec prædestinatio prout terminata ad illas, quia vt habet *Sanct. Thom.* in *Quæstiunc. proximè cit.* ratio specifica prædestinationis sumitur penes terminum, & ideò ponit in Christo Vnionem ad Personam tanquam terminum, & in nobis gratiam habitualem.

Si Vero Dicatur, Illud principium non esse vniuersaliter verum, scilicet, quod ratio, quæ est propria in exemplato, debet esse propria in exemplari, quia idea de domo, quæ est in mente artificis, immo in mente diuina (& idem est de multis alijs creaturis) non habet propriè rationem domus, & est exemplar domus positæ à parte rei, quæ est exemplata, & propriè domus.

Contra. Quia ratio domus non inuenitur in mente humana, vel diuina, sed solum à parte rei, & principium vt positum est, scilicet de rationibus, vel de prædicatis, quæ verè, & formaliter sunt in exemplari, & in exemplato, nullam habet instãtiam, & huiusmodi est ratio prædestinationis, quia prædestinatio Christi (vt etiam concedit *Lorca*) est verè prædestinatio, & negat quod sit propria; & conuincitur quod sit propria, quia est exemplar prædestinationis propriæ, hæc enim est sicut perfectiones simpliciter simplices, quæ magis propriè sunt in Deo, quam in nobis propter hanc rationem, & non est simile de alijs, quæ solum sunt eminenter.

Confirmatur Exemplo *Sanct. Thom.* verbis proximè allatis. Filiatio adoptiua nostra est quædam participata similitudo prędestinationis naturalis Christi, & ideò si nostra filiatio adoptiua est propria filiatio, magis propria est filiatio Christi naturalis; ergo similiter si prędestinatio nostra est exemplata, & participata à prędestinatione Christi, & nostra est propria, magis propria debet esse prędestinatio Christi. *Patet Consequentia.* Tum à paritate, quia penes filiationes istas assignat *Sanct. Thom.* differentiam inter istas Prædestinationes. Tum propter eamdem rationem, scilicet propter istam causalem, *Quia filiatio adoptiua est participata similitudo filiationis naturalis*, quia etiam prędestinatio nostra in quantum exemplata est participata similitudo Prędestinationis Christi.

Secundo Principaliter Probatur. Quando est aliqua ratio communis analogicè ad duo extrema, non potest esse propria in analogato minus principali, & propria in analogato principaliori, hoc enim est cõtra naturam analogię in quacumque specie; sed ratio Prędestinationis est analoga ad Prædestinationem Christi, & nostram; ergo si nostra Prædestinatio est propria, implicat quod Prędestinatio Christi non sit propria. *Maior* supponitur, *Minor* est *Sanct. Thom.* in 3. *Distinct.* 10. *Quæst.* 3. *Quæstiunc.* 2. *in fine Corporis*, vbi inquit, *Et ideò Prædestinatio Christi, & nostra, non est vnius rationis secundum Vniuocationem, sed secundum analogiam.*

Et Quamuis aliqui Moderni dicant solum differre specie, tamen *Sanct. Thom.* negat Vniuocationem in his verbis, & rationem assignat, quia Vnio ad Deum per grãtiam, & operationem, & Vnio in Persona non sunt eiusdem rationis, sed se habent secundum prius, & posterius, & perfectum, & diminutum: & secundum istas vniones premiserat differentiam inter istas prædestinationes, & cum vna Vnio sit substantialis, & alia accidentalis per habitum gratiæ, conuenientia solum potest esse analoga, quia substantia, & accidens formaliter talis non possunt vniuocè conuenire. *Consequentia verò Probatur.* Quia nullus negauit analogatum magis principale esse Prædestinationem Christi, nostram verò minus principale, siquidem ista est exemplata ab illa.

Tertio. Prędestinatio est actus intellectus; ergo non petit distinctionem realem inter extrema. *Patet Consequentia.* Quia multi actus interiores animę possunt versari circa idem in re, distinctum tamen per rationem (de quo sunt plura exempla adducenda *Artic. Sequent.*) & ideò *Sanct. Thom.*

Thom. in 3. *Distinct.* 7. *Quæst.* 3. *Artic.* 1. *in Argument.* 5. & in *Solutione eius* admittit hanc propositionem; sed inter Verbum, vt Vnitum naturæ humanæ, & vt Filius Dei est sufficiens fundamentum ad distinctionem rationis; ergo est sufficiens capacitas ad veram prædestinationem. *Probatur Minor.* Quia vt terminat naturam diuinam, & vt terminat naturam humanam potest distingui illa ratio terminandi.

Confirmatur. Si esset distinctio realis inter terminum, & subiectum Prædestinationis Christi, sicut & nostræ, non esset diuersæ rationis à nostra formaliter, saltem sicut *Sanct. Thom.* colligit rationem Prædestinationis ex termino; ergo.

Soluuntur Argumenta.

Primo Obijcit Lorca hic *Memb.* 3. *Numer.* 26. Sanct. Thom. dicentem, quod Prædestinatum est Christum esse Filium Dei, quia in tempore factum est, vt Filius Dei esset homo, & homo Filius Dei. *Respondetur*, Quod ex hoc non sequitur, quod *Sanct. Thom.* non ponat prædestinationem Christi ad filiationem, quia illa causalis est necessaria, etiam ad hanc prædestinationē, vt dictum est in probatione Conclusionis ex *Sanct. Thom.*

Secundo Obijcit Memb. 2. & 13. *Num.* 27. Sanct. Thom. supra *Quæst.* 16. *Artic.* 7. docet, Quod hæc propositio, *Homo factus est Deus*, vel *Filius Dei*, in sensu improprio est vera; & similiter ista est vera in sensu improprio, *Homo prædestinatus est Filius Dei*, sed *Sanct. Thom.* ibi inquit, quod ista, *Homo factus est Filius Dei*, est falsa in sensu proprio; ergo etiam ista erit falsa in sensu proprio, *Christus*, vel *Homo prædestinatus est Filius Dei.*

Respondetur ad Maiorem transeat totum, quia de sensu improprio non est disconuenientia. *Ad Minorem* Concedimus illam, sicut diximus in illo *Artic.* 7. *cit.* & Negatur Consequentia. Ratio disparitatis est *Sanct. Thom.* hic *Art* 1 *ad* 3. & in 3. *Distinct.* 7. *Quæst.* 3. *Artic.* 1. *ad* 1. Vtrobique enim potuit hoc Argumentum, & soluit eadem solutione, scilicet, *Licet hoc participium* Prædestinatus *importet antecessionē, sicut hoc participium* Factus, *aliter tamen, & aliter, nam* Fieri *pertinet ad ipsam rem secundum quod in se est*, Prædestinari *autem pertinet ad aliquem secundum quod est in* A *apprehensione alicuius.* Ex quo infert, *Ideò magis est hæc vera, Christus est Prædestinatus Filius Dei; quam ista, Christus est factus Filius Dei.* Vbi ly *Magis* forsan ponitur à *Sanct. Thom.* quia in aliquo sensu improprio est aliqualiter vera illa *Christus factus est Filius Dei*, & sic explicat *Caietanus.* Tamen *in* 3. absolutè dixit, quod est falsa, sicut dixit etiam *Quæst.* 16. *Art.* 7. sin. pliciter loquendo.

Contra. Actio intellectus diuini terminatur ad rem prout est in se, non minus B certè quam factio ipsa; ergo id quod fit à parte rei prout sic cognoscitur ab intellectu diuino; ergo sicut factio terminatur ad rem prout est in se, etiam actio intellectus diuini.

Respondetur, Quod cognoscendo sic cognoscit res intellectus diuinus prout sunt in se, sicut factio facit illas prout sunt in se, sed est differentia, quod factio, neque appellat, neque præscindit rationes formales, & ideò fertur ad totum suppositum. & C ideò est falsa illa propositio, quia falsum est, quod suppositum fiat Filius Dei: apprehensio vero in eodem supposito cognoscit aliquid, vel aliquam rationem formalem, scilicet esse subsistens in natura humana, ratione cuius prout sic potest prædestinari, quia vt sic subsistens in humana natura non semper fuit Filius Dei, & hoc potest incipere esse ex vi Prædestinationis, vt inquit *Sanct. Thom.* hic *Art.* 1. *ad* 3.

Contra. Prædestinatio est de illo, quod D fiendum est in tempore, quia si prædestinatur, & non fit, fallitur prædestinatio; sed Prædestinatur Christus esse Filius Dei ab æterno; ergo in tempore Christus fit Filius Dei. *Patet Consequentia ex Maiori*, Quod Prædestinatur ab æterno in aliquo tempore fit; ergo si ab æterno prædestinatur Christus esse Filius Dei, in tempore fit Filius Dei, vel frustratur prædestinatio.

Respondetur, Quod hanc Replicam posuit hic *S. Thom. Artic.* 2. *Argum.* 1. & 3. & E Respondetur, ex eius doctrina *ad* 1. Quod hæc propositio *Christus prædestinatus est esse Filius Dei*, duplicem sensum potest facere. *Primus est*, Quod prædestinetur. *Secundus*, Quod Christus fiat Filius Dei, ita quod ipsa factio sit prædestinata, & hoc modo benè probat Argumentum, quia si esset prædestinatum sic, sic deberet fieri; tamen non est sic prædestinatum, sed in secundo sensu, scilicet quod Prædestinatio cadat supra hoc quod est, *Christum esse Filium Dei*, non

per

per factionem intercedentem inter Christum, & Filium Dei, sed per Vnionem Personæ humanitati, vt suppositum eius, & ideò hoc debet à parte rei poni sine factione, ne frustretur prædestinatio, quia sic prædestinatum est.

Contra. Quia hæc est falsa, *Deus est factus Filius Dei*, etiam ista est falsa, *Deus est prædestinatus Filius Dei*, & si illa esset vera, etiam ista, etiam ex vi causalis, hoc est, quia illa est vera, etiam ista; ergo si hæc est falsa, *Christus est factus Filius Dei*, etiam ista erit falsa, *Christus est prædestinatus Filius Dei.* Patet Consequentia à paritate, ex vi causalis est eadem ratio.

Confirmatur. Nulla est prædestinatio, quæ non inuoluat factionem, siue præsuppositiuè formaliter, siue virtualiter, *Verbi grat.* Si prædestinatur homo ad gloriam, præsupponitur factio hominis formaliter, si prædestinatur Christus, præsupponitur factio Christi saltem virtualiter; ergo si negatur factio, non potest affirmari prædestinatio.

Respondetur, Quod in hac Replica est æquiuocatio, sicut in præcedentibus propter differentiam inter ista duo participia *Factus*, & *Prædestinatus*, quia *Factus*, vt habet *Sanct Thom.* supra *Quæst.* 16. *Art.* 7. & ibi diximus, ponit mutationem in prædicato propositionis, & ideò hæc, *Deus factus est homo* est vera, quia Factio denotat in prædicato mutationem: & propter eamdem rationem est falsa hæc, *Homo factus est Deus.* At verò *Prædestinatus* non ponit mutationem, vel temporalitatem, vel inferioritatem necessario in prædicato propositionis, sed vel in prædicato, vel in subiecto, vel in vtroque. In vtroque sicut in hac, *Homo prædestinatus est ad gloriam*: In prædicato sicut in hac, *Filius Dei est prædestinatus esse homo*: In subiecto, sicut in hac, *Hic homo*, seu *Christus Prædestinatus est Filius Dei*; Omnes istæ sunt veræ. Quando tamen ponitur ex parte prædicati propositionis mutabilitas, prædestinatio accipit illud prædicatum tanquam subiectum Prædestinationis, propter quod est vera illa, *Filius Dei prædestinatus est homo.* Si autem poneretur, quod subiectum prædestinationis esset solum subiectum propositionis, scilicet solum ly *Filius*, & non prædicatum, scilicet *Homo*, esset falsa, vt dictum est *Artic. Præced. Conclus.* 1 & ad 3.

Patet Ergo Differentia, Quod *Factus* ponit mutationem in prædicato propositionis, comparatiuè tamen ad suppositum subiecti, *Prædestinatus* verò non ponit, nisi vel in subiecto, vel in prædicato. Vnde quotiescumque ponitur mutabilitas sufficiens ad verificandum participium *Factus*, à fortiori ponitur mutabilitas requisita ad participium *Prædestinatus*; non tamen è contra, quoties ponitur mutabilitas sufficiens ad participium *Prædestinatus*, ponitur mutabilitas requisita ad participium *Factus*, quia *Prædestinatus* ex parte subiecti ratione formalis, vel prædicati ponit temporalitatem, quia supra vtrumque potest ferri actus prædestinandi tanquam supra subiectum prædestinatum: *Factus* vero ponit mutabilitatem comparatiuè non ad formale subiecti, sed ad materiale. Ex quo patet, quod ex factione sequitur capacitas prædestinationis semper; ex prædestinatione verò non sequitur capacitas factionis semper, quia quando verificatur *Prædestinatus* propter temporalitatem subiecti ratione formalis solum, non attingendo mutabilitatem prædicati propositionis, si ponatur *Factus* falsificabitur, quia *Factus* exigit mutabilitatem prædicati.

Ex Quo Patet Ad Argumentum, Quod licet in sensu absoluto istæ ambæ sint falsæ, *Deus est factus Filius naturalis Dei*, & hæc, *Deus est prædestinatus Filius naturalis Dei*, tamen non propter causalem, scilicet, quia prima est falsa, secunda est falsa, sed quia in vtraque tam in subiecto, quàm in prædicato est incapacitas tam ad factionem, quàm ad Prædestinationem. & ideò negandum est illud, quia illa est falsa, hæc erit falsa propter causalem, sed causalis est, quia nulla temporalitas, vel inferioritas requisita ad Prædestinationem ponitur ex parte subiecti, vel prædicati. E contra vero istę duę, *Deus est factus Filius Dei*, & *Deus est prædestinatus Filius Dei*; Si prima esset vera, etiam secunda vera esset, non solum in sensu absoluto, sed etiam in sensu causali, quia factio ponit à fortiori mutabilitatem sufficientem ad prędestinationem.

Et Similiter loquendum est in istis, *Homo*, vel *Christus factus est Filius Dei*, & *Christus prædestinatus est Filius Dei*, si prima esset vera, à fortiori secunda vera esset; si tamen prima est falsa, non sequitur quod secunda sit falsa, ex eo quod ponit factionem in prędicato comparatiuè ad suppositū subiecti, & sensus est, quod suppositum subiecti de nouo fit Filius Dei, quod est falsum, secunda verò non exigit hoc ad sui veritatem,

tem, sed solum, quod in subiecto propositionis ratione formalis sit inferioritas, vel posterioritas ad prædestinationem, non ponendo mutabilitatem in prædicato.

Ad Confirmationem iam patet ex dictis, quod licet prædestinatio Christi sit vnus actus formaliter, virtualiter est multiplex, & vna virtualitas potest præintelligi ad aliam, & prima formalitas facit subiectum Christum significatum per ly *Deus factus est homo*, & alia formalitas ipsum Christū prædestinat vt sit Filius; vnde non negatur factio præsuppositiua, sed solum formalis, scilicet comparatiuè ad prædicatum *Filius*, respectu cuius conceditur prædestinatio.

Tertio Arguitur. Christus nec in quantum Deus, nec in quantum homo est prædestinatus Filius Dei naturalis; ergo absolutè non est prædestinatus Christus, vt sit Filius Dei naturalis *Antecedens quo ad Primam Partem Patet.* Quia in quantum Deus non potest prædestinari, quia non est inferior, neque posterior ad prędestinationē. *Quo ad Secundam Probatur.* Secūdum quod homo, vel in quantum homo nō est Filius Dei; ergo secundum quod homo non prædestinatur esse Filius Dei. *Probatur Antecedēs*, Quia hæc est falsa simpliciter, *Christus secundum quod homo est Filius Dei*, vt habet *S. Thom.* supra *Quæst.* 16. *Art.* 11. Consequentia vero Probatur, Quia hoc est vnusquisque secundum aliquod tempus, quod est prædestinatus esse, eo quod Prædestinatio Dei nō fallitur, quod est dicere, quod id quod prædestinatur esse tale, debet esse tale, vel falleretur, & frustraretur prædestinatio.

Respondetur, Quod *S. Thom.* hic *Art.* 2. proponit hoc Argumentum pro parte negatiua, & Respondet, *Ad Primum Dicendū, quod cum dicitur Christus secundum quod homo est prædestinatus esse Filius Dei, hæc determinatio* Secundū quod homo *potest ferri ad actum significatum per participium dupliciter, vno modo ex parte eius, quod materialiter accidit sub prædestinatione, & hoc modo est falsa, est enim sensus, quod prædestinatum sit, vt Christus secundum quod homo sit Filius Dei, & in hoc sensu procedit obiectio. Alio modo potest referri ad ipsam propriam rationē actus, prout scilicet prædestinatio importat in sui ratione antecessionem, & effectum gratuitum, & hoc modo conueniat Christo ratione humanæ naturæ, vt dictum est* (scilicet in Corpor.) *& secundum hoc dicitur Prædestinatus secundum quod homo.* Hæc S. Thom.

Quod Si Instes: Sed hæc solutio non solvit Argumentum, immo potius eius difficultatē, vel auget, vel confirmat, quia difficultas consistit in hoc, quod hæc propositio, *Christus in quantū homo est Filius Dei* absolutè prolata est simpliciter falsa; ergo etiā ista, *Christus secundum quod homo est prædestinatus Filius Dei*, quia quod prædestinatur, est, vel si non est, aut non prædestinatur, aut fallitur prædestinatio.

Respondet Cabrera hic *Art.* 1. *Disp.* 1. *ad* 3. Quod in illa *Christus secundū quod homo est Filius Dei*, ly *Secundū* sumitur reduplicatiuè, in ista vero *Christus secundū quod homo est prædestinatus Filius*, ly *Secundū* sumitur specificatiuè, propter quod ista est vera. Quæ solutio etiam ab alijs Modernis adducitur.

Sed Etiam hæc solutio adhuc non satisfacit, si amplius non addatur, quia de hoc quæritur ratio, quare in vna sumatur reduplicatiuè, & in alia specificatiuè, vtraque absolutè prolata, quia in sensu specificatiuo etiā illa est vera, *Christus secūdum quod homo est Filius Dei*, vt docet *S. Thom.* in illa *Quæst.* 16. *Artic.* 11. *in Corp.* & quia sumitur reduplicatiuè inquit, quod simpliciter est falsa; ergo etiam ista *Christus in quantum homo est prædestinatus Filius Dei*, si specificatiuè solum est vera, simpliciter, & absolutè erit falsa, quia reduplicatiuè est falsa.

Respondetur, Quod verum est, quod Christus in quantum Deus non est prædestinatus Filius Dei propter rationes positas in Argumento, vt diximus *Art. Præced.* Ista vero est falsa, *Christus in quantū homo est Filius Dei* formaliter, vt diximus cū *S. Thom.* supra *Quæst.* 16. *Art.* 11. cit. (quamuis concedendum sit secundum fidem, quod Christus absolutè sine reduplicatione est Filius Dei naturalis, vt diximus *Quæst. Præced.* & etiam specificatiuè, vt ibidem diximus) sed ista simpliciter est vera, *Christus secundū quod homo est prædestinatus Filius Dei*, non tamen taliter, quod ly *Secundum quod homo* faciat sensum, quod humana natura sit causa prædestinationis; in hoc enim sensu est falsa, quia in omnibus hominibus esset causa prædestinationis, sicut quia est causa risibilitatis, in omnibus hominibus causat risibilitatem. Alio modo taliter, quod solum sit ratio præbens capacitatem, vt aliquis sit susceptiuus prædestinationis, vel capax vt prædestinetur, & quia ratione humanæ naturę Persona Verbi subsistens in humana natura, vel Christus est capax prædestinationis, quia solum ratione humanæ naturæ reperitur antecessio in

prædestinatione, & ratio gratuiti, ideò ratione humanæ naturæ conuenit Christo prædestinari, & reduplicando in hoc sensu est vera simpliciter, *Christus in quantũ homo est prædestinatus Filius Dei.* Quæ est doctrina *S. Thom.* hic *Art. 2. ad 2. & in Corpor.*

Ex Qua Manet explicata solutio allata *ad* 1. In qua ponitur disparitas inter has duas propositiones, quia in vna non ponitur participiũ *Prædestinatus*; & in alia ponitur, & ideò reduplicatio in vna est falsa, & in alia est vera, quia sensus est, quando non ponitur participium *Prædestinatus*, quod à parte rei humana natura est ratio quare cõueniat Supposito Christi filiatio, quæ illi naturaliter conuenit, & ab æterno, & ante sumptionem humanæ naturæ, & ideò est falsa: quando vero ponitur, facit sensum, quod ratione humanæ naturæ conuenit illi supposito per gratiã Vnionis esse Filium Dei, & hæc est vera, quod optimè explicuit *Caietanus* hic *Art. 2. circa Solut. ad* 1.

Itaque Dupliciter potest hoc prædicatum *Filius Dei* cõuenire Supposito Christi, vel naturaliter, quia illud suppositum à natura sua, & ex vi generationis æternæ est Filius Dei, & si huius conuenientiæ ponatur humana natura tanquam ratio conueniendi, est falsa; & hoc ponitur in prima propositione, solum quia non ponitur participium *Prædestinatus*, quod appellat, & limitat ad alium sensum, & ablata limitatione manet sensus absolutus. Alio modo potest conuenire per gratiam, & ad hoc est necessarium; quod illi supposito superaddatur aliqua ratio, ratione cuius possit fieri gratia. & hæc est humana natura, & hæc conuenientia per gratiam explicatur per participium *Prædestinatus*, quia sensus est, quod per gratiam prædestinationis, Christus in quantum homo est Filius Dei, & hoc est verum, quia ratione humanæ naturæ solius est capax illud suppositum gratiæ prædestinationis, & gratiæ Vnionis, & hoc quod prædestinatur ita est à parte rei, sed non explicatur per illam propositionem, *Christus in quantum homo est Filius Dei*, quia nulla particula ponitur, quæ determinet ad gratiam Vnionis. Si autem poneretur, dicẽdo, *Christus in quantum homo per gratiam Vnionis est Filius Dei*, sufficienter, & benè explicatur, in quo cautè *Caietanus.*

Et Similiter ista est vera, *Christus in quantum iste homo est Filius Dei*, vt habet *Sanct. Thom. Quæst. 16. cit. Artic. 11. ad 3.* Quia illa particula *Iste* demonstrat suppositum super quod etiã cadit reduplicatio, & consequenter ista est vera, *Christus secundum quod iste homo est prædestinatus Filius Dei*, & etiam hæc est vera, *Christus est prædestinatus Filius Dei*, & etiam ista, *Homo est prædestinatus Filius Dei*, quia de vno supposito naturæ humanæ verificatur.

Quarto Arguitur. Si Christus in quantum homo est prædestinatus Filius Dei, sequitur quod Filius Dei sit prædestinatus Filius Dei absolutè. *Patet Sequela*, per communicationem Idiomatum quidquid prædicatur de Christo in quantum homo, prædicatur de Deo, sicut è contra, & ideò istæ sunt veræ, *Deus est natus, mortuus, crucifixus, &c.* & istæ, *Homo est Filius Dei naturalis, est omnipotens, vel Vnigenitus.*

Respondetur, Quod hoc Argumentum posuit *Sanct Thom.* in 3. *Distin.* 7. *Quæst.* 3. *Art.* 2. *Quæstiunc.* 2. *Argument.* 2. & ad *Anibaldum Dist.* 10. *Quæst Vnic. Artic.* 4. *in secundo loco*, & Respondet, *Dicendum, quod illa, quæ prædicantur de Filio Dei in quantum est homo non habent aliquam repugnantiam ad Filium Dei, & ideò non est similis ratio.* Hoc est, quod quando aliquid prædicatur de Christo in quantum homo, & non habet repugnantiam ad Filium Dei, possunt de illo prædicari, & hoc modo sunt prædicata posita. Non tamen est similis ratio de prædestinatione, quia prædestinatio inuoluit repugnantiam, quia inuoluit inferioritatẽ, & posteriotatem, quod repugnat Filio Dei secundum se, sicut etiam quod sit creatura, vt diximus supra *Quæst. 16. Art. 8 & 10.* Et esse mutabilem, vt diximus ibidem *Art. 4. Concluſ. 4.* & eodem modo prædicata diuina, quæ repugnant homini non prædicãtur de illo in quantum homo, sicut esse à se, vel esse ens per essentiam, propter reduplicationem, vt diximus ibidem *Concluſ.* 1.

Vltimo Arguitur Fundamento potissimo contrariæ Sententiæ. Inter Christum, & Filium Dei nulla est anteceſſio, nec distinctio requisita ad prædestinationem, quia eo ipso quod dicitur *Christus* ex parte subiecti dicitur *Filius Dei*, & nulla gratia potest interuenire; ergo nec potest verificari prædestinatio. *Patet Consequentia.* Quia vt verificetur debet supponere subiectũ prius saltẽ in apprehensione diuina, quã prædicatum, & cui per prædestinationẽ conferatur ex gratia vt sit Filius Dei, & non debet prædicatum ipsum includi in subiecto, & esse illi intrinsecum, & naturale; cum ergo hoc subiectum *Homo* non sumptum in com-

communi, nec suppositione simplici, sed Personali, & determinata, vt idem sit, quod *Hic homo*, non præcedat, nec præsupponatur ad filiationem naturalem, sed eam includat, & non est illi gratia esse Filium Dei, sed naturale, & proprium, quod patet, quoniam *Homo*, & *Hic homo* includit suppositum Christi; illud autem Suppositum diuinum est, & non est aliud suppositum, quam suppositum Verbi; ergo illud suppositum non præcedit filiationem, nec eam habet ex prædestinationis dono.

Hoc Argumentum adducit *Lorca* hic *Memb. 2. Num. 15.* & de illo inquit, quod suam Sententiam *Durandus* probat difficillimo Argumento, quod hactenus ab his, qui aliam Sententiam tenent, solutum non est. Et *Asturicensis Pag. 960.* inquit, cuius exactam Solutionem, vt liberè dicam, nec legi, nec audiui. Sed vt & Nos fateamur verum, & dicamus quod sentimus hoc Argumentum tam difficile non fuit excogitatum à *Durando*, quià ante *Durandum* pluries propositum fuit à *Sanct. Thom.* & totics exactè solutum; sed *Durãdus* accipiens Argumentum ex *Sanct. Doct.* noluit Solutionem recipere, & est eadem, qua *Asturicensis* Argumentum soluit, vt videbitur *Artic. Sequent.* & sic potuit illam in *Sanct. Thom.* legere, priusquam ipse excogitaret, ferè eisdem terminis traditam.

Quod Vt Euidentius fiat notandum est, quod in hoc Argumento duæ conditiones prædestinationis tanguntur, in quibus tota eius vis fundatur. *Prima est*, præcedentia saltem secundum rationem subiecti, quod prædestinatur respectu termini ad quem prædestinatur. *Secunda*, quod terminus cõueniat subiecto ex gratia, & ex vtraque potest formari Argumentum diuisiuè, vel copulatiuè. Diuisiuè *Sanct. Thom.* illud proposuit primo de præcedentia hic *Artic. 1. Argum. 3.* sic, *Sicut illud, quod est factum non semper fuit, ita illud, quod est prædestinatum, eo quod prædestinatio antecessionem quamdam importat; sed Christus semper fuit Deus, & Filius Dei; ergo non debet dici, quod Christus sit prædestinatus Filius Dei.* Omissa tamen paritate de participio *Factus*, quæ quia in alio Argumento allata est, & ad hoc intentum non facit, omittitur. Et in *3. Distinct. 7. Quæst. 3. Artic. 1. in Argument. 1.* proponit sic, *Quod semper fuit, non prædestinatur, quia prædestinatio importat antecessionem; sed homo Christus supponit suppositum æternum, quod semper fuit Filius Dei; ergo non potest dici, quod sit prædestinatus Filius Dei.* Omissa etiam paritate de ly *Factus* vlterius progredi libet.

Denique ibidem *Artic. 5.* sic proponit, *Prædestinatio etiam secundum nomen importat directionem in finem; sed non potest aliquid dirigi in finem nisi* (ad minus secundum intellectum) *sit ante finem illum; cum igitur etiam secundum intellectum Christus non prius intelligatur homo, quam Filius Dei, videtur quod ille homo non possit dici prædestinatus esse Filius Dei.* Ecce in triplici loco propositum Argumẽtum eisdem terminis, quibus adducitur à *Lorca* ex *Durando* quantum ad hanc conditionem de præcedentia.

Quantum ad Secundam de Gratia, quæ sit subiecto sic proponit *Sanct. Thom.* hic Artic. 1. Argument 2. *Non potest dici, quod Christus est prædestinatus ratione Personæ, quia illa Persona non habet ex gratia, quod sit Filius Dei, sed ex natura; prædestinatio autem est eorum, quæ sunt ex gratia; ergo Christus non est Prædestinatus Filius Dei.* Et in *3. Distinct. 7. Quæst. 3. Artic. 1. in Argum. 2.* sic, *Hæc est falsa, diuina Persona, quæ est suppositum æternum est prædestinata esse Filius Dei, quia naturaliter, & ab æterno hoc habet; ergo hæc est falsa, Hic homo est prædestinatus Filius Dei.* Et præmiserat probationem, *Quia homo non importat, nisi humanam naturam, & suppositum æternum.* Ecce in duplici loco propositum hoc Argumentum quãtum ad hanc conditionem de Gratia, & eisdem terminis quibus ab alijs allatum est.

Solutio Autem ponitur in eisdem locis, verbis allatis pro Conclusione, sed vt clariùs applicetur Argumento, aliqua ex illis repetenda sunt. In primis de præcedentia hic *Artic. 1. ad 3.* inquit, *Dicendum, quod illa antecessio, quam importat hoc participium* Prædestinatus *non refertur ad Personam secundum se ipsam, sed ratione humanæ naturæ, quia scilicet Persona illa, & si ab æterno fuerit Filius Dei, hoc tamen non fuit semper, quod subsistens in humana natura fuerit Filius Dei.* Et inferius ibidem, *Absolutè non conuenit Personæ Christi, quod incœperit esse Filius Dei, conuenit autem ei secundum quod intelligitur, vel apprehenditur, vt in natura humana existens, (quia scilicet hoc aliquando incœpit esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei) ideò hæc est vera, Christus est prædestinatus Filius Dei.*

Et in 3.Dist.7.Quæst.3.Art.1.ad 1.*Dicendum,quod diuersa cõsideratio nihil variat eorũ,quæ sunt in re; variat autem ea,quæ pertinent ad actum animæ.* Prædestinatus *autem est participiũ,quod imponitur ab actu animæ, scilicet præuidere, vel præordinare, & ideò quãuis supposito æterno non conueniat secundum se prædestinari esse Filium Dei, conuenit tamen sibi secundum quod est humanæ naturæ suppositum.* Et denique hoc recopilauit ibidem ad 5. *Dicendum, quod licet homo non præintelligatur ad Filium Dei ratione suppositi, præintelligitur ratione naturæ.*

Ex Quibus Omnibus patet solutio ad Argumentum, quæ consistit in hac distinctione, Non est antecessio inter suppositum Christi,& terminum,scilicet Filius Dei, *Distinguo.* Si sumatur suppositum Christi secundum se,& ratione sui. *Concedo.* Si vero sumatur in quantum suppositum humanũ, vel in quantum homo, *Nego.* Prius enim præintelligitur, quod Deus fiat homo, quã quod homo fiat Filius Dei, & sicut homo incipit esse Filius Dei in tempore,etiã Suppositum diuinum prout intelligitur existẽs, vel subsistens in natura humana incæpit esse Filius Dei, & prout sic præintelligitur prioritate rationis ad esse Filius Dei. Quod clarè indicauit *S. Thom.* vltra verba allata hic *Art.1.ad 2.* vbi inquit, *Relinquitur quod Prædestinatio tribuatur Personæ Christi, non quidem secundum se, vel secundum quod subsistit in diuina natura, sed secundum quod subsistit in humana natura. Vnde cum prædixisset Apostolus, Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, subiunxit, Qui Prædestinatus est Filius Dei in Virtute, vt daret intelligere, quod secundum hoc, quod est factus ex semine Dauid secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei in Virtute.* Vbi ponit clarè præcedentiam ex ipsis verbis Apostoli, quod præintelligitur factus secundum carnem,& secundum hoc intelligatur prædestinatus Filius Dei.

Et Non Minus euidenter hoc docuit in 3. *Dist.10. Quæst.3. Quæstiunc.1.ad 1.* vbi inquit, *Dicendum, quod Prædestinatio Christi primam effectum habet ipsam Vnionem, quia filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed consequitur ad Vnionem.* Vbi expendendũ Vnionem esse primum effectum prædestinationis eo ipso quod dicit Vnionem effectam,intelligitur Christus,& hoc primo,& ad hoc sequitur alius effectus, scilicet filiatio. Manifestè ergo *S.Thom.* ponit præcedentiam inter Christum, & filiationem saltem secundum rationem. Quamuis nullus alius locus esset, iste sufficeret ad euidentiam mentis *Sanct. Doct.*

Ex Quo Constat quomodo falsò *Durandus* in 3.*Dist.7.Quæst.3.* imponat *Sanct. Thom.* Quod ex vi Vnionis solum sequatur, quod hæc propositio sit vera, *Christus est Filius Dei*, quia *Sanct.Thom.* vt patet in his verbis non de propositione, sed de eius significato loquitur, vtpotè non nominalis, sed realis;& si propositio est vera, res ita se habet, quia ab eo quod res est, vel non est propositio dicitur vera, vel falsa, & sic *Sanct.Thom.* non posuit solum propositionem, sed etiam eius obiectum sequi ex vi Vnionis.

Quo ad Secundam Conditionem eadem solutio adducitur à *S.Thom.* applicata tamen ad Conditionem de Gratia hic Art.1. ad 2. *Quamuis sit naturale illi Personæ secundum se consideratæ, quod sit Filius Dei, non tamen est ei naturale secundum humanam naturam, secundum quam hoc sibi conuenit per gratiam Vnionis.* Et in 3.Dist.7.Quæst. Vnic. Art.1.ad 2. *Dicendum quod Prædestinatio non est Personæ secundum se, sed Personæ ratione naturæ assumptæ.* Solutio ergo est, quod suppositum Christi secundum se non habet ex gratia,quod sit Filius Dei,sed ratione humanæ naturæ, cui fit gratia:etiã suppositum prout in natura humana, vel prout hic homo ex gratia est Filius, quia non solum est Filius Dei in natura diuina, sed in natura humana, ita non solum est verum, quod vt Deus est Filius Dei, sed vt homo est Filius Dei,& hic inuoluitur gratia ratione humanitatis, ratione cuius ex gratia est homo,& ratione huius est subiectum prædestinationis.

Hæc Solutio vim Argumenti totaliter euacuat,& Nos illam breuiter adduximus 1.*Part.Quæst.23.Disp.7.Art.1.Numer.8.* quantum sufficiebat ad distinguẽdam Prædestinationem Christi à nostra, pleniorem tamen explicationem, vt ibidem diximus ad istum, tanquam ad proprium locum reseruauimus. Quia tamen Moderni aliis variis vijs minus veris, & infirmis hoc Argumentum conantur soluere, relinquendo hanc *Sanct.Thom.* legitimam Solutionem, ideò de hac differentia examinanda instituitur Articulus sequens, vbi amplius explicabitur, & si quæ sunt Argumenta contra illam dissoluentur.

AR-

ARTICVLVS III.

Quæ sit ratio subiecti, & termini in Prædestinatione Christi ad esse Filium Dei?

IN Hoc Articulo iam est dissensio solum inter Modernos, qui *Artic. Præcedent.* conueniunt in Secunda Sententia, quod Prędestinatio Christi ad filiationem sit propria, & tenentur soluere Argumentum Vltimum, & varijs vijs solutionem excogitarunt, quarum probabilitas in hoc Articulo examinanda est. Vis igitur Argumenti consistebat in hoc, quod quia esse Filium non conuenit humanitati, sed supposito, & suppositum est Filius, quia ipse Filius est, qui suppositat, & esse Filium habet naturaliter, & essentialiter; ergo non ex vi Prædestinationis, quia ad Prædestinationem exigitur antecessio saltem secundum rationem subiecti, & quod illi fiat gratia respectu termini. Quæritur ergo, Quæ sit ratio subiecti, & quæ termini, & Quomodo istæ conditiones verificentur?

Pro Quo Prius Notandum est communem esse modum loquendi inter Doctores appellare obiectum prædestinationis, subiectum quod prædestinatur, quod etiam solet dici terminus *Qui*, & terminus *Cui*, & secundum diuersos modos dicendi, & explicandi rationem formalem subiecti, & termini, erit diuersus modus assignandi subiectum *Quod*, & *Quo*, & terminus *Qui*, & *Cui*, & nos in nostro modo dicendi explicabimus. Igitur plures modi adducuntur ab Authoribus dissoluēdi præsentem difficultatem, qui omnes reducuntur ad Sex, & illi ad tria Capita, & quodlibet Caput duos complectitur modos, sicut etiam diximus *Artic. Præcedent.* de contraria Sententia.

Primum Caput ponit aliquam rationem communem esse subiectum, & aliquam particularem, per quam communis contrahitur esse terminum Prædestinationis, & hoc Caput in duos modos diuiditur, primus ratione suppositi solum, secundus ratione totius compositi Christus. *Secundum Caput* ponit subiectum in aliqua ratione particulari, sed possibili, vnus totaliter possibili intra causas, alius in fieri, nec intra, nec extra causas completè; tertium verò vtetque ponit in eadem ratione prout in esse actuali extra causas. *Tertium Caput* iam ponit subiectum extra causas, vnus modus ponit filiationem non esse communicatam ex vi Vnionis, sed subsistentiam, & hanc esse subiectum, filiationem vero terminum: alius verò esse communicatam filiationem, & posse includi in subiecto, & in termino. Ista est differentia Doctorum, & isti modi sunt sigillatim examinandi.

Primus Modus Dicendi.

Quod Cum in Christo sit natura, & suppositum, natura quidem singularis est, & non solum significatur vt *Hæc humanitas* in abstracto, sed vt *Hic homo* in concreto, & ad hoc quod sit hic singularis homo, sufficit quod sit hæc singularis humanitas, & de connotato includatur suppositum non determinatum, & particulare, sed vt abstrahit ab isto, vel illo, à proprio, vel alieno, à creato, vel increato, & inter increata; vt abstrahit à Patre, vel Filio, vel Spiritu Sancto, quia quolibet supposito terminatur natura, & cum ipsa de se habeat singulariratem, quamuis ex parte suppositi non ponatur determinatum suppositum, sed solum ratio communis suppositi intelligatur, quia hæc sufficit, vt natura ponatur in concreto, quia concretum solum indirectè, & de connotato includit suppositum, verificatur hic homo, & iste est subiectum, quod prædestinatur ad esse Filij Dei, quæ est particularis ratio suppositi, & sic verificatur quod hic homo est prædestinatus, vt sit Filius Dei naturalis. Ita *Suarez* hic *Disput.* 50 *Sect.* 2. & *Vazquez Disput.* 90. *Cap* 3. Quos sequuntur alij Moderni ex eadem societate, quamuis diuersimodè loquantur, dicendo, directè significari suppositum, & indirectè naturam, & quantum ad præsens intentum est eadem ratio, dum tamen conueniant, quod vtrumque includitur, & suppositum, & natura. Et cum dicitur *Hic homo*, non determinatur nisi ex parte significati formalis, scilicet humanitatis aliquid singulare; ex parte verò suppositi solum ratio communis, seu confusa non determinando quale illud sit.

Fundamentum huius sententiæ est, quod tanquam principium supponunt eius Authores, scilicet quod non solum nomen

Humanitas, sed etiam *Homo*, vel *Hic homo* supponere pro ipsa natura singulari, non pro supposito naturæ, neque efficiunt, vt nomina determinatè pro supposito supponantur, sed quodlibet concretum etiam singulare, vt *Hic homo* non postulat hoc, vel illud suppositum, sed hanc naturam. Ita expresè *Vazquez* in illo *Cap. 3. Num. 21.*

Hoc Fundamentum falsum est, & sic etiam non mirum, quod fundatum *Quæst. 16. Art 9. & 11.* & aliàs sæpè etiam sit falsum. De Fundamento tamen hic non est disputandum, quia supra iam impugnatum relinquitur. Præterea *Vazquez* inquit, quod Hæc est falsa, *Christus est prædestinatus Filius Dei* absolutè, & sine additamento *In quantum homo*, quia si accipiatur pro supposito concedenda non est; nam falsum est asserere, hoc suppositum subsistens in duabus naturis esse prædestinatum vt esset Filius Dei, cum hoc non habeat, nec habere potest per gratiam vllam, sed suaptè natura: si verò accipiatur pro natura vncta, hoc modo concedenda est, non secus atque illa, *Hic homo prædestinatus est Filius Dei.* Hæc *Vazquez Disp. 91. Cap. 2. Memb. 13.* Qui multa contraria inuoluit, ex quibus aliqua solum adducemus.

In Primis Intentum videtur esse, quod natura significata per nomen concretum *Homo*, vel *Hic homo* est quæ prædestinatur esse Filius Dei, non includens suppositum saltem determinatè, quia ideò negat istam, *Christus est prædestinatus Filius Dei*, quia ly *Christus* includit suppositum determinatum, & ex alia parte concedit, quod si accipiatur *Christus* pro natura vncta est concedenda; sed natura vncta includit determinatum suppositum, quia non est vncta nisi à Persona Diuina; ergo est clara contradictio. Ad quod solum restat vnum subterfugium, scilicet quod natura vncta sumatur specificè, id est illa natura, quæ vngitur, prædestinari, vt vngeretur diuinitate ipsa, sed non quod ex parte subiecti præintelligatur vnctio, quia sic ipse explicat, dicendo hominem illum vnctum prædestinatum fuisse vt vngeretur diuinitate ipsa, & hominem vocat semper naturam; restat ergo vel contradictio clara, vel quod natura singularis sit, quæ prædestinatur.

Contra Hunc Modum dicendi est manifesta Impugnatio, quam ipse *Vazquez* sibi obiecit *Disput. 90. Cap. 3. Numer. 25.* sequeretur posse hominem in communi prædestinari vt esset hic homo in particulari, licet non prædestinatione gratiæ, sed naturæ.

Ad Hoc Respondet ibidem Ipse, prouidentiam Dei non versari circa vniuersalia, sed circa singularia, & individua; in præsenti verò Prædestinatio Dei versatur circa singulare, nempè circa humanitatem singularem, quam determinat ad hoc, vel illud suppositum, non humanitas abstractè, sed etiam concretè; quia singulare concretum naturæ quo fit, vt possit hunc hominem prædestinari etiam ad propriam Personam, non prædestinatione gratiæ, sed naturæ. Ita *Vazquez*.

Contra Quando Prædestinatur *Hic homo*, vel includitur ex parte subiecti suppositum, vel non includitur omnia ò: si includitur, vel secundum rationem communē, vel particularem suppositi: si particularem, ergo falsò dicit, quod non includit determinatum suppositum: si communem; ergo falsò dicit quod Prædestinatio non versatur circa commune, vel vniuersale, siquidem illa ratio communis suppositi prædestinatur ad tale, vel tale suppositum: Si non prædestinatur illa ratio communis; ergo solum materialiter ibi ponitur, & solum natura singularis est, quæ prædestinatur significata per ly *Hic homo* cum illo connotato suppositi communis indirectè (vt Ipse inquit) ergo iam subiectum *Hic homo* supponit pro natura singulari, quando dicitur *Hic homo est Filius Dei* ex vi prædestinationis; ergo est falsa hæc propositio contra Ipsum. *Patet Consequentia.* Subiectum, & prædicatum non supponunt pro eodem; ergo est falsa. *Probatur Antecedens*, subiectum supponit pro natura, quia non supponit pro connotato, secundum Ipsum *Vazquez*; prædicatum supponit pro Persona Filij; sed Persona Filij, & natura sunt distincta realiter; ergo *Hic homo*, & *Filius*, qui sunt subiectum, & prædicatum non supponunt pro eodem.

Confirmatur, & explicatur amplius. Quando dicitur *Hic homo prædestinari vt sit Filius Dei*, id quod significatur, & pro quo supponit ly *Filius Dei*, cui attribuitur ex vi Prædestinationis ex parte subiecti significati per ly *Hic homo*, vel tribuitur alicui supposito, vel naturæ, quia ibi nihil est aliud: si supposito, cui supposito? Vago, vel determinato? Si Vago: ergo iam ratio communis Prædestinatur ad rationem particularem suppositi contra Ipsum *Vazquez*: Si determinatum, in primis

mis contra Ipsum, qui negat determinatum.

Secundo Designetur quodnam est illud determinatum, vel est suppositum Filij, vel aliud? Si aliud, falsò attribuetur illi esse Filium: si Filij? Ergo iam suppositum Filij prout in humanitate prædestinatur vt sit Filius, quod est nostra Sententia, & ipse *Vazquez* negat expresè; Si non tribuitur supposito, restat quod tribuatur naturæ; ergo est falsa propositio, quia natura non est Filius, sed suppositum naturæ est Filius, quia Filius suppositat naturam. Vnde non potest euadere aliquam ex his falsitatibus *Vazquez*, & videtur in istam vltimam incidere, scilicet quod *Hic homo* sumptus pro natura ex vi prædestinationis sit Filius Dei, quæ est propositio falsa, quia subiectū, & prædicatum non supponunt pro eodem, nisi vellit explicari, quod ly *Est*, idem valeat, quod *Vniri*, sed hoc est ludere verbis, & non loqui ad intentum difficultatis. Supponimus enim humanitatē ex vi prædestinationis vniri supposito Filij Dei, sed inquirimus si *Hic homo* est prædestinatus Filius Dei, non si est Vnitus Filio Dei, sed si est Filius Dei ex vi prædestinationis. Hoc cogitur negare *Vazquez* ex vi huius discursus, & solum concedere vniri.

Secundo Impugnatur Hic homo significat naturam singularem; ergo dicentem ordinem, vel includentem rationem suppositi singularis *Patet Consequentia*. Quia si suppositum est naturale debet esse connaturale tali naturæ singulari; ergo connaturaliter exigitur à tali natura singulari illud suppositum singulare, & non aliud, quia cum illo, & non cum alio habet connaturalitatem, sicut accidentia propria connaturale subiectum petunt determinatum, & singulare, si accidentia sunt singularia, imò accidens commune, vt albedo, si consideretur in indiuiduo à determinato subiecto indiuiduatur, quidquid sit de accidenti trāseunte, & anima singularis determinatam exigit materiam. Ergo falsum est, quod eadem numero humanitas possit suppositari à Petro, vel Paulo, ab vno, vel pluribus suppositis, loquendo de supposito ad quod naturaliter dicit ordinem, & inclinatur.

Si Verò Sermo sit de supposito increato, & supernaturali benè posset eadem singularis humanitas ab vno, vel pluribus suppositis terminari, vel etiam ab ipsis dimitti, quia non dicit connaturalitatem ad illa suppositа, tamen adhuc præuenta à supposito increato de se priusquam præueniretur exigebat proprium suppositum determinatum, & si dimitteretur à Verbo, peteret idem suppositum determinatè exigentia connaturalitatis; ergo implicat ponere singularem humanitatem cum supposito vago, & communi, neque intelligere, si intelligatur iuxta exigentiam connaturalem.

Confirmatur. Scientia Dei non est confusa, & indeterminata, sed determinata, & attingit singularia, & indiuidua; ergo sicut ex parte naturæ ponitur singularitas, etiā ex parte suppositi debet poni ex connaturalitate, & exigentia Scientiæ Diuinæ.

Confirmatur Secundo. Prædestinatio determinat id, quod in re ponendum est, sed non est posita natura singularis in re cum solo supposito vago, aliàs ratio communis poneretur à parte rei sine particulari, quod implicat, non minus ex parte suppositi, quā ex parte naturæ, quia esset Idea Platonis; ergo prout sic non est obiectum prædestinationis; aliàs Prędestinatio esset de illo, quod non est à parte rei.

Respondet Suarez In Illa Sect. 2. quod non debet esse eodem modo à parte rei, & in mente diuina, & sic à parte rei est determinata, & Deus rationem communem prędscindit.

Sed Contrà Est. Quia licet hęc doctrina aliter applicata possit sustineri, non tamen ad hoc intentum, quia implicat, quod Deus habeat pro obiecto prędestinationis rationem communem respectu particularis. *Tum*, Quia falsum esset, quod gradus communis esset gradus particularis. *Tum*, Quia iam Prædestinatio non attingeret indiuiduum, & singulare in subiecto, sed solum in termino, & si hoc posset esse, non esset necessarium cum tanto conatu designare naturam singularem, quia propter hoc inconueniens *Vazquez* (vt visum est impugnatione præcedenti) ponit naturam singularem, & negat prædestinationem versari circa communia: si ergo hoc conceditur à *Suarez* iam in hoc aliam difficultatem inuoluit, quam *Vazquez* noluit deglutire.

Tertio Apostolus inquit in verbis allatis, de Filio suo, *Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, Qui Prædestinatus est Filius Dei*; ergo Filius Dei est, qui factus est ex semine Dauid, & qui Prædestinatus est Filius Dei.

Respondent Suarez, & *Vazquez*, Quod non est intelligendum, quod Filius Dei etiam factus homo sit prædestinatus Filius Dei,

Dei,ita quod Filius Dei,qui ponitur ex parte termini, ponatur etiam ex parte subiecti, conuicti ratione contrariæ Sententiæ, quia prædestinaretur ad id quod est naturaliter, & ideò dicunt, quod debet concedi cum isto addito, *In quantum homo*, vt scilicet significetur quod natura humana significata per ly *Homo* in suo modo loquendi sit prædestinata vt sit Filius Dei, & adducit *Vazquez* aliquos Authores cõtrariæ Sententiæ pro hac explicatione.

Sed Hæc Solutio non potest sustineri. *Tum*, Quia iam transit ad sententiam contrariam in expositione Pauli (de quo *Art. Præced.*) *Tum*, Quia Apostolus absolutè loquitur sine reduplicatione. *Tum*, Quia *Sanct. August.* & *Sanct. Thom.* ex eodem Apostolo sine reduplicatione concedunt illam. *Tum*, Quia Authores à *Vazquez* citati non loquuntur in sensu eius, quia non dicunt quod humanitas prædestinatur, sed in sensu nostro,scilicet quod Filius Dei factus homo est qui prædestinatur, vt in humanitate sit Filius Dei, & solum dicunt contra Nos,quod est prædestinatio impropria,& in hoc sensu illos refert, & sequitur *Lorca*.

Tum Denique, Quia redit vis Primæ Impugnationis, quod ipsa natura sit in re Filius Dei significata hoc nomine *Homo*,in quo semper æquiuocant isti Moderni loquutionem ex illa sua doctrina falsa, quod nomen concretum significat solum naturam singularem & pro illa stat, & Thomistæ semper admittunt istum terminum *Homo*,sed non pro sola natura, sed pro supposito in natura, iuxta veram doctrinam Philosophorum. Et ex his constat, quod licet videatur conuenientia in modo loquendi, in re tamen est magna differentia inter Thomistas, & istos Modernos, quia ista conceditur ab omnibus, *Hic homo est prædestinatus Filius Dei*, sed in diuerso sensu, quia Thomistæ sumunt ly *Homo* pro supposito Humanitatis, Isti vero pro ipsa humanitate,& ideò sensus horum est falsus, immo improbabilis ab Aliquibus iudicatur.

Secundus Modus Dicendi.

Quod Licet Verbum Incarnatum à parte rei non sit prius, quam modus Incarnationis per Vnionem Personalem, secundum considerationem tamen prius natura intelligitur abstractiuè ratio communis, quam ratio particularis, ratio communis est, Verbum est Incarnatum, vt abstrahit ab hoc, quod est esse Incarnatum per Vnionem substantialem, vt docet fides, aut per modum templi, vel habitus vt dicunt Hæretici. Sic *Caietanus* hic *Artic.* 1. *§. Secunda autem conditio.*

Contra Hunc Modum Dicendi, à quo communiter recedunt Thomistæ, Primo se offert Authoritas *Sanct. Thom.* hic *Artic.* 1. *ad* 2. vbi inquit, *Relinquitur ergo quod Prædestinatio tribuatur Personæ Christi, non quidem secundum se, sed secundum quod subsistit in humana natura. Vnde cum prædixisset Apostolus, Qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, subiunxit, Qui Prædestinatus est Filius Dei, vt daret intelligere, quod secundum hoc quod est factus ex semine Dauid secundum carnem, est prædestinatus Filius Dei.* Vbi expendendum Primo, ly *Secundum quod subsistit in humana natura* tribuitur illi Prædestinatio, sed hæc ratio non abstrahit à vera, & falsa Incarnatione, sed explicat determinatè veram Incarnationem per fidem creditam; ergo secundum veram Incarnationem tribuitur illi Prædestinatio, non secundum rationem communem abstrahentem à vera, & falsa.

Secundo Expendendum ly *Vt daret intelligere, quod secundum hoc quod est factus ex semine Dauid est Prædestinatus*; ergo non est Prædestinatus secundum quod abstrahit ab hoc quod est factus, vel fictus, sed determinatè secundum quod est factus est prædestinatus, ergo hic modus non est conformis *Sanct. Thom.*

Secundo Hæc ratio communis abstracta, vel apprehenditur à mente diuina, vt subiectum Prædestinationis antequam per aliquem actum antecedentem diuinæ Scientiæ intelligatur coniuncta, vel contracta ad rationem particularem talis Incarnationis, vel post talem præuisionem, *Verbi grat.* Si diceretur, quod natura humana fuit prædestinata vt esset in Petro prædestinatione naturali, si inquireretur tunc, si hæc Prædestinatio esset posquam Petrus præuisus est futurus, iuxta id quod docet *S. Thom.* supra *Quæst.* 1 *Art.* 3. *ad* 4. *Quod Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum?* Vel ante secendum quod ibidem explicat *Caietanus*, quod futurum ex vi prædestinationis non est ante præuisum. *Si Primum*; ergo iam Prædestinatio non applicat rationem communem ad talem particularem,

rem, sed esset prædestinare quod iam est, quia ex vi actus antecedentis iam est præintellecta ratio communis, vt contracta ad particulare, & si iste erat effectus Prædestinationis ante prædestinationem est factus. *Si verò dicatur secundum*; ergo iam ratio communis vt præintellecta ad particularem terminat actum Prædestinationis diuinæ, & est subiectum illius; ergo Prouidẽtia Dei circa prædicata communia versatur, & non circa singularia prouidendo singularia propter rationem communem, & non rationem communem propter singularia, siquidem ratio communis ponitur vt subiectum, & particularis vt terminus, & est sicut prædestinare gloriam propter homines, vel hominibus, quod est contra naturam rerum, & contra modum Prouidentiæ, & Gubernationis.

Tum, Quia rationi communi non fit gratia, & terminus per gratiam conuenit subiecto, nullus enim dicit, quod ratio cõmunis est capax alicuius gratiæ tanquam subiectum, & quod ratio communis est Sancta, & gratificata, nec quod est subiectũ inhæsionis, aut denominationis Sanctitatis. *Tum*, Quia ratio communis non potest esse Filius, quia filiatio est proprietas Personæ, & Persona nõ potest terminare prædicatum commune, vt est notum. *Tum*, Quia ideò humanitas non est filia, quia non inuoluit suppositum, & est ens incompletum, sed ratio communis prout sic apprehensa est ens incompletum, & potentiale respectu rationis particularis, per quam cõtrahitur, & compositi ex vtraque resultantis; ergo non potest dici Filius. *Tum*, Quia vna pars non est alia, & hæc ratio communis est pars, & ratio particularis alia pars; ergo non potest dici, quod ratio communis fiat particularis, quia animal non est rationalitas in homine, neque rationalitas, vel rationale tribuitur animali, sed homini resultanti ex vtroque; ergo iste modus dicendi sustineri non potest.

Tertio Impugnat hunc modum *Asturicensis* hac ratione. Quia illa ratio communis vt abstrahit ab Incarnatione vera, vel ab hæreticis ficta non potest habere rationem Incarnationis, & vt talis apprehendi ab intellectu diuino, quamuis apprehendatur ab intellectu errante Hæreticorũ, neque illa posset esse alterius rationis ab illa, quæ est secundũ gratiam, quod neque ipsi Nestoriani diffitebantur; ergo illa non potest esse subiectum respectu Incarnationis veræ.

Sed Ad Hoc Posset Responderi, Quod licet habeat, vel non habeat rationem Incarnationis est ratio communis, & vt talis præintellecta, & vt talis capax vt sit subiectum Prædestinationis, & ad minus est ratio communis excogitabilis etiam ab intellectu diuino respectu Christi substantialiter vncti diuinitate per substantialẽ Vnionem, vel Christi vncti diuinitate per eius participationem accidentaliter, scilicet per gratiam (vt ipse *Asturicensis* concedit) & hoc modo plures à Deo vocantur Christi, secundum illud *Nolite tangere Christos meos*; reperitur ergo ratio communis, scilicet ratio Christi ad Christum substantialiter, vel alios Christos accidentaliter vnctos.

Sed Contra hanc Solutionem est Argumentum. Ergo hæc ratio communis potest esse subiectum respectu prædestinationis hominum iustorum, qui vt tales dicuntur Christi per gratiam. *Patet Consequentia*. Quia hæc ratio est communis ad Christum Iesum, & ad alios Christos, & respectu Prædestinationis Christi Iesu, & potest esse subiectum, & ratio particularis Christi substãtialis ponitur terminus; ergo eodem modo in alio membro distinctionis contrahẽte illam rationem communem potest poni prædestinatio designando subiectum in ratione communi, & terminum in ratione particulari. *Patet Consequentia à paritate*, Quia vtrobique est ratio communis respectu duplicis rationis particularis, per quas contrahitur, vel determinatur. Si hoc concedatur, quia non apparet ratio disparitatis, sequitur inconueniens quod homines prædestinentur duplici modo ad gratiam, designando duplex subiectum, vnum, rationem communem istam assignatam, aliud subiectum, quod non est commune, sed singulare, scilicet Petrum, & Paulum, qui singulariter prædestinantur ad gratiam vt subiectum eius, non tanquam aliquid cõmune ad particulare, quia non sunt in eadem linea, sed tanquam substantia, & accidens recipiendum.

Immo, & in Christo triplex modus prædestinandi poneretur, Primus iste positus à *Caietano*, scilicet illa ratio communis secũdum quod contrahitur ad Christum substantialiter. Secundus secundum quod eadem ratio est communis etiam ad eumdem Christum secundum quod habet gratiam habitualem, quia certum est, quod illam habet, vt supra dictum est *Quæst. 7. & 8.* & quod est Sanctus per illam accidentaliter,

taliter, sicut alij homines; ergo hæc ratio communis, quæ descendit ad alios homines, vt habentes gratiam accidentalem, etiam descendit ad Christum vt habentem illam; ergo hæc ratio potest esse subiectum Prædestinationis, secundum quam Christus prædestinetur ad hanc rationem particularem talis subiecti habentis gratiam habitualem. A

Tertius Quod ipse Christus iam substantialiter, & in termino filiationis consideratus vt homo intelligitur Prædestinatus ad gratiam accidentalem, quæ omnia plana sunt, & clarè sequuntur ex hoc modo discurrendi, & non dependet hæc illatio ex hoc quod *Caietanus* non dixerit rationem Christi communem esse subiectum Prædestinationis, sed solum Verbum Incarnatum prout abstrahit ab hoc, vel illo modo Incarnandi, quia hoc in re est idem. Et si illa ratio communis est sufficiens vt subiectum Prædestinationis explicata per illos terminos, quare non explicata per alios terminos, & generaliter ex vi paritatis, si inter rationem communem, & particularem potest esse prædestinatio tanquam inter subiectum, & terminum, inter quamlibet poterit esse iuxta naturam cuiuslibet, scilicet, vel ordinis naturalis, vel gratiæ? B C

Confirmatur. Sicut abstrahitur ratio Verbi Incarnati vt sic à vera, vel ficta Incarnatione, ita potest abstrahi ratio communis Filij, à vero, vel ficto Filio, à naturali, vel adoptiuo; ergo si ratio communis est subiectum Prædestinationis respectu particularis, ratio abstracta à Verbo Incarnato vero, vel ficto prædestinabitur ad verum Filium Incarnatum, & ratio abstracta filiationis à vera, vel ficta prædestinabitur ad veram filiationem: sed hoc non est subiectum filiationis veræ, quia filiatio vera non est nisi ad genitum verum, sicut filiatio ficta ad genitum fictum, quia certum est, quod filiatio sumpta pro relatione supponit fundamentum ab ipsa distinctum, vel realiter, si est in creatis, vel ratione si est in diuinis, igitur filiatio vera naturalis petit fundamentum verum; ergo non fundamentum vt abstrahit à vero, vel ficto. Iam ergo est contracta ratio fundamenti, quæ est ratio Verbi geniti, hoc idem est subiectum, & non vt abstrahit, quia relatio ibi est, vbi est suum fundamentum. D E

Tertius Modus Dicendi.

Propter prædicta descendit iam ponere rationem subiecti in ratione particulari, & ideò excogitauit Christum in duplici statu considerare, primus possibilitatis, secundus actualitatis, vel extra causas: & inquit, quod prout in statu possibilitatis est subiectum respectu sui ipsius prout in statu actualitatis. Ita *Medina* hic *Art.* 1. & tesse *Asturicenſi* plures sui temporis Theologi sequuti sunt.

Contra Hunc Modum dicendi obstat Authoritas Concilij Toletani 11. in Præfatione fidei, vbi dicitur, *Per hoc quod de Maria Virgine natus est, & prædestinatus esse credendus est.* Et *Sanct. Thom.* hic *Art.* 1. *ad* 2. adducit verba Apostoli dicentis, *Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est Filius Dei*, addit Sanct. Doct. *Vt daret intelligere, quod secundum hoc quod est factus secundum carnem est prædestinatus Filius Dei.* Expendo *Secundum quod est factus est Prædestinatus*; ergo non secundum esse possibile, sed secundum quod est factus, quia esse possibile secũdum carnem, & esse factum secundum carnem contraria sunt.

Præterea ibidem *ad* 3. inquit, *Quia absolutè non conuenit Personæ Christi, quod incœperit esse Filius Dei, conuenit autem ei secundum quod intelligitur, vel apprehenditur, vt in natura humana existens, quia scilicet hoc aliquando incœpit esse, quod in natura humana existens esset Filius Dei, ideò hæc est vera, Christus est Prædestinatus Filius Dei*; ergo non secundum quod apprehenditur vt possibilis, siquidem prædestinatur vt apprehenditur vt existens in humana natura est subiectum. *Patet*, Quia apprehendi vt possibilis in humana natura, & apprehendi vt existens in humana natura sunt opposita, sed *Sanct. Thom.* inquit, Quod *Vt existens in humana natura est Prædestinatus*; ergo.

Præterea Expendo quod inquit, *Quod quia incœpit esse in humana natura conuenit illi prædestinari*, sed incipere esse est in tempore, quia status possibilitatis non habet initium; ergo.

Confirmatur. Quia *Sanct. Thom.* in 3. *Dist.* 10. *Quæst.* 3. *Quæstiunc.* 1. *ad* 1. inquit, *Quod Prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam Vnionem, quia filiatio non est primus effectus prædestinationis, sed consequitur ad Vnionem*; ergo quando ex vi prædestinationis

tionis transit Christus ex statu possibilitatis ad esse actuale, primus effectus, qui ponitur est vnio, & esse vnitum; ergo quando ponitur alius effectus, scilicet *Filiatio* iam tribuitur enti existenti, scilicet esse vnitum quod prius intelligatur existens, quam filiatio intelligeretur existens, & conueniens ex vi prædestinationis; ergo Christus prout possibilis non est subiectum ex vi prædestinationis filiationis actualis, quia inter esse possibile, & filiationem actualem, mediat aliud esse actuale, scilicet esse vnitum; ergo hic modus dicendi non est conformis doctrinæ *Sanct. Thom.*

Secundo Ratione. Esse possibile, & esse actuale solum differunt penes existentiam superadditam enti possibili; hæc autem in creatis realiter distinguitur ab esse possibili in Schola Thomistarum; ergo si esse possibile est subiectum, & respectu alicuius, quod tunc non habet, & ideò ponitur quod est respectu actualitatis; ergo ponitur distinctio realis in Prædestinatione Christi inter subiectum, & terminum, quod *Sanct. Thom.* semper negauit, sed solum distinctionem, & antecedentiam rationis posuit.

Si Dicatur, Quod actualitas, vel existentia non est terminus, sed res sub tali actualitate. *Contra est*; ergo iam Christus vt possibilis, & Christus vt existens solum connotando existentiam est subiectum, & terminus, sed hoc est falsum, quia præter existentiam est idem omninò possibilis, & existens, & nihil prædestinatur ad id quod est; ergo vel Prædestinatur ad actualitatem, vel non prædestinatur in hoc modo dicendi.

Confirmatur. Gratia, quæ fit Christo vt sit Filius Dei ex vi Prædestinationis conuenit illi apprehenso in statu possibilitatis, quia ibi etiam cognoscitur filiatio possibilis, quia eo ipso quod cognoscitur Christus possibilis, cognoscitur etiam Filius Dei possibilis; ergo quando ponitur in alio statu actualitatis, iam secum affert gratiam filiationis, & solum additur actualitas, & si in esse actuali non compatitur prædestinatio inter esse Christum, & esse Filium, quia in subiecto includitur terminus, multo minus inter esse possibile, & actuale, quia præter actualitatem exercitam totum quod habet in modo actualitatis, habet in modo possibilitatis, & sic, vel prædestinatur ad seipsum, vel prædestinatur solum ad existentiam.

Tertio. Res possibilis non est capax dilectionis quamdiu est in statu possibilitatis nisi ad multum gratia prima, quæ illi potest fieri ex vi dilectionis diuinæ est extrahere illam à statu possibilitatis ad statum futuritionis, quia dum non est in actu, non est capax recipiendi beneficium aliquod, quia primum quod intelligitur in vnaquaque re est esse, non solum essentiæ, sed existentiæ; ergo prima gratia, quæ Christo potuit fieri in statu possibilitatis fuit transferre illum ad statum futuritionis, & actualitatis; ergo priusquam intelligeretur esse Filius actualiter, intelligitur extra possibilitatem, & existens actualiter. Nisi dicatur, quod prius intelligitur actualiter Filius, quam intelligatur existens actualiter, quod implicat: Vel nisi Dicatur, quod per relationem est actualiter existens, & extractus à possibilitate, & sic relatio non conciperetur in statu possibili, vel si præconcepta fuit, vt debet concedi, tam Christus, quàm esse Filius extractus fuit à linea possibilitatis, & vtrumque per actualitatem, & sic quod prius existens actualis relatio illi tribuitur.

Quartus Modus Dicendi.

Ponit Christum non in statu purè possibilis, vt præcedens, sed vt in via, & fieri ad esse actuale, esse subiectum Prædestinationis, & vt in facto esse terminum. Hic modus dicendi dupliciter potest intelligi. *Primo*, vt intelligatur Christus, qui erat possibilis prout est in fieri ad actuale esse, & prout sic impugnatus manet eisdem impugnationibus, quibus præcedens, tam ex Authoritate *Sanct. Thom.* quàm ex ratione, quia iam non intelligitur vt factus, quod plus est quam fieri, & non intelligitur vt existens, quia est plusquam in via ad existẽtiam, & includit prout in via, & fieri idem quod in facto esse præter existentiam, & sic, vel prædestinabitur ad seipsum, vel ad existentiam.

Secundo Modo potest intelligi, ita vt extrema, scilicet Persona, & humanitas intelligantur prout in via, & fieri ad Vnionem, & prout sic extrema considerata dicantur esse subiectum Prædestinationis. In hoc sensu adducitur ab *Asturicensi in 3. Solut.* sed in hoc sensu etiam est falsus. *Tum*, Quia extrema prout in via sunt in fieri ad Vnionem, sed filiatio sequitur ad Vnionẽ, vt *S. Thom.* habet loco citato in confirmatione primæ impugnationis modi præcedentis;

dentis; ergo licet verum sit, quod prout sic intelligi possunt extrema prædestinari ad Vnionem, quæ est primus effectus prædestinationis, vt inquit *Sanct. Thom.* loco proximè citato, & latius diximus in hac Disputatione *Artic.* 1. *Conclus.* 3. *& ad* 6. tamen non possunt esse subiectum filiationis, quæ sequitur ad Vnionem. *Tum*, Quia filiatio, nec humanitati conuenit, neque Personæ ex gratia, sed vnito ex vtroque extremo; ergo prius debet præintelligi vnitum, quã intelligatur subiectum filiationis; non ergo sunt in fieri Vnionis, sed in facto esse Vnionis subiectum filiationis.

Quartus Modus Dicendi.

Distinguit Duas Formalitates in Persona Verbi, primam *Subsistentis*, secundam *Filij*: per primam inquit primo vniri humanitati, & facere hunc hominem subsistentem, & secundum hanc esse subiectum prædestinationis ad secundam formalitatẽ filiationis, & sic iam ponit rationem subiecti non in formalitate communi, vel possibili (vt Præcedentes modi dicendi) sed particulari, & actuali.

Hunc Modum Dicendi adducit *Asturicensis Pag.* 964. *Solut.* 4. tanquam à Theologis excogitatum. Nihilominus sibi nullam præ se fert probabilitatis apparientiã, & illum impugnat duplici ratione. *Prima*, Quia illud subiectũ vnitum ex Persona, vt subsistenti, & ex humanitate est effectus supernaturalis; ergo ponitur in re ex vi prædestinationis; ergo est terminus prædestinationis. Quod ergo est subiectum talis termini? Sed hæc ratio ab ipso est soluenda, quia in suo modo dicendi iam adducẽdo necessario debet dissolui, quia ipse ponit, quod prius intelligitur Deum inhumanatum, & sub hac ratione est subiectum prædestinationis, & non potest negare, quod Deus humanatus est effectus Prædestinationis, & primus, quia est supernaturalis, vt inquit *Sanct. Thom.* allatus, & adducendus in 3. *Distin.* 10. *Quæst.* 3. *Quæstiunc.* 1. *ad* 1. Assignet ergo ipse subiectum respectu talis termini, & Nos supra in hac *Disput. Art.* 1. Soluimus hanc rationem dicẽdo, quod quando prædestinatur aliquid vt subiectum alterius termini, non debet præsupponere aliud subiectum, & *Art. Præced.* idem diximus.

Secunda Ratio Eius, Quia illa subsistentia non est absoluta, quia vnio non est facta in ratione absoluta secundum fidem immediatè, sed in relatiua; est ergo relatiua, & relatiua Filij; ergo illa posita essentialiter sequitur filiatio, & connaturaliter, ita vt de potentia Dei absoluta non possit nõ sequi; ergo non ex vi prædestinationis, quę est ex gratia. Sed hæc ratio ab *Ipso Asturicensi* etiam est soluenda, quia posito Deo humanato essentialiter, sequitur homo deificatus, ita vt de potentia Dei absoluta nequit fieri oppositum, & tamen ipse ponit Prædestinationem inter vnum, & aliud ex his; ergo hæc ratio est inefficax, & solutio est, quod est gratia simpliciter, & secundum quid necessitas, scilicet ex suppositione.

Nihilominus Hic Modus Dicendi duplici via potest defendi, secundum quod dupliciter potest explicari hæc duplex formalitas. *Prima explicatio est.* Quod formalitas subsistentis est particularis, & determinata, & præintelligitur in Persona Verbi ad formalitatem Filij, & discursus est, quod Prædestinatio primò, & per se, & principaliter intendit, quod homo sit Filius Dei, & ad hoc præsuppositiuè prædestinatio ponit subiectum prædestinandum, quia non supponit factum ex vi alterius actionis, & hoc fit vniendo Personam sub formalitate subsistentis, quæ præintelligitur vt prior, vel vt præsupposita ad filiationem, & hoc sufficit, quia iam fit homo subsistens, & prout sic apprehensus capax vt prædestinetur esse Filius, *Verbi grat.* In productione Spiritus Sancti, spiratio primò, & per se, & quasi in intentione intendit communicare amorem, non naturam, propter quod non est generatio, sed quia nequit intelligi nisi præsuppositа natura, prius intelligitur in executione communicata natura, quam amor, sed suppositа tali communicatione naturæ intelligitur formalitas spirationis, vt per se primo terminata ad amorem, & præsupponendo subiectum, vel radicem amoris, scilicet naturam. Sic in præsenti Prædestinatio in executione ponit subsistens prius, vt subiectum filiationis, & post illud intelligitur terminari ad filiationem per se primò intentam: & sicut in augmentatione, quæ est motus per se tendens ad maiorem quantitatem, & ex necessitate includit aggenerationẽ vt præsuppositam illius substantiæ, quæ debet esse subiectum quantitatis intentæ; quod hic, est duplex motus in prædestinatione

est

est duplex virtualitas eiusdem actionis, sicut etiam in spiratione tertiæ Personæ solum est duplex virtualitas.

Hæc Explicatio nititur fundamento falso, & consequenter totus discursus ruit. Fundamentum est. Quòd ratio subsistentis, & ratio Filij, sint duæ rationes particulares in Persona Verbi, & vna præsuppositiuè intelligitur ad aliam, & quod hoc sit falsum duplici ratione Patet. *Prima*, Quia ratio subsistentis relatiuè non præsupponitur ad filiationem tanquam determinata ratio, quia sola subsistentia absoluta, illa quæ solet poni à Theologis in propria Materia, præsupponitur ad filiationem tanquam ad relationem constitutiuam Personæ in linea relatiua, & non potest inter subsistentiam absolutam, & filiationem poni alia ratio subsistentiæ relatiuæ, quia illa esset primum constitutiuum Personæ Filij, & non relatio filiationis, quia primum quod intelligitur in aliquo est eius constitutiuum: hoc autem est falsum, quia relationes constituunt Personas secundum communem Sentētiam Theologorum; ergo hæc subsistentia relatiua præcedens filiationem ficta est.

Secunda Ratio. Quia ratio subsistentiæ relatiuæ, vt abstrahit à tribus subsistentijs relatiuis est ratio communis, & præintelligitur vt determinabilis ad has subsistentias particulares relatiuas, scilicet Patris, & Filij, &c. Sicut etiam ratio Personæ est prædicatum commune ad tres Personas, & ratio relationis diuinæ ad quatuor relationes. Quæritur ergo per quam rationem determinetur ratio subsistentiæ diuinæ in communi, vt intelligatur ad hanc subsistentiam, scilicet ad subsistentiam Filij? Non est alia nisi Filiatio; ergo ratio subsistentiæ solum præintelligitur, vt prædicatum commune ad filiationem, & filiatio est ratio particularis determinans, & contrahens rationem communem subsistentiæ, & hæc nomina *Subsistentia relatiua*, *Relatio diuina* sunt Synnonima ex parte rei, & *Persona* solum distinguitur ab illis vt constitutum. Vnde ratio Filij est ratio determinans subsistentiam relatiuam communem, & relationem diuinam communem ad hanc rationem subsistentiæ, & relationis particularis, quæ est constitutiua Personæ Filij; non ergo potest esse ratio subsistentiæ Filij ratio particularis determinata, & præsuppositiuè se habens ad filiationem, sed solum vt ratio communis; ergo fundamentum illud falsum est

Secunda Explicatio huiusmodi ponit, propter has rationes rationem subsistentiæ vt rationem communem ad filiationem, & quod ista ratio determinata in filiatione, & in Persona Filij, per quam Filius intelligitur subsistens potest præintelligi quando Filius vnitur humanitati prius ratione, quam intelligatur ratio Filij communicata, & per hanc præcedentiam datur capacitas vt mediet actus prædestinationis diuinæ ad filiationem; *Verbi gratia*, In Opinione quod vltima dispositio ad gratiam procedit à gratia præintellecta per modum auxilij ponitur in gratia duplex formalitas, vna auxiliantis, & posita gratia per modum auxiliantis datur locus ad nouum beneficium, & nouum actum diuinæ voluntatis volentis iustificare, & quod communicetur subiecto ratio specifica gratiæ, scilicet per modum iustificantis, & hæc ratio auxilij præsupposita conuenit gratiæ secundum rationem qualitatis, & qualitas est prædicatum genericum ad gratiam. Et benè stat, quod communicetur ratio generica prius ratione, quam specifica, non sicut ponebat *Vazquez*, & *Suarez* in primo modo, sed ratio generica non abstracta, sed contracta ad rationem specificam gratiæ, & huius individui gratiæ ibi reperitur prædicatum hæc qualitas, hoc est, genus singularizatum, sicut si dicamus hoc animal in Petro, & illa sic contracta dicitur prius ratione intelligi communicata, quam ratio specifica.

Sicut Etiam in Anima *Sanct. Thom.* 1. *Part. Quæst.* 76. *Artic.* 6. *ad* 1. docet, Quod gradus superiores communicantur prius, & inferiores post, solum secundum rationem, sed tamen cum sufficienti prioritate, vt à primo gradu causetur dispositio ad inferiorem gradum, & si hoc in physicis creatis conceditur, eodem modo potest concedi, quod communicata ratione superiori singularizata, vel quod communicata filiatione diuina secundum gradum superiorem detur locus vt mediet actus diuinæ prædestinationis respectu inferioris rationis Et multa alia Exempla adducuntur ad comprobandum illud principium, quod forma potest præbere

effectum secundum gradum generieum, & non secundum gradum differentialem: sicut visio in lapide facit qualificatum, & non videntem, albedo in Angelo de potentia Dei absoluta posita eodem modo non facit album, & facit qualificatum formaliter; & Gratia in Christo facit gratum, & non Filium adoptiuum, quod etiam est effectus formalis ipsius gratiæ.

Hæc Explicatio plausibilis visa est aliquibus Modernis propter exempla, sed tamen nititur fundamento non minus falso, quam præcedens, scilicet quod diuina relatio, vel diuina Persona possit communicari humanitati secundum rationem communem subsistentis, & non secundum rationem particularem filiationis, seu intelligi communicari secundum aliquam prioritatem rationis. Et in primis Exempla, quæ adducuntur nullam conuenientiam habent, & non disputando de Veritate aliquorum, qui non sunt huius loci, & in proprijs Materijs de vero sensu controuertitur, dato quod ita sint, vt proponitur in hoc modo dicendi, nullam inducunt probabilitatem ad præsens intentum. *Quod Patet.* Quia omnes illæ formæ sunt absolutæ, & in omnibus exemplis in quibus ponitur, quod communicetur aliqua forma secundum gradum communem in aliqua prioritate, vel naturæ, vel rationis, vel durationc temporis, & non secundum inferiorem, est quia applicatur forma subiecto capaci solum gradus communis, & non inferioris pro illo priori. Patet de Visione in lapide, de albedine in Angelo data tali positione sunt incapaces effectus formalis vltimi gradus: etiam Gratia non dat esse Filium adoptiuum, quia incapax huius filiationis est, propter filiationem naturalem, & gratia quando ponitur per modum auxilij secundum gradum qualitatis est in subiecto nondum dispositio vltimo ad formalitatem iustificandi. Quod patet in prima iustificatione, & etiam in augmēto gratiæ idem reperitur, quamuis actus feruentior procedat ab augmento in esse qualitatis, quia nondum est capax subiectum eiusdem augmenti per modum iustificantis, nisi præintellecto actu. Idem est de anima rationali, non quando præbet superiorē gradū, quia nondum intelligitur dispositio ad inferiorem, vt patet in capillis, & vnguibus, præbet vegetare, & non sentire ex defectu dispositionis; & carni præbet sentire, quia iam inuenit dispositionem.

Generalis Ergo Doctrina Est, Quod nunquam forma indiuidualis communicatur subiecto capaci tam gradus superioris, quàm inferioris, & quod communicet gradum superiorem, & non inferiorem, quia licet generatio incipiat à superioribus, quia prius est substantia, postea vegetatiuum, postea viuens, & iam fit Emorio animal sensibile, & tandem homo; tamen quando venit forma hominis, recedit forma embrionis, & sic considerata iam forma singulari in qua continentur gradus plures singularizati, si communicetur subiecto capaci, & ad omnes gradus sufficienter dispositio, non stat quod in re communicet gradum superiorem, & non inferiorem.

Et Ratio Huius Est, Quia existentia, siue inexistentia iuxta naturam substantiæ, vel accidentis, primo, & per se, & immediatè recipitur in gradu singulari, & post in specifico, & magis remotè in generico secundum quod gradus distant à singularitate; ergo implicat ponere tale indiuiduum singulare existens à parte rei prius secundum rationem communem, quam rationem specificam, & singularem. *Patet Consequentia.* A parte rei ponitur per existentiam; ergo quod prius recipit existentiam prius ponitur à parte rei per illam; ergo cum gradus superior non prius recipiat existentiam, sed medijs gradibus inferioribus non potest intelligi, quod existentia præbeat prius effectum essendi à parte rei gradui superiori, quam inferiori. Et idem est in communicatione accidētis ad subiectum, quia si non communicatur subiecto gradus inferior non est à parte rei, quia non habet esse, nisi in subiecto communicatus, & solum quando est impedimentum gradus inferioris poterit eius communicatio suspendi ex defectu capacitatis.

Nec Contra Hoc Est, Quod Nos incipimus cognoscere à gradibus superioribus, quia nos eximus de potentia ad actum, & sic prius attingimus imperfectum, quam perfectum: sicut etiam generans, quod exit de potentia ad actum prius generat imperfectum, quam perfectum, sed semper est ex defectu capacitatis subiecti, quia dispositio etiam paulatim introducitur, & noster intellectus paulatim etiam disponitur. Non loquimur in hoc casu,

nec

nec in hoc sensu fit sermo, sed solum conditionaliter si ponatur forma in subiecto capaci omnium graduum, in tali casu est certa ista doctrina, & quia omnia hæc Exempla non procedunt in tali suppositione, sed quando deficit dispositio ad vltimum gradum, ideò non habent paritatem ad intentum.

Quod Hac Ratione demonstratur ex dictis. In nostro casu, quando diuina Persona Filij vnita fuit humanitati communicata fuit subiecto capaci, & æqualiter dispositio ad gradum superiorem, quam ad gradum inferiorem; ergo æqualiter communicabit gradum superiorem, & inferiorem, & si aliqua prioritas est, etiam intelligentiæ, non est in gradu superiori, sed in inferiori. *Consequentia Patet ex doctrina tradita.* Quia gradus inferior prior, & proximior est existentiæ, quam superior. *Antecedens Probatur.* Humanitas non aliter disponitur ad Vnionem Hypostaticam, nisi per potentiam obedientialem, & gratuitam Dei voluntatem, sic volentis facere, vt habet *Sanct. Thom.* supra *Quæst.* 2. *Art.* 10.

Confirmatur Optimo Exemplo. Quamuis homo generans hominem attingat prius gradum superiorem, quam inferiorem, quia est agens imperfectum exiens de potentia ad actum, & operans dependenter à dispositione subiecti, tamen Pater Æternus generans Filium non prius intelligitur generare rationem communem, quam singularem, sed si aliqua prioritas intelligitur à nobis debet esse in ratione particulari propter contrariam rationem, quia ibi non operatur exeundo de potentia ad actum, & cum dependentia à dispositione subiecti; sed in Incarnatione Verbi sic Deus operatur; quia est quædam cõmunicatio generationis æternæ, propter quod de illa dicitur, *Ego hodie genui te*; ergo in illa non proceditur de imperfecto ad perfectum, de superiori gradu ad inferiorem, sed immediatè inferior cõmunicatur humanitati. Ruit ergo totus iste discursus.

Secundo Impugnatur Adhuc Efficacius. Illa ratio subsistentis non est absoluta, quia vnio primò facta fuisset in natura, quod est falsum, quia constat ex supra dictis factam fuisse in Persona; est ergo illa ratio subsistentis relatiua communis tribus Personis; ergo includit *Ad*, & *In*. Patet. Quia *In* solum non est Persona, neque est relatio, sed inadæquata ratio relationis, & ab adæquata relatione Patris, & Filij abstrahitur ratio communis relationis, & à ratione completa istius, & illius Personæ abstrahitur ratio Personæ, & sic si ratio subsistentis concipitur, vt communis ad Patrem, & Filium, debet esse abstracta secundum *Ad*, & *In*, quia secundum *In*, & *Ad* contrahitur, & determinatur ad illos. Loquimur enim de Persona completa relatiua, & de relatiuo diuino completo, immo, & de completa relatione, & sic prædicatum commune debet esse etiam completum in illa linea, hoc est, includens *In*, & *Ad*. Igitur si includit *Ad* debet respicere aliquem terminum, & cum sit ratio exercita, ad aliquem terminum debet referri. Inquirimus de termino ad quem, quia vel est Pater secundum formalitatem Patris particularem, & hoc non potest fieri, quia ad illam formalitatem refertur alia ratio particularis, scilicet filiationis, quia Pater, & Filius secundum explicitos, & formales conceptus Paternitatis, & Filiationis mutuò se respiciunt, & referuntur adinuicem, quia prout sic opponuntur formaliter.

Si Dicatur, Quod refertur ad aliud prædicatum commune existens in Patre. *Contra est,* Quia in hoc prædicato non opponuntur, quia est prædicatum commune, & in prædicato communi potius conueniunt, & sic non possunt mutuò se respicere, nec referri, siquidem neque opponi.

Confirmatur. Si secundum prædicatum commune subsistentis relatiui intelligitur à parte rei, vel terminat Paternitatem Patris, vel non terminat: si terminat; ergo opponitur, quia solum terminat secundum rationem oppositi, & hoc est falsum, quia est prædicatum commune: si non terminat, non est relatiuum, vel assignetur ad quem terminum formaliter intelligitur relatio Paternitatis pro illo priori terminari. Non ad rationem Filij, quia pro illo priori non intelligitur ratio Filij, quæ est particularis; nullum ergo assignatur relatiuum oppositum Paternitati pro illo priori, nec intelligitur referri ad aliquem terminum illud subsistens relatiuum singulare, fictè ergo ponitur.

Confirmatur Secundo. Illud subsistens singulare, vel est distinctum à Patre, vel idem

cum Patre. Si idem cum Patre, non est capax vt prædestinetur ad filiationem, quia hoc repugnat Patri. Si distinctum à Patre; ergo oppositum illi per relationem, quia in diuinis *Omnia sunt vnum, vbi non obstat relationis oppositio.* Sed filiatio particularis, est relatio opposita Patri; ergo iam intelligitur particularis ratio, scilicet filiatio; ergo non sola ratio communis.

Nec Valet Si Dicas, Quod solum probatur de Persona Filij in natura Diuina, non in natura humana. Quia secundum quod facit humanitatem subsistentem, & quod sit homo subsistens, non est subsistens absolutum ille homo, quia est subsistens per prædicatum subsistentiæ diuinæ relatiuæ commune tali, vel tali relationi diuinæ includens *In*, & *Ad* etiam in illa ratione communi; ergo ille homo est subsistens relatiuum: redijt ergo totum Argumentum, Ad quem terminum refertur? Cui correlatiuo opponitur? Quam relationem terminat sub hac formalitate? Cum igitur totum hoc non possit designari propter Argumētum factum, patet quod est fictum hoc subiectum.

Declaratur Hoc Exemplo de relatiuo in humanis. Pater, & Filius in creatis conueniunt in ratione communi relatiui, quia ab vtroque abstrahibile est prædicatum relatiui in quantum sunt particularia relatiua, & tale prædicatum commune etiam reperitur contractum in Filio, *Verbi grat.* Si ergo consideretur in Filio non ratio vltima filiationis, sed prædicatum relatiuum contractum, & singularizatum in Filio, & inquiratur tale prædicatum quod includit *In*, & *Ad*, quia aliàs non esset integrum relatiuum; semper enim instamus in hoc, quod ab *In*, & *Ad* particulari Patris, & Filij abstrahibilis est ratio communis *In*, & *Ad* relatiui, & de hoc fit Argumentum, Ad quod terminatur? Non ad Patrem, quia non est filiatio, & sola filiatio refertur, & opponitur Paternitati, nec terminat Paternitatem, quia non Filius per illum, fictè considerabitur illud prædicatum commune communicatum alicui subiecto, non communicata ratione particulari. Ex quo patet, quod non est simile de formis absolutis, & hic inuoluitur specialis implicatio in hac explicatione.

Vltimo Impugnatur. Prima vnio Incarnationis facta est immediatè in Persona; sed ille gradus communis non constituit Personam particularem, sed solum gradum communem Personæ; ergo si illi gradui est primo vnita humanitas, vnio facta est in ratione communi Personæ; ergo non magis in Persona Filij, quam Patris, siquidem est gradus communis vtrique.

Si Dicatur, Quod si esset vnio facta in illa ratione communi Personæ in abstracto, & quasi præintellectæ ante contractionem ad aliquam determinatam Personam conuinceret hoc Argumentum, sed quia ponitur iam contracta in Filio, vnio facta est in Persona Filij, quamuis secundum prædicatum commune in illa repertum.

Sed Contra Est. Illud prædicatum specificatiuè concretum in quo ponitur vnio facta, quatenùs terminat Vnionem formaliter, vel includit aliquid distinctiuum à Patre, vel non? Si non; ex vi talis Vnionis pro illo priori non potest intelligi vnio facta in aliquo distincto à Patre, sed in aliquo in quo Filius cum Patre conuenit; ergo pro illo priori non est facta vnio in Persona Filij, quam Patris. Si ponatur aliquid distinctiuum à Patre in illo termino formali Vnionis iam pro illo priori intelligitur filiatio terminare formaliter, & non ratio communis Et hæc est veritas ex qua sequitur, quod falsum est fundamentum huius explicationis, & consequenter hic Quintus Modus Dicendi nulla via defendi potest.

Sextus Modus Dicendi Ponens Filium prout Incarnatum subiectum, & eumdem Filium pro termino ad Quem, explicatur, & defenditur.

Sextus Modus Dicendi Ponit, quod Filius Dei secundum rationem determinatam, & actualem, & vltimam filiationis secundum quod vnitur humanitati intelligitur priùs humanatus, vel Incarnatus, quam intelligatur ille homo Deificatus, seu Filius Dei, & secundum Primam Considerationem est subiectum Prædestinationis, & ratione alterius est terminus. Hunc Modum Dicendi sequuntur communiter Thomistæ cum *S. Thom.* cuius verba allata sunt

Art.

Art. Præced. ad Vltimũ, Asturicensis Pag. 962. Cabrera hic *Art. 2. Disput. Vnic. ad 8. Nazarius Cõtrouers. 2.* cum *Aluarez*, & sequuntur Recentiores. Et quamuis variis terminis explicent, tamen in re idem dicunt; sicut etiam & Nos loco citato 1. *Part. de Prædest. Disp. 7. Art. 1. Num. 8.* quod hic amplius intendimus declarare.

Pro Cuius intelligentia Aduertendum est, quod aliqui Moderni Thomistæ ad explicandum hunc modũ vtuntur illa doctrina communi, quam adduxit *S. Thom.* supra *Quæst. 2. & 3.* Quod vnio Humanitatis fuit immediatè facta in Persona, & mediatè in natura diuina, & Filius vt terminus immediatus Vnionis est subiectum, & vt in natura diuina terminus. Ex quo Aliqui valdè æquiuocati sunt existimantes, quod terminus mediatus *Qui* est natura diuina, seu Deus secundum rationem absolutam est terminus Prædestinationis; Qũi sensus nũquam fuit à Thomistis traditus, & est falsus. *Tum*, Quia est contra verba Apostoli dicẽtis: *Qui Prædestinatus est Filius Dei*, & est destruere suppositum Disputationis, quæ cõsistit in ista propositione Apostoli, & respectu illius filiationis quæritur subiectũ. *Tum*, Quia est expressè cõtra *S. Thom* in his duobus Articulis, & in vtroque Sententiarum, vtrobique *Dist. 7. & 10.* Per plures Quæstiunculas disputans hanc materiam semper dicit, quod terminus est Filius, specialiter in illo loco in 3. *Dist. 10. Quæst. 3. Quæstiunc. 1. ad 1.* vbi inquit, *Quod Prædestinatio Christi primum effectũ habet ipsam Vnionẽ, & filiatio sequitur ad Vnionem* Et hoc est ad ponendum subiectum in primo effectu, & terminum in secundo, vt infra magis declarabitur.

Et Dicti Moderni ponunt in executione Filium prius Incarnatum, & posterius hominem Deificatum, & ordine intentionis è conuerso prius hominem Deificatũ, & posteriùs Filium Incarnatum. In quo etiam valdè deficiunt, & non consequenter loquuntur, quia in intentione est prædestinatio, & in intentione debet assignari subiectum, & subiectum semper est prius, & consequenter etiam in intentione, quia debet esse præsuppositum ad terminum; aliàs non prædestinabitur tanquam ad illum; ergo si Deum hominem esse Deum est primũ in intentione, tanquam primum intẽtum, & primò prædestinatum in intentione debet habere subiectum præsuppositum inclusum in illo termino *Hominem*; ergo subA iectum nõ est Filius factus homo, quia hoc ponitur posteriùs in intentione. Assignetur ergo quod est Suppositum humanum, quod prædestinatur in intentione; restat recurrere ad aliquem ex modis impugnatis. Si autem dicatur, quòd Filius vt homo est subiectum etiam in intentione, debet esse in intentione prius, & præsuppositum, & sic non consequenter loquuntur ponendo posterius.

B *Quando Ergo Thomistæ Dicunt*, quod Filius vt primo, & immediatè vnitus est subiectum, non dicunt, quod ipsa natura, quæ est terminus mediatus Vnionis est terminus ad quem immediatus Prædestinationis, sed ipse Filius prout in natura Diuina, & sic loquuntur, quod Filius prout in natura humana est subiectum, & Filius prout in natura Diuina est terminus ad indagandam distinctionem rationis requisitam ad rationem Prædestinationis, & ad rationem subiecti, & termini eius Quod colligunt ex

C hoc, quod idem Filius est terminus duplicis naturæ realiter distinctæ, & ad hoc vtuntur doctrina data, quod ipse prout immediatè vnitus est subiectum, & prout subsistit in natura Diuina, quæ immediatè vnitur est terminus, ita tamen quod natura Diuina semper sit terminus mediatus, tam ex parte Vnionis, quàm ex parte termini ad quem Prædestinationis.

D *Et Quando Sancti Patres Dicunt*, quod homo factus est Deus, intelliguntur mediãte Persona, sicut etiam dicunt, quod Deus factus est homo, vt *Augustinus* infra adducendus, & Nos aliquando vtimur eodem modo loquendi, sumendo Deum pro Filio, quatenùs in Filio includitur.

Hoc Idem alijs terminis à Nobis explicabitur recolendo illam duplicem conditionem ad Prædestinationem requisitam, & allatam *Art Præced.* & aliàs sæpè, scilicet quod terminus conueniat ex gratia subiecto, & præcedat subiectum terminum, quia

E ex hac duplici conditione oritur tota difficultas huius puncti, & quomodo vtraque reperiatur in hoc modo dicendi intendimus explicare. Et quamuis istæ Conditiones inter se connexionem habeant, & vna ex alia per sequelam infallibilem reperiatur in re, tamen non æquè faciliter vna explicatur atque altera.

Explicatur Prima Conditio de Gratia.

Prima Igitur Conditio incipiendo à faciliori est de Gratia, quæ sic explicatur. Persona Filij, quæ ex vi generationis æternæ essentialiter, & connaturaliter est Filius Dei in natura diuina existens, est capax esse Filius Dei etiam in natura creata, Angelica, vel humana, quia possibile est, quod fiat suppositum naturæ creatæ, & tali Vnione facta erit Filius Dei naturalis non solum in natura diuina, sed etiam in natura creata, cuius suppositum fit. De facto autem hoc mysterium executum est non in Angelica, sed humana: *Quia nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit*, & sic de facto est Filius Dei, & in natura diuina, & in natura humana. In natura quidem diuina naturaliter, in natura humana non naturaliter, quia à natura non habebat esse suppositum humanum actualiter, sed posse esse.

Quod Autem hoc de facto fiat, debet esse ex libera Dei voluntate, per quam Deus hoc beneficium contulit humanæ naturæ, & illi humanitati, scilicet quod Filius esset eius suppositum, & hoc non potuit non esse gratia, & maxima gratia facta, non Personæ diuinæ secundum se, sed humanæ naturæ, cui ex nullo Capite erat debitum tale Suppositum: quod autem ex gratia conuenit, ex vi Prædestinationis conuenit.

Vlterius Hoc Coniunctum ex Persona diuina & humanitate significat hoc nomẽ *Christus*, vel iste terminus *Hic Homo*, & significatum formale est humanitas; quando igitur applicatur participium *Prædestinatus* appellat supra significatum formale, quia est actus animæ, qui potest ferri ad significatum materiale ratione significati formalis, & cum id quod ex vi Prædestinationis applicatur subiecto conueniat illi secũdum quod participium *Prædestinatus* illum determinat, sequitur quod terminus conueniat iuxta appellationem actus prædestinationis, & quia appellat supra significatum formale terminus applicatus ex vi prædestinationis conuenit subiecto ratione significati formalis, & consequenter sequitur conditionem significati formalis Et quia terminus non habet connexionem essentialem, nec naturalem cum significato formali, sed solum gratiosam, concluditur quod terminus gratiosè conuenit subiecto. Et sic apparet quomodo Persona Filij, vt suppositum humanitatis possit esse id, quod conuenit ratione humanitatis, & eo modo quo conuenit per humanitatem, in quantum ipse per humanitatem est homo, & quia filiatio ratione humanitatis solum gratiosè potest conuenire, ideò ex gratia prout homo, & prout in natura humana est Filius Dei, idem ipse qui in se, vel secundum se, vel in natura diuina erat naturaliter, & essentialiter Filius Dei.

Ex Quo Patet Quomodo gratia reperiatur ex parte subiecti, & ex parte termini Prædestinationis, & semper ratione humanitatis. Ex parte subiecti quod prædestinatur, quod est *Hic Homo* tanquam subiectum cui fit gratia (vt modo dicebamus) ex parte termini, quia non prædestinatur homo ad filiationem, seu subsistentiam relatiuam Filij, quod idem est secundum se consideratam, sed vt gratiosè conferendam, quia est vt conferendam ex vi prædestinationis, & ita ipsa filiatio, vt gratiosa est terminus ad quem prædestinatur *Hic Homo*. Est tamen dissensio, An illa ratio *Gratiosè* sit cõditio, seu ratio formalis filiationis? Aliqui dicunt, quod est conditio, vt inquit *Asturicensis Pag. 653.* Alij vero quod est ratio formalis, & ipse hoc secundum sequitur, & conformiùs videtur. Quia Prædestinatio gratiosa est, quæ constituit filiationem terminum, & sic esse gratiosum terminum tanquam à ratione formali habet ex gratia prædestinationis.

Constat Etiam Ex Dictis, Quod in vtroque effectu Prædestinationis, primo, & secũdo, in executione iam explicato in vtroque *Art. Præced.* & vlterius statim iterum explicandum necessario propter Secundam Conditionem; primum scilicet esse vnitum Verbum humanitati, quod explicatur per hanc propositionem *Deus est homo*. Secundum, *Hominem esse Filium*, quod explicatur per hanc *Homo est Filius*, in vtroque inquam reperitur ista Conditio Gratiæ, quia vterque est effectus Prædestinationis, & consequenter vterque gratiosus, & in vtroque gratia est ratione humanitatis. In primo quidem, quia fit gratia humanitati, ex eo quod Filius accipiat esse humanum. In secundo, quia homo constitutus per humanitatem accipit esse Deum, vel esse Filium Dei.

Contra Hanc Conditionem Obijcitur. Quia illa propositio in qua discursus nititur, quod

quod filiatio gratiosè conueniat supposito ratione humanitatis, videtur falsa. *Tum*, Quia filiatio potius conuenit humanitati ratione suppositi, quam supposito ratione humanitatis; etiam est gratia, quia suppositum illam habet ex se, & communicat illam humanitati ex gratia. *Tum*, Quia filiatio est relatio, & relatio non conuenit naturæ, sed supposito, vt docet *Sanct. Thom. Quæst. Præced. Artic.* 4. & infra *Quæst.* 35. *Art.* 5. Et sic non est sicut accidentia absoluta, *Verbi grat.* Gratia habitualis, & gloria, quæ possunt conuenire humanitati, & ratione illius suppositio; ergo.

Tum, Quia sequitur quod diuinum Suppositum sit principium spirans Spiritum Sanctum ratione humanitatis ex gratia. *Patet Sequela*, ita naturaliter secundum se cõsiderato conuenit Filio esse Filium Patris, & esse Principium spirans Spiritum Sanctum, & quia ex gratia factus est homo, dicitur quod ex tali gratia conuenit illi ratione humanitatis quod sit Filius, quod ratione sui naturaliter conueniebat secundum se considerato; ergo similiter esse principium spirans Spiritum Sanctum, quod illi secundum se considerato naturaliter conuenit, conueniat illi prout humanato, vel secundum se humanum, vel ratione humanitatis ex eadem gratia. *Patet Consequentia* à paritate, & quia ex sacra Scriptura æqualiter potest colligi, quod in humana natura, & homo factus est principium Spiritus Sancti, sicut quod est Filius Dei, in illis verbis Christi de Spiritu Sancto loquentis, *De meo accipiet, & quem ego mittam*, sicut etiam dicit, *Misit me Pater, misit Deus Filium suum, & Filium suum Vnigenitum, &c.* Hoc autem non conceditur; ergo nec aliud debet concedi.

Respondetur Ex Dictis, quod filiatio quo ad substantiam considerata semper cõuenit humanitati ratione suppositi, tamen in quantum gratiosa, vel in quantum subinduit formalitatem termini gratiosi, & prædestinationis gratiosæ, quantum ad formalitatem inquam gratiæ non conuenit humanitati ratione suppositi, sed humanitati ratione sui, & suppositio ratione humanitatis, quia gratia semper fit humanitati, & solum Verbum homo factum est capax gratiæ propter humanitatem.

Ad Secundum de Relatione *Respondetur* Concedendo, quod relatio conueniat suppositio, sed in natura existenti; vnde natura requiritur, vt relatio conueniat suppositio, non ipsi naturæ. Sicut filiatio adoptiua nõ cõuenit gratiæ, quæ est forma per modum naturæ dans esse supernaturale, conuenit tamen suppositio ratione gratiæ. Et in humanis relatio Filij non conuenit Petro, nisi prout genito in natura; natiuitas ergo, seu natura est causa ex parte fundamenti, vt filiatio conueniat Supposito, vt docet *Sanct. Thom.* locis citatis in obiectione. Si filiatio ex gratia non conuenit suppositio, nisi quatenùs habet naturam ratione cuius fit gratia, & hoc non est dicere, quod filiatio conueniat humanitati, sed suppositio ratione humanitatis, ex gratia tamen non secundũ se, & hoc propter rationem gratiæ, vt explicatum est.

Ad Tertium de Principio Spiritus Sancti *Respondetur*, Quod si vnio humanitatis facta fuisset in illa ratione principij Spiritus Sancti, quæ est communis Patri, & Filio, quia vterque secundum illam rationem secundum quam conueniunt, spirant, verificaretur quod ex gratia ratione humanitatis posset illi conuenire illa ratio principij, tamen quia de facto non fuit facta vnio, nisi in Persona Filij secundum formalitatem Filij, in qua distinguitur à Patre, ideò filiatio dicitur illi cõuenire ex gratia Vnionis prout humano ratione humanitatis, nõ vero ratio principij spirantis Spiritum Sanctum formaliter

Et Quando in sacra Scriptura dicitur, quod in humanitate existens, & homo factus Filius est principium Spiritus Sancti, fit sensus specificatiuus, quia in humanitate non amisit, quod in diuinitate habebat, propter hoc tamen non omnia, quæ ibi concomitanter habet possunt dici illi conuenire ratione humanitatis, etiam ex gratia formaliter; filiatio vero non est ex concomitantia, sed formaliter, & tanquam terminus in quo formaliter facta est vnio humanitatis, importatur

Explicatur Secunda Conditio de Præcedentia.

Quo ad Secundam Conditionem de Præcedentia Notandum est, Quod triplex præcedentia reperitur in qualibet Prædestinatione. *Prima* subiecti respectu termini. *Secunda* subiecti respectu actus Prædestinationis, quia subiectum, quod prædestinatur ad aliquid debet præcedere illud, & actionem

nem per quam ad illud ordinatur. *Tertia*, quod Prædestinatio præcedit ad suum terminum, quia terminus est quasi effectus eius Quomodo autem hæ reperiantur in Prædestinatione Christi quo ad tertiam, & secundam est facile explicare. De prima quidem, quia Prædestinatio ipsa facit hoc compositum Deum esse hominem, & hominem esse Deum, & sic præcedit terminum quatenus formaliter ad illum terminatur. Secunda etiam est facilis, si semel explicetur Prima, quia si assignetur subiectum vt præcedens terminum ex vi Prædestinationis conuenientem, consequenter præcedit ipsam Prædestinationem. Tota ergo difficultas consistit in prima præcedentia, explicatur tamen ex his, quæ adduximus ex *S. Thom. Art. Præced.*

Præcipuus Locus Est, & magis explicatius, ille in 3. *Distinct.* 10. *Quæst.* 3. *Quæstiunc.* 1. *ad* 1. vbi inquit, *Prædestinatio Christi primum effectum habet ipsam Vnionem, quia filiatio non est primus effectus Prædestinationis, sed sequitur ad Vnionem.* Vbi clarè ponit duplicem effectum, scilicet Vnionē, & filiationem, & primum præcedentem secundum. *Tum*, Quia dixit primum. *Tum*, Quia dixit filiationem sequi ad Vnionem, & illud sequi præcedentiam alterius ad quem sequitur, significat.

Quomodo Autem hoc inueniatur in re, sic explicatur, quia quod prius intelligitur in Incarnatione Verbi, est Verbum Incarnatum, seu humanatum, & post intelligimus hominem Deificatum. Itaque prius natura, vel ad minus ratione, factum est, quod Verbum esset Suppositum humanum terminando humanitatem, quia in illo priori in quo intelligitur illam terminare, intelligitur quod fit homo recipiendo ab humanitate esse humanum. Ex hoc sequitur, quod illa humanitas assumpta quatenùs Verbo terminata fit homo, ille inquam homo est Filius Dei, & debet verificari hæc causalis, quia Deus factus est homo, homo est Filius Dei, & ly *Quia* denotat posteriorirtatem sicut in hac, Quia Deus descendit, & exinaniuit se formam serui accipiens, habitu inuentus vt homo, ascendit homo vt esset Deus ad esse Dei. Vnde Augustinus *Serm. de Natiuit. Domini*, inquit, *Deus factus est homo, vt homo fieret Deus*, totum hoc, & istæ causales præcedentiam quamdam significant.

Ex Quo sic formatur Ratio. Vt saluetur Prædestinatio sufficit præcedentia secundum rationem inter subiectum, & terminum; sed inter hoc quod est Deum factum esse hominem, & hoc quod homo sit Deus, reperitur præcedentia saltem secundum rationem; ergo datur locus Prædestinationi, ita quod potest verificari, quod ille homo possit prædestinari vt sit Filius Dei: & si hoc potest esse, ita factum fuit, quandoquidem verba sacræ Scripturæ id sonant. *Consequentia Patet.* Maior est principium admissum ab Authoribus oppositæ Sententiæ, *Durand. Scot. Lorca*, vt visum est *Art. Præced. Argument. Vltim* Minor ex discursu facto patet propter causales, & prioritatem vnius effectus respectu alterius.

Quæ Prioritas ex sacra Scriptura colligitur. Primus locus, & proprius est ad Roman. 1. *Qui factus est ex semine Dauid secundum carnem*, subiunxit Apostolus, *Qui Prædestinatus est Filius Dei.* Quem locum adducens *Sanct. Thom.* hic *Art.* 1. *ad* 2. addidit, *Vt daret intelligere quod secundum hoc, quod est factus ex semine Dauid secundum carnem est Prædestinatus Filius Dei.* Vbi clarè à *Sanct. Thom.* ponitur præcedentia, & ab Apostolo non obscurè insinuatur in ipso ordine, & collatione Verborum, quia illud Participium *Qui Prædestinatus* postposuit ad illud *Qui factus* non solum materialiter, sed denotando præcedentiam, quasi diceret, ille qui iam factus est secundum carnem ex semine Dauid est Prædestinatus, quasi prius intelligeretur Filius Dauid, & post Filius Dauid intelligeretur Filius Dei. Et quia loquitur in proprijs terminis de Prædestinatione constat, quod hæc præcedētia est respectu termini prout prædestinati, & etiam Prædestinationis, & totum hoc in ordine intentionis.

Confirmatur ratione desumpta ex alijs locis sacræ Scripturæ. Ad hoc quod cognoscatur quid prius in mente diuina, & quid posterius determinatur, cum ex parte Dei totum sit simul, attendendum est ad ipsos effectus, & quando isti sunt supernaturales, qui ex principijs naturalibus non possunt penetrari, recurrendum est ad sacram Scripturam, in qua sunt reuelati: sed de hoc mysterio in sacra Scriptura explicatur præcedentia inter hoc quod est Deū esse hominem, & hoc quod est hominem esse Filium Dei; ergo hæc præcedentia sufficit ad hoc, quod vnum sit subiectum, & aliud terminus Prædestinationis. *Patet Cō-sequentia.* Quia hæc præcedentia non potest

test esse minor, quam secundum rationem cum fundamento in re; sed hæc sufficit ad Prædestinationem vt Authores contrariæ Sententiæ admittunt; ergo ita factum est in Prædestinatione. *Patet Consequentia.* Quia de Prædestinatione non potest esse alia cognitio, nisi quæ ex sacra Scriptura colligitur; ergo si hæc colligitur ita sentiendum est.

Quod Ita Colligatur Patet Ioan. 1. *Verbum caro factum est, vidimus gloriam quasi Vnigeniti à Patre,* denotando quod ille homo est Vnigenitus, sed ad hoc præcedit, quod Verbum factū est homo. Ergo. Præterea ad *Philip.* 2. inquit Apostolus, *Exinaniuit semetipsum,* vbi Sanct. Thom. Lect. 2. *Exinaniuit* refert ad Incarnationem, subdit Apostolus, *Humiliauit semetipsum, &c. Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen,* vbi Sanct. Thom. Lect. 3. inquit, *Alio modo de Christo homine* (scilicet potest exponi) *& sic Pater dedit illi homini nomen vt Deus esset, non per naturam, quia alia est natura Dei, & alia hominis, sed vt esset Deus per gratiam, non adoptionis, sed Vnionis, quia simul esset Deus, & homo Rom. 1. Prædestinatus est Filius Dei in virtute, ille scilicet, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem. Et hæc est expositio Augustini secundum intentionem Apostoli.* Vbi clarissimè cum *Augustino* docet *Sanct. Thom.* esse intentionem Apostoli in his verbis, *Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen super omne nomen, quod ille homo esset Deus per gratiam Vnionis,* & hoc explicat per ly *Propter,* quod scilicet, propter id quod præmiserat; sed non præmiserat nisi Exinanitionem sui ipsius, formam serui accipientis, & humiliantis semetipsum, factus obediēs vsque ad mortem; sed non potest intelligi, quia humiliauit se vsque ad mortem est Deus per gratiam Vnionis, quia sequitur humiliatio postquam est Deus; ergo quod sit Deus non est quia humiliauit se. Restat ergo quod sit quia exinaniuit se, & est dicere, Quia exinaniuit se formam serui accipiens in similitudinem hominum factus, & vt homo, *Propter hoc Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen super omne nomen,* hoc est, quod homo ille esset Deus.

Et Hoc Refert Sanct. Thom. ad Mysterium Prædestinationis, vt hoc comprobet ex illo, & verum vero consonet, quod sicut in exercitio *Exinaniuit se factus homo,* & propter hoc Pater dedit illi homini vt esset Deus, hoc idem transfer *S. Thom.* ad Prædestinationem per alium locum, *Qui factus est ex semine Dauid, Qui Prædestinatus est Filius Dei,* denotando eamdem præcedentiam in Prædestinatione inter factum esse hominem, & Prædestinatum esse Filium, quam explicuit inter exinanitionem executam, & exaltationem ad esse Filium Dei.

Et Ideò Sanctus Augustinus est perpetuus in hac intelligentia super illa verba Ioan. 6. *Ego Viuo propter Patrem,* inquit, *Ac si diceret, vt ego Viuo propter Patrem, id est, vt ad illum tanquam ad maiorem referam vitam meam exinanitio mea fecit.* Ecce quomodo *Augustinus* explicans verba Apostoli, *Exinaniuit se,* inquit, Quod *Exinanitio fecit, vt ad Patrem referat vitam suam.* Et quia dixit, vt ad *Maiorem,* intelligitur de Christo vt homo est, quia in hoc sensu dixit Christus, *Pater maior me est.* Et sensus est, vt referat suam vitam vt homo ad Patrem, illud Verbum *Referre* in Christo non intelligitur solum vt alij homines, sed speciali proprietate tanquā ad correlatiuum. Et *Serm. de Natiuit.* in verbis allatis clarè denotat hanc causalitatem, factus est Deus homo, vt homo fieret Deus, & est communis Sanctorum consensus.

Specialiter Sanct. Thom. supra *Quæst. 1. Artic. 2.* latè explicat quomodo Verbum Incarnatum est propter nos, & propter nostram salutem, quod habetur in Symbolo, & sæpè in Euangelio, quod Deus propter nos misit Filium, vt Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitū daret, vt omnis qui credit non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et 1. ad Corint. 2. *Sapientiam Prædestinauit in gloriam nostram.* Sed gratia, & gloria nostra est participatio gratiæ Christi, quia de plenitudine eius omnes accepimus, vt explicat *Sanct. Thom.* supra *Quæst. 8. de Gratia Capitis,* & infinitate gratiæ Christi, & illa gratia Christi habitualis est passio gratiæ Vnionis. Vnde prius intenta debet esse gratia Vnionis tanquam radix gratiæ habitualis, & participationis illius in hominibus; ergo si propter nostrā salutem descendit, & homo factus est, quæ salus consistit in gratia, multo melius propter radicem talis gratiæ Incarnatus est, quia non erat rationabile, quod fieret homo propter participationes accidentales, & non propter formam cuius sunt participationes, & propter principium, & radicem talis formæ, quod est quod ille homo sit Deus:

Deus: ex quo sequitur, quod habeat tantam gratiam, quod de cius plenitudine omnes accipiamus gratiam, quæ est nostra salus.

Ex Quo Fit Argumentum. Non potest Prædestinari terminus sine subiecto, etiam ordine intentionis, sed ex his testimonijs colligitur, quod terminus intentus à Deo est exaltare naturam humanam ad hoc vt homo esset Filius Dei, & ille homo esset fons totius gratiæ; & hoc nequit intelligi in alio subiecto, nisi in illo homine prout includente Suppositum diuinum factum homo tanquam proprium subiectum termini intenti à Deo; ergo etiam in ordine intentionis præsupponitur hoc quod est Deum esse hominem, ad hoc quod est hominem esse Deum: sed quælibet præcedentia saltem secundum rationem sufficit ad Prædestinationem (vt dictum est) & subiectum quia subiectum aliquam præcedētiam denotat; ergo est sufficiens capacitas ratione præcedentiæ ad Prædestinationem inter hoc quod est Deum esse hominem, & hominem esse Filium Dei.

Exemplis Eadem præcedentia suadetur, *Verbi grat.* Albedo prius intelligitur communicata Corpori, quam intelligatur Corpus album, vt est notum. *Cuius Ratio est.* Quia albedo communicata est causa, quod Corpus sit album, & causa aliquam prioritatem dicit ad effectum, & quamuis causa formalis, & effectus sint idem entitatiuè, tamen formaliter necessario debet distingui. Ita similiter hominem esse Filium prouenit ab hoc quod Filius fiat homo; & sic debet præcedere hoc quod est Filium fieri hominem, ad hoc quod est hominem esse Filium, quia sicut albedo comparatur vt actus respectu Corporis, quod est per modum potentiæ, ita filiatio, seu relatio, seu subsistentia relatiua Filij comparatur ad humanitatem sicut ad potentiam, & quantum ad hoc tenet paritas exempli sublatis imperfectionibus, in quibus non est paritas, sicut in hoc, quod vniatur accidentaliter, & vt forma, & supponat rationem subiecti in Corpore.

Secundum Exemplum magis proprium, quia est in linea substantiæ, est inter formam substantialem, & Corpus, *Verbi grat.* Anima rationalis prius est in intellectione saltem quod anima vniatur Corpori, quā quod Corpus viuat per vitam eiusdem animæ substantialiter; ipsa enim anima secundum se viuit, & est vita Corporis, & facit illud viuere communicando se ipsam vt formam, & prius intelligitur quod vniatur Corpori, & quasi incorporetur, & incarnetur, quam quod faciat illud viuere, & priusquam Corpus dicatur viuum per illā, sicut etiam prius intelligitur separari à Corpore, quam Corpus dicatur mortuum, quia esse mortuum Corpus est effectus separationis animæ. Si hoc reperitur in creatis, quare negabitur in Diuinis, quod Filius Dei intelligatur prius incarnari, vel humanari, quam quod ille homo intelligatur Filius Dei?

Tertium Exemplum adhuc magis proprium est in subsistentia, & existentia, quam anima rationalis secum affert, & communicat materiæ, prius intelligitur talis subsistentia communicata materiæ, quam quod materia subsistat per illam, & idem est de existentia in Schola *Sancti Thom.* & secundum alios exemplum de subsistentia negari non potest, quæ prioritas communiter admittitur à Philosophis, & Nos explicuimus in *Libris de Generatione Quæst. 1. Art. 4.* explicando paritatem de subsistentia diuina, vt communicatur humanitati. Sicut ergo subsistentia creata prius intelligitur cōmunicari Corpori, quam intelligatur Corpus subsistens, vel quod sit Persona vt homo per illam, immo & communicari animæ in aliquo priori quam Corpori, & respectu eiusdem animæ seruetur idem ordo, quod prius intelligatur vniri animæ, quam anima intelligatur per illam subsistere, ita subsistentia diuina, quæ succedit loco subsistentiæ creatæ prius intelligitur vniri humanitati, quam quod ille homo intelligatur subsistens per illam.

Quartum Denique Exemplum etiam est proprium in Vnione diuinæ essentiæ per modum speciei impressæ in intellectu Beati, prius intelligitur vniri illi, quam intelligatur intellectus Deificatus, vt Diximus *Part. Quæst. 12. Disp. 13. Art. 4.* explicando quomodo fiat illa vnio, quam per similitudinem ad Vnionem subsistentiæ cum humanitate explicuimus, quia in nulla alia poterat esse paritas: sicut ergo ibi non negatur præcedentia in Vnione ad effectum, vel quasi effectum, nulla est ratio quare negetur in præsenti. In omnibus his exemplis apparebit quod est vnio duorum extremorum, quorum vnum se habet per modum actus, & aliud per modum potentiæ, & necessariò præmittitur vnio actus ad potentiam, quam quod potentia dicatur talis

talis ab illo actu, & constabit quod est regula generalis, quotiescumque aliquid vnitur alteri per modum actus potentiæ prius intelligitur vniri, quam intelligatur potentia actuata talis, & cum in præsenti fiat vnio Verbi ad humanitatem, & humanitas sit in potentia ad subsistentiam, & subsistentia sit per modum actus, & subsistentia Filij sit relatio, seu filiatio, seu Persona Filij, prius debet intelligi vnio Filij cum humanitate, quam quod intelligatur homo Filius.

Ex Quo Manet solutum quoddam Argumentum, scilicet Quare magis dicitur, quod est prius Deum esse hominem, quam hominem esse Deum, & quod hoc est finis, & non illud? *Respondeo*, Quod Scriptura ita significat, vt patet in locis allatis. *Et Ratio Suader*, Quia irrationabile est dicere, quod Deus intendit exinanitionem Filij, & ad hoc assumpsit exaltationem humanitatis, hoc est peruertere ordinem explicatum in Scriptura, & in ratione nullam conuenientiam habens, quod Deus vellet nostram exaltationem propter suam inferioritatem, & sequeretur quod Deus esset subiectum Prædestinationis, & per consequens illi fieret gratia; sicut modo dicitur, quod vt homo est subiectum Prædestinationis, & quod homini fit gratia, quia si poneretur discursus contrario ordine, etiam deberet poni subiectum, & gratia ordine contrario, & si modo dicitur, quod subiectum est homo, quia intelligitur prius Deus factus homo, quam homo intelligatur Deus, & ideò homo est subiectum, si diceretur, quod prius esset hominem esse Filium, & post Filium esse hominem, Filius esset subiectum, & illi fieret gratia vnionis, quod est falsum.

Ex Quo Etiam sequitur in hoc modo dicendi, Quid sit subiectum *Quo*, & *Quod*, & quid sit terminus ad *Quem*, *Qui*, & *Quo*, & *Cui*. Subiectum *Quod* est Christus quatenùs consideratur in primo effectu, hoc est, Deus humanatus, vel Deus vt homo: subiectum *Quo* est ipsa humanitas, quia Deus vt homo est id, quod prædestinatur ratione humanitatis. *Terminus ad Quem* est filiatio naturalis, vt ex gratia in illa ratione sub qua est gratia. Ratio *Quæ* est substantia filiationis, & totum hoc est terminus *Quo*. At verò subiectum, & ipsa filiatio gratiosè applicata secundum quod ex vi Prædestinationis verificatur, quod homo prædestinatus habet filiationem ad quam Prædestinatur, in facto esse prædestinationis est terminus *Qui* Prædestinationis, quia terminus *Qui* à Prædestinatione intenditur, est quod homo sit Filius, & sic terminus *Qui* est homo Filius, & sic Christus, qui includit, & diuinum Suppositum, & naturam humanam est subiectum *Quod*, & terminus *Qui*. Sicut in Prædestinatione Petri ad gloriam, Petrus est subiectum *Quod*, Gloria est terminus ad *Quem*, & Petrus glorioßis est terminus *Qui*: & sicut Petrus præintellectus ad gloriam est subiectum, & terminus *Cui* est danda gloria ex vi prædestinationis, & simul est subiectum *Quod*, & *Cui*, ita in Prædestinatione Christi ille homo, qui est subiectum *Quod* prædestinatur ad filiationem, est etiam subiectum, vel terminus *Cui* ex vi Prædestinationis conuenit gratiosè filiatio.

Soluuntur Argumenta.

Contra Istum Modum Dicendi etiam militant Argumenta facta *Art. Præced.* contra Secundam Sententiam. Modo vero Argumenta fient contra istum modum explicandi illam Sententiam, quantum ad illas duas Conditiones de Gratia, & Præcedentia ad Prædestinationem requisitas, contra quas etiam *Sanct. Thom.* arguit, & Argumēta soluit locis ibidem allatis, & vlterius Arguitur Primo contra Primam Conditionem. Deus factus homo etiam formaliter ratione humanitatis non est capax vt ex gratia conueniat illi filiatio, etiam vt homo est; ergo non est capax vt conueniat ex vi Prædestinationis; ergo non est subiectum Prædestinationis. *Vtraquè Consequentia est bona*, & *Antecedens Probatur*, illud datur ex gratia, quod potest non dari, & quod aliter potest esse; sed semel admisso primo effectu Prædestinationis in hoc modo dicendi posito, scilicet quod per Vnionem Deus factus sit homo, non potest esse quod homo non sit Deus, etiam de potentia Dei absoluta; ergo quod ille homo sit Filius Dei ex gratia non potest verificari.

Si Dicatur: Quod ratione suppositi oritur illa necessitas, non ratione humanitatis, quia ratione humanitatis aliter posset esse, si Deus vellet. *Contra est*. Semel facta Vnione Suppositi Diuini cum humanitate etiam est debitum ratione humanitatis, vt suppositatæ à Supposito Diuino, quod ille homo sit Filius Dei; nec Deus potest facere quod Verbum sit vnitum humanitati, & quod ille homo non sit Filius Dei; ergo quam-

quamuis gratia fiat in hoc quod Verbum vniatur humanitati, ibi cessat gratia; quod vero postea sequitur iam non ex gratia, sed ex debito connaturalitatis sequitur: sicut quod Deus vellet creare istum hominem potest esse ex gratia, tamen quod semel creatus sit risibilis non est ex gratia, quia naturali sequela ei debetur.

Respondetur, Quod duplex solutio solet huic Argumento adhiberi. *Prima est*, Quod sufficit, quod ratione vnius partis fiat gratia, vt toti subiecto fiat gratia, ad quod adducuntur plura exempla. Sed Replica facta est contra hanc solutionem, & omnia exẽplà, quia si in illa parte, ratione cuius possit fieri gratia si secundum se consideraretur, inuoluatur, & reduplicetur aliquod principium ratione cuius ex necessitate debeatur effectus, non potest esse gratiosus sub tali reduplicatione.

Nihilominus Tamen hæc solutio est defendenda, quia illa vtitur *Sanct. Thom.* reducendo semper gratiam huius Prædestinationis ad Prædestinationem; hoc est, quod verificatur semper ratione humanitatis fieri gratiam, vt patet locis allatis. *Et ad Replicam Respondetur*, Quod in reduplicatione reduplicatur & principium ex quo oritur necessitas, scilicet suppositum, & humanitas ratione cuius sit gratia, & hoc sufficit, maximè quia humanitas est significatum formale. Si autem reduplicatio fiat supra solum suppositum non fit gratia, quia nec etiam solum suppositum est subiectũ Prædestinationis. Sicut, *Verbi grat.* Gratia habitualis in Christo quamuis debita ratione Vnionis, simpliciter est gratia ratione humanitatis, & in Opinione quod eadem gratia per modum auxilij est principium vltimæ dispositionis ad iustificationem, tamen simpliciter in ratione iustificantis est gratia secundum Tridentinum. Neque est simile de risibilitate, quia ratione nullius subiecti est indebita, sed ex omni parte debita homini.

Secunda Ergo Solutio Est, Quod benè potest esse aliquid ex gratia simpliciter, & secundum quid necessarium, & necessitas secundum quid, vel ex suppositione non excludit gratiam simpliciter, quia non excludit libertatem. Quæ doctrina est communis in *Sanct. Thom. 1. Part. Quæst. 19. Artic. 3. ad 1. & Art. 7. ad 4. & Quæst. 82. Artic. 1. per totum*, & alibi sæpè. Quibus in locis docet, quod necessitas ex suppositione non tollit libertatem, & quod necessitas coactionis solum illam tollit. In præsenti igitur ex suppositione Vnionis sequitur connaturaliter, quod homo sit Filius, sed id quod supponitur est ex gratia, & ex vi huius gratiæ gratiosum est, quod sequitur, quamuis inter se ipsi effectus connexionem habeant, quia voluntas Dei gratiosè tendit in vtrumque effectum, & primum ponit ex gratia, & consequenter etiam secundum, & sic simpliciter est gratiosus etiam effectus secundus, quamuis secundùm quid sit necessarius.

Et Hoc Potest Explicari ex connexione, quæ est inter executionem, & intentionem huius mysterij, & cuioslibet alterius effectus supernaturalis, quia prima gratia, quæ in hoc mysterio reperitur, est quòd Deus in intentione gratiosè intendit quod homo sit Deus, quia hoc ex nulla suppositione, & ex nullo Capite debitum fuit; at verò ex gratia intentionis oritur gratiosa executio, quamuis posset dici, quod ex suppositione intentionis diuinæ, executio necessariò posita est, quia non potest Deus non exequi, quod semel efficaciter intendit, quia non potest decretum efficax reuocare, aliàs mutaretur. Ecce retorqueter Argumentum, quod si in executione secundus ex necessitate sequitur ad primum effectum vt executum, etiam primus effectus, vt executus necessariò sequitur ex se ipso vt intento, & non tollitur ratio gratiæ simpliciter in executione primi effectus, & consequenter neque in executione secundi propter similem suppositionem, & absolutè loquendo primordialiter ratio gratiæ in secundo effectu reperitur, & ex illo communicatur primo effectui; vnde absolutè secundus magis inuoluit gratiam quam primus, quia est gratiosus propter secundum.

Si Inquiras: Si est nouum beneficium ille secundus effectus? Potest responderi affirmatiuè, quia est distinctus effectus gratiosus, & sic distinctum beneficium, quamuis ex vi primi necessitate suppositionis debeatur secundum, quia hæc necessitas (vt dictum est ex *Sanct. Thom.*) non tollit gratiam. *Vel potest dici*, Quod est vnum beneficium formaliter, quamuis duplex virtualiter cum distinctione rationis ratiocinatæ, qualis ponitur in ipsa actione prædestinandi, & vterque effectus est sub vna ratione Prædestinationis, quod non contingit si eadem gratia sit auxilians, & iustificans, quia isti effectus sunt

in

in diuersa linea, & diuersæ rationis.

Secundo Arguitur contra secundam conditionem. Sicut illud, quod est vltimum in executione est primum in intentione, ita quod est primum in executione est vltimũ in intentione, quia hoc æqualiter est principiũ physicum; ergo si hunc hominẽ esse Filium est vltimum in executione respectu sui subiecti, scilicet Deus homo factus, etiam in intentione debet esse primũ respectu eiusdem subiecti, quod in executione fuit primum, & consequenter debet esse in intẽtione posterius eadem posteritate, qua fuit primum in executione; ergo non est subiectum Prædestinationis, & termini ad *Quem* Prædestinationis. *Patet Cõsequẽtia*, Quia illud, quod ponitur primum in intentione, scilicet, quod homo sit Prædestinatus Filius, debet præsupponere subiectum, quod prædestinatur ad esse Filij, & explicatur per illud nomen *Homo*, quod est subiectum in hac propositione, *Homo prædestinatur vt sit Filius*, quia Prædestinatio versatur circa aliquod subiectũ, quod prædestinat ad terminũ, & Prædestinatio est in ordine intẽtionis; ergo subiectum in ordine intentionis præsupponitur ad terminũ.

Tum, Quia in illo ordine est subiectum, & vbicumque est subiectum semper præcedit terminum. *Tum*, Quia in intentione prædestinaretur terminus sine subiecto, vel sine hoc quod cognoscatur subiectum à Prædestinante pro illo priori, quo prædestinat terminũ in intentione, quod implicat; quia etiã in intentione Prædestinatio est ordinatio alicuius ad aliquid, & sic supponitur id quod ordinatur ad id ad quod ordinatur, & ad ipsam ordinationẽ formaliter. Cum ergo terminus Prædestinationis vt explicatũ est, sit homo Filius Dei, debet assignari quis homo sit ille, qui prædestinatur ad esse Filij in illo ordine intentionis tãquã subiectũ Prædestinationis cõparatiuè ad illũ terminũ. Quia vel est homo includens suppositũ diuinũ, vel non? Si includit suppositũ diuinum, iam in mẽte diuina ordine intentionis præcedit suppositũ diuinũ humanatũ, vt ille homo prædestinetur ad esse Filij, quãuis sit ex vi eiusdem actus prædestinationis, sed secundũ diuersas formalitates, vel virtualitates, vnam præintellectã ad aliam; ergo etiam in intentione præintelligitur prius quod Deus sit homo, quã quod homo sit Deus. *Patet Consequentia* ex principio supposito, Quia subiectum debet esse prius; sed in ordine intentionis est subiectũ; ergo si in ordine intentionis est prius illud, quod in ordine executionis ponitur etiã est prius. Si verò subiectũ in intentione non includit suppositũ diuinum, debet includere aliud, vel solam naturã sine supposito iuxta aliquẽ ex quinque modis iam impugnatis, quod cũ non cõcedatur, sequitur, quod etiã Via intentionis primum intentũ in mente diuina sit Deum esse hominem, & per consequens quod non est primum in executione, vel si est primum in executione erit posterius in intentione, & non erit subiectum. Vnde concluditur, quod vnum ex duobus principijs falsificatur, aut quod subiectum non est prius, aut quod id quod est prius in executione non est vltimum in intentione in hoc modo dicendi.

Respondetur, quod *Alburcensis Pag.* 962. tenet quod hominem esse Filium, quod est vltimum in executione, est primũ in intentione propter principiũ physicũ, scilicet, quod id quod est primũ in intentione est vltimum in executione, & è contra, sed *Pag.* 964. soluẽdo secundam difficultatem à se ipso positã, scilicet illud primũ in executione, quod Deus sit homo, non potuit non esse effectus alicuius Prædestinationis, quandoquidẽ erat opus supernaturalis ordinis. *Respondet*, Quod est effectus eiusdem actus prædestinationis, quia in hac mirabili Prædestinatione, nõ solũ terminus, sed etiã ipsum quoque obiectũ (quod nos dicimus subiectum) constant, ordine tamen quodã; obiectum namque ad terminum præsupponitur. Vbi expresse in ipsa Prædestinatione, quæ est in ordine intentionis ponit etiã præsuppositum subiectum ad terminum, & per consequens terminus non potest esse primum, sed id quod præsupponitur ad ipsum erit primum, quamuis aliud sit Principalius intentum, quia hoc propter illud intenditur, sed quia est tamquam subiectum propter terminum non potest non esse primum, quamuis non principalius in illa intentione. Propter quod non apparet quomodo non sit aliqua contradictio in hoc Authore, & idem reperitur in *Nazario hic artic.* 2. *Controuers.* 2. vbi *Nonnulli* 4. ponit quod hominem esse Filium est vltimum in executione, & primum in intentione; & *Notabili* 5. ponit contrariam, scilicet Deum esse hominem præsupponi tãquam subiectũ in Prædestinatione termini, quod non potest nõ esse in intentione, nitit in eodem actu prædestinandi vellunt distinguere duplicẽ ordinẽ intentionis, & executionis.

Vt si dicatur, quod Deus intendit prædestinare prius, & post exerceat prædestinationē, quod tamen in *S. Thom.* non inuenitur, neque à Thomistis hucusque excogitatū: & semper restat difficultas, Quomodo in prima intentione designatur singularis terminus, & non respectu singularis subiecti præsuppositi. Hoc consulto Notaui propter modernos Thomistas, quia est facilis æquiuocatio. A

Vera Ergo Solutio est facilis ex doctrina data, quod vt Argumentum probat, semper Deum esse hominem intelligitur prius tam ordine intētionis, quàm executionis, quia in vtroque ordine est subiectum respectu huius termini, scilicet, quod homo sit Filius. Quæ est doctrina à nobis tradita, & propter hanc causalem, scilicet, Quia est subiectum explicauimus præcedentiam ipsius ad terminum. Vnde Argumentum nō est contra Nos quātum ad hoc. Et ad Vltimam consequentiam, Quod propter hunc effectum, scilicet Deum esse hominem, sit patratum totum Mysterium, *Negatur Consequentia.* Quia illud est intentum tanquam subiectum alterius, & per consequens non sistitur in illo, nec propter illud dicendum est, quod terminus est prædestinatus, sed potius subiectum propter terminum. B C

Illud Autem principium Phylosophicū, *Quod est primum in intentione est Vltimum in executione, & è contra*, non intelligitur de illis, quæ habent præcedentiam essentialem, *Verb. grat.* Inter radicem, & passiones; inter causam, & effectum; inter subiectum, & accidens: semper enim, & in quocumque ordine radix præsupponitur ad passionem, causa ad effectum, & subiectum ad accidens, & hoc modo etiam est subiectum, & terminus Prædestinationis; sed solum de alijs effectibus subordinatis, qui taliter sunt effectus, quod ex se non habent essentialem præcedentiam, neque causalitatem, sed solum ex vi ordinationis agentis, vnum ad aliud tanquam medium ordinatur, & media ad finē, & sic inter finem & media, & inter ipsa media inter se verificatur hoc principium phylosophicum. D E

Si Dicatur: Sequitur quod etiam in Prædestinatione hominum substātia Prædestinati possit dici effectus Prædestinationis illius, sicut dicitur, quod in Prædestinatione Christi subiectum efficitur ex vi eiusdem actus prædestinationis, siquidem substantia prædestinati est subiectum in eius prædestinatione.

Respondetur, Quod Aliqui dicunt, quod substātia prædestinati est effectus prædestinationis, Nos tamen 1. *Part. de Prædestinatione Disp. 9. Art. 5.* Sustinuimus substantiā prædestinati non posse esse effectū prædestinationis ipsius, quia est in ordine naturali, & ordo naturæ præsupponitur ad ordinē gratiæ. Et dicere quod idem actus secundū diuersas formalitates producit substantiam in esse naturæ, & prædestinat in ordine gratiæ, est dicere quod idem actus est naturalis, & supernaturalis in Deo. & quamuis idem Deus sit Author naturæ, & gratiæ, tamen secundum diuersas rationes diuersi actus assignantur, & secundum diuersos effectus, & terminos. Propter quod vt supra dictum est, inquit *Sanct. Thom.* quod Prædestinatio Christi, & hominum est diuersæ rationis, imo quod analogicè differunt in 3. *Dist.* 10. *Quæst.* 3. *Quæstiunc.* 2. *in Corpore*, quamuis vtraque sit ordinis supernaturalis, quanto magis si vnus effectus sit ordinis naturalis, & alius supernaturalis.

Tertio Arguitur. In illa prima Vnione, quando intelligitur Verbum vniri humanitati primo intelligitur etiam humanitas Vniri Verbo, quia Vnio est nexus duorum extremorū, & non fiat quod vnum extremum vniatur alteri, & non quod alterum vniatur illi, & hoc non solum in re, sed etiā neque in intellectione, quia in quantum vnita sunt relatiua, & relatiua sunt simul natura, & cognitione, & ex ipsa essentia vnitionis patet, quia nequit intelligi vniri vnū si non intelligatur alicui vniri, vt habet *S. Thom. supra Quæst. 2. Art. 8. in Corp.* Ergo in illo primo effectu, quem *Sanct. Thom.* inquit, quod est Vnio, loco cit. *in 3. Dist.* 10. *Quæst* 3. *Quæstiunc.* 1. *ad* 1. æqualiter intelligitur humanitas, & Persona Vnita; ergo in secundo effectu æqualiter sequitur, quod Filius sit homo, & homo Filius, quando *S. Tho.* dicit, quod sequitur filiatio ad Vnionē; ergo nulla est ratio quare præintelligatur Filiū esse hominē, ad hoc quod est hominē esse Filium, quā è contra; ergo nulla est ratio quare detur præcedentia in hoc quod est Filiū esse hominē etiam secundū rationē, vt assignetur tanquā subiectū respectu alterius, quod est hominē esse Filiū.

Respondetur, Quod hæc Vnio, quæ est specialis, quia est Vnio Hypostatica, est idē quod Incarnatio, seu humanatio, vt habet *Sanct. Thom.* in eodem *Artic.* 8. *cit. ad* 3. Et patet clarē; Quia in alijs rebus est Deus assistens, & Vnitus per essentiam, præ-

præsentiam, & potentiam, & in mente Beati per modum speciei impressæ, & tamen nullibi est Vnitus Hypostaticè, siue Vnitus, vt Incarnatus, seu humanitas; vnde hæc Vnio addit supra rationem communem Vnionis, quod sit Incarnatio, seu humanatio. Et quamuis attenta solum ratione cõmuni Vnionis æqualiter sint extrema Vnita, tamen secundum rationem Incarnationis, vel humanationis, nõ ita se habent, quia non explicatur ratio æquiparantiæ, sicut in sola ratione Vnionis, & ideo inquit *Sanct. Thom.* ibidem, *Quod assumptio determinat, cui facta est copulatio ex parte assumentis, sed Incarnatio, & humanatio ex parte assumpti.* Quando ergo dicit, quod Prædestinatio primum effectum habet Vnionem, loquitur de Vnione Hypostatica, & de Incarnatione, & humanatione, & ad hanc inquit sequi filiationem, & sic patet quomodo prius intelligatur in Prædestinatione Christi Verbum Incarnatum, & humanatum, quam homo Filius.

Quod Si Instes: In illo priori in quo intelligitur Incarnatio, seu Verbum Incarnatum, intelligitur vt suppositum humanitatis, quia non aliter habet formalitatem Incarnati, & sic intelligitur homo; ergo quando in secundo effectu in quo dicitur à *Sanct. Thom.* quod sequitur filiatio, & est ex vi prædestinationis homo Filius, affirmatur idem suppositum, quod præsupponitur, quia ly *Filius*, non prædicatur de illo homine, etiam ex vi Prædestinationis, nisi vt suppositum illius, quia in alio sensu non erit vera propositio; ergo superfluè ponitur secũdus effectus sequutus ad Vnionem, & ex gratia, & prædestinatione. *Patet Consequentia.* Primus effectus continet totum, quod secundus, quia in secũdo solum ponitur, quod Filius vt suppositum conueniat homini, hoc est, quod sit suppositum humanitatis per gratiam, & Prædestinationem; hoc idem ponitur in primo effectu, quãdo intelligitur Incarnatio, quia est effectus Prædestinationis, & ex gratia Verbum vnitur humanitati vt suppositum, quia hoc est Incarnare; ergo non benè multiplicãtur isti duo effectus, & per consequens, nec ratione distinguuntur subiectum, & terminus in ista Christi Prædestinatione.

Respondetur, Quod in primo effectu idem est, quod in secundo realiter, non vero ratione. *Quod Patet.* Quia Filius, qui secundũ se est Filius, & in propria natura, est capax vt sit Filius in natura creata, & est capax vt sit Incarnatus, vel humanatus, vel vt homo, & consequenter prius natura, vel ratione saltem debet intelligi humanatus, quam Filius in humanitate, vel Filius vt homo, quia si non intelligitur homo, nequit intelligi Filius vt homo. Stat ergo bene, quod totũ opus prædestinationis huius sit hoc mysterium, scilicet Verbum Incarnatũ, seu Verbum factum hominem, & homo Filius, & hoc sic idẽ realiter, sicut ipsa Prædestinatio; nihilominus tamen per rationẽ intelligatur duplex effectus solum ratione distinctus cũ fundamento in re, & fundamentũ est, quod nequit intelligi vnum sine alio, & hoc sufficit, quod intelligatur aliud prius, hoc est, si non potest intelligi Filius in humanitate, neque Filius vt homo, nisi prius sit homo, benè sequitur, quod intelligatur prius fieri homo, quam quod intelligatur, quod vt homo est Filius, & sic quod reperitur distinctio rationis inter Vnum, & alium effectũ, & consequenter inter subiectum formaliter, & terminum. Et cum ipsi Authores contrariæ sententiæ dicant sufficere distinctionẽ rationis, non possunt illã negare hic sic explicatã, ac per consequens malè negant Prædestinationem, & semper fallacia stat, quod dum inquirunt distinctionem rationis, ad Verificandam Prædestinationem, intendunt inuenire distinctionem realem, & quia illam non inueniunt, negant Prædestinationem propriam.

Vel Alijs Terminis hoc idem explicatur in exemplis allatis. Prius intelligitur, quod albedo Vniatur Corpori, quam quod Corpus sit albũ, quia licet esse album, & albedo communicata sint idem realiter, tamen nõ possunt ad minus non distingui tanquam causa, & effectus, & cum aliqua prioritate ratione cuius verificatur ista causalis, quia albedo Vnitur Corpori, Corpus est album per illam. Et in forma substantiali qualis est anima rationis prius intelligitur Vniri Corpori, seu informare illud, seu incorporari, aut incarnari suo modo, (quia cum sit spiritualis sit forma Corporis carnalis) quam intelligatur Corpus esse Viuum Vita substantiali per eamdem animam: sicut enim Corpus esse mortuum est effectus separationis animæ, & prius intelligitur separatio quam mors, ita Corpus esse Viuum est effectus Vnionis animæ. Ita similiter, quod Filius Incarnetur, vel humanetur prius intelligitur, quam quod homo sit Filius eadem filiatione, vel ab eodem Filio, qui humanatur, vel Incarnatur.

Et Clarius apparet in subsistentia, vel existentia quas secum adducit Anima, prius intelligitur, quod Vniatur materiæ, vel Corpori humano, quam intelligatur homo subsistens, vel existens per illam, quia ante non erat homo, quia anima solum est pars hominis, vt ergo fiat homo debet Vniri Corpori, vel materiæ, & prius intelligitur hæc Vnio, quam homo intelligatur subsistēs, & Persona completa. Quare non eodem modo fiet discursus in subsistentia diuina relatiua, quæ est filiatio, & Filius, quod prius intelligatur vniri humanitati, quam quod homo intelligatur Filius, cum hac causali, quia Filius vnitur humanitati ille homo est Filius.

Et Denique sicut quando vnitur essentia diuina, vt species impressa intellectui Beati priusquam constituat intellectum intellectiuum in actu primo, intelligitur vniri; Quare non dicetur idem in præsenti quādo vnitur per modum Personæ, & per modum subsistentiæ, quod prius intelligatur Persona vniri humanitati, quam intelligatur, quod homo est illa Persona, sicut prius intelligitur, quod prius vnitur intellectui, quam intelligatur intellectus constitutus per illam, vt intellectiuum in actu primo? Certè nulla apparet ratio disparitatis, & inconsequenter conceditur in his exemplis præcedentia aliqua, & negatur in Prædestinatione, ad quam sufficit solum secundum rationem, vt Ipsi concedunt.

Quod Si Vlteriùs Instes: Distinctio, quæ debet assignari, & præcedentia debet esse inter subiectum, & terminum; si autem sumatur ipse Filius, qui tenet se ex parte subiecti secundum se nulla est distinctio à se ipso, etiam rationis, & sic non potest esse subiectum, & terminus. Si autem sumatur subiectum ipse Filius, vt est homo, ita vt includatur humanitas tanquam subiectum *Quo*, iam est distinctio realis, & non solum rationis inter subiectum formaliter sumptum, & terminum, quia humanitas quomodocumque semper est distincta realiter à Filio in quocumque sensu, vel in quocumque effectu considereretur.

Respondetur, Quod si considereretur subiectum adæquatum, quod est suppositum humanatum aliquid realiter distinctum includit à termino ad *Quem*, scilicet Humanitatem, quæ est subiectū *Quo*, & ratione cuius illud suppositum, vt homo, vel in quantum homo Prædestinatur ad esse Filiū. Quando autem ponitur solum distinctio rationis est in eodem Filio non secundum se considerato, sed comparatiuè ad humanitatē, hoc est, quod prius intelligitur prius vniri ipsi humanitati, quam intelligatur ipse præbere suum effectū illi homini, vel quod ille homo accipiat esse Filium ab eodē Filio, qui Vnitus fuit humanitati, vt fieret subiectum, & vt homo esset Filius. Sicut dicitur in exēplis allatis, quod albedo eadē est, quæ Vnitur Corpori, & facit Corpus album, & sic de alijs, & nō insistimus, si debet esse distinctio, & præcedentia realis, sicut ponitur in istis exemplis, siquidem ad intētum sufficit distinctio rationis, quæ est minor, & similiter inter subiectum *Quod*, & terminū *Qui* adæquatè cōsideratum est solum distinctio rationis, quia in termino *Qui* includitur subiectum, & terminus ad *Quem*. Ex his patet solutio data *Artic. Præcedent ad Vltimum Argumentum*, & sufficienter explicata, & illud Argumentum exactè solutum.

ARTICVLVS IV.

Vtrùm Christus sit Prædestinatus ad Gloriam Animæ, & Gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia?

IN hoc Articulo Prima Sententia asserit, quod humanitas Christi fuit prædestinata ad Visionem Beatam, & Gloriam Animæ, non solum vt subiectum *Quo*, sed etiam vt *Quod*. Ita tenet *Durandus in 3. Distinct. 7. Quæst. 3. Scotus* etiam *Quæst. 3.* Quos sequitur *Vazquez* hic *Disput. 90. Cap. 4 in fine*. Quorum fundamentum est, Quod actiones non sunt suppositi, sed naturæ, tanquam principij *Quod*.

Secunda Sententia asserit, Quod humanitas Christi principaliùs fuit prædestinata ad Gloriam Animæ, quam ad Vnionem Hypostaticam, & Christus consequenter prius prædestinatus fuit ad gloriam, quam ad hoc vt esset Filius Dei naturalis. Ita *Durandus*, & *Scotus* locis citatis.

Tertia Sententia affirmat, quod Christus fuit prædestinatus ad Gloriam Animæ, & ad alia dona supernaturalia creata, secundariò tamē, seu tanquam ad terminū secundarium, primariò verò ad filiationem naturalem. Hanc tenet *S. Thom.* locis citādis, quem sequuntur *Asturicensis Pag. 947.*

Ca-

Cabrera hic Artic. 1. Disput. 2. Suarez Disput. 50. Sect. 3. Nazarius hic Artic. 2. Controuers. 3. Et communiter Moderni Thomistæ.

Dico Primo Humanitas Christi in abstracto non fuit prædestinata ad gloriam. Hæc est *Sanct Thom. hic Artic. 1. ad 2. & in 3. Dist. 10. Quæst. 3. Quæstiunc. 1. ad 2.* Et eius probatio dependet ex illo principio Phylosophico *Actiones sunt suppositorum*, quod examinare non est huius loci, sed supra agentes de Impeccabilitate Christi *Quæst. 15.* manet sufficienter stabilitum, maximè authoritate Concilij Florentini dicentis, *Esse verum secundum omnem Scholam Phylosophorum*, quod quamuis non sit diffinitio fidei, est tamen communis consensus Ecclesiæ Latinæ in illo Concilio Congregatæ, & assumptum tanquam principium necessarium ad conuincendum Armænos ratione Theologica, quod Spiritus Sanctus procedit à Filio, & ideò de hoc hic non est commorandum.

Dico Secundo. Humanitas Christi, siue Christus non fuit principaliùs prædestinatus ad gloriam animæ, quam ad Vnionem substantialem, seu filiationem naturalem. Hanc Conclusionem tenent Authores citati pro Tertia Sententia. Eam tenet expressè *Sanct Thom.* Et Probatur primo Ratione ex ipso desumpta *Quæst. Præcedent. Artic. 2. ad 3. & Artic. 3. in Corp. & Art. 4. in Corp.* & in præsenti, vbi inquit, Quod filiatio adoptiua est quædam similitudo filiationis naturalis. Et hic *Artic. 3. in Corp.* vtitur eadem doctrina dicendo, *Quod Prædestinatio Christi est exemplar nostræ Prædestinationis quantum ad bonum ad quod prædestinamur, ipse enim est prædestinatus ad hoc quod esset Filius Dei naturalis, nos autem prædestinamur ad filiationem adoptionis, quæ est quædam participata similitudo filiationis naturalis.*

Ex Quibus Verbis sic ad hominem contra *Scotum*, qui tenet, quod Christus per gratiam, & gloriam est Filius Dei adoptiuus, (vt *Disp. Præced. Visum est*) & non negat quod sit Filius naturalis ex vi Vnionis Hypostaticæ; ergo principaliùs prædestinatus fuit ad Vnionem Hypostaticam, quam ad gratiam, & gloriam. *Patet Consequentia.* Principaliùs prædestinatus fuit ad filiationem naturalem, quam ad filiationem adoptiuam, dato quod illi conueniat filiatio adoptiua; ergo principaliùs prædestinatus fuit ad Vnionem, quam ad gloriã.

Consequentia Patet ex dictis, Quia gloria pertinet ad filiationem adoptiuam, & Vnio ad naturalem.

Antecedens Probatur filiatio adoptiua est participata similitudo filiationis naturalis; ergo si vtraque ex vi eiusdem Prædestinationis conuenit Christo, principaliùs conuenit naturalis, quam adoptiua, & principaliùs prædestinatio terminatur ad naturalem, quam ad adoptiuam. *Patet Consequentia.* Quotiescumque Vnus actus terminatur ad duos terminos, quorum Vnus est principalior, & alter minus principalis, principaliùs terminatur ad terminũ principaliorem, quam ad minus principalem, quod ex natura rei constat, quia agens iuxta naturam cuiuscumque boni intendit illud, & contra naturam esset intendere principaliùs minus bonum; cum ergo filiatio adoptiua sit minus bona filiatione naturali, vtpotè participata similitudo eius, sequitur, quod non est principaliùs intenta à Deo, nec prædestinata, quam naturalis in ordine ad Christum.

Secundo Probatur alia etiam ratione desumpta ex *Sanct. Thom. in 3. Distinct. 10. Quæst. 3. Quæstiunc. 2. in Corp.* vbi inquit: *Specifica differentia cuiuslibet motus, vel operationis accipitur penes terminum ad Quem; illud autem quod est Prædestinatio non est Vnius rationis in Christo, & in nobis, quia Prædestinatio Christi est ad Vnionem in Persona; nostra autem ad Vnionem per operationem aut per habitum assimilantem, & hæ duæ Vniones non sunt Vnius rationis, sed se habent secundum prius, & posterius, & perfectum, & diminutum, & ideò Prædestinatio Christi, & nostra non est Vnius rationis secundum Vniuocationem, sed secundum analogiam.*

Ex Quibus Verbis sic formatur ratio: Prædestinatio est principalior secundum principalitatem termini; sed Vnio ad Deũ in Persona est principalior, quam Vnio per gratiam habitualem, & gloriam; ergo Prædestinatio etiam in Christo secũdum quod terminatur ad Vnionem Hypostaticam in Persona est principalior, quam quæ terminatur ad Vnionem per gratiam habitualẽ, & gloriã. *Patet Consequentia, & Maior*, nisi Dicatur Quod Vnio per gratiã est principalior, quã Vnio Hypostatica, quod est falsum, quia Vnio Hypostatica est per quã cõstituitur Christus substantialiter, per gratiã vero vnitur accidentaliter, quæ est eiusdem rationis cum alijs hominibus iustis, sicut &

gratia est eiusdem rationis in Christo, & in nobis. Et non est tutum in fide, dicere, quod sit principalior Vnio per gratiam ad Deum in puro homine, quam Vnio Hypostatica in Christo. *Et Ratio est clara*, Quia Vna est substantialis, & accidentalis alia, propter quod dixit *Sanct. Thom.* quod Vna est secundum perfectum, & alia secundum diminutum, & idem dixit supra *Quæst.* 4. *Art.* 1. *ad* 2. dicendo, *Multo autem maior, & perfectior est Vnio ad Deum secundum esse personale, quam quæ est secundum operationem.* Cuius ratio est, quia operari sequitur ad esse; concluditur ergo, quod Prædestinatio, quæ terminatur ad Vnionem Hypostaticam est principalior; ergo etiam Vnio principaliùs prædestinata.

Confirmatur. Quotiescumque aliqua actio terminatur ad substantiam, & ad accidens, quantum ad primum esse substantię, primo, & per se terminatur ad primum esse substātiæ, quam ad ea, quæ consequuntur, vt patet in generatione, quæ primo terminatur ad essentiam, quam ad passiones. *Cuius Ratio est*, Quia passiones, seu accidētia dependent in suo esse à substantia, non solum tanquam à medio, sed tanquam à causa materiali, vel subiecto; ergo ordinatè volens priùs debet velle causam, quam effectum subsecutum; ergo similiter Prædestinatio, priùs & principaliter intendit radicem, quam passiones, vel accidentia sequuta, & sic in hominibus priùs prædestinatur substantia gloriæ, quam accidentia; ergo similiter in Christo, Prædestinatio principaliùs debet esse ad Vnionem Hypostaticam, tanquam ad filiationem substantialem respectu gratiæ, & gloriæ animæ.

Dico Tertio. Christus fuit prædestinatus ad gloriam, & gratiam habitualem secundario, seu tanquam ad terminum secundarium. In hac Conclusione, quoad substantiam, conueniunt Thomistæ, in modo solum loquendi differunt, scilicet, si absolutè, & sine addito potest concedi, Quod Christus fuit prædestinatus ad gloriam? Aliqui negant, solum quia est terminus secundarius. Alij concedunt, quia subintelligitur terminus secundarius: cum addito tamen nullus negat, & sic patet quod est dissensio solum in modo loquendi. Nullum tamen videtur inconueniens, quod concedatur absolutè in sensu dicto, quia *Actor.* 10. dicitur, *Ipse est, qui constitutus est à Deo Iudex Viuorum, & Mortuorum.* In Græco loco illius termini *Constitutus*, ponitur alius significans idem quod *Prædestinatus.* Et *August. Tract.* 105. *in Ioann* ad illa verba *Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te.* Cap. 17. inquit, *Petebat gloriam resurrectionis suæ, quam dixit habuisse secundum Prædestinationem.* Et communiter conceditur quod fuit prædestinatus Redemptor, quod consumauit per mortem, & resurrectionem, & gloriam. *Cuius Ratio est*, Quia gloria, & gratia habitualis non habent ita essentialem connexionem cum Vnione Hypostatica, quod non potuisset de potentia Dei absoluta prædestinari Vnio, & non gloria, & gratia, quia in hoc nulla apparet implicatio. Vnde si de facto gloria sequitur, fuit ex vi præcedentis prædestinationis, quia extenditur etiam ad hæc dona creata, & sic potest concedi quod Prædestinatio sub se comprehendit illa, & quod illa cadunt sub Prædestinatione, & consequenter, quod Christus fuit prædestinatus ad hæc dona, intelligendo tamen quod *Secundario.*

Soluuntur Argumenta.

Contra Secundam Conclusionem Arguitur Primo. Idem est Vltimus finis Christi, & aliorum hominum, sed aliorum gloria est Vltimus finis: ergo & Christi; sed propter hoc alij homines prædestinantur ad gloriam: ergo & Christus.

Respondetur cum *Sanct. Thom. in* 3. *Dist.* 10. *Quæst.* 3. *Quæstiunc.* 1. *ad* 2. vbi æquiualenter ponit idem Argumentum, & Respondet, *Ad secundum dicendum, Quod illa ratio procedit de fœlicitate creaturæ ex hoc quod Deo Vnitur per operationem, sed ipsa natura beatificatur ex hoc quod Deo Vnitur in Persona.* In quibus Verbis ponit distinctam beatitudinem in humanitate Christi à fœlicitate aliorum, quod nō est intelligendum beatificari per operationem, sed pro hoc quod est Deificari substātialiter. Quod etiam dixerat *Dist.* 7. *Quæst.* 3. *Art.* 2. *Quæstiunc.* 1. *in Corp.* inquiens, *Dicendum quod Prædestinatio importat ordinem ad finem; vnde quando simpliciter ponitur, intelligitur præordinatio ad finem Vltimum, qui est in coniunctione ad Deum per gratiam, vel gloriam, vel Vnionem in Persona.* Ecce quomodo ponitur à *Sāct. Thom.* Vltimus finis, vel in gloria, sicut in nobis, vel

vel in Vnione in Persona, sicut in Christo, & iste est superior, vt dictum est.

Secundo Arguitur. Prædestinatio principaliùs terminatur ad maius bonum; sed gloria est maius bonum, quam Vnio Hypostatica; ergo. *Probatur Minor.* Tum, Quia sic se habet Vnio Hypostatica ad gloriam Christi, sicut in nobis merita, hoc est, tanquam medium ad finem; sed finis principalior est, quã medium: ergo. *Tum,* Quia quod est Vltimum in executione est primum in intentione; ergo principalius intentum: sed gloria est Vltima in executione respectu Vnionis; ergo prima in intentione, *Minor Probatur.* Quia priùs intelligitur esse substantiale, quam esse beatum. *Tum,* Quia quod Via generationis est Vltimum est perfectiùs, vt patet in gradibus hominis, perfectiùs est esse hominem, quam esse animal, &c. Quæ sunt priora in exercitio Via generationis; ergo principaliùs intentum in generatione; ergo similiter in Prædestinatione.

Respondetur Negando primum Antecedens. Ad primam impugnationem Dicitur, Quod Vnio Hypostatica non est medium per se ordinatum ad gloriam, sicut in nobis merita ordinantur ad illam tanquam medium ad finem, sed in Christo est, sicut Vnus finis ad quem consequitur alius finis tanquam accidens sequutum ad substantiam. Vnio enim est finis substantialis superior, & habet sua accidentia consecuta. Sicut forma substantialis dat esse substãtiale, & est finis principalis generationis, & ad illam sequuntur aliqua accidentia tanquam finis secundarius, & non propter hoc dicitur; quod esse substantiale ordinatur tanquam medium ad finem ad esse accidentale.

Ad Secundam Impugnationem patet ex his. Illud enim principium phylosophicum, *Quod est Vltimum in executione, est primum in intentione*, intelligitur in eadem linea, hoc est, inter effectus in linea substantiæ. Si verò fiat comparatio inter accidens, & substantiam, falsum est, quod Vltimum in executione in linea accidentis sit primum in intentione simpliciter. Sicut in exemplo allato risibilitas sequitur ad essentiam; & est posterior in executione, & tamen non est prima in intentione comparatiuè ad essentiam.

Ad Tertiam Impugnationem patet etiam; quod exemplum de Gradibus hominis nõ est ad intentum, quia sunt in linea substantiæ, & in illa Verum est, quod Vltimum in executione est perfectiùs, non verò in linea accidentis comparatiuè ad substantiam.

Tertio Arguitur. Prædestinatio est ordinatio alicuius ad aliquid; ergo supponit esse substantiale primum, & ordinat ad esse secundum, quod est accidentale, sicut in hominibus, & Angelis patet, quod præsupponitur substantia, & illa prædestinatur ad gloriam, quia quod nondum est, non potest prædestinari, & ideò homo, vel Petrus non prædestinatur ad esse hominem, sed Vnio Hypostatica dat esse substantiale; ergo Prædestinatio non terminatur ad illam, sed supponit illam, & Christum per illam constitutum prædestinat ad gloriam.

Respondetur ex *Sanct. Thom. in 3. Dist. 7. Quæst. 3. Art. 2. Quæstiunc.* 1. vbi ponit hanc paritatem, & Respondet, *Ad secundum dicendum quod suppositum Petri non fuit antequam esset Petrus homo, & ideò non potest dici, quod sit prædestinatus esse homo, sed suppositum Filij Dei fuit antequam ipse esset homo, & ideò non est similis ratio.* Et iterum, *Petrus nullo modo habet esse homo per gratiam; Filius autem Dei habet esse homo per gratiam Vnionis, non quidem sibi factam, sed humanæ naturæ.* Vbi ponit duas Solutiones, & in qualibet apparet disparitas, in Prima quod ante Vnionem Hypostaticam præsupponitur suppositum Filij Dei, cui potest tribui esse humanum ex vi Prædestinationis, quod non est in alijs. In Secunda, quod ipsa Vnio Hypostatica, & ipsum esse substantiale est supernaturalis, & sic potest cadere sub Prædestinatione: esse verò substantiale hominis, vel Angeli est naturale, & sic non potest cadere sub prædestinatione, nisi dicatur Prædestinatio naturalis, & sub illa potest cadere, quia Deus priùs determinauit ex vi prouidentiæ naturalis producere substantiam hominis, quam quodlibet accidens.

Vltimo Arguitur. Vnio Hypostatica potest fieri in aliqua natura irrationali, (vt est communis Opinio) quia de potentia Dei absoluta non implicat, & conuenient Commentatores supra *Quæst. 4. circa Artic.* 1. Ergo posset dici aliqua creatura irrationalis esse prædestinata: hoc autem est falsum, quia prædestinatio gratiam importat, & creatura irrationalis est incapax gratiæ; ergo Vnio Hypostatica non est terminus Prædestinationis.

Res-

Respondetur, Quod in illo casu illud A individuum naturæ irrationalis non esset Filius Dei, neque haberet denominationem Personæ, sed suppositi, neque esset Sanctum, quia totum hoc repugnat irrationali naturæ, & sic etiam non esset effectus gratiosus propter eamdem rationem, quia est incapax gratiæ illa natura; & sic solum conuincitur, quod non esset Prædestinatio, sicut modo est ob defectum naturæ. Modo vero, quia natura non habet hos defectus, sicut dicitur ille homo Christus Filius, & Sanctus substantialiter ex vi Vnionis, potest dici etiam capax gratiæ Prædestinationis, tunc tamen esset quædam prouidentia particularis. Hæc circa Primum, & Secundum Articulum huius Quæstionis.

Circa Tertium vero, & Quartum in quibus *Sanct. Thom.* disputat de Prædestinatione Christi comparatiuè ad nostram, si est Exemplar, & causa nostræ Prædestinationis, Disputandum erat, si Christus meruit Prædestinationem electorum absolutè, nō solum in communi, sed etiam in singulari, & quantum ad designationem Vnius præ alio? Sed quia 1. *Part. Quæst.* 23. *Disput.* 8. *Artic.* 6. hoc ex professo Disputauimus, hic ex consulto omittitur.

B *De Alio Articulo* cum isto connexo, scilicet, An Christus fuerit Primus prædestinatus inter homines, & Angelos, vide supra *Disputatione* 3. *Articulo* 3. *in Solutione* 3. *Argumenti, & Disput.* 11. *Art.* 3. *ad Primam rationem.*

Quæstio 25. quæ est de Adoratione Christi, & Quæstio 26. quæ est de Christo, vt Mediatore speciales difficultates hic controuertendas non habent. Vnde eas cum reliquis, quæ sunt de Vita, & Morte Christi, in præsenti relinquimus. Tractaturi in sequenti Tomo de Sacramentis in Genere, quæ est Quæstio 60. & subsequentibus.

Omnia hic contenta in Honorem cedant Virginis Matris, Dominici Patris, & Thomæ Magistri, necnon in Catholicæ Ecclesiæ dilatationem, cui omnia subijcimus.

INDEX

INDEX
RERVM
NOTABILIVM, QVAE IN HOC
PRIMO TOMO TERTIÆ PARTIS
CONTINENTVR.

Prior Numerus indicat Paginam: Secundus Columnam. Litteræ verò A.B.C.D.E. easdem Litteras denotant positas inter vtramque Columnam.

Accidens.

DVpliciter dicitur, scilicet, vt determinatiuum alicuius prædicati essentialis, sicut rationale accidit animali; & vt non determinatiuum. Q. 2. Disp. 4. Art. 1. Pag. 110. Col. 1. lit. E.

Ex accidenti, & subiecto non fit compositio ex his. Q. 2. D. 4. Art. 3. P. 128. C. 2 lit. A.

Duo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subiecto. Q. 19. Disp. 17. Art. 3. Pag. 468. Col. 1. lit. B.

Benè possunt esse in eodem subiecto, si habeant modificationem specie distinctam. Q. 9. Disp. 11. Art. 2. Pag. 266 Col. 2. lit. E.

Accidentia communia actiua possunt alijs communicari; non tamen accidentia propria, nisi ab habente propriam naturam. Q. 13. Disp. 15. Art. 4. Pag. 374. Col. 2. lit. D.

Actio.

Omnis actio exigit terminum, non tamen de nouo productū. Q. 2. Disp. 4. Art. 3. Pag. 126. Col. 1. lit. E.

Actio est propria suppositi, iuxta omnium Philosophorum Scholam, vt dicitur in Concilio Florentino. Q. 15. Disp. 16. Art. 1. Pag. 396. Col. 2 lit. E

Actio attingens Deum, vt obiectum præcisè non est infinita, benè tamen actio procedens à Deo personaliter. Q. 1. Disp. 2. Art. 1. Pag 60. Col. 2. lit. C.

Actiones Christi, quære in Verbo Christus.

Actus.

Idem potest esse liber, & necessarius. Q. 19. Disp. 17. Art. 3 Pag 467. Col. 1. lit. E.

Actus liber Dei est idem cum substantia Dei, Pag. 8.

Nec etiam quoad aliquam perfectionem suam potest deesse Deo Pag 7.

Vt attingat obiectum infinitum, non exigit infinitatem simpliciter. Q. 1. Disput. 1. Art. 2. Pag. 31. Col. 2. lit. D.

Actus procedens à gratia, & charitate placet Deo tantum quantum ei displicuit peccatum in ratione mali moralis, non verò in ratione iniuriæ, & offensæ. Q. 1. Disp. 1. Art. 2. Pag 37. Col. 1. lit. E.

Ab eisdē principijs à quibus habet esse sortitur valorē. Q. 1. D. 2. A. 1. P. 56. Col 2. l E

Secun-

Secundum ordinem transcendentalem intrinsecè dependet à principijs extrinsecis. Ibidem.

Quilibet actus virtuosus in subiecto grato est meritorius, etiam si non sit reflexiuus supra personam. Q. 1. Disp. 2. Art. 1. Pag. 63. Col. 1. lit. E.

Actus humanæ voluntatis, & pertinet ad ordinem intentionis, & executionis. Q. 1. Disp. 3. Art. 1. Pag. 84. Col. 1. lit. C.

Omnes actus voluntatis comprehenduntur sub triplici ordine. Q. 1. Disp. 3. Art. 1. Pag. 84. Col. 2. lit. E.

Adam.

Habuit fidem Christi præcisè vt Consummatoris gloriæ. Q. 8. Disp. 10. Art. 2. Pag. 222. Col. 2 lit. D.

In statu innocētiænō potuit falli, Pag. 15.

Fuit iustificatus ex fide Christi venturi. Q. 1. Disp. 3. Art. 3. Pag. 103. Col. 2. lit. A.

Et si non amiserit fidem peccando nobis, tamen eam sibi amisit. Q. 19. Disp. 18. Art. 3. Pag. 492. Col. 2 lit. C.

Adoptio.

Est actio humana per quam adoptatus transit in potestatem adoptantis, & adquirit ius ad eius hæreditatem ex ipsius benevolentia. Q. 20. Disp. 19. Art. 1. Pag. 495. Col. 1. lit. B.

Tres conditiones exiguntur ad adoptionem. Ibidem, lit. E.

Ad illum solum pertinet adoptio, quæ fit per gratiam habitualem, qui est causa physica principalis illius Q. 13. Disp. 15. Art. 4. Pag. 375. Col. 1. lit. B.

Adoptio per gratiam habitualem est actio totius Trinitatis. Q. 20. Disput. 19. Art. 1. Pag. 496. Col. 1. lit. A.

Fit per gratiam habitualem. Ibidē, lit. B.

Omnis creatura rationalis est capax huius adoptionis Ibidem, lit. E.

Patres antiqui verè fuere Filij adoptiui. Col. 2 lit. B.

Alterum & Aliud.

Alterum dicit differentiam accidentalem, aliud autem substantialem. Q. 17. Artic. 2. Pag. 443. Col. 1. lit. E.

Amicitia.

Nulla datur perfecta amicitia in qua non interueniat aliqua concupiscentia. Q. 7. Disput. 8. Art. 5. Pag. 183. Col. 1. lit. A.

Amor Christi. Quere in Verbo Christus.

Angelus.

Inferior non comprehendit superiorem. Q. 10. Disp. 12. Art. 1. Pag. 287. Col. 1. lit C.

Nullus cognoscit futura contingentia. Q. 11. Disp. 13. Art. 2 Pag. 318. Col. 1. lit. D. & Art. 3. Pag. 325. Col 2. lit. E.

Nec cognoscit cogitationes cordis. Ibidem.

Superior potest illuminare inferiorem de his, quæ cognoscit per Scientiam Beatam, non per ipsam, sed per infusam. Q. 9. Disp. 11. Art. 2. Pag 263. Col. 1. lit. B.

Non accepit gloriam essentialem per Christū. Q. 1. Disp. 3. Art. 3. Pag. 101. Col. 2. lit. E.

Accepit tamen gratiam accidentalem à Christo efficienter physicè. Q. 8. Disput. 10. Art. 3. Pag. 235. Col. 1. lit. E.

Angelus malus fuit damnatus priusquam Christus prædestinaretur. Q. 1. Disp. 3. Art. 3 Pag 102. Col. 1 lit. C.

Quilibet Angelus cognoscit Christum ordinari ad consummationem gloriæ authoritatiuè, non tamen tanquam causam meritoriam gloriæ essentialis. Q. 1. Disput. 3. Art. 3. Pag. 103. Col. 2. lit. C.

Anima Christi. Quere in Verbo Christus.

Antichristus.

Erit Caput omnium malorum propter plenitudinem, ac excessum malitiæ. Q. 8. Pag. 208.

Eius Caput erit Diabolus. Ibidem.

Appetitus.

Naturalis non potest tendere circa aliquid supernaturale. Q. 6. Disp. 7. Art. 2. Pag. 154. Col. 2. lit. D.

Posito supernaturali continenti eminenter formaliter naturale, totaliter quiescit appetitus, qui erat ad naturale. Ibidem.

Approximatio.

Est conditio supplebilis à Deo. Q. 13. Disp. 15. Art. 2. Pag. 358. Col. 1. lit. C.

Sufficit approximatio virtualis, vt agens agat. Ibidem.

Arbitrium.

Non est de ratione illius posse peccare. Q. 15. Disp. 16. Art. 1. Pag. 396. Col. 2. lit. E.

Attributum.

Bonitatis, & iustitiæ potest communicari à Deo creaturæ; non autem attributum Omnipotentiæ. Q. 13. Disp. 15. Art. 1. Pag. 353. Col. 1. lit. A.

Auxilium.

Optimè secundū antiquum Ecclesiæ vsum appellatur qualitas physica. Q. 2. Disput. 4. Art. 1. Pag. 113. Col 2. lit. B.

Concessio auxiliorum sufficientium non benè ipsis vsuris pertinet ad prouidentiā generalem, non autem ad prædestinationem. Q. 1. Disp. 3. Art. 2. Pag. 96. Col. 1. lit. A.

Beatus.

Ex vi visionis beatificæ attingit per ipsam aliquas

aliquas creaturas. Q. 10. Disp. 12. Artic. 1. Pag. 288. Col. 2. lit. A.

Superior beatus semper videt eminentius diuinam essentiam, quam inferior. Quæst. 10. Disp. 12. Art. 3 Pag. 301. Col. 2 lit B

Non oportet quod quilibet beatus comprehensiuè cognoscat quidquid pertinet ad suum statum. Ibidem. Pag. 302. Col 1. lit A.

Superior beatus perfectius vidit mysteria fidei, quam inferior Ibidem, lit. D.

Bonum.

Ad rationem boni pertinet se communicare alijs. Pag. 1.

Perfectio est non passiua sed quasi actiua pertinens ad summum bonum se alys communicare. Pag 9.

Illa propositio Diui Thomæ, Ad rationem summi boni pertinet se summo modo communicare, explicatur. Pag 9.

Caietanus.

Vindicatur à calumnia Vazquez & Lorca. Pag. 6.

Caput.

Explicantur proprietates Capitis. Q. 8. Pag. 202.

Character.

Non est virtus ad causandum effectum supernaturalem, sed est qualitas reddens aptum subiectum ad recipiendam virtutem causatiuam. Q. 13. Disp. 15. Art. 3. Pag. 371. Col. 1. lit. E.

Causa.

Licet causa secunda sit efficax in suo genere, tamen potest impediri, quia non est efficax in omni genere causæ. Q. 1. Disput. 3. Art. 1. Pag. 86. Col. 1. lit. A.

Assignatur discrimen inter causam moralem, & physicam. Q. 13. Disput. 15. Artic. 4. Pag. 381. Col. 1 lit. D.

Non est necessarium, quod causa moralis exerceat aliquam operationem circa effectum, qui moraliter tantum ab ea procedit. Q. 13. Disp. 15. Art. 2 Pag 356 Col 1. lit. D.

Causa prima non impedit, sed potius iuuat causam secundam ad agendum concurrendo cum ipsa. Q. 9. Pag 243.

Causa imperans non semper est causa moralis. Quæst. 13. Disput. 15. Art. 2. Pag 360. Col. 2. lit. D.

Columba.

Quæ apparuit in Iordane non fuit creata, sed educta. Ibidem. Pag. 359. Col. 1. lit. B.

Compositio.

Ad compositionem, & diuisionem non sufficit pluralitas specierum. Q. 11. Disp. 14. Art. 2. Pag. 337. Col. 1. lit. B.

Comprehensio.

Dupliciter sumitur. Q. 10. Disp. 12. Art. 1. Pag. 282 Col 2 lit B.

Ad veram comprehensionem exigitur omnimoda adæquatio cognitionis cum obiecto. Ibidem, lit. C.

Nullus Beatus comprehendit Deum Ibidem Pag. 286. Col. 1. lit. D & E.

Cognitio omnium creaturarum possibilium, siue in Verbo, siue extra Verbum, arguit comprehensionem Dei Ibidem. Art 2. Pag. 291. Col. 1. lit. B.

Licet cognoscantur omnia obiecta Scientiæ Visionis, non tamen comprehenditur. Ibidem. Pag. 292. Col 2. lit. C.

Concretum.

Non potest prædicari de abstracto. Q. 17. Pag 439 Col. 2 lit C.

Consequentia.

In bona consequentia potest antecedens esse omnino necessarium & consequens secundum quid Quæst. 19. Disput. 17. Art 4. Pag. 475. Col. 1. lit. C.

Continentia.

Non fuit in Christo Q. 7. Disp. 8 Artic. 4. Pag 177. Col. 2 lit. E.

Contraria.

Sunt circa idem ex imperfectione subiecti. Q. 19. Disp. 17. Art. 2. Pag 453. Col. 2. lit. E.

Contritio.

Non potest esse forma iustificans Quæst. 1. Disp. 1. Art. 3 Pag 4. Col. 1 lit E.

Contritio non est dispositio necessaria, qua posita necessario ponitur gratia Ibidem. Col. 2. lit. A.

Non destruit habitualem, & permanentem maculam peccati Ibidem Pag 42 Col. 1 lit D.

Non opponitur moralitati offensæ Ibidem.

Non est ipsa condonatio Dei ibidem. lit. E.

Si contritio esset forma iustificans, iam superflueret gratia Ibidem. Col 2. lit. A.

Per contritionem non dirigit hominem, vt gratum sibi ex parte personæ, sed ex parte actus: ipsa posita, relinquitur homo habitualiter auersus a Deo. Quæst. 1. Disp. 1. Art. 3. Pag 42. Col 2. lit D.

Infusio gratiæ habitualis est omnino gratiosa, etiam ponita contritione. Ibidem. Pag. 43. Col. 1 lit C.

Hæreticum est dicere, hominem per contritionem mereri de condigno, iustificari. Quæst. 1. Disput. 1. Art. 3 Pag 43. Col. 2. lit B.

Contritio prout præcedit gratiam, non habet

habet vim satisfactionis ad æqualitatem pro culpa. Ibid. lit. C.

Contritio non est Physica, & naturalis dispositio ad gratiam. Ibid. lit. D.

Contritio vt præcedens gratiam non procedit ab ipsa effectiuè sed ab auxilio, & à libero arbitrio. Ibid. lit. E.

Solum quantum ad informationem procedit à gratia non verò quantum ad suam substantiam. Pag. 44. Col. 2. lit. C.

Vt procedit ab auxilio, habet valorem imperfectæ satisfactionis pro culpa. Ibid. lit. C.

Talis valor fundatur in aliquo intrinseco inuento in ipsa contritione. Ibid. lit. B.

Ante amicitiam causatam per gratiam, est satisfactoria. Ibid. Pag. 46. Col. 1. lit. D.

Antecedens ad gratiam non habet ius meriti etiam de congruo ad ipsam gratiam, benè tamen satisfactionis. Q. 1. Disp. 1. Art. 3. Pag. 47. Col. 2. lit B.

Conueniens.

Dupliciter sumitur, nempè pro decenti, & pro non repugnanti, seu possibili. Pag. 4.

Semper dicitur per respectũ ad aliud. Ibid.

Conueniens Logicè, seu Metaphysicè est, quod conuenit alicui ex causa magis intrinseca. Ibid.

Conueniens congruum seu decens est, quod conuenit alicui ex aliquo motiuo, vel causa extrinseca. Ibid.

Prædicatum Conueniens sumitur ab Angelico Doctore non solum pro prædicato necessario, sed etiam pro non repugnanti. Pag. 5.

Illa propositio Diui Thomæ, Quod non est conueniens carni humanæ secundum conditionẽ suæ naturæ vniri Deo, exponitur. Pag. 12.

Conuersio.

Non potest fieri alicuius creaturæ in Deum. Q. 2. Disp. 4. Art. 1. Pag. 111. Col. 1 lit. D.

Terminus conuersionis est Corpus Christi prout ex pane. Ibid. Art. 3. Pag. 126. Col. 2. lit. B.

Creatio.

In prima rerum productione Deus produxit naturas non solum perfectas in se ipsis sed etiam in ordine ad alia Q. 9. Disp. 11. Art. 3. Pag. 271. Col. 1. lit. E.

Creatura.

Si aliqua redderetur impossibilis, destrueretur diuina Omnipotentia. Q. 10. Disp. 12. Art. 2. Pag. 294. Col. 2. lit. E.

Christus.

Vt possibilis fuit finis in primo signo efficaciter intentus. Q. 1. Disp. 3. Art. 2. Pag. 92. Col. 2. lit. A.

Fuit decretus vt Redemptor supposita permissione peccati. Q. 8. Disp. 10. Artic. 2. Pag. 220. Col. 2. lit. C.

Fuit prædestinatus post præuisionem lapsus dæmonis, & post prædestinationem Angelorum. Q. 8. Disp. 10. Art. 3. Pag. 225. Colum. 1. lit. D.

Dicere quod in Christo est aliud, & aliud neutraliter est error illorum, qui ponebant in Christo duo supposita, & vnam personam. Q. 1. Disp. 2. Art. 1. Pag 506. Col. 2. lit. B.

Est finis omnis creaturæ, etiam quantum ad essentiale in ordine ad reparationem. Q. 1. Disp. 3. Art. 3. Pag 101. Col. 2. lit. B.

Ista prædicatio, Christus est sua diuinitas, & humanitas est vera tantum identicè, non verò formaliter. Q. 17. Art. 1. Pag. 443. Col. 2. lit. E.

Est vnus, non plures, vel duo masculine: est vnum, & non plura neutraliter. Q. 17. Art. 1. Pag. 437. Col. 1. lit. A. & Pag. 439. Col. 1. lit. E.

Tantum habuit vnũ esse. Ibid Art. 2. Pag. 444. Col. 2. lit. C.

Respectu quorum sit Caput explicatur. Q. 8. Pag. 205.

Diuerso modo Christus est Caput quantum ad gratiam atque Adam quantum ad peccatum. Q. 8. Pag. 207.

Fuit Caput Angelorum non quantum ad gloriam essentialem. Q. 1. Disp. 3. Art. 3. Pag. 101. Col. 2 lit. E.

Error est contra fidem negare Christum esse Caput Angelorum. Q. 8 Disp. 10. Art. 3. Pag. 225. Col. 1. lit. D.

Est Caput omnium personarum, non quantum ad statum aliquem Q. 8. Disp. 10. Art. 2. Pag. 221. Col. 2. lit. D.

Dicitur Primus prædestinatus etiam respectu ad gloriã authoritatiuè quia habuit supremam gloriam supra omnes Angelos. Q. 1. Disp. 3. Art. 3. Pag. 101 Col. 2. lit. E.

Anima Christi.

Ex vnione ad Verbum non habet maiorem potentiam obedientialem, quã alia. Q. 1. Disp. 2. Art. 3. Pag 82 Col. 1. lit. C.

Gratia Christi.

Christi humanitas per gratiam Vnionis nõ solum radicaliter, sed formaliter, & immediatè fuit sanctificata. Q. 7. Disp. 8. Art. 1. Pag. 163. Col 1. lit. E.

Hæc sanctificatio non fit immediatè per naturam diuinam, quatenus distinguitur à Persona. Ibidem. Pag. 164 Col 2 lit B.

Gratia habitualis Christi.

Cum gratia habituali constitutus est Christus Caput proximè, & formaliter. Q. 8. Dis-

put. 10. Artic. 1. Pagin. 216. Colum 1. lit. D.

Dupliciter concurrit ad causandum in homine effectum interiorem, & in quantum Deus authoritatiuè, & in quantum homo meritoriè, & physicè instrumentaliter. Q. 8. Disput. 10. Artic. 1. Pagin. 212. Colum. 2. lit. B.

Ad quadruplicem effectum exacta fuit gratia habitualis in Christo. Quæst. 7. Disp. 8. Artic. 2. Pag. 171. Col. 1 lit B.

Non fuit simpliciter necessaria ad valorem meriti Christi. Ibidem, lit. D.

Fuit simpliciter necessaria ad sanctificandam animam illius sanctitate accidentali. Ibidem Columm. 2. lit. E.

Similiter fuit simpliciter necessaria ad eliciendа opera supernaturalia modo connaturali. Ibidem. Pagin. 172. Columm. 1. litera B.

Non est infinita ineſſe entis, est tamen infinita moraliter. Quæst. 7. Disput. 9. Pagina 188. Columm. 1 lit. C.

Non potuit crescere in ratione principij in ordine ad effectus supernaturales. Ibi. C lumn. 2. lit. B.

De potentia absoluta potuit augeri secundum augmentum intensiuum. Quæst. 7. Disp. 9 Art. 1. Pag. 190 Columm. 2. lit. A.

Nec potuit de potentia absoluta dari gratia alterius speciei à gratia Christi Domini. Ibi, lit. D.

Non potest crescere secundum Vnionem ad Verbum. Ibi. Pagin. 191. Columm. 2. litera B.

Fuit infinita sincathegorematicè. Pag 192. Columm 1 lit. D.

De facto gratia Christi fuit sublimior omni gratia producibili, secundum dispositionem præsentis status. Quæst. 7. Disp. 9. Artic. 1. Pag. 193 Columm. 2. lit. B.

Non potuit crescere per meritum Christi attenta diuina dispositione. Ibi. Pagin. 195. Columm. 1. lit. E.

Modus infinitatis illius non est aliquis modus physicus. Ibidem. Artic. 2. Pagin. 197. Columm. 1 lit. E.

Non est aliqua denominatio extrinseca. Ibi Colum. 2. lit. E.

Ista moralitas gratiæ Christi entitatiuè sumpta est finita; & terminatiuè infinita. Ibi. Pag. 198. Colum. 1. lit. E.

Non fuit data gratia habitualis Christo per resultantiam, & dimanationem. Ibi. Artic. 3. Pag. 199. Columm. 2. lit. D.

Respicit humanitatem eleuatam vt proprium, & connaturale subiectum. Ibidem.

Est eiusdem speciei secundum quod est gratia Capitis, & secundum quod est gratia particularis. Quæst. 8. Disput. 10. Art. 1. Pag. 209. Col. 1. lit. A.

Sortitur rationem gratiæ Capitis ratione alicuius intrinsecæ, & nouæ perfectionis super entitatem gratiæ habitualis. Ibidem. Pagin. 211. Col. 1. lit. E.

Ex Vnione ad Verbum participat dignitatem infiniti valoris. Ibi. Pag. 212. Columm. 1. lit. B.

Non concurrit physicè & principaliter ad causandam nostram gratiam. Ibidem. Pag. 215. Col. 2. lit. E.

Ex se non est meritoria de condigno pro alijs. Ibidem. Pagina 217. Columm. 1. litera D.

Considerata secundum suam naturam in Christo est multo perfectior nostra gratia; non autem considerata secundum quod est instrumentum ad nostram gratiam causandam. Quæst. 13. Disput. 15. Artic. 4. Pagin. 379. Colum. 2. lit. C.

Spes Christi.

Spes quæ est virtus Theologica non datur in Christo, nec quod ad habitum, nec quo ad actum. Quæst. 7. Disp. 8. Artic. 5. Pag. 179. Columm. 2. lit. E.

Actus spei communiter dictæ, fuit in Christo. Ibidem. Pagin. 180. Columm. 1. litera E.

Principium immediatè elicitiuum spei in Christo circa gloriam Corporis in Opinione probabili fuit magnanimitas infusa. Q. 7. Disput. 8. Artic. 5. Pagin. 182. Columm. 1. lit. B.

Secundum alteram Opinionem principium fuit Charitas. Ibidem. Columm. 2. litera A.

Charitas Christi

Duplex amor fuit in Christo, alter regulatus Scientia Beata, & alter Scientia infusa. Quæst. 19. Disput. 17. Artic. 3. Pag. 467. Columm. 2. lit. B.

Actus charitatis regulatus Scientia Beata distinguitur specie materiali incompleta ab actu regulato Scientia indita. Quæst. 9. Disputat. 11. Artic. 2. Pag. 266. Columm. 1. lit. E.

Virtutes Morales Christi

Etsi fuerint per accidens infusæ Christo, non tamen potuerunt exercere suos actus à primo instanti suæ Conceptionis. Quæst. 7. Disput. 8. Artic. 3 Pagin. 173. Colum. 2. litera E.

Probabilius est habuisse virtutes mora-

les infusas per accidens. Ibi. Pag. 174. Col. 2. lit. C.

Non solum iustitia, sed etiam virtutes morales, quæ versantur circa passiones fuere perfectissimè in Christo. Ibidem Art. 4. Pag. 176. Col. 1. lit. B.

Non fuere necessariæ virtutes istæ ad cohibendas pravas concupiscentias. Ibidem. Pag. 177. Col. 1. lit. C.

Pœnitentia

Non fuit in Christo. Disp. 8. Art 4 Pagin. 177. Colum. 2. lit. E. & Pagin. 178. Col. 1. lit. B.

Verecundia

Non fuit in Christo. Q. 7. Disp. 8 Artic. 4. Pag. 177. Col 2 lit. E.

Iustitia commutativa

Dimanavit in Christo ex gratia habituali prout coniuncta Verbo. Q. 1. Disp. 2. Art. 3. Pag 81 Col. 2. lit E.

Si humanitas dimitteretur à Verbo non remaneret in ipsa iustitia commutativa erga Deum. Ibidem Pag. 82.

Duplicem habet dignitatem infinitam, scilicet denominativè primam ex determinatione Verbi, secundam obiectivè reddendo valorem infinitum. Q. 1. Disp. 2. Art. 3. Pag 82. Col. 2. lit D.

Obedientia Christi

Fuit propria in Christo. Q. 1. Disp. 2. Art. 2. Pag. 67. Col. 1. lit E.

Religio

Fuit in Christo. Q. 1. Disp. 2. Art. 2. Pagin. 67 Col. 1 lit. E.

Ex sua specie nunquam reddebat ad æqualitatem cultum Deo, quia Religio fundatur in iure creationis respectu humanitatis. Q. 1 Disputat. 2. Artic. 3. Pag. 79. Column. 1. lit. D.

Prudentia naturalis

Fuit infusa Christo Domino à primo instanti suæ Conceptionis Q. 7. Disp 8. Art. 3. Pag. 175. Col. 2 lit. C. & Q. 9. Disput. 11. Art. 3. Pag. 174 Col. 1. lit A.

Donum timoris

Fuit in Christo. Q. 7. Disp. 8. Art. 6. Pag. 185. Col 1. lit E.

Potentia Christi

Per suam virtutem naturalem non habuit potentiam ad immutandum proprium Corpus extra communem usum naturæ. Q. 13. Disp 15 Art 5. Pag. 381. Col. 2. lit. E.

Vt homo est causa principalis moralis gratiæ. Ibidem Artic. 4. Pagin. 376. Col. 2. lit D.

Omnipotentia non est communicata humanitati Christi. Ibi. Artic. 1. Pagin. 349. Col. 2. lit. B.

Actio Christi

Etsi subiectivè sit finita, terminativè, & personaliter fuit infinita. Q. 1. Disp. 2. Art. 1. Pag 59. Col 2. lit. C.

Actio pure naturalis Christi non fuit capax valoris infiniti, sicut nec meriti. Ibidem. Pag. 60. Col. 1 lit B.

Actiones Christi

Prout egrediuntur à Supposito divino non sunt sub dominio creditoris offensi, nempè Dei. Quæst. 1. Disp. 2. Art. 2. Pag. 72. Col. 1. lit B.

Cum fuerint infiniti valoris tales actiones erant capaces satisfaciendi pluribus titulis inadæquatis diversarum virtutum. Quæst. 1. Disput. 2. Artic. 2. Pagin. 73. Column. 1. lit E.

Omnis actio procedens à voluntate Christi deliberata est humana. Q. 19. Disp. 17. Art. 1. Pag. 460 Col. 1 lit. D.

Et actio procedens ab appetitu sensitivo. Ibi Col 2. lit A.

Nutritio & augmentatio poterant in ipso vocari actiones humanæ. Ibidem, lit B.

Actio Christi speciali modo dependentiæ nempè suppositationis efferebatur ab ipso, quod in genere non dependebat ab alijs personis. Quæst. 1. Disp 2. Artic. 2. Pag. 72. Col. 2 lit. D.

Principium quod illarum operationum est suppositum. Quæst. 1. Disp. 2. Art. 1. Pag. 55. Col. 1. lit B.

Efficienter physicè procedunt à supposito mediante virtute ipsius naturæ, cuius est suppositum. Ibidem. Pagin. 57. Column. 2. lit. B.

Suppositum tantum concurrit vt terminus naturæ Ibidem. lit C.

Valor operum Christi

Fuit infinitus moraliter, non autem physicè. Quæst. 3. Disput. 2. Artic. 1. Pagin. 58. Col. 1. lit. A.

Ad valorificanda opera multis modis potest concurrere suppositum divinum. Quæst. 1. Disput. 2. Artic. 1. Pagin. 66. Col. 2. lit. B.

Omnis actus virtutis in Christo in quantum præcisè procedebant à supposito illius erant dignitatis infinitæ. Ibidem Pagin. 63. Col. 1. lit D.

Iste valor non convenit instrumentaliter operationi Christi. Q. 1. Disp. 2. Art. 1. Pagin. 64. Col. 1. lit. B.

Nullum debitum potest exhaurire totam in-

infinitatem valoris operum Christi. Ibidem. Art.2.Pag.74.Col.2.lit.A.

Iste valor est omnino æqualis in omni opere Christi.Ibidem.

Satisfactio Christi

Ad satisfactionem Christi explendam intervenit pactum applicans illam ex parte Dei.Quæst.1. Disput.2. Artic.2.Pagin.75. Col.2.lit.C.

Deus vt iudex tenetur iudicare sati factionem Christi vt omnino perfectam. Ibidem.Pag.76.Col.1.lit.A.& E.

Posset Deus posita satisfactione Christi negare homini donum gratiæ.Ibidem. Pag.76. Col.2.lit.E.

Etiam per opera cadentia sub præcepto satisfecit de rigore iustitiæ. Quæst.1. Disp.2. Art.2.Pag.73.Col.2.lit E.

Christus in quantum homo satisfecit stat pro supposito ratione naturæ humanæ. Q.1. Disp.2.Art.2.Pag.30.Col.1.lit.D.

In tali casu maneret extincta iniuria, non autem macula peccati.Ibidem.

Satisfactio redemptiua generis humani fuit actus elicitiuè procedens à iustitia commutatiua in Christo.Ibidem.Art.2.Pag.77. Col.2.lit.E.

Ex parte Dei non correspondet illi iustitia formalis sed eminentialis.Ibidem.

Etsi satisfactio Christi fuerit infinita, nostra tamen est necessaria tanquam applicans, tanquam imitans, tanquam causa secunda satisfactoria. Quæst.1. Disp.2. Art.1.Pag.61. Col.1.lit.A.

Quia satisfactio Christi fuit exemplaris, debuit esse superabundans. Ibidem, litera C.

Christus Dominus satisfecit ex toto rigore iustitiæ.Ibidem.Artic.2.Pagin.65.Col.2. lit.C.

Satisfecit pro natura humana tanquam Caput illius.Ibidem.Pagin.76. Column.2. lit.A.

Meritum Christi

Christus meruit per amorem regulatum Scientia infusa.Quæst.9.Disp.11.Art.2.Pag. 263.Col.2.lit.C.

Potuit mereri præmium infinitum morale.Quæst.1.Disputat.2.Artic.1.Pagin.60. Col.2.lit.E.

Nihil meruit, nisi vt Redemptor. Quæst. 8.Disputat.10.Artic.2.Pagin.220. Col.1. lit.D.

De fide est Christum meruisse. Quæst.15. Disput.17. Artic.2.Pagin.461.Column.2. lit.D.

Meruit non ex priuilegio,& miraculo.Ibidem Pag.462.Col.1.lit.A.

Meritum Christi non fuit fundatum in aliqua extrinseca acceptatione Dei. Ibidem. lit.C.

Nec fuit necessarium pactum, licet de facto intervenerit.Ibidem lit.E.

Suppositum concurrebat ad perfectionem valoris meritorij,& humanitas ad inferioritatem.Ibi.Pag.463.Col.1.lit.A.

Fuit eiusmodi meritum infinitum,& quia de rigore iustitiæ,& quia meruit resurrectionem Ibidem.lit.E.& Quæst.1.Disp.2.Art.1. Pag.65.Col.2.lit.A.

Infinitas moralis meriti est intrinseca ipsi. Ibidem. Artic. 1. Pagin. 58. Column. 1. lit.E.

Virtus merendi pro alijs radicaliter fuit à gratia Vnionis proximè à gratia habituali.Quæst.8.Disp.10.Artic.1.Pag.216. Col. 2.lit.B.

Meruit per actum charitatis. Ibi. Art.3. Pag.465.Col.1.lit.B.

Per actum cadentem sub præcepto etiam meruit. Ibidem.Art.4. Pag.499.Colum.1. lit.E.

Fuit liber adimplendo præceptum.Ibidem. Pag.474.Col.1.lit.D.

Meruit resurrectionem suam tanquam præmium infinitum,& simul alia bona inferiora.Ibidem.Artic 5.Pag.476.Colum.2. lit.C.

Meruit in primo instanti suæ conceptionis.Ibidem.Art.6.Col.2.lit.E.

Non meruit per actum regulatum Scientia Beata in illo primo instanti, sed per amorem regulatum per Scientiam infusam. Ibidem.Artic.6.Pagin.478.Column.2.litera D.

In illo primo instanti quantum ad sufficientiam meruit totum præmium. Ibidem. Artic.7. Pagin. 479. Colum.2. litera E.

In illo primo instanti quantum ad applicationem non meruit. Ibidem.Pag.480. Col. 1.lit.B.

De facto non meruit, neque gratiam, nec gloriam animæ. Quæst.19.Disp.18.Artic.1. Pag.482.Col.2.lit.A.

Nec etiam de potentia absoluta potuit illam mereri, suppositio modo, quo de facto habuit gratiam,& gloriam.Ibidem.Pag.483. Col.1.lit.D.

Absolutè tamen de potentia absoluta Dei vtramque mereri potuit.Ibidem.Pag.484. Col.1.lit.A.& E.

Per operationes naturales morales potuit mereri præmium supernaturale. Ibidem. Col. 2. lit. D.

Non meruit gratiam per dispositionem, qua se disposuit ad suam sanctificationem. Ibi. Pag. 485. Col. 1. lit. E.

Meruit gloriam sui Corporis, & exaltationem sui nominis. Ibidem. Artic. 2. Pagin. 488. Col. 2. lit. A.

Omnes dispositiones, & motus præcedentes, & concomitantes gratiam meruit nobis Christus. Ibidem. Artic. 3. Pagin. 489. Col. 1. lit. C.

Rarò meruit Christus Vitam corporalem alicui. Ibidem.

Scientia Christi

De fide est Christum habuisse cognitionem creatam. Pag. 240.

Scientia per se infusa ponenda est in Christo. Quæst. 9. Disp. 11. Artic. 2. Pag. 261. Col. 2. lit. E.

Per Scientiam inditam cognouit Christus illa, quæ per reuelationem hominibus innotescunt. Q. 11. Disp. 13. Art. 1. Pag 312. Col. 1. lit. D.

Cognouit euidenter quo ad an est per hanc Scientiam Mysterium Sanctissimæ Trinitatis. Ibidem.

Cognita quidditatiuè Visione Beata, cognoscitur à Christo per Scientiam inditam Mysterium Trinitatis euidenter. Ibidem. Pagin. 313. Col. 1. lit. D.

Per hanc Scientiam cognouit Christus futura. Ibidem. Art. 2. Pag. 316. Col. 1. lit. C.

Non cognouit intuitiuè futura per Scientiam inditam. Ibidem. Artic. 2. Pag. 320. Col. 1. lit. C.

Cognouit res naturales. Ibidem. Artic. 3. Pag. 324. Col. 2. lit. D.

Cognouit omnia indiuidua per Scientiam inditam. Q. 11. Disp. 13. Artic. 3. Pag. 327. Col. 1. lit. A.

Potuit per hanc Scientiam Christus ad libitum discurrere. Q. 11. Disp. 14. Art. 3. Pag. 328. Col. 1. lit. B.

Non indiguit conuersione ad phantasmata vtendo hac Scientia. Ibidem. Pag. 329. Col. 1. lit. D.

Potuit tamen ad aliqua se conuertere. Ibi. Col. 2. lit. D.

Scientiæ inditæ habitus distinctus est ab speciebus. Quæst. 11. Disput. 14. Art. 3. Pag. 339. Col. 1. lit. D.

Sunt plures habitus specie distincti in quibus diuiditur Scientia indita Q. 11. Disput. 14 art. 3. Pag. 341. Col. 2. lit. D.

In Angelis non dantur plures habitus Scientiæ infusæ. Ibidem. Pagin. 343. Col. 2. lit. C.

Fuit dispositio Scientia indita ad Scientiam Beatam per modum effectus illius. Quæst. 19. Disput. 18. Artic. 1. Pag. 486. Col. 2. lit. B.

Scientia increata reperta in Christo non confundit Scientiam creatam. Quæst. 9. Pagin. 241.

Ratione huius Scientiæ infusæ dicitur Christus Propheta ex connotatione ad statum Viatoris. Quæst. 11. Disput. 13. Art. 2. Pag. 322. Col. 2. lit. A.

Hæc Scientia infusa fuit in Christo per modum habitus. Quæst. 9. Disp. 11. Art. 2. Pag. 264. Col. 1. lit. B.

Scientia Beata Christi

Videtur esse de fide Christum habuisse Scientiam Beatam. Q. 9. Pag. 243.

Scientia adquisita Christi

Per se ponenda est in Christo. Q. 9. Disput. 11. Art. 3. Pag. 270. Col. 2. lit. E.

Per hanc Scientiam non cognouit Christus quidditatiuè substantias separatas. Ibidem. Pag. 272. Col. 2. lit. E.

Nec perfectius intelligebat quam Adam. Ibidem. Pag. 273. Col. 1. lit. E.

Non pertinet ad perfectionem huius Scientiæ, quod inspiciat species immediatè repræsentantes res. Ibidem. Pagin. 274. Column. 1. lit. E.

Ad hanc Scientiam perfectè habendam potuit Christus vti ministerio Angelorum. Ibidem. Pag. 275. Col. 1. lit. B.

Defectus Corporales Christi

Christus assumpsit defectus Corporales. Quæst. 14. Artic. 1. Pagin. 489. Column. 1. lit. A.

Antè resurrectionem non assumpsit virtutem glorificandi Corpus. Q. 13. Disp. 15. Art. 5. Pag. 383. Col. 1. lit. E.

Defectus corporales assumpsit voluntariè. Q. 14. Art. 2. Pag. 391. Col. 1. lit. D.

Non ex debito peccati originalis. Ibidem. Col. 2. lit. E.

Ita erat temperatus Christus Dominus, vt non potuerit vsque ad tempus triginta trium annorum aliquem morbum pati. Ibidem. Art. 4. Pag. 392. Col. 2. lit. B.

Absolutè potuit subijci alicui morbo. Ibidem. Pag. 393. Col. 1. lit. B.

Impeccabilitas Christi

Etiam de potentia Dei absoluta peccare non potuit Christus. Quæst. 15. Disp. 16. Artic. 1. Pag. 395. Col. 2. lit. C.

Fuit

Fuit impeccabilis præcisè ratione Vnionis Hypostaticæ. Ibi. Pag. 397. Col. 1. lit. C.

Potuit mori, non tamen peccare. Pag. 400. Col. 1. lit. D.

Non potuit pati interiores tentationes carnis. Ibidem. Artic. 3. Pagin. 406. Col. 1. lit. E.

Nullus fuit in eo motus sensualitatis præueniens rationẽ. Quæst. 18. Art. 2. Pag. 452. Col. 1. lit. D.

Fomes non fuit in Christo. Quæst. 15. Disp. 16. Art. 2. Pag. 403. Col. 1. lit. B. & Pagin. 404. Col. 2. lit. C.

Neque in actu primo, nec ligatus fuit in eo, sed simpliciter extinctus. Art. 3. Pag. 405. Col. 1. lit. C.

Nec potuit esse in Christo etiam de potentia Dei absoluta. Ibidem lit. E.

Fuit extinctus ratione virtutum coniunctarum cum gratia Vnionis. Ibidem. Pagin. 407. Col. 1. lit. B.

Voluntas Christi

Christus habuit duas voluntates. Quæst. 18 Art. 1. Pag 447. Col. 1. lit. A.

Fuit in eo voluntas sensualitatis. Ibi. Art. 2. Pag 452. Col. 1. lit. B.

Voluntas humana sumpta pro potentia solum fuit Vna. Ibidem. Art. 3. Col. 2. lit. B.

Fuit in eo liberum arbitrium. Ibi. Art. 4. Col. 2. lit. E.

Non fuit in eo contrarietas voluntatum. Art. 6. Pag. 455. Col. 2. lit. C.

Dupliciter potest dici efficax. Quæst. 13. Disput. 15. Artic. 6. Pag. 384. Columna 1. lit. A.

Voluntas efficax Christi in modo efficaci distinguitur à modo efficaci Voluntatis Dei. Ibidem, lit. D.

Voluntas efficax Christi respectu faciendorum à se semper fuit efficax. Ibidem.

Voluntas Christi tendens ad obiectum cum omnibus circunstantijs semper fuit impleta. Ibidem. Col. 2. lit. C.

Voluntas efficax secundum quid non semper fuit impleta. Ibidem. lit. D.

Adoptio Christi

Hæreticum est asserere Christum etiam ratione humanitatis esse Filiũ adoptiuum. Q. 20 Disp. 19. Art. 2. Pag. 498. Col. 2. lit. D.

Ratione, qua vsus est Angelicus Doctor, vtitur Concilium Francofordiense ad probandum Christum non fuisse Filium adoptiuum. Ibidem. Artic. 3. Pagin. 502. Col. 1. lit. C.

Seruitus Christi

Christus dicitur seruus absolutè. Quæst. 20. Disputat. 19. Artic. 5. Pagin. 512. Col. 1. lit. A.

Hæc seruitus competit ipsi non ratione personæ, sed naturæ. Ibidem. Pag 512. Col. 1. lit. E. & 514. Col. 2. lit. C.

Filiatio Christi

Christus est Filius naturalis Patris Æterni, etiam prout in natura humana. Ibidem. Artic. 5. Pagin. 518. Col. 1. lit. E.

Non Filius naturalis totius Trinitatis. Ibi. Pag. 516. Col. 2. lit. E.

Prædestinatio Christi

Hoc Vnitum, Deus factus est homo, ab Æterno est prædestinatum. Q. 24. Disp. 20. Art. 1. Pag. 525. Col 1. lit. C.

Personæ Christi conuenit prædestinari ratione humanæ naturæ. Quæst. 1. Disp. 2. Art. 2. Pag 69. Col. 2. lit. B.

Hæc propositio, Christus est prædestinatus, absolutè est vera. Ibidem. Column. 2. lit. B.

Filius Dei non potest dici prædestinatus, nisi cum addito. Ibidem. Artic. 1. Pag. 529. Col. 2. lit. A.

Christus dicitur primus prædestinatus respectu Angelorum, & hominum diuersimodè. Quæst. 8. Disput. 10. Artic. 3. Pag. 235. Col. 2. lit. B.

Gratia prædestinationis non sit Verbo, sed humanæ naturæ. Q. 24. Disp. 20. Art. 1. Pag. 530. Col. 1. lit. E.

Prædestinatio nostra, & Christi tantum conueniunt analogicè. Ibidem. Art. 2. Pag 535. Col. 2. lit. C.

Filius Dei vt subsistens in natura humana, Prædestinatus est vt sit Filius Dei. Ibidem. Pag. 536. Col. 2. lit. D.

Prædestinatio Christi est propria prædestinatio. Ibidem. Pagina 537. Columna 2. lit. D.

Ista propositio est verissima, Christus prædestinatus est in Filium Dei, non autem hæc, Christus est factus Filius Dei. Ibidem. Pag. 539 Col 2 lit. A.

Prædestinatio Christi est vnus actus formaliter, & virtualiter multiplex. Ibidem. Pag. 541. Col. 1. lit. A.

Hæc propositio est vera, Christus in quantum homo est Filius Dei, non sumpto, ly In quantum reduplicatiuè. Ibidem. Col. 2. lit. E.

Anteceßio, quam importat iste terminus prædestinatus, non refertur ad Personam Christi secundum se ipsam, sed ratione humanæ naturæ. Ibidem. Pagin. 543. Col. 2. lit. E.

Prædestinatio appellat supra actum intellectus. Ibidem. Pag. 544. Col. 1. lit. A.

Filius prout Incarnatus est subiectum prædestinationis, & terminus illius est filiatio naturalis. Ibidem. Artic. 3. Pag. 556. Col. 2. lit. E.

Explicatur prima conditio prædestinationis Christi, nempè quod sit gratiosa. Ibidem. Pag. 558. Col. 1. lit. A.

Explicatur secunda, scilicet præcedentia. Ibidem. Pag. 559. Col. 2. lit. E.

Sanctificatio Christi

Christus fuit sanctificatus per proprium motum liberi arbitrij. Q. 19. Disp. 18. Art. 1. Pag. 485. Col. 1. lit. E.

Probabile est etiam non fuisse sanctificatum eo modo, quo cæteri adulti. Ibidem. Pagina 486. Col. 1. lit. B.

Sacerdotium Christi

Christus fuit Sacerdos offerens pro nobis sacrificium. Quæst. 13. Disp. 15. Art. 4. Pag. 377. Col. 1. lit. A.

Passio Christi

Modo concurrit instrumentaliter physicè ad causandam nostram iustificationem. Q. 13. Disp. 15. Art. 2. Pag. 359. Col. 1. lit. E.

Mors Christi

In morte Christi consummatum est omne meritum. Q. 8. Disp. 10. Artic. 2. Pag. 220. Col. 1. lit. C.

Crux Christi

Purgat quæ in cœlis à nescientia, & quæ in terris à peccato. Q. 8. Disp. 10. Art. 3. Pag. 234. Col. 1. lit. C.

Debitum

Est multiplex, debitum legale, seu strictum, & debitum morale, seu decentiæ. Q. 1. Disp. 1. Art. 1. Pag. 18. Col. 1. lit. B.

Debitum legale est inter Deum, & hominem fundatum in læsione, & iniuria. Quæst. 1. Disp. 2. Art. 3. Pag. 82. Col. 2. lit. E.

Non tamen potest esse debitum legale fundatum in ratione dati, & accepti. Ibidem.

Decretum

In diuinis decretis nulla potest dari futuritio etiam per nostros conceptus. Q. 1. Disp. 3. Art. 1. Pag. 83. Col. 2. lit. C.

Diuina decreta distinguimus secundum ordinem ad diuersa obiecta. Ibi. Pag. 84. Col. 1. lit. A.

Implicat intelligere in aliquo priore decretum efficax Incarnationis Christi, & non intelligere illud cum omnimoda determinatione ex parte personæ, & naturæ, officij Redemptoris, & naturæ passibilis. Q. 1. Disp. 3. Art. 2. Pag. 90. Col. 1. lit. E.

Decretum efficax Dei in tantum dicitur efficax, in quantum respicit exitum, seu euentum rei decretæ. Ibidem. Col. 2. lit. A.

Ante decretum efficax prædestinationis Christi fuit decretum pertinens ad prouidentiam generalem dandi esse homini, & gratiam, necnon homo præuisus est cadere. Ibidem. Pag. 95. Col. 2. lit. E.

Dæmon

Tentauit Christum. Q. 15. Disp. 16. Art. 3. Pag. 406. Col. 1. lit. D.

Deus

Non solum se habet respectu nostrum vt Legislator, sed etiam vt vltimus finis. Q. 1. Disp. 1. Art. 2. Pag. 23. Col. 2. lit. B.

Non acquisiuit dominium de nouo quasi intrinsecè, sed quasi extrinsecè acceptando actiones oblatas à Christo. Ibidem. Artic. 2. Pag. 72. Col. 2. lit. E.

Permittit mala fieri, vt inde eliciat aliquid melius. Ibidem. Art. 3. Pag. 101. Col. 1. lit. D.

Potest Vniri per modum speciei intelligibilis. Q. 2. Disput. 4. Art. 1. Pag. 112. Col. 1. lit. A.

Potest Vniri per modum existentiæ cum natura creata, non autem per modum intellectionis. Q. 9. Disput. 11. Art. 1. Pag. 257. Col. 1. lit. A.

De fide est Deum esse incomprehensibilem. Q. 10. Disp. 12. Art. 1. Pag. 282. Col. 1. lit. B.

Hæc propositio, Deus est homo, est in materia naturali. Q. 16. Disp. 17. Art. 1. Pag. 411. Col. 1. lit. B.

Deus non ponitur in prædicamento. Q. 16. Art. 8. Pag. 428. Col. 2. lit. E.

Dignificatio

Operis deriuatur à principio præcisè media egressione. Q. 1. Disp. 2. Art. 1. Pag. 62. Col. 1. lit. D.

Dispositio

Est duplex, altera omnino necessitans ad introductionem formæ, altera non necessitãs. Q. 1. Disp. 1. Art. 3. Pag. 41. Col. 1. lit. E.

Discursus

Perfectè cognoscens non indiget discursu. Quæst. 19. Disp. 17. Art. 6. Pag. 478. Col. 1. lit. D.

Ecclesia

Fuit in statu innocentiæ quasi materialiter, & veluti in potentia. Q. 1. Disp. 3. Art. 3. Pag. 103. Col. 2. lit. D.

Effectus

Idem potest produci aduersis causis, in eodem instanti efficienter concurrentibus secundum diuersos respectus. Quæst. 1. Disput.

put. 1. Artic. 3. Pagin. 44. Col. 1. lit. E.

Quando aliquis effectus est motiuum volendi causam, voluntas terminata ad effectum pendet ex voluntate terminata ad causam. Quæst. 1. Disput. 3. Artic. 3. Pag. 104. Col. 1. lit. D.

Eleuatio

Quadrupliciter contingit. Q. 13. Disp. 15. Art 3. Pag 366. Col. 1. lit. B.

Elipandus, & Felix, errarunt dicendo Christum fuisse Filium Dei adoptiuum. Q. 20. Disp. 19. Art. 2. Pag. 497. Col. 2. lit. C.

Ens

Si prædicetur de ente completo est completum, si de incompleto incompletum. Q. 17. Pag. 440. Col. 1. lit. C.

Eua

Amisit fidem, consentiendo serpenti, non autem Adam. Quæst. 19. Disp. 18. Artic. 3. Pag. 491. Col. 2. lit. E.

Executio Voluntatis

Ordo executionis incipit ab electione. Q. 1. Disp. 3. Art. 1. Pag. 84. Col. 2. lit. B.

Exitentia

Realiter distinguitur à natura creata. Q. 2. Disp. 4. Art. 1. Pag. 110. Col. 2. lit. C. & Q. 17. Art. 2 Pag 445. Col. 1. lit. E.

Non est terminus formalis generationis. Q. 2. Disp. 4. Art. 2. Pag. 118. Col. 1. lit. A.

Dupliciter potest recipi, vel subiectiuè, vel terminatiuè. Quæst. 16. Art. 6. Pag. 424. Col. 1. lit. B.

Fama

Et honor est subiectiuè in honorante, sed fundamentaliter in honorato. Q. 1. Disput. 1. Art. 2. Pag. 23. Col. 1. lit. C.

Fides

Supernaturalis est vnicus habitus specie. Quæst. 11. Disput. 14. Artic. 3. Pag. 344. Col. 2. lit. B.

Fiducia

Est in voluntate. Q. 7. Disp. 8. Art. 5. Pag. 182. Col. 1. lit. D.

Filiatio adoptiua.

Conuenit illi, cui à patre adoptante nihil debetur. Quæst. 20. Disput. 19. Artic. 4. Pag. 505. Col. 2. lit. E.

Filius naturalis incapax est filiationis adoptiuæ Ibi. Pag. 506. Col 1 lit. B.

Filius exhæredatus potest a patre naturali adoptari, Ibidem, lit. C.

Sicut etiam potest adoptari quantum ad bona non iure naturali debita. Ibidem.

Filiatio adoptiua non est effectus formalis gratiæ habitualis. Ibidem Col 2 lit. C.

Si esset effectus esset secundarius separabilis ab illa ob incapacitatem subiecti. Ibidem.

Filiatio adoptiua solum conuenit supposito. Ibidem, lit. D.

Filiatio

Inspicit esse genitum completum. Q. 20. Disp. 19. Art. 4. Pag 510. Col. 1. lit. A.

Finis

Vltimus positiuè finaliter, & operans, & operationem, Quæst. 1. Disput. 1. Art. 4 Pag. 52. Col. 2. lit. A.

Quando finis non est connaturaliter debitus statui rerum, assignatur aliqua ratio motiua, vel impulsiua quare intendatur. Q. 1. Disp. 3. Art. 1. Pag. 86. Col 1. lit. B.

Finis, cuius gratia, est nobilior effectu. Ibi Col. 2. lit. A.

Quando finis, & media sunt connexa ex natura rei, amor necessarius finis est etiam necessarius medij. Q. 19. Disp. 17. Art. 4. Pag. 473. Col. 1. lit. E.

Fomes

Peccati nil aliud est quàm appetitus irascibilis, & concupiscibilis ad bonum sensibile, sine subiectione ad rationem. Q. 15. Disput. 16. Art. 2. Pag 403. Col. 2. lit. E.

Forma

Corruptibilis potest à multis efficientibus corrumpi, sicut & opposita produci. Quæst. 1. Disp 3 Pag. 48. Col. 2 lit. E.

Creata quantumuis superior, non potest continere omnem perfectionem inferioris, nec in ratione actualitatis, nec in ratione causæ. Q. 3. Disp. 6. Art. 1. Pag. 141. Col 2 lit. D.

Fotini, & Nestorij errores referuntur Q. 19. Disp. 17. Art. 4 Pag. 498. Col 2. lit. A.

Francofordiense Concilium.

Est authenticum. Ibidem.

Gloria

Non datur gratis, nisi tantum in sua radice. Q. 1. Disp. 1. Art. 3. Pag 43. Col. 1. lit. D.

Non potest denegari in perpetuum decedenti in gratia. Ibidem. Artic. 4. Pag. 50. Col. 2. lit. D.

Gradus Metaphysici

Sunt idem realiter. Q. 2. Disp. 4. Artic. 1. Pag. 109. Col. 2. lit. E.

Graria habitualis

Habet duo scilicet esse effectum remissionis diuinæ tollentem offensam, & dare homini rectitudinem ad esse supernaturale; rectificando etiam actus ab ea procedentes. Q. 1. Disp. 1. Art. 2. Pag. 32. Col. 1. lit. A.

Ad gratiam solum pertinet tollere offensam gratuito, non autem satisfactiuè. Ibidem, lit. E.

Gratia opponitur malitiæ peccati, non autem

tem læsioni iuris diuini. Ibidem. Col. 2. lit. B.

Gratia eiusdem valoris est ante, & post peccatum; & sic ipsa posita manet læsio diuina, non satisfacta. Ibidem, lit. D.

Absentia gratiæ secundum se considerata habet tantum rationem pœnæ, nisi relinquatur ex actu voluntario præcedenti. Ibidem. Pag. 33. Col. 2. lit. E.

Deus de sua potentia absoluta potest producere gratiam, ita perfectam in aliquo puro homine, vt de condigno alteri possit mereri primam gratiam. Ibidem. Pag 38. Col. 1. lit. D.

Posita gratia redditur homo iustus, & Sanctus, sine fauore extrinseco superuenienti gratiæ; non tamen sine fauore extrinseco concessionis gratiæ. Ibidem. Pag. 37. Col. 1. lit. E.

Si per impossibile Deus poneret gratiam in Anima, & nollet remittere offensam, sine æquali satisfactione, aut mere gratis, ille homo perpetuo maneret exclusus à Regno. Ibidem. Pag. 37. Col. 2. lit. E.

Vnica Causa formalis nostræ iustificationis est gratia habitualis. Ibidem. Pag. 42. Col. 1. lit. B.

Posita gratia habituali tollitur totaliter & ratio maculæ, & iniuriæ. Ibidem. Pag 46. Col. 2. lit. A.

Gratia expellit peccatum secundum quod est remissibile perfecte. Ibidem. Pag. 49. Col. 1. lit. D.

Gratia habet duo, alterum dignificare personam; & alterum actionem. Q. 1. Disput. 2. Art. 1. Pag. 65. Col. 1. lit. C.

Dignitas maior gratiæ in ratione dignificantis personam, non constituit opus magis meritorium. Ibidem, lit. D.

Gratia intensior reddit personam magis gratam in ratione sanctitatis, & iustitiæ. Ibidem.

Aliqua pura creatura non potest esse causa principalis physica gratiæ. Q. 8. Disp. 10. Art. 1. Pag 213. Col. 1. lit. D.

In statu innocentiæ prout in illo statu, non ordinabatur efficaciter ad consequendam gloriam. Ibidem. Art. 2. Pag. 223. Col. 1. lit. E.

Gratia Adami reuixit, non sub formalitate gratiæ pertitentis ad statum innocentiæ. Ibi. Pag. 224.

Gratitudo.

Deficit à iustitia commutatiua in ratione debiti. Quæst. 1. Disp. 2. Art. 3. Pag. 78. Col. 2. lit. E.

Gutta

Sanguinis Christi propter Vnionem ad Verbum pro redemptione generis humani sufficisset. Quæst. 1. Disp. 2. Art. 1. Pag. 58. Col. 1. lit. D.

Habitus

Nullus habitus supernaturalis potest produci ab aliqua creatura tanquam à causa principali. Quæst. 8. Disp. 10. Artic 1. Pagin. 214 Col. 2. lit. B.

Habitus ponitur ad auferendum indeterminationem potentiæ, vel dando illi totam virtutem, vel facilitatem. Q. 11. Disp. 14. Art. 3. Pag. 341. Col. 2. lit. A.

S. Hieronymus

Defenditur contra Vazquez. Q. 8. Disp. 10. Art. 3 Pag. 232. Col. 2. lit. D.

Homo

Lapsus potest redire ad tantam dignitatem, quantam habuit in statu innocentiæ. Q. 1. Disp. 1. Art. 2. Pag. 40. Col. 1. lit. D.

Honor

Homo reddendo honorem Deo numquam adæquat ius, quod habet Deus vt honoretur. Q. 1. Disp. 1. Art 2. Pag. 36. Col. 1. lit. B.

Humanitas Christi

Quando Patres dicunt humanitatem Christi satisfeciſſe, non excludunt suppositum Christi Domini. Quæst. 1. Disp. 2. Art. 1. Pag. 56. Col. 1. lit. B.

Humanitas fuit sanctificata ex Vnione ad Verbum. Quæst. 7. Disput. 8. Art. 1. Pag. 162. Col. 2. lit. C.

Non redditur sancta modo infinito per gratiam Vnionis. Ibidem. Pagin. 168. Col. 1. lit. E.

Humanitas vt gratificata per gratiam habitualem est constitutiuum Capitis proximum formale in Christo. Quæst. 8. Disp. 10. Art. 1. Pag. 211. Col. 1. lit. A.

Ex Vnione ad Verbum non recepit aliquam virtutem physicam, quam in se non haberet cum propria existentia. Q. 13. Disp. 15. Art. 1. Pag. 350. Col. 1. lit. C.

Instrumentaliter causat nostram iustificationem, & miracula. Ibidem. Artic. 2. Pagin. 355. Col. 1. lit. A.

Etiam prout existens in cœlo concurrit, vt instrumentum physicum ad causandum ea quæ sunt in terra. Ibi. Pag. 357. Col. 1. lit. A.

Non causat physicè instrumentaliter causam in nobis mediantibus Angelis. Ibi. lit. D.

Potestas quam habet humanitas ad patranda miracula est aliquid reale creatum. Ibidem. Art. 3. Pag. 363. Col. 2. lit. D.

Hæc potestas, nec est qualitas completa materialis, aut spiritualis per modum ma-

manentis, vel transeuntis communicata. Ibidem Pag. 364. Col. 1. lit. A.

Nec est aliqua qualitas incompleta materialis, aut spiritualis. Ibi. Pagin. 366. Col. 1. lit. A.

Humanitas Christi constituitur in actu primo in ratione instrumenti physici, per motionem, aut eleuationem Dei, seu vsum passiuum receptum in humanitate. Ibidem. Col. 1. lit. E.

Non est causa principalis physica nostræ iustificationis. Ibidem. Art. 4. Pag. 373. Col. 2. lit. C.

Non potest esse causa physica principalis donorum Spiritus Sancti. Ibidem. Pag. 376. Col. 1 lit. B.

Est tamen causa physica instrumentalis. Ibidem. Col. 2. lit. A.

Si ante assumptionem esset infecta aliqua culpa, malitioso habitu, posita Vnione totaliter mundaretur. Quæst. 15. Disp. 16. Art. 1. Pag. 399. Col. 2. lit. B.

Non fuit adoptata. Quæst. 20. Disput. 19. Art. 3. Pag. 503 Col. 2. lit. C.

Fuit prædestinata ad Vnionem cum Persona Verbi. Quæst. 24. Disp. 20. Art. 1. Pagin. 524. Col. 1. lit. D.

Etsi sit sancta sanctitate per essentiam, non tamen est sancta per essentiam. Quæst. 20. Disp. 19. Art. 4. Pag. 508. Col. 2. lit. D.

Idioma

Secundum fidem ex Mysterio Incarnationis secuta fuit vera communicatio Idiomatum. Q. 16. Art. 4. Pag. 417. Col. 2. lit. E.

Explicatur in quo consistat Ibidem.

Incarnatio

In Incarnationis opere multa inueniuntur. Q. 1. Disp. 3. Art. 1. Pag. 86. Col. 2. lit. A.

Motiuum primarium Incarnationis, seu finis cuius gratia fuit ostensio gloriæ diuinæ. Ibi. lit. D.

Non fuit ipsa Incarnationis dignitas, sed vt valens ad manifestandam gloriam Dei per viam misericordiæ, & iustitiæ. Ibidem. Art. 2. Pag. 100. Col. 2. lit. B.

Incarnatio vt redemptiua fuit motiuum, vt Deus vellet ipsam absolutè. Ibidem. Col. 2. lit C.

Vt redemptiua est propinquior fini à Deo intento. Ibidem. Col. 2. lit. E.

D. Thom. reputat probabile, quod si Adam nõ peccaret Christus veniret in carne impassibili. Q. 2. Disp. 3. Art. 1. Pag. 93 Col. 2. lit. C.

Deus nõ decreuit Incarnationem ante gratiam datam per prouidentiam generalem. Q. 1. Disp. 3. Art. 3. Pag. 101. Col. 1. lit. C.

Incarnatio dicitur bonum occasionatũ, quia præsuppositio aliquo materiali volita fuit. Ibidem Col. 2 lit. E.

Incarnatio non fuit occasionaliter volita, sicut punitio, aut pœna Ibidem. Col 1. lit. E.

Fuit volita, præsuppositio peccato, vt materia redemptionis. Ibidem.

Terminus formalis Incarnationis est humanitas. Q. 2. Disp. 4. Artic. 2. Pag. 115. Col. 1. lit. C.

Tantum ratione distinguitur Incarnatio ab actione assumptiua. Quæst. 2. Disput. 4. Art. 2. Pag. 118. Col. 2. lit. A.

Si daretur in natura humana propria existentia, posset esse instrumentum physicum ad Incarnationem Quæst. 3. Disp. 5. Art. 3. Pag. 138. Col. 1. lit. B.

De facto non fuit causa physica instrumentalis respectu Incarnationis Ibid. Col 1. lit. E.

Immediatè humanitas fuit terminata ad subsistentiam relatiuam, & secundario ad existentiam vt modificatam per subsistentiam Verbi. Quæst. 3. Disput. 6. Artic. 2. Pag. 143. Col. 2. lit. A.

Infinitas

In genere entis non potest multiplicari; benè autem infinitas in genere moris. Quæst. 1. Disp. 2. Art. 1. Pag 64. Col. 2. lit. B.

Inhærentia

Non est modus Vnionis respectu accidentis in ordine ad subiectum. Quæst. 3. Disp. 4. Art. 3. Pag. 128. Col. 1. lit. A.

Iniuria

Per iniuriam deprimitur persona iniuriata: & sic ad eius satisfactionem non solum exigitur quod iniurians redeat ad amicitiam, sed quod etiam humilietur. Quæst. 1. Disp. 1. Art. 2. Pag. 33. Col. 1. lit. B.

Iniuria causata per peccatum recipitur in Deo. Q. 1. Disp. 1. Art. 2. Pag. 21. Col. 2. lit. B.

Consistit in aliqua moralitate Ibidē. lit. C.

Ob maximam inferioritatem nostram erga Deum non habemus obligationem reddendi aliquid ipsi ex iustitia strictè dictam. Ibidem. Pag. 22. Col. 2. lit. A.

Iniuria illata Deo est rigorosa iniuria. Ibidem, lit. B. & C.

Non resarcitur per subiectionem creaturæ, siquidem hæc subiectio semper fuit debita, sed per subiectionem personæ æqualis. Ibidē. Pag. 23. Col. 1. lit. A.

Iniuria irrogata Deo est infinita simpliciter, ly Simpliciter sumpto pro absolutè. Ibidem. Pag. 29. Col. 1 lit. D.

Est infinita, quatenus, læso Deo, læduntur omnes dignitates creaturæ. Ibidem.

Nihilominus laedit maiestatem diuinam omni modo, quo iniuriabilis est; & sic non est infinita omnibus modis. Ibidem, lit. E.

Per hanc iniuriam imuriantur omnes creaturæ, quia Deus Caput illarum est. Ibidem. Col. 2. lit. E.

Quia attingit Deum ipsum deseruendo est infinita simpliciter. Ibidem. Pag. 30 Col. 1. lit. A.

Iniuria non consistit propriè in aliquo intrinseco peccati. Ibidem. Col. 2. lit. E.

Si per impossibile darentur duo Dij æquales, iniuria irrogata ab vno alteri esset maior quasi physicè iniuria illata ab homine, non autem esset maior moraliter. Ibidem. Pagin. 36. Col. 2. lit. A.

Instans

Non oportet, quod in quolibet instanti rationis diuino res videatur perfectè, & explicitè quantum ad omnia, quæ illi possunt conuenire. Quæst. 1. Disp. 3. Art. 3. Pag. 103. Col. 1. lit. B.

Intellectus agens

Respicit præcipuè abstrahere species à phantasmatibus. Quæst. 9. Disp. 11. Artic. 3. Pag. 275. Col. 2. lit. B.

Intellectio

Increata non potest etiam de potentia Dei absoluta vniri per modum intellectionis cum aliquo intellectu creato. Quæst. 9. Disp. 11. Art. 1. Pag. 253. Col. 1. lit. D.

Intellectio duo dicit, alterum secundum communem conceptum operationis vitalis: & sic dicit ordinem Originis. Alterum respectiuè ad obiectum, & sic non importat rationem Originis. Ibid. Pag. 256. Col. 2. lit. A.

Intentio

Non potest dari vnus motus intentionis, nisi in ordine ad vnum terminum formalem. Q. 1. Disp. 3. Art. 1. Pag. 86. Col. 1. lit. D.

Tanto est efficacior, quanto modo magis determinato procedit. Ibidem. Art. 2. Pag. 91. Col. 2. lit. B.

Intentio efficax finis assequibilis indifferenter per diuersa media non determinat ad vnum medium determinatè. Ibidem. Pagin. 97. Col. 1. lit. C.

Intentio Dei

Efficax semper respicit rem cum omnimoda determinatione ad statum assequibilitatis. Ibidem. Pag. 91. Col. 2. lit. D.

Intentio efficax Dei infert determinationem medij in ordine ad finem consequendum, in quo distinguitur ab intentione humana. Ibidem. Pagina 96. Columna 2. litera E.

Instrumentum

Physicum non potest dari ad creationem. Q. 3. Disp. 5. Art. 3. Pag. 137. Col. 2. lit. E.

Instrumentum coniunctum eodem actu quo redditur agens constituitur instrumentum; non autem instrumentum separatum. Q. 8. Disp. 10. Art. 1. Pag. 216. Col. 1. lit. A.

Res effecta dicit ordinem transcendentalem ad instrumentum vt eleuatum à causa principali. Quæst. 13. Disp. 15. Art. 2. Pag. 362. Col. 1. lit. A.

Motio, per quam eleuatur instrumentum supernaturale, potest aliquo modo vocari operatio perfectiua, seu effectiua instrumenti. Ibi. Art. 3. Pag. 368. Col. 2. lit. E.

Motio recepta in humanitate Christi, & in alijs instrumentis corporeis entitatiuè est materialis, terminatiuè autem spiritualis. Ibi. Pag. 369. Col. 1. lit. E.

Quando instrumentum est excellentissimi, & coniunctum causæ principali, potest communicare virtutem alijs instrumentis. Q. 13. Disp. 15. Art. 4. Pag. 380. Col. 1. lit. C.

Ioannes Hus

Condemnatus fuit in Concilio Constantiensi, quia dicebat quod Christus erat diuinitas, & humanitas figillatim. Quæst. 17. Pagin. 444. Col. 1. lit. D.

Iustitia

Conditiones exactæ ad iustitiam rigorosam sunt quinque. Nempè vt bonum æquetur debito, vt sit proprium debitoris, vt non sit alio titulo debitum, quod sit ad alterum, & quod aliam satisfactionem exigere non possit creditor. Quæst. 1. Disput. 1. Artic. 1. Pagin. 18. Col. 2. lit. B.

Vnius ad se ipsum tantum metaphoricè datur iustitia. Quæst. 1. Disput. 2. Art. 2. Pagin. 66. Col. 2. lit. C.

Iustitia debet esse inter duo principia vt quod. Ibidem, lit. D.

Sufficit quod sit ad alterum, vel formaliter, vel virtualiter. Ibidem. Pag. 67. Col. 2. lit. C.

Ad iustitiam perfectè exercendam requiritur, quod dona ita sint propria, quod non sint donata à creditore. Ibidem. Pagin. 68. Column. 1. lit. B.

Iustitia vindicatiua nunquam peruenit ad institiam commutatiuam perfectam. Ibidem. Art. 3. Pag. 79. Col. 1. lit. C.

Iustitia commutatiua non potest inueni in pura creatura in ordine ad Deum. Ibidem, Col. 2. lit. A.

Nec inuenitur in Deo. Ibi. Pagin. 80. Column. 1. lit. C.

Iustitia commutatiua formalis respicit debitum riguroſum inter vtramque partem fundatum in præciſa commutatione dati, & accepti. Ibidem. Col. 2. lit. A.

Cum Deus ex vi dati non poſsit abſolutè conſtitui debitor, ideò in ipſo non reperitur iuſtitia commutatiua formalis. Ibidem lit B.

Reperitur in Deo ſolum quantum admodum. Ibidem, lit. D.

Ius

Reparare ius læſum, eſt obiectum iuſtitiæ propriè dictæ. Q. 1. Diſp. 1. Art. 1. Pagin. 19. Col. 2 lit B.

Lex diuina propriè non dicitur ius, ſed fas. Ibidem, lit. D.

Iuſtinianus

Decreuit Chriſtum Dominum non aſſumpſiſſe defectus corporales. Q. 14. Art. 1. Pagin. 389 Col. 1. lit. D.

Libertas, vide in verbo Neceſsitas.

Locus

Quilibet circũſcriptiuus terminat adæquatè tam intenſiuè, quàm extenſiuè Corpus. Q. 3 Diſp. 6. Art. 3. Pag. 146. Col. 2. lit. E.

Lumen

Intenſio luminis non clarificat plura obiecta, quando ſunt diſparata, benè tamen quando connexa. Q. 10. Diſp. 12. Art. 2. Pag. 289. Col. 1. lit. B.

Lumen gloriæ

Sine ſui variatione attingit Deum, & decretum liberum. Ibidem. Art. 3. Pagin. 304. Col. 1. lit. E.

Macula

Non tollitur niſi per aliquid intrinſecum reale phyſicum. Q. 7. Diſp. 8. Art. 1. Pagin. 165. Col. 1. lit. B.

Medicamentum

Nullum medicamentum eſt ita ſalubre, quim aliqua ex parte non noceat. Q. 14. Artic. 4. Pag. 393. Col 2. lit. C.

Menſura

Nulla creata coexiſtit alteri, niſi quando eſt. Q. 11. Diſput. 13. Art. 2. Pag. 320. Col. 2. lit. C.

Meritum

Diſtinguitur à ſatisfactione. Q. 1. Diſp. 1. Art. 1. Pag. 20. Col. 1. lit. D.

Etiam ſi de potentia Dei abſoluta poſſet aliquis mereri de condigno alteri gratiam, non tamen p ſſet ad æqualitatem pro culpa ſatisfacere Ibid. Art. 2. Pag 38 Col. 2. lit. B.

Meritum reſpicit iuſtitiam diſtributiuam, quæ non exigit æqualitatem perſonarum, in quo diſtinguitur à ſatisfactione perfecta. Ibi.

Ad omne meritum prius attenditur dignitas perſonæ apud Deum. Q. 1. Diſp. 2 Art. 1. Pag 63. Col. 1. lit. E. & Diſp. 1. Art. 3 Pag. 47. Col. 2. lit. B.

Meritum de condigno non poteſt dari in aliqua pura creatura reſpectu Incarnationis. Q. 2. Diſp. 5. Art. 1. Pag. 130. Col. 1. lit. B.

Meritum de congruo poteſt dici dupliciter, nempè, & ex præciſa miſericordia Dei, & ex intrinſeco valore. Ibidem, lit. E.

Sancti Patres meruerunt de congruo Incarnationem. Ibidem. Pag. 131. Col. 2. lit. A.

Dependenter à Chriſto, tanquam in genere cauſæ finalis. Ibidem. Pag. 133. Col. 1. lit. E.

Principium meriti non poteſt cadere ſub merito. Ibidem. Pag. 134. Col. 1. lit. D.

In rebus ſucceſsiuis vna pars poteſt mereri per aliam. Ibidem. Art. 2. Pag. 136. Col. 1. lit. C.

Diſpoſitio vt procedit ab auxilio poteſt de congruo mereri gratiam habitualem. Ibidem. Pag. 137. Col. 1. lit. B.

Conditiones meriti ſunt quatuor. Q. 19. Diſp. 17. Art. 2. Pag. 461. Col. 2 lit. B.

Meritum & præmium poſſunt eſſe in eodem inſtanti reali Ibidem. Diſp. 18. Artic. 1. Pag. 487. Col. 1. lit. B.

Miſsio Diuina

Quantum ad terminum eſt à tota Trinitate Q. 24. Diſp. 20. Art. 1. Pagin. 527. Col. 1. lit. D.

Patri non conuenit mitti, benè tamen Filio, & Spiritui Sancto. Ibidem. Pag. 528. Col. 1. lit. C.

Filius dicitur abſolutè miſſus, non tamen prædeſtinatus. Ibidẽ. Pag. 529 Col. 2. lit. B.

Miracula

Virtus patratiua miraculorum non fuit in Chriſto per modum permanentis. Q. 9. Diſp. 11. Art. 2. Pag. 264. Col 2 lit. D.

Ad miracula cauſanda dupliciter poſſunt concurrere Sancti, & phyſicè, & moraliter. Q. 13. Diſp. 15. Art. 2. Pag. 361. Col. 1. lit. B.

Modus Vnionis

Non datur inter humanitatem, & Verbũ. Q. 2. Diſp. 4. Art. 3. Pag. 121. Col. 2. lit. C.

Natura

Natura humana terminata ſua ſubſiſtentia non poteſt terminari ſubſiſtentia diuina. Q. 6. Diſp. 7. Art. 1. Pag. 152. Col. 1. lit. D.

Terminata ſubſiſtentia diuina non habet appetitum ad propriam ſubſiſtentiam. Ibi. Art. 2. Pag. 154. Col. 1. lit. C.

Natura appellatur etiam eſſentia, quidditas, ſubſtantia, vſia. Q. 2. Diſp. 4. Art. 1. Pag. 108. Col. 1. lit. B.

Natura incapax propriæ ſubſiſtentiæ non poteſt

potest assumi immediatè à Persona Diuina. Q.6. Disp.7. Art.3. Pagin.157. Col.1. lit.A.

Natura accidentalis capax propriæ existentiæ est assumptibilis ab existentia diuina. Ibi. Colum.2. lit.D.

In tali casu non diceretur Deus, v.gr. Albus. Ibidem lit E.

Natura irrationalis, si assumeretur à Deo, posset dici Sancta. Quæst.7. Disput.8. Artic.1. Pag.167. Colum.2. lit.A.

Nectorius

Posuit Vnionem Incarnationis in persona tantum secundum quamdam dignitatem moralem. Quæst.2. Disput.4. Artic.1. Pag.113. Colum.1. lit.D.

Necessitas

Ex suppositione non tollit libertatem. Q. 24. Disput.20. Art.3. Pag.564. Col.1. lit.E.

Notitia intuitiua

Optimè potest cognosci ab aliquo quem cognoscatur eius obiectum intuitiuè Q.11. Disput.13. Art.1. Pag 314. Col.1. lit B.

Obedientia

Est pars potentialis iustitiæ. Quæst.1. Disp. 2. Art.2. Pag.67. Col.1. lit E.

Obedientia Christi, vide in verbo Christus.

Ad hoc quod scias quid sit obedientia, oportet quod scias quid sit obedire in rebus difficilibus. Q.7. Disp.8. Art.3. Pagin.175. Colum.2. lit.E.

Qui non didicit obediendo subesse, nunquam nouit benè præcipiendo præesse. Ibidem.

Omnipotentia, vide potentia Christi.

Opera Christi, vide actiones Christi.

Operatio

Vitalis debet procedere ab agente, & esse forma intrinseca illius. Quæst.9. Disput.11. Art.1. Pag.254. Col.1 lit.E.

Explicatur illud principium, operatio sequitur adesse. Quæst.15. Disput.16. Artic.1. Pag.399. Col.1 lit A

Operatio ineße moris respicit suppositum. Ibidem lit.C.

Opinio

Non potest compati cum scientia. Quæst. 9. Pag.248.

Peccator

Non solum peccat contra Deum Legislatorem committendo lath le peccatum, sed etiam, contra ipsum vt vltimum finem Q.1. Disp.1. Art 2. Pag.23 Colum.2 lit.B.

Non solum peccat contra obedientiam, sed etiam contra iustitiam. Ibidem.

Peccatum

Non existenti peccato Christus non veniret in mundum. Pag.13.

In peccato mortali non solum est transgressio præcepti, sed etiam læsio diuini honoris. Q.1. Disp.1. Art.2 Pag.21 Col.2. lit C.

Peccatum contra legem Principis est tantum peccatum inobedientiæ, non tamen iniustitiæ. Ibidem, lit.C. & D.

Peccatum tamen contra Deum est inobedientiæ, & iniustitiæ. Ibidem.

Peccatum habet infinitatem quamdam. Ibi. Pag 28. Col.1 lit.A.

Probabile est esse simpliciter infinitum. Ibidem. Col.2. lit.D.

Non tamen est omnimodo infinitum, quia æstimatio moralis latitudinem patitur. Ibidem. Pag.30. Col.1. lit.E.

Probabile est etiam eius infinitatem esse secundum quid. Ibi. Col.2. lit.B.

In peccato solum inueniuntur duo, & ratio malitiæ, & ratio iniuriæ. Ibedem, lit.D.

Peccatum est contra bonum intellectuale; infinitũ analogicè. Ibid. Pag.31. Col.2. lit.E.

Peccatum, & auertit à fine proximo, seu à bono finito morali, & à fine vltimo. Ibi. Pag. 35. Col.2. lit.C.

Secundum auersionem à fine vltimo includit rationem offensæ infinitæ. Ibidem.

Peccatum in ratione actus non destruit gratiam tanquam forma opposita directè, sed vt opposita directè influentiæ diuinæ. Ibi. Art. 3. Pag.43. Col.1. lit.A.

Peccatum opponitur multis, ideòque à multis expellitur. Ibid Pag.48. Col.2. lit.E

Peccatum veniale

Non potest tolli per nudam sustinentiam pœnæ, sed per actum voluntarium. Ibidem. Art.4. Pag.51. Col.1. lit.A.

Distinguitur à mortali, in eo quod veniale solum est contra Deum Legislatorem, non verò contra Deum vt vltimum finem. Ibidem. Pag.52. Col.1. lit.B.

Finalizatur à fine charitatis velut negatiuè. Ibidem, lit D.

Non facit contra ius diuinum, sed contra modum iuris diuini. Ibidem. Col.2. lit.B.

Facit contra præceptum, non tamen contra finem præcepti. Ibidem, lit.D.

Non tollit ius infinitum, sed modum iuris infiniti, seu extensionem eius. Ibidem.

Aliquando remittitur per actum non directe oppositum ipsi. Ibid. Pag.53. Col.2. lit.E.

Peccatum Originale

Omnia peccata actualia sunt præuisa à Deo ante decretum Incarnationis implicitè in peccato originale. Quæst.1. Disp.3. Art.3. Pag 102. Col.2. lit C.

Peccatum Originale destructum per Baptis-

mum

mum nihil damnationis in renatis. Quæst. 1. Disp. 1. Art. 4. Pag. 51. Col. 2. lit. B.

Persona

Dat moralitatem actui secundum quod est circunstantia considerata à ratione vt conditio, seu accidens concomitans actum. Quæst. 1. Disp. 1. Art. 4. Pag. 53. Col. 2. lit. E.

Persona Diuina

Non est terminus formalis Incarnationis. Q. 2 Disput. 4. Art. 2. Pag. 116 Col. 1 lit. B.

Persona Christi est cõposita compositione ex his. Q. 2. Disp. 4 Art. 4 Pag 128 Col. 1. lit. D.

Omnes tres Personæ Diuinæ simul possunt assumere eandem naturam. Q. 3. Disp. 6. Art. 3 Pag. 145. Col. 1. lit C.

Et si quælibet personalitas diuina terminaret adæquatè intensiuè naturam assumptam, non tamẽ extensiuè. Ibi. Pag. 146. Col 1 lit. C.

In casu quo tres Personæ Diuinæ eandem humanitatem assumerent, diceretur vnus homo simpliciter. Ibi Pagin. 147. Col. 2. lit D.

Et similiter si vna Persona Diuina terminaret tres naturas humanas, non dicerentur tres homines simpliciter. Ibidem. Pag. 148. Col. 1. lit A.

Persona Diuina sanctificat realiter & intrinsecè humanitatem Q. 7. Disput. 8. Art. 1. Pag. 165 Col 2. lit C.

Personalitas Diuina

Solum est diligibilis per bonitatem absolutã. Q. 7 Disp. 8. Art 1. Pag 169. Col. 2. lit D.

Pietas Donum

Abstrahit à Filio adoptiuo, & naturali. Q. 20. Disp. 19. Art 4. Pag. 505. Col. 2. lit. C.

Pœna

Non amatur directè à Deo Q. 1. Disput. 3. Art. 2. Pag 98. Col. 1 lit E.

Pœnitentia

Virtus distincta à Religione. Ibi. Disput. 2. Art. 3. Pag. 78. Col. 1 lit. C.

Continetur sub iustitia commutatiua. Ibi. Col. 2. lit. B.

Possibilitas

Incarnationis non probatur à Diuo Thoma. Q. 1. Artic. 1. In argumento sed contra. Pag. 5. Benè tamen in Corp. Art. Pag. 11.

Potentia

Tanquam propria passio sequitur ad naturam, non autem ad existentiam. Q. 13 Disput. 15. Art. 1. Pag. 351. Col. 2. lit D.

Potentia Diuina Generatiua

Sequitur ad naturam prout in patre. Ibidem. Pag 352. Col 2. lit E.

Præceptum

Per eandem actionem potest impleri obligatio duplicis præcepti. Quæst. 1. Disput. 2. Artic 2. Pagin. 74. Column 1. lit B.

Prædestinatio

Respicit ad ordinis exitum. Q. 1. Disp. 3. Art. 1 Pag 85 Col. 2. lit. A.

Prædestinatio Angelorum absolutè considerata fuit ante prædestinationem Christi quãtum autem ad perfectionem accidentalem subsecuta est. Quæst. 8. Disp. 10. Artic. 3. Pag. 237. Col. 1 lit. D.

Prædestinatio Christi, vide Christus.

Prædicatio

Istæ prædicationes sunt verè, Deus generat, Deus est genitus, Deus est de Deo. Quæst. 16 Art 1. Pag. 414. Col. 1. lit. D.

Ista Deus est homo est æternæ veritatis. Ibi. Col 2. lit. C.

Ista est vera homo est Deus. Q. 16. Artic. 2. Pag 415. Col. 1. lit. B.

Ista est falsa Christus est homo Dominicus. Ibi. Art. 3. Col. 2. lib B.

Explicatur in quo sensu sit verum dicere Deus assumpsit hominem. Ibi, lit E.

Ista prædicatio Christus est seruus absolutè est vera Ibi Pag. 416. Col. 2. lit. B.

Per communicationem Idiomatum, quæ cõueniunt naturæ diuinæ possunt dici de homine tanquam de supposito nostræ humanæ. Ibi. Art 4. Pag. 417 Col 1. lit. B.

De homine Christo sine reduplicatione prædicatur quidquid essentialiter & attributaliter conuenit Deo, per communicationem Idiomatum. Ibi. Art 4. Pag. 418. Col. 1. lit B.

De Deo, aut de Christo non possunt prædicari illa prædicata absolutè, quæ conueniunt cum quadam appellatione formali, vel virtuali. Ibi, lit. D.

Possunt prædicari opposita priuatiuè, non contradictoriè. Ibidem.

Ob quatuor rationes aliqua prædicata, etiam per communicationem Idiomatum nõ possunt dici de Deo. Ibi. Col. 2. lit. D.

Quæ sunt naturæ diuinæ non possunt de humana dici in abstracto. Ibi. Art. 5. Pag. 419. Col. 2 lit C.

Hæc est vera prædicatio Christus est persona composita, sicut hæc est falsa Verbum est persona composita. Ibi. Pagin. 421. Colum. 1. lit. A.

Hæc non est vera Christus est humanitas & diuinitas simul sumpta. Ibidem, lit. D.

Hæc est vera Deus factus est homo. Ibi. Art. 6. Pag 422. Col. 1. lit. D.

Hæc est falsa Deus factus est substantia. Ibi. Pag. 423. Col. 2. lit. D.

Ista absolutè est falsa homo factus est Deus. Ibi. Art. 7. Pag. 424. Col. 2. lit. E.

Ista absolutè est falsa Christus est creatura. Ibi. Art. 8. Pag. 426. Col 2. lit. E.

Ista est falsa hic homo, demonstrato Christo, incipit esse. Ibi. Artic. 9. Pagin. 429. Colum. 1. lit. E.

Ista est falsa Christus fit, sicut hæc est vera Christus giguitur. Ibidem. Pagin. 430. Col. 1. lit. D.

Ista homo est creatura reduplicando naturam humanam est vera. Ibi. Artic. 10. Col. 2. lit. B.

Ista Christus in quantum homo est Deus reduplicando suppositum est vera. Ibi. Art. 11. Pag. 434. Col. 1. lit. C.

Ista Christus in quantum hic homo est Deus est vera. Ibi.

Hæc Christus secundum quod homo est persona est vera. Ibi. Art. 12. Pagin. 435. Col. 1. lit. E.

Prædicatum

Dupliciter potest esse de essentia subiecti, vel ratione suppositi, vel ratione formæ. Q. 16. Art. 1. Pag. 413. Col. 2. lit. C.

Quando prædicatum est indifferens ad totum, & ad partem pertinere solum cum restrictione est prædicandum. Quæst. 16. Artic. 7. Pag. 426. Col. 2. lit. E.

Prophetia

Per donum prophetiæ duo conferuntur, nempè acceptio, siue repræsentatio rerum & iudicium de ipsis rebus. Quæst. 9. Disput. 11. Art. 2. Pag. 262. Col. 1. lit B.

Non datur per modum habitus. Ibi. Pagin. 265. Col. 1. lit B.

Aliquando est obscura. Quæst. 11. Disp. 13. Art. 2. Pag. 322. Col. 1. lit. A.

Prophetiæ est multiplex gradus. Ibidem.

Ad prophetiã exigitur, quod sit rerũ procul existentiam à Propheta. Ibi, lit. D.

Prophetia Christi

Christus fuit verus Propheta. Quæst. 11. Disp 13. Art. 2 Pag. 321. Col. 1. lit. D.

Dicitur Propheta etiam ratione Scientiæ infusè, & imaginariè cognitionis. Ibid. lit. D.

Prouidentia

Prius intelligitur prouidentia generalis circa ordinem naturæ & gratiæ, quam prædestinatio. Quæst. 1. Disp. 3. Art. 2. Pagin. 96. Col. 1. lit. B.

Post prouidentiam generalem incipit prædestinatio. Ibidem lit. E.

Prouidentia specialis dicitur dupliciter, vel ratione effectus prouisi, vel ratione modi efficacis in ordine ad consequendum finem. Quæst. 8. Disput. 10. Artic. 2. Pagin. 223. Colum. 2. lit. B.

Prouidentia pertinens ad statum innocẽtiæ fuit specialis ratione effectus, nempè gratiæ, non ratione finis. Ibidem.

Prudentia

Est circa singularia præcisè. Q. 1. Disp. 3. Art. 2. Pag. 90. Col. 2 lit. D.

Pueri

Dum existunt in vtero matris sunt membra Christi. Quæst. 8. Disput. 10. Art. 2 Pagin. 218. Col 1. lit. A.

Prudentia Christi. Quære in verbo Christus.

Regula

Generalis. In omnibus quæ certa fide non constant attendendum est ad naturas rerum Quæst. 11. Disput. 14. Artic. 2. Pagin. 333 Col. 2. lit. A.

Regula pro reduplicatiuis

Quando reduplicatio est totalis præiacens debet esse vera. Quæst. 16. Art. 10. Pag. 433. Col. 1. lit. E.

Relatio

Transcendentalis est idem cum entitate rei prout ab aliquo dependenti. Quæst. 2. Disp. 4. Art. 3. Pag. 123. Col. 1. lit. B.

Forma relatiua non infert mutationem in subiecto denominato. Quæst. 16. Art. 6. Pag. 424. Col. 1. lit. E.

Relatio fundata supra actionem & passionem, ipsis transeuntibus, manet fundata in termino actionis, & passionis. Q. 2. Disput. 4. Art. 3. Pag. 125. Col. 2. lit. D.

Si omnes tres Personæ assumerent eandem naturam ex parte naturæ non daretur nisi Vnica relatio. Quæst. 2. Disp. 4. Art. 3. Pagin. 124. Col. 2. lit C.

Relatio Vnionis humanitatis ad Verbum fundatur in ipsa entitate humanitatis, vt realiter immutata, & passiuè tracta ad Personam Verbi. Ibi. Pagin. 125. Column. 1. litera E.

Religio

Non potest ad æqualitatem explere totum debitum, quod Deo debemus, & sic est pars potentialis iustitiæ. Quæst. 1. Disput. 1. Art. 2. Pag 23. Col. 1. lit. E.

Solum respicit cultum Dei. Ibi. Pagin. 36. Col. 1. lit. D.

Religio Christi. Quære in verbo Christus.

Religio respicit redditum cultus diuini pro beneficio creationis. Quæst. 1. Disp. 2. Art. 3. Pag. 78. Col. 1. lit. C.

Remedium

Peccati non fuit medium subsecutum ad Incarnationem. Quæst. 1. Disp. 3. Art. 2. Pag. 92. Col. 1. lit. D.

Fuit motiuum proximum ad Incarnationem, etiam quoad substantiam. Ibidem, & Pag.94.Colum.2 lit A.

Sacerdos

Quamuis habeat characterem permanentem, non tamen habet virtutem ad consecrandum permanentem. Quæst.13.Disp.15.Art. 3.Pag.370.Col.2.lit E.

Sanctitas

Non datur in Deo triplex sanctitas. Q.7. Disp.8.Art.1.Pag.170.Col.2.lit.A.

Satisfactio

Est compensatio, seu redditio alicuius debiti. Quæst.1.Disput.1.Art.1.Pagin.18.Columnn.1 lit.A.

Est duplex, perfecta, & imperfecta. Q.1. Disp 1 Art.1.Pag 17.Col.1.lit.A.

Perfecta, est condigna satisfactio per quamdam recompēsationem culpæ commissæ. Ibid.

Imperfecta autem satisfactio hominis est secundum acceptationem eius, qui est ea contentus. Ibi.

Etiam est multiplex, nēpè gratitudinis pro beneficio accepto, fidelitatis loquendo semper veritatem, amicitiæ reddendo redamationem. Ibidem Pag.28 Col.1.lit.C.

Satisfactio debiti legalis est recompensatio volūtaria æquiualentis pro æquiualēti. Ibid.

Purus homo non potest Deo satisfacere ex rigore iustitiæ Q.1 Disp.1.Art.1.Pagin 20. Col.2.lit.B & Art 2.Pag.27.Col.2.lit E.

Vt satisfactio esset condigna, requirebatur quod haberet infinitam virtutem. Ibidem. Columnn.1.lit.A.

Ex parte solutionis & pretij non est sufficiens alius modus, nisi per Christum ad solutionem culpæ. Ibidem, lit.D.

Quia per peccatum læditur Persona diuina, ideo ad eius satisfactionem diuina exigitur Persona. Quæst.1.Disp.1.Art.2.Pag.33. Col.2.lit.B.

Ad satisfactionē imperfectam sufficit, quod offeratur aliquid quod sit sufficiens ex acceptatione Creditoris, licet non ex æquiualenti valore. Ibidem. Art.3 Pag.45.Col.2. lit.A.

Ad satisfactionem nō requiritur quod persona sit grata elicitiuè, sed quod sit grata terminatiuè, id est, quod satisfactio terminetur ad habendam gratiam. Ibidem. Pag.47. Colum.1.lit.A.

Satisfaciens imperfectè non fundat aliquod ius, sed potius disponit, vt Deus cedat iuri suo. Ibidem. Pag.47.Col.2.lit.D.

Satisfactio non respicit, nisi ad ordinem iustitiæ commutatiuæ. Ibidem. Col 2 lit D.

Satisfactio intēdit ius creditoris extinguere, non ius ad illum fundare Ibidem, lit D.

Qui imperfectè satisfacit, nullum ius etiam imperfectum inducit, vt aliter ei faciat gratiam remissionis. Ibidem. Pagin 48. Columnn.2 lit A.

Satisfactio confert aliquid, vt remittatur debitum, non vt ei aliquid conferatur, sicut contingit in merito. Ibidem, lit.C.

Satisfactio pro peccato veniale

Homo iustus de condigno potest satisfacere pro peccato veniali. Quæst.1.Disp.1.Art. 4.Pag.50.Col.1 lit.D.

Satisfactio Christi pro peccato veniali est efficacior satisfactione puri hominis. Ibi. Pagin.53.Col 2.lit C.

Licet Deus vt supremus Dominus possit non acceptare satisfacti nem pro peccato veniali, non potest tamen illam reijcere vt supremus Iudex. Ibidem. Pag.54.Col.1.lit A.

Satisfactio pro peccato veniale indiget pacto & lege Dei non dante valorem, sed applicante, ne reijciatur à Deo tanquam à supremo Domino. Ibidem. lit B.

Satisfactio absoluta

Ad satisfactionem non requiritur quod actus satisfaciendi sit reflexiuus supra personam. Quæst.1.Disput.2.Art.1.Pag.63.Columnn 2.lit.C.

Ad perfectam satisfactionem ex iustitia, solum requiritur, quod id per quod fit satisfactio, non sit alio titulo iustitiæ debitum Quæst.1.Disput.2.Art.2.Pagin.73.Columnn.1.lit.C.

Id per quod fit satisfactio potest titulo gratitudinis, vel obedientiæ esse debitum Ibi.

Satisfactio pro iniuria requiritur quod fiat per aliquid, quod non sit sub dominio creditoris offensi. Quæst.1.Disp.2.Art.2.Pag. 71.Colum.1.lit.D.

Quando est perfecta satisfactio debiti, creditor tenetur illam acceptare. Ibi. Pagin.74. Colum.2.lit.D.

Non supponit dignitatem ex parte personæ, sed tendit ad illam conciliandam. Quæst. 1.Disp 1.Art.3 Pag.47.Col.2.lit.B.

Satisfactio Christi, vide in verbo Christus.

Seruitus

Multis modis dicitur. Quæst.20.Disp.19. Art.5.Pag.512.Col.1.lit.E.

Scientia Beata

Ad cognoscendum plura per Scientiam Beatam Vnica concurrit species. Quæst.11. Disp.14.Art.2.Pag 336.Col.1.lit.D.

Scientia Indita

Ad cognoscendum plura per Scientiam in-

ſtam concurrunt plures ſpecies. Ibidem.

Scientia Beata Chriſti, vide in verbo Chriſtus.

Scientia indita Chriſti, & Scientia adquiſita. Quære in verbo Chriſtus.

Simpliciter

Dupliciter ſumitur, primo, pro eo quod eſt idem atque abſolutè, ſecundo pro eo quod eſt idem, atque totaliter. Quæſt. 1. Diſp. 1. Art. 2. Pag. 29. Col. 1. lit. A.

Species

Informatio ſpeciei intelligibilis non dicit imperfectionem. Quæſt. 2. Diſp. 4. Art. 1. Pag. 112. Col. 1 lit. A.

Dubilis eſt ſpecies intelligibilis repræſentans futura libera. Quæſt. 11. Diſp. 13. Art. 2. Pag. 317. Col. 2. lit. B.

Species deſeruientes Scientiæ inditæ ad cognoſcendas res naturales ſunt ſupernaturales. Quæſt. 11. Diſput. 13. Art. 3. Pagin. 325. Column. 2. lit. C.

Iſtæ ſpecies dicuntur minus vniuerſales Angelicis quantum ad extenſionem, non quantum ad immaterialitatis abſtractionem. Ibi. Pag. 326. Col. 2. lit. A.

Vnica ſpecies directè non repræſentat rem naturalem, & ſupernaturalem. Ibidem, litera D.

In Chriſto fuêre clariores Angelicis. Quæſt. 11. Diſputat. 14. Artic. 2. Pagin. 334. Column. 2. lit. D.

Repræſentat omnia prædicata, & ſingularia naturæ. Quæſt. 11. Diſp. 14. Art. 2. Pagin. 337. Col. 2. lit. B.

Spiritus Sanctus

Caſu, quo fieret homo nec eſſet Filius naturalis, neque adoptiuus. Quæſt. 20. & apud D. Thomam. 23. Diſp. 19. Art. 5. Pagin. 518. Column. 2. lit. E.

Status

Omnis ſtatus hominum reducuntur ad tres. Q. 8. Diſp. 10. Art. 2. Pag. 217. Col. 2. lit. C.

Suarez

Eneruare intendit rationem D. Thom Pag. 13. & 14. Contrarius eſt D. Thom. Quæſt. 11. Diſp 14. Art 1 Pag. 328 Col 2 lit. C.

Reiicit omnino & rationem, & concluſionem Diui Thomæ. Quæſt. 1. Diſp. 3. Artic. 1. Pag 80. Col. 2. lit. D.

Truncat verba Auguſtini indiſtinctum ſenſum Quæſt. 8. Diſput. 10. Artic 2. Pag. 222. Column. 1. lit. E.

Subiectum

Eſt duplex alterum connaturalitate actiua, & alterum proportionis Quæſt. 7. Diſp. 9. Art. 3. Pag. 200. Col. 2. lit. B.

Subſiſtentia

Solum conuenit ſubſtantiæ completæ. Q. 2. Diſp. 4. Art 1. Pag. 108. Col. 2. lit. C.

Eſt prior quam exiſtentia. Ibi. Pagin. 109. Col. 1. lit. A.

Tanquam modus realis poſitiuus diſtinguitur à natura. Ibidem, lit. E.

Non eſt de conceptu naturæ, neque è contra. Ibidem. Pag. 110. Col. 1. lit. B.

Diſtinctio realis ſubſiſtentiæ à natura, in natura corporea ſumitur per ordinem ad indiuiduationem. Ibidem, lit. C.

In natura autem Angelica diſtinctio ſubſiſtentiæ ſumitur per ordinem ad accidentia. Ibidem.

Probabile eſt ſubſiſtentiam eſſe realitatem, & non modum. Ibidem. Col. 2. lit. E.

In Deo datur ſubſiſtentia abſoluta. Quæſt. 2. Diſp. 4. Art. 1. Pag. 113. Col. 2 lit D.

Implicatorium eſt ſubſiſtentiam creatam poſſe terminare duas naturas. Quæſt. 3. Diſp. 6 Art. 1. Pag. 141. Col 1. lit. D.

Subſiſtentiæ accipit ſpeciem à natura, quã terminat. Ibi, lit. B.

Subſiſtentia Diuina

Quia eſt terminus naturæ infinitæ omnes naturas creatas poteſt terminare. Ibi Pagin. 142. Col. 1 lit. A.

Incarnatio non fuit facta in ſubſiſtentia abſoluta. Quæſt. 3. Diſp. 6. Art. 2. Pag. 143. Col. 1. lit. B.

Natura prædita propriâ ſubſiſtentia alienâ, etiam diuina terminari non poteſt. Quæſt. 3. Diſp. 6. Art. 3. Pag. 147. Col. 1. lit. B.

Supernaturalitas

Nulla poteſt conuenire creaturæ ſubſtantialiter. Quæſt. 2. Diſp. 4. Artic. 3. Pag. 123. Col. 1. lit. B.

Suppoſitum

Eſt principium operandi vt quod. Quæſt. 1. Diſp. 2. Art. 1. Pag. 55. Col. 1. lit. B.

Suppoſito quædam res conueniunt ratione ipſius ſuppoſiti, & quædam ratione naturæ. Q. 16. Art. 6. Pag. 423. Col. 2. lit. A.

Tentatio

Carnis non poteſt eſſe ſine peccato. Q. 15. Diſp. 16. Art. 3. Pag. 406. Col. 2. lit. A. & B.

Terminus

Eſt duplex alter formalis, ſiue quo, & alter totalis, ſiue qui. Q. 2. Diſp. 4. Art. 2. Pag. 114. Col. 2. lit. B.

Terminus formalis non exigit eſſe productus, ſed ſufficit quod ſit vnitus. Ibidẽ. lit. C.

Teſtimonium

Non manifeſtat euidenter rem teſtificatã Q. 11. Diſp. 13. Art. 2. Pag. 317. Col. 1. lit. B.

Timor

Est de malo futuro arduo, quod non potest facilè vitari. Quæst. 7. Disp. 8. Art. 5. Pag. 81. Col. 2. lit. D.

Fuit in Christo. Ibidem. Col. 2. lit. A.

Malum, quod est in nostra potestate, non cadit sub timore. Ibidem. Col 2. lit. E.

Donum timoris

Quantum ad habitum, & actum est in beatis. Q. 7. Disp. 8. Art. 6. Pag. 183. Col 2. lit. A

Distinguitur à timore communiter dicto. Ibi. Pag. 184. Col. 2. lit. D.

Principaliter respicit causam potentem infligere malum. Ibidem, lit. D.

Respicit malum quod imminere potest, non de necessitate, nisi in statu imperfecto. Ibi. lit. E.

Respicit primario subiectionem, & reuerentiam, Deum autem in obliquo. Ibi. Pagina 185 Col. 1. lit. E.

Distinguitur à virtutibus Theologicis, & à Religione, & humilitate. Ibi. Col 2. lit. B.

Respicit Deum vt potentem infligere malum absolutè, non pro hoc vel illo statu. Ibi. Pag. 186. Col 2. lit. A.

Donum timoris Christi. Quære verbo Christus.

Valor

Significat opera solum ex coniunctione, & vnione ad principium meriti. Q. 1. Disp. 2. Art. 1. Pag. 62. Col. 1 lit. A.

Non derivatur in opus ex conformitate ad regulas rationis, sed ex cõiunctione quã præstat principium meriti informando. Ibidem.

Valor operum Christi. Quære in verbo Christus.

Vazquez

Iniuriosè impugnat Diuum Anselmum. Q 1. Disp 2. Art. 2. Pag. 73. Col. 1 lit. E.

Impugnat Sanctum Thomam. Q. 2. Disp. 43. Art. 1. Pag. 112. Col. 2. lit. C.

Relegandus est, dum dicit Chrysostomum, & Theophilactum non esse imitandos, quia eorum ratio parum habet momenti. Quæst. 8. Disp. 10. Art. 3. Pag. 226. Col. 1. lit. A.

Contra Diuum Hieronymum inverecundè loquitur fronte. Ibi. Pag. 232. Col. 2. lit. D.

Castigatur. Ibidem.

Carpit rationem Diui Thomæ. Quæst. 11. Disp. 14. Art. 1. Pag. 328. Col. 1. lit. D.

Eamque spernit. Quæst. 15. Disp. 16. Art. 1. Pag 398. Col. 1. lit. B.

Inconsequenter procedit. Q. 16. Artic. 10. Pag 433 Col. 2. lit. B.

Impugnat Sanctum Thomam. Quæst. 16. Artic. 12. Pag. 435. Col. 2. lit. B.

Contemnit rationem Diui Thomæ. Q. 17. Art. 1. Pag. 439 Col. 2 lit. E.

Falsò allegat testimonium Concilij Ephesini, vt notat Lorca. Ibi. Pag 440. Colum. 1. lit. A.

Opponit se communi iudicio Scholasticorum. Q. 18. Art. 1. Pag. 448. Col. 1. lit. D.

Vt liberet hæreticos Monotholitas ab inconsequentia. Ait D. Thomam, & cæteros Scholasticos non intellexisse eorum errorem. Ibi. Pag. 449. Col. 1. lit. D.

Gloriatur se solum inter omnes venatum fuisse eorum errorem, sed prius inuenit Caietanus. Ibidem, lit. D.

Defenduntur Sancti Patres ab impositione Vazquez. Quæst. 19. Disp. 18. Art. 3. Pag. 491. Col. 2. lit. D.

Verbum

Non potest absolutè dici quod Verbum diuinum est persona composita, nisi addatur in quantum homo. Quæst. 2. Disp. 4. Art. 4. Pagin. 129. Col. 2. lit. B.

De fide est Verbum diuinum assumpsisse sanguinem. Quæst. 6. Disp. 7. Art. 3. Pag. 156. Col. 1. lit. C.

Assumpsit omnia quæ informantur animâ rationali. Ibidem, lit. B.

Omnes humores pertinentes ad bonum temperiem Corporis fuere ab ipso assumpti. Ibidem. Col. 2. lit. B.

Similiter vngues & capilli. Ibidē, lit. D.

Prius assumpsit animam ei communicando subsistentiam immediatè. Quæst. 6. Disput. 7. Art. 4. Pag 159. Col. 1. lit. B.

Ab æterno fuit prædestinatũ adesse hominẽ. Q 24. Disp. 20. Art. 1. Pag. 523 Col. 1. lit. E.

Vbiquistæ

Asserere Christum qua hominem fuisse omnipotentem. Quæst. 13. Disp. 15. Artic. 1. Pag. 349. Col. 1. lit. C.

Vnio

In natura est eorum, quæ pertinent ad conceptum illius; in persona vero, eorum quæ sunt extra naturam. Quæst. 2. Disp. 4. Art. 1. Pag. 111. Col. 1. lit. A.

Vnio physica solum potest fieri tribus modis. Ibidem. Col. 1 lit. B.

Vnio non potest esse terminus formalis in Incarnatione. Quæst. 2. Disp. 4. Art. 2. Pagin. 116. Col. 1. lit. C.

Vnio non est medium inter humanitatem, & Verbum, sed est relatio quædam subsecuta ad vtrumque extremum vnitum. Ibidem. Art. 3. Pag. 122. Col. 1. lit. B

Non datur modus Vnionis inter formam, & materiam. Ibi. Col. 2. lit. B.

Vnioni Hypostaticæ non conuenit habere aliquas passiones. Quæst. 7. Disput. 9. Art. 3. Pag. 201. Col. 1. lit. K.

Vnio Hypostatica fuit comprehensa à Christo Domino secundum omnes effectus sibi quasi connaturaliter conuenientes. Quæst. 10. Disp. 12. Art. 2. Pag. 294. Col. 1. lit. E.

Magis repugnat Vnioni Hypostaticæ peccatum, quam gratiæ habituali. Quæst. 15. Disput. 16. Art. 1. Pag. 402. Col. 1. lit. E.

Virtus

Vbi est diuersum debitum variatur virtus. Q. 1. Disp. 2. Art. 3. Pag. 77. Col. 1. lit. D.

Virtutes quomodo distinguantur à donis. Q. 1. Disput. 2. Art. 3. Pag. 79. Col. 2. lit. D.

Virtutes existentes in patria habent pro materia proxima actum in præparatione animi exercendum in materia, quam in via habuerunt. Ibidem. Pag. 80. Col. 1. lit. A.

Virtus Theologica

Ordinat hominem immediatè circa finem supernaturalem. Quæst. 7. Disp. 8. Art. 5. Pagin. 180. Col. 1. lit. D.

Virtus instrumenti entitatiuè erit corporea, si instrumentum fuerit corporeum. Q. 13. Disput. 15. Art. 2. Pag. 359. Col. 2. lit. E.

Virtus spiritualis per modum permanentis non potest recipi in aliquo corporeo. Ibi. Art. 3. Pag. 369. Col. 2. lit. A.

Virtus faciendi miracula non est in humanitate Christi permanenter, sed per modum transeuntis. Ibi. Col. 2. lit. E.

Virtutes Christi. Quære in verbo Christus.

Visio Beatifica

Deus non potest Vniri per modum Visionis cum intellectu creato. Quæst. 7. Disp. 8. Art. 1. Pag. 167. Col. 1. lit. E.

Non potest fieri cum conuersione ad phantasmata. Quæst. 11. Disp. 14. Art. 1. Pag. 332. Col. 1. lit. A.

Attingit quidquid formaliter est in Deo. Q. 10. Disp. 12. Art. 2. Pag. 297. Col. 2. lit. C.

Non tamen quidquid virtualiter est in Deo attingit. Ibidem.

Beatus per Visionem formaliter attingit, quidquid pertinet ad suum statum. Ibi. Art. 3. Pag. 300. Col. 2. lit. D.

Non omnia futura contingentia, nec libera decreta Dei videntur per quamlibet Visionem. Ibi. Pag. 303. Col. 2. lit. C.

Videtur tota entitas actus liberi diuini. Ibi.

Potest videri Visio Beata, quin formaliter videatur obiectum cum quo est connexa. Ibidem.

Voluntarium

Est duplex. Quæst. 14. Art. 2. Pagin. 390. Col. 2. lit. E.

Voluntas

Diuina efficax dicitur, secundum quod intendit ordinari aliquid in finem, & simul euentum ad finem. Quæst. 1. Disp. 3. Artic. 1. Pag. 85. Col. 2. lit. B.

Voluntas diuina distinguitur à creata in sua efficacia. Ibidem, lit. E.

Voluntas Beati circa factibilia à se semper impletur, non tamen circa facienda per alios. Quæst. 13. Disp. 15. Art. 6. Pagin. 386. Colum. 2. lit. E.


Voluntas Christi. Quære in verbo Christus.

FINIS.

MATRITI

EX TYPOGRAPHIA REGIA

Anno M. DC. LVI.



9
50

8.300